

Bibliotheca Lindesiana.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/museisiuebibliot00clem



MVSEI,

SIVE

BIBLIOTHECÆ

tam priuatæ quàm publicæ
Extructio, Inſtructio,
Cura, Vſus.

LIBRI IV.

Acceſſit accurata deſcriptio Regiæ Bibliothecæ S. LAVRENTII ESCVRIALIS:

Inſuper Paræneſis allegorica ad amorem literarum

Opus multiplici eruditione ſacra ſimul et humana refertum: præceptis moralibus et literariis. architecturæ et picturæ ſubiectionibus, inſcriptionibus et Emblematis, antiquitatis philologicæ monumentis, atque oratoriis ſchematis utiliter et amœne teſſellatum

Auctor P. CLAVDIVS CLEMENS *Ornacenſis in Comitatu Burgundiæ è Societate* IESV, *Regius Profeſſor Eruditionis in Collegio Imperiali Madritenſi.*

LVGDVNI
SVMPTIBVS IACOBI PROST
M.DC.XXXV.

PHILIPPO IV.
REGI CATHOLICO.

HAVD ſatis nouit quid Regum maieſtati conueniat, quiſquis putat ſolùm Armamentaria dedicanda eſſe Regibus, non Muſea; Ὁπλοθήκας, non Βιβλιοθήκας; nullas lauros niſi ſanguine tinctas eos decere; non togam, ſed paludamentum; caduceum nunquam, haſtas ſemper. Quiſquis eſt tam inconſultè ἄμουσος, diſcat ipſummet Herculem *Muſagetis*[a], hoc eſt, Muſarum Ducis cognomine gloriari; eius clauā fuiſſe ex olea[b], quæ eſt arbor Sapientiæ; vnam & eandem eſſe literarum & armorum præſidem Mineruam[c]: eadem literatorum & armatorum honoraria, præmia, laurum; iiſdem honorum inſignibus Equites armorum & Equites literarum donari[d]; inter ſolennes ritus inaugurationis Abyſſinorum Imperatorum eſſe traditionem clauium Regiæ Bibliothecæ[e]; neminem eſſe qui plura & meliora

a Eumenius orat. pro inſtaurandis ſcholis.
b Pauſan.
c Sil. Ital. l. 9.
d in iure.
e Ludou. de Vrreta.

 ſcire

a Veget. in prol. rei milit. ad Valentinianum Aug.
b Plato.
c Iulius Pont.

ſcire debeat quàm Principes[a]; nihil quòd beatiorem Remp. efficiat, quàm cùm philoſophantur[b]; ſcientiam literarum quæ in plebeiis argentum eſt, & aurum in Nobilibus, in Principibus gemmas eſſe[c]: ac proinde gemmea ſæcula ea meritò cenſenda, in quibus Philippus & Alexander Macedones, Ptolemæus Philadelphus, Cæſar Iulius, Octauianus Auguſtus, Magnus Conſtantinus, Magnus Theodoſius, Carolus Magnus, Philippus Prudens, Principes literarum fouendarum, Muſeorum excitandorum, Bibliothecarum condendarum, comparandorum librorum ſtudioſiſſimi imperarunt.

Quæ cùm apud animum meum reputo, REX CATHOLICE, non vereor, quin potiùs geſtio inſcribere auguſtiſſimo tuo nomini Bibliothecam, ſiue Bibliothecæ auguſtiſſimum tuum nomen præfigere. Vnum duntaxat metuere poſſim, ne hæc quam ego artifex equidem minùs peritus in hoc Commentario molitus ſum, haud digna ſit quæ offeratur Regi; & ei Regi, qui pro diuina illa facultate qua pollet, primo oculorum coniectu intelliget ſtatim, sítne in ea aliquid perfectum ingenio & induſtria elaboratum. Vt tamen auderem regia tua humanitas fecit, quemadmodum vt ſcriberem officij mei ratio me impulit. Quid enim aliud facere debeam in Regio tuo Madritenſi Panathenæo perfunctus ſtatis ad Deum comprecationibus

&

The Rare Book & Manuscript Library UIUC

& ſacrificiis pro Catholicæ tuæ Maieſtatis & Regiæ domus incolumitate,ac perenni felicitate Hiſpanici orbis , quàm aliquid literarium adornare,quod tametſi (quæ mea tenuitas eſt) exile opus ſit :.nihilominus argumentum pro ſua venuſtate , tuóque in illud affectu , qui tibi cum maximis Regibus & Imperatoribus communis eſt,non poſſit non eſſe gratiſſimum?præſertim cùm tu eodem tempore quo Bibliothecam hanc cogitatione & ſtylo deſcripſi , aliam reipſa intra ſepta Regij palatij tibi condideris, vt ibidem *Curiam mortuorum Senatorum* continenter haberes, (quemadmodum Demetrius Phalereus Ptolemæo Regi auctor fuit,ſi bene & feliciter regnare vellet,)vbi viuos Conſiliarios quotidie ad regnorum tuorum gubernationem adhibes. Vitruu.

Dici vix poteſt quàm inſigni tua gloria de bonis artibus & vniuerſitate ſcientiarum merueris , quando fundaſti Regia ſtudia Madritenſia , quibus (pro tuo in noſtrum Ordinem ſtudio & beneuolentia , & eâ quam animo concepiſti de noſtris functionibus opinione) noſtræ Societatis Profeſſores magno numero vndequaque excitos præfeciſti: verumtamen cùm non ita pridem intra auguſtæ baſilicæ penetralia ſuum Muſis puluinar deſignaſti, deſcripſiſti , dimenſus es , & propè Regiis tuis manibus illud architectatus literaria ſupellecti-

Themiſt. le inſtruxiſti, nunquid te meritò *Contubernalem Muſarum* appellem, quod cognomen olim Theodoſio tributum eſt tanquam Imperatoriæ dignitatis eximium decus, ob id ſolùm quòd ſuam & Auguſtæ vxoris ſtatuam in Muſarum ædibus poſuiſſet? Imitatus es æternæ memoriæ Regem auum tuum *Philippum ſecundum*, qui Muſeum ſibi in Regia fecerat, & optimis libris egregiè inſtruxerat, quos poſtea de priuatis publicos eſſe voluit, tranſmiſſos ad *ſancti Laurentij Eſcurialis* Regiam Bibliothecam, cuius deſcriptionem ideo huic operi attexui, vt ſi hæc mea minùs placuerit, illico inde petatur quod delectet. Omnino mea plurimùm intereſt librum hunc à te benignè excipi; ſi enim illum dignabere nido vel imo auguſti tui Muſei, non erit (opinor) qui eum facilè dedignetur, atque in ſuum non admittat: & hanc gratiam ſummæ humanitati in ſumma auctoritate debebo, ſicut debere in dies plura cupio

CLAVDIVS CLEMENS,
è Societate IESV.

PRÆFA

PRÆFATIO
AD LECTOREM
De inſtituto, inſcriptione, & diſtributione huius operis.

INTER *eas facultates, quæ magno numero prælegûntur à ſingulis Profeſſoribus ſingulæ in Regijs ſtudijs Collegij Imperialis Madritenſis Societatis* IESV, *vnam* Eruditionis *vocant, cuius proprium munus eſt antiquos ritus ediſſerere, de literarijs monumentis ſtatuere; ſi quid apud veteres recentioréſve Scriptores ſubtiliter dictum, ſententiosè prolatum, ſymbolis & apologis inuolutum, ſi quid ab Oraculis reſponſum, à Principibus edictum, à plebe ſcitum, à legum latoribus ſtatutum, à ſapientibus pronunciatum, à Sacrorum procuratoribus ſancitum, illud ijſdem verbis ſtrictis, ſolutis, Latinis, Græcis, quâ quiſque linguâ ſcripſit, in ſubiectam materiam afferre, diſpoſitione ingenioſâ, contextu eleganti, ſtylo amœno: quæ res ſolis ingenij viribus (vt patet) ſine multiplici & accurata librorum lectione fieri minimè poteſt; habétque in hoc genere diſſertationum tantam dignitatem frequens Auctorum appellatio, vt quò rariùs Doctor ſuis verbis loquitur, eò ſuſpiciatur magis, ſuóque ſiue* Eruditi, *ſiue* Philologi, *ſiue* Polyhiſtoris *nomine & munere dignior habeatur: quemadmodum hanc ſpartam Iuſtus Lipſius ſuperioribus annis Louanij ſplendidè excoluit, & etiamnum hodie Ericius Puteanus procurat.*

Mihi cùm ſimilis prouincia obtigerit Madriti, inter varia argumenta quæ in ipſo limine mearum prælectionum occurrerunt, ſelegi præcipuè iſtud de Muſei, ſiue Bibliothecę tam priuatæ, quàm publicæ extructione, inſtructione, cura, vſu. *quia præter multiplicem eruditionem cuius apprimè ferax eſt, hoc habet præterea, quòd documentis ad mores atque ad ſtudia literarum valde opportunis abundet, locúmque det Inſcriptionibus, Symbolis atque Emblematis*

blematis excogitandis; quod doctrinæ genus amœnitate multa conditur, & eſt huic Philologicæ profeſſioni ſummè proprium.

Porrò quoniam Auctorum teſtimonia quæ proferuntur duplicis generis eſſe conſueuerunt, alia tanquam obſignatæ tabulæ & concepta verba ad probandum & ſtabiliendũ id quod controuertitur; aliæ quibus propoſita diſputatio exhilaratur, illuſtratur, maiorem ſuccum & nitorem capit; cautio noſtra eſſe debuit, (quemadmodum eſſe debet illorum omniũ, qui teſſellatum iſtud ſcribendi genus ſecuntur) vt auctoritates poſterioris modi quæ afferuntur ad vbertatẽ & pompã, illuſtres ſint, eximiæ, atque recõdita aliqua eruditione, vel acumine, vel magnifico aliquo ſenſu cõmendabiles: alioqui malè merebimur de ipſis Auctoribus, ſi loquentes eos inducimus aliter quàm ſolent quãdo optimè; malè de Lectoribus, quibus obtrudimus de triuio ſcruta; malè de diſcipulis, quibus obuia & vulgaria afferimus; malè denique de nobis ipſis, qui arenã pro aureis ramentis, vitrum pro adamantibus, calculos pro vnionibus otio noſtro & alieno abutentes conſectamur.

Citationes librorum, capitum, diſputationum, quæſtionum, articulorum, ſectionum, numerorum, ferè reÿcimus in marginem, vt contextus planior ſit, & ſtylus expeditior.

Quod attinet ad œconomiam huius operis, de illa initio ſingulorum librorum & ſectionum infrà accuratiùs. hoc loco quadripartitam diſtributionem obiter duntaxat attingo. Duo priores libri reſpondent gemino intellectui vocis huius Bibliotheca, *quam ſolam propriè Latinus cenſus habet eo ſenſu quo hîc accipitur; nimirum pro conclaui libris inſtructo ad ſtudium. nam vox hæc* Libraria, *cui ſubiecta videtur eadem vis, potius ſignificat tabernam in qua proſtant libri vænales quæſtus gratiâ, quàm librorum certo in loco liberalis ſtudij causâ diſpoſitorum multitudinem.* Muſeum *verò propriè eſt locus vbi Muſæ colebantur, & reſponſa reddebant*[a], *vel Ædes, ſeu Collegium literas ſimul diſcentium*[b], *licèt iam paſſim ſumatur eo etiam ſenſu, quo in huius commentarÿ inſcriptione accipimus; videlicet pro cella in qua ſolemus operari Muſis, hoc eſt, in librorum lectionem, vel ſcriptionem, vel in alias huiuſmodi commentationes literarias incumbere. hoc tamen intereſſe videtur inter notionem Muſei & Bibliothecæ, quòd Muſeum primò literarium ſtudium innuat, tum deinde neceſſarios ad id libros: è contrario, primaria ſignificatio Bibliothecæ ſit ordinata librorum congeries; ſecundaria verò, ſtudium. Et quia ex æquo vtrumque à nobis tractatur in hoc opere; ideo in ipſius titulo gemina hæc vox*

a Philoſtr. in vita Tyan.
b Strabo l.17.

Muſeum

Muſeum & Bibliotheca *præfixa eſt. Itaque primo libro θήκην, ſiue locum ipſum recondendis libris idoneum extruemus. Secundo* βιβλία, *ſiue libros inſtruendæ, vt par eſt, huic thecæ idoneos complectemur. Tertio, de Bibliothecæ, id eſt, tam loci, quàm librorum habenda cura diſſeremus. Quarto, de legitimo & fructuoſo Bibliothecæ vſu.*

Nec eſt quod mirum cuiquam videri debeat, tractari prius à nobis thecam quàm libros; quaſi libris deberi videatur prærogatiua noſtri laboris & ſtudij, vtpote hac in re præcipuis & dignioribus: viſum eſt nobis è re fore, atque inſtituto noſtro, necnon & naturæ rerum conſentaneum ſi apes imitaremur, quæ priuſquam euolent ad colligendum mel, fauos ſibi conſtruunt & ceram fingunt, hoc eſt, domos celláſque faciunt, in quibus reponant ſuccum illum dulciſſimum, ſubtiliſſimum, ſaluberrimum, *vnde peti ſolet luculentum ſymbolum ſtudij & fructus literarij.* Plin.l.11. c.5.

At, vbínam gentium reperitur iſta Bibliotheca? Eodem in loco, vbi Tullij Orator, Platonis Reſp. Xenophontis Cyrus, aliaque eiuſmodi quæ non tam reipſa exiſtunt, quàm animo deſignantur tanquam abſoluta opera dicendi, gubernationis, Imperij. Nihilominus Muſeum iſtud quod molimur hoc habet amplius, quòd prorſus effici poſſit, quando libuerit homini locupleti & ſtudioſo; cùm vix ac ne vix quidem Tullianus Orator, Platonica Reſp. & Cyrus Xenophontius aliter eſſe queant quàm imaginaria.

Cæterùm interea dum perficimus alia quædam opera longioris operæ & ſtudij, fruere Lector *qualicumque hoc fructu quem ex mediocri Auctorum lectione retulimus; ingenium enim nequaquam auſimus polliceri, exilitatis noſtræ ſatis conſcij. Abundè nobis fuerit plurima tibi aceruaſſe, quæ tu (quod Seneca Stoæ Proceres feciſſe ſcribit)* per lineamenta ingenij, *cùm res feret,* nectas. Sen.ep.33.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Toletana.*

EGO Ioannes de Montaluo, Societatis IESV Prouincialis in Prouincia Toletana, poteſtate mihi facta ab admodum Reuerendo Patre Mutio Vitelleſco, Præpoſito Generali Societatis IESV, facultatem concedo, vt P. Claudij Clementis liber, inſcriptus, *Muſei, ſiue Bibliothecæ tam priuatæ, quàm publicæ Extructio, Inſtructio, Cura, Vſus; cui acceſſit accurata deſcriptio regiæ Bibliothecæ S.Laurentij Eſcurialis, necnon Paræneſis allegorica ad amorem literarum*; ac iudicio grauium doctorúmque virorum eiuſdem noſtræ Societatis approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas propria manu ſubſcriptas, ac ſigillo noſtro munitas dedimus. Murciæ die 2. menſis Maij anno 1634.

IOANNES DE MONTALVO.

INDEX

INDEX
Librorum, Sectionum & Capitum.

LIBER PRIMVS
Muſei, ſeu Bibliothecæ Extructio.

SECTIO I.

Varij fines extruendorum Muſeorum & Bibliothecarum proponuntur.

CAP. I. PRIMVS Bibliothecarum finis, *Vtilitas publica.* pag. 2
2. Secundus extruendarum Bibliothecarum finis, *Eruditionis oſtentatio.* 5
3. Extruendarum Bibliothecarum tertius finis, *Comparanda eruditio.* 7
4. Extruendarum Bibliothecarũ quartus finis, *Animi voluptas.* 10
5. Bibliothecarum quintus finis, *Morum inſtructio.* Ac primùm *ex ſacris voluminibus vtilitas quanta.* 14
6. Profana Philoſophia ad virtutis acquiſitionem prodeſt. 17
7. Poëſis ad morum honeſtatem vtilis. 21
8. Bibliothecarum ſextus finis, *Magnificentiæ oſtentatio.* 25
9. Bibliothecarum ſeptimus finis, *Falſæ eruditionis oſtentatio.* 28
10. Octauus finis Bibliothecarum, *Nobilium ingeniorum conſecratio.* 31

SECTIO II.

Quibus in locis extructæ olim Bibliothecæ; quis videatur extruendis opportunus: earum breuis ſciographia.

CAP. I. Bibliothecæ in templis extrui ſolitæ. 33
2. Bibliothecæ in Regum palatiis extructæ. 36
3. Bibliothecæ in thermis extrui ſolitæ. 38
4. Bibliothecæ in villis, & ſuburbanis extrui ſolitæ. 43

5. Vrbanæ Bibliothecæ qua ædium parte extruendæ. 48
6. Situs Bibliothecæ,lumina. 50
7. Celſitudo & proſpectus Bibliothecæ. 54
8. Bibliothecæ cœlum,ſolum. 55

SECTIO III.

Muſei,ſeu Bibliothecæ limen aliquâ ſententiâ inſcribendum.

CAP. 1. Fores Bibliothecæ Oſimanduæ Regis Ægyptij hac ſententia inſcriptæ, ψυχῆς ἰατρεῖον, *Medica animi officina.* 60
2. Altera Bibliothecæ inſcriptio, φάρμακον ἀφθαρσίας, *pharmacon immortalitatis.* 63
3. Tertia inſcriptio, *Nunquam minus otioſus, quàm cùm otioſus.* 69
4. Quarta inſcriptio, *Nunquam minus ſolus, quàm cùm ſolus.* 72
5. Quinta inſcriptio, *Vocis & animorum pinacotheca.* 75
6. Sexta inſcriptio, Ἄλσος ἀγλαοφύτευτον παντοδαπεῖς σοφίας, *ſaltus ſplendidè omni ſapientia conſitus.* 80
7. Septima inſcriptio, Γηράσκω δ' ἀεὶ πόλλα διδασκόμενος, *ſeneſco multa ſemper dicens.* 88
8. Octaua inſcriptio, *Libri Auctorum liberi.* 93
9. Nona inſcriptio, *Togatæ militiæ armamentarium.* 95
10. Decima inſcriptio, *Vena intellectus ſapientiæ fons, ſcientiæ flumen.* 96
11. Vndecima inſcriptio, *Ego ſapientia eruditis interſum cogitationibus.* 99
12. Duodecima inſcriptio, *Theſaurus deſiderabilis in tabernaculo ſapientis.* 101
13. Decimatertia inſcriptio, *Vnum ſcio, quòd nihil ſcio.* 103
14. Decimaquarta inſcriptio, σοφίας ἐμπόριον, *ſapientiæ emporiũ.* 105
15. Plures aliæ gnomæ inſcribẽdis Muſei foribus proponũtur. 107

SECTIO IV.

De ſimulacris quatuor numinum olim in Muſeis & Bibliothecis poni ſolitis.

CAP. 1. Hermes poſitus in Bibliothecis, & cur. 109
2. Hermathena in Bibliothecis, & cur. 113
3. Hermeracles in Bibliothecis. 116
4. Hermerotes Bibliothecarij. 118

SECTIO V.

Elegantibus picturis, & appoſitis emblematis ornandum Muſeum, & ſuper ea re nonnullæ cautiones.

CAP. I. Primus fons eruditionis, *Chriſtus crucifixus.* 123
2. Secundus fons eruditionis, *Deipara Virgo Maria.* 127
3. Fons tertius ſapientiæ, *Prophetia.* 132
4. *Eccleſia Chriſtiana.* 135
5. *Sibyllæ.* 145
6. Sextus fons ſapientiæ, *Ægyptus.* 146
7. Septimus fons eruditionis, *Græcia.* 148
8. Octauus fons ſapientiæ, *Roma.* 150
9. Nonus fons ſapientiæ, *Magi Perſarum.* 151
10. Decimus fons ſapientiæ, *Chaldæi.* 153
11. Vndecimus fons ſapientiæ, *Druidæ.* 155
12. Duodecimus fons ſapientiæ, *Gymnoſophiſtæ.* 156

SECTIO VI.

Præcepta emblematica, ſeu emblemata præceptiua pingendi in cœlo Muſei.

CAP. I. Tempus vtiliter impendendum. 158
2. In publicis Muſeis quò plures ſtudij gratiâ conueniunt, minimè confabulandum. 159
3. Paulatim acquirendam ſcientiam. 160
4. Futilibus ſtudiis abſtinendum, in leuibus non immorandũ. 161
5. In illud præſertim ſcientiæ genus incumbendum, ad quod quiſque fuerit naturâ propenſior atque aptior. 163
6. Literarum amanti ſeceſſus literarius amandus. 164
7. Quotidie operæ literariæ nonnihil à ſe exigendum. ibid.
8. Ætate, vel dignitate prouectis, de nouo aliquid diſcere nequaquam erubeſcendum. 165
9. Præmiis & honoribus ſtudia literarum alenda. 166
10. Quæ ſcribuntur, ſolicitiùs ſunt elaboranda. 167
11. Honeſta æmulatio ad profectum perutilis. 168
12. Ex liberali ingeniorum conflictu veritas purior, & eruditio probatior. 170
Amphitheatrum literarium. 173
Præfatio auſpicalis in ſchola Grammaticæ. ibid.

13. Ingenuè ſine inuidia & ſordibus quod didiceris communicandum. 178
14. Diſcipulorum erga Magiſtros obſeruantia. 181
15. Caput cœnæ hominis ſtudioſi, lectio, vel ſermo eruditus. 185
16. Conſueſcendum cum ſtudia eadem profitentibus. 190
17. Labor literarius identidem intermittendus. 192
18. Ex Auctorum libris quomodo proficiendum. 195
19. Studioſis hominibus tranquilla commoratio deligenda procul à bellorum ſtrepitu. 197
20. Scripturo captandum ſcribendi deſiderium, & ſatagendum, vt animus afficiatur atque incaleſcat. 198
21. A præcocibus & præmaturis ingeniis plena opera non exigenda. 199
22. Neceſſitas & paupertas ſæpenumero ingenium acuunt. 201
23. Quæ cauſa præfigendi, quæve ſupprimendi ſui nominis in literariis operibus. 202
24. Ingenij peſtes, gula, & impudicitia opprimendæ. 204
25. Peregrinatio ſtudij prætextu ſæpe inquieta inertia, ſæpe fatalis curioſitas eſt. 208
26. Obeſt diſcere dediſcēda, nec prodeſt diſcere nō profutura. 211
27. Tumida ſapientia & literatorum famam doctrinæ captantium ineptiæ meritò deſpuendæ. 215
28. Contra teredinem ſcientiæ vanam gloriam ſalutares quidam paſtilli & alexipharmaca. 216
29. Moderata vitæ aſperitas ingenuo alacritatem præſtat. 218
30. Prudens cautio in librorum lectione commendatur. 220
31. Literarum ſuauitatem haud percipi ab illis, qui perfunctoriè ſtudent, ſed ab iis, qui ſtrenuè & conſtanter. 221
32. Non ſolùm linguâ, ſed præcipuè moribus philoſophandū. 222

SECTIO VII.

Emblemata ſtudiorum commendatitia, ſiue commendationes ſtudiorum emblematicæ.

CAP. 1. Studia literarum geniales ingenij epulæ. 224
2. Studia literarum ad animi tranquillitatē quantopere iuuēt. 227
3. Mentis eruditæ immenſa capacitas, & indefeſſa agitatio. 229
4. Nulla ſpectacula honeſtiora, iucundiora, vtiliora librorum lectione. 231

5. In

5. Incomprehenſa creatis ingeniis, & omnia comprehendens Dei ſapientia. 36
6. In illud D. Auguſtini ad Deum, *Nouerim te, nouerim me.* 238

SECTIO VIII.

Orthographia generis columnarum pingendis Bibliothecæ parietibus. Plutei, loculamenta, imagines virorum bene meritorum de re literaria, librorum in ſuas claſſes & titulos diſtributio.

CAP. I. Dorica ratio in Muſei & Bibliothecæ deſcriptione eligitur. 241
2. Quid ſint Bibliothecales plutei, cunei, armaria, foruli, nidi, pegmata : item librorum loculamenta, ſeu repoſitoria, qua ratione fieri placeat. 242
3. Ritus dedicandarum imaginum viris inſigniter doctis, præſertim in Bibliothecis. 245
4. Quo loco olim poſitæ imagines in Bibliothecis, & in hoc ponendæ. 247
5. Imagines in metopis intercolumniorum ad Orientem & Occidentem. 276
6. Imagines in vitreis ſpecularibus, & arcu tranſuerſario. 280

LIBER SECVNDVS

Muſei, ſiue Bibliothecæ Inſtructio.

SECTIO I.

Ordinatio armariorum; ſtatuæ & icones principum cuiuſque ſcientiæ; ac de ſingulis facultatibus breues diſſertationes.

CAP. I. ARmarium I. *Biblia ſacra.* 287
Appendix ad ſuperius caput, in qua ad maiorem commendationem ſacrorum Bibliorum & Chriſtianæ doctrinæ, reteguntur quædam ſingularia & eximia, quæ inde Poëtæ furati ſunt. 293
2. Armarium II. *Patres Latini.* 297
3. Armarium III. *Patres Græci.* 301
4. Armarium IV. *Scripturæ ſacræ interpretes.* 305
5. Armarium V. *Controuerſiarum de Fide diſceptatores.* 311

6. Arma

6. Armarium VI. *Concionatores.* 313
7. Armarium VII. *Theologi Scholaſtici.* 320
8. Armarium VIII. *Theologi morales.* 322
9. Armarium IX. *Ius canonicum.* 323
10. Armarium X. *Ius ciuile.* 325
11. Armarium XI. *Philoſophia contemplatiua.* 328
12. Armarium XII. *Philoſophia moralis.* 332
13. Armarium XIII. *Mathematici.* 334
14. Armarium XIV. *Phyſiologi.* 338
15. Armarium XV. *Medici.* 341
16. Armarium XVI. *Hiſtorici ſacri.* 344
17. Armarium XVII. *Hiſtorici prophani.* 346
18. Armarium XVIII. *Philologi Polyhiſtores.* 348
19. Armarium XIX. *Oratores, Rhetores.* 357
20. Armarium XX. *Poëtæ.* 359
21. Armarium XXI. *Grammatici.* 361
22. Armarium XXII. *Pij, Aſcetici.* 363
23. Armarium XXIII. *Codices manuſcripti.* 370
24. Armarium XXIV. *Hebræi, Chaldaici, Syriaci, Arabici, Æthiopici.* 374

SECTIO II.

Alia quædam exquiſita ad Muſei perfectionem.

CAP. I. Abacus I. *Inſtrumenta mathematica.* 377
2. Abacus II. *Numiſmata antiqua.* 378
3. Abacus III. *Erudita rudera priſci temporis.* 380
4. Abacus IV. *Quædam naturæ & artis miracula.* 383
5. Globus & ſphæra in medio Bibliothecæ ne deeſto. 386

SECTIO III.

Libri aditu Bibliothecæ interdicendi, vel etiam cremandi.

CAP. I. Libri magici è Bibliothecis proſcribendi. 389
2. Libri impij, ſiue Athei è Bibliothecis arcentor. 394
3. Libri hæretici Bibliothecis interdicendi. 398
4. Obſcœni libri è Bibliothecis exulent. 404
5. Libris famoſis locus in Bibliotheca ne eſto. 411
6. Plagiarij ſcriptores in Bibliothecam ne admittuntur. 418

7. Libros inutiles & ineptos è Bibliotheca ſummoueto. 427
8. Carcer & rogus Bibliothecæ. 432

SECTIO IV.

Inſtructio priuatarum quarundam Bibliothecarum.

Cap. 1. Eccleſiaſticorum Muſeum quos libros præcipuè admittat. 436
2. Principum & Nobilium Muſeum quo genere librorum inſtrui debeat. 441

LIBER TERTIVS

Muſei, ſiue Bibliothecæ Cura.

SECTIO I.

De perſonis Bibliothecam accurantibus.

Cap. 1. De Bibliothecarum Præfectis illuſtrioribus. 449
2. Sacrarum Bibliothecarum Præfecti. 451
3. De miniſtris & ſeruis Bibliothecariis. 453

SECTIO II.

Quædam ſingularia quoad cultum & curam Bibliothecæ, ſiue Muſei.

Cap. 1. Bibliotheca ne promiſcuè omnibus patens eſto. 455
2. Librorum cultus, mundities, ornatus, neglectus. 456
3. De priſcorum librorum ſtructura, ornatu & conſeruatione. 457
4. Librorum communicatio, mutuatio. 458
5. Quid ſtatuendum de variis notis quæ appingi libris conſueuerunt à lectoribus. 463
6. Studium & cura emendorum librorum commendatur. 468
7. Emendatorũ librorum & charactere venuſtorum delectus. 470
8. Supellex ſcriptoria, artificioſæ lucernæ, horologia, & ſuſcitabula prouidenda ſunt à Bibliothecæ præfectis. 471
9. Illuſtrium quarumdam Bibliothecarum clades, & excidia. 473

LIBER QVARTVS
Muſei, ſiue Bibliothecæ Vſus.

SECTIO I.

Axiomata philologica ad comparandam ſibi, & tradendam alijs eruditionem, præſertim amœniorem.

CAP. I. OPtima ratio communes locos conficiendi eligitur. 479
2. Forma locorum communium eruditioni acquirendæ accommodata. 481
3. Ad vſum titulorum ſuperioris capitis monita. 483
4. Ad fructuoſam librorum lectionem pronunciata. 484
5. De diligentia, moderatione & ordine in ſtudiis. 486
6. De munere publici Profeſſoris. 491
7. De librorum ſcriptione. 495

SECTIO II.

Introductio compendiaria ad eloquentiam.

CAP. I. Generalia documenta orationem ſcripturis. 502
2. Ad ſtyli exercitationem leges. 504
3. Ratio conficiendi communes locos ad comparandum ſtylum idoneos. 505
4. Præcipui antiſtites Latini ſermonis; elocutionis lumina, & è re nata, quædam admonitiunculæ de ſtudio poëſeos & linguæ Græcæ. 507
5. Ad excolendam & perficiendam memoriam placita. 509
6. De pronunciantis voce. 510
7. De pronunciantis geſtu. 512

BIBLIO

BIBLIOTHECÆ ESCVRIALIS deſcriptio.

Monitum ad Lectorem.

Cap. SCiographia primarij membri, & pluteorum materies, forma, genus librorum. 519
2. Picturæ à coronide ad faſtigium Bibliothecæ. 521
3. Picturæ infra coronidem. 524
4. Deſcriptio ſecundi conclauis in quo ſunt libri vulgarium linguarum; & tertij vbi codices MSti aſſeruantur. 527
5. Librorum collocatio, & ordo. 529
6. Initia & incrementa Regiæ Bibliothecæ; libri quidam ſingulares, & alia huius loci propria. 531
7. Aliæ quædam res raræ aſſeruatæ in Regia Bibliotheca. 535

PARÆNESIS ALLEGORICA ad amorem litterarum.

EMBLEMATVM
SYLLABVS.

1. MATRONA velatis oculis diſtrictum gladium dexterâ tenens & tubam, ſiniſtrâ catenam, quæ à ſole supernè eminente deſcendit; capiti imminet columba. 132

2. Grauis & modeſta matrona habitu, ſiniſtra manu impoſitam ſacræ Scripturæ codici pontificiam tiaram ſuſtentans, pendentibus infernè binis clauibus, ſupernè columbâ Spiritus ſancti hieroglyphico imminente, dextrâ crucem complectens, ad quam hinc catenis religata hæreſis furiali veſaniâ, illinc idololatria Bellonæ ſpecie. 135

Circumquaque varia ſanctorum Martyrum ſupplicia, adſtantium Tyrannorum iuſſu; qualia cogitatione deſcribi poſſunt. ibid.

Tum ex optica ratione cymba prout apparens, cuius malus crux, eadem quæ mox deſcripta eſt matrona captos retibus piſces à ſexdecim piſcatoribus, h.e. ab Apoſtolis ſimul & Euangeliſtis ſtudiosè excipiens. ibid.

3. Annoſa virgo in exeſæ rupis receſſu ſcribens in palmæ foliis, appictis circum eam decem liliis. 145

4. Duæ pyramides inſculptæ circulo, accipitri, ſcarabeo, ſtella, corde hominis ichneumone, ſpeculo, acerrâ, falce, & ſimilibus ſymbolis apud Horum Niliacum: inter vtramque matrona auguſto corporis cultu pedibus crocodilum premens, tranſlucido, ſeu diaphano ſipario velata, in ſiniſtra manu, papyrus nilotica; in dextra, vas cryſtallinum plenum, ſplendenti & grato oculis ſucco. 146

5. Auguſta & ſplendenti ſpecie matrona Amaltheæ cornu dextrâ ferens, ſiniſtrâ fanum mellis; ad pedes noctua. 148

6. Romanus togatus dextrâ præferens palmam, ſiniſtrâ nauim; lunulam in calceo. 150

7. Perſa mitratus, candida ſtola redimitus, ſuſpenſum in fictili vaſe ignem intuens. 151

8. Pingatur Chaldæus amplâ & talari veſte promiſsâ barbâ, tiarâ inſignis: alterâ manu ſphæram, alterâ librum gerens, in aperto agro. 153

9. Senex veſte amictus candidâ, auro pictâ, & talari: collum monilibus, brachia & manus armillis ornata, caput querneâ coronâ redimitum, dextrâ falcem auream tenens. 155

10. Senex ſeminudus, altero ſtans pede ſolem intuens. 156

11. Clepſydram alatam liber ſupra cubum poſitus alligatam retinens. 158

12. Harpocrates, ſiue Sigalion. 159

13. Manus ex vrnâ aurea aquam inſtillans, & replens vas cryſtallinum: altera

altera manus in vas ſimile aquam vbertim effundens, nec replens. 160
14. Orator in ſuggeſtu, pumilionis ſpecie, in ſolo ſterili inter raras, humiles, & propè aridas lauros : idem Gigantis ſtaturâ inter altas viridéſque, & perpulchras in optimo ſolo conſitas. 161
15. Canis leporarius leporem, moloſſus ceruum inſequens. 163
16. Paſſer ſolitarius in rupibus ; atque haud procul caſa limine laureato in amœno loco, poëtici ſeceſſus indicium. 164
17. Pictor vultu ſubtriſti, inclinato iam die iuxta abacum, ſiue tabulam puram. ibid.
18. Crater Ægyptiorum factus in modum vberis. 165
19. Myrothecium Darij, Homerothecium. 166
20. Liber cubo impoſitus. 167
21. Sidentes in arboribus luſciniæ, & cantum amicâ æmulatione alternantes. 168
22. Duo galli gallinacei depugnantes in arenâ Mineruâ ſpectante. 170
23. Tantali ſtatua phialam propinans cœleſti rore in eam influente. 178
24. Ara. 183
25. Menſa philoſophica, in qua nihil aliud ſit, præter poculum Homericum oleâ coronatum, & fanum mellis. 185
26. Liricen teſtudinem pulſans; alia intacta reſonans. 190
27. Arcus ex contenſo fractus; alter remiſſus & integer. 192
28. Apes ex aluearibus in flores, & ex floribus in aluearia. 195
29. Oliuetum egregiè ſeptum ac munitum turribus; in oleis frequentes cicadæ; ſub iis diſputantes Philoſophi. 197
30. Cygnus Fauonio adſpirante ſuauiter canens. 198
31. Puer mortuus cano capite ſolſtitialem herbam tenens, in pomario, vbi matura poma decidunt, alia immatura arbori inhærent. 199
32. Coruus ſitiens lapillos congerit in ſitulam monumenti, vbi aqua pluuia durauerat, ſed quæ attingi non poſſet : ita deſcendere pauens, expreſſit tali congerie quantum potuero ſufficeret. 201
33. Illuſtris, concinna & ſumptuoſa frons ædificij, è cuius ſupero limine exeat perfracti marmorei iecoris rimas caprificus. 202
34. Minerua Cererem, Bacchum, & Cupidinem pedibus obterens & iugulans. 204
35. Plinius ſecundus ſtudioſo animo ad cognoſcendam quandam nubem ortam ex monte Veſuuino, naui recto curſu propiùs delatus, innixus duobus ſeruis, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſóque ſtomacho exanimis. 208
36. Aſtrologus præceps delapſus in foueam inconſideratiùs contemplans aſtra. 211
37. Philoſophum & Grammaticum ſimul inambulantes pallio & barba promiſſis, ſupercilio elato, genis turgentibus, incenſo vultu, pueri poſticâ ſannâ irrident. 215
38. Triclinium Monachorum accumbentium, è quorum cœtu vnus deſignatus à cœnobiarcha, lectori pulpitum conſcenſuro benedictionem flexis de more genibus petenti apprecatur. 216

39. Turtur,vel columba plumis exutæ , paratæ offerri in holocauſtum, confractis priùs aſcellis ; ſicut 1.*Leu.*præcipitur. 218
40. Virgilius è cœno gemmas laureâ virgulâ eximens. 220
41. Minerua poculum lauro coronatum propinans. 221
42. Perſea arbor,cuius folia linguæ figuram referunt,fructus cordis. 222
43. Æthiopica Solis menſa. 224
44. Nauis fluctibus iactata ad portum contendens,in cuius inertia & faucibus ſtat ingens Coloſſus Phœbi , ſtatua , ſiniſtrâ manu Nepenthes tenens,dextrâ librum. 227
45. Caput Philoſophi præferens in fronte ſolem. 229
46. M. Antoninus Philoſophus Imp. in mediis ludis circenſibus librum legens. 231
47. Oculus circulo incluſus. 236
48. Circulus è cuius peripheria exeant lineæ versùs centrum , aliæ à centro ad peripheriam. 238

INSCRI

INSCRIPTIONES
TVM BIBLIOTHECÆ, tum Emblematum.

1. Ψυχῆς ἰατρεῖον, Medica animi officina. 60
2. φάρμακον ἀφθαρσίας, pharmacon immortalitatis. 65
3. Nunquam minus otioſus, quàm cùm otioſus. 69
4. Nunquam minus ſolus, quàm cùm ſolus. 72
5. Vocis & animorum pinacotheca. 75
6. Ἄλσος ἀγλαοφύτευτον παντοδαπῆς σοφίας, ſaltus ſplendidè omni ſapientia conſitus. 80
7. Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος, ſeneſco multa ſemper dicens. 88
8. Libri Auctorum liberi. 93
9. Togatæ militiæ armamentarium. 95
10. Vena intellectus ſapientiæ fons, ſcientiæ flumen. 96
11. Ego ſapientiæ eruditis interſum cogitationibus. 99
12. Theſaurus deſiderabilis in tabernaculo ſapientis. 101
13. Vnum ſcio, quòd nihil ſcio. 103
14. Σοφίας ἐμπόριον, ſapientiæ emporium. 105
15. Ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής, ſi fueris diſcendi cupidus, eris multiſcius. 107
16. Curia mortuorum Senatorum. ibid.
17. Atrium libertatis. ibid.
18. In quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. 123
19. Sedes ſapientiæ. 127
20. Super ſpeculum Domini ego ſtans iugiter. 132
21. Credo. 135
22. Capiuntur ad vitam. ibid.
23. Inſigne, virginitas; virginitatis præmium, diuinatio. 145
24. Lux gratior. 146
25. Sapiunt, quibus Attica mella non ſapiunt. 148
26. Æternæ facundia Romæ. 150
27. Σοφοὶ μὲν, ἀλλ' οὐ πάντα. 152
28. Ipſe vocat noſtros animos ad ſydera mundus. 153
29. Et eſt Rex qui ſapiens eſt. 155
30. Noſcant ſolem homines, quibus eſt ſol mentis in ipſis. 156
31. Nulla difficilior ſcientia. 158
32. Vt loqui diſcas. 159
33. Inſtillo, repleo: infundo, effundo. 160

34. Hic

34. Hic me ipſo maior; hic me ipſo minor. 161
35. Ἔπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι. 163
36. Nullibi ſuauiùs. 164
37. Diem perdidi. ibid.
38. Grandes hanc ſugere mammam neu pudeat. 165
39. Pieridem heroes doctos & amate Poëtas. 166
40. Ratum & perenne. 167
41. Qui velit ingenio cedere rarus erit. 168
42. Marcet ſine aduerſario virtus. 170
43. Σοφὸς ἄλλος ἐπ' ἄλλου. Sapiens alius ab alio edocetur. 178
44. Ariſtoteles Platoni. 181
45. Ingenio, non Genio. 185
46. Teſtudo teſtudinis Echo. 190
47. Vt diu tendas, ne diu tendito. 192
48. Floriferis vt apes in ſaltibus. 195
49. Muſarum ſecuritati. 197
50. Agitante caleſcimus illo. 198
51. Proximi caſus indicium, maturitas. 199
52. Χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ σοφόν. 201
53. Ratum operi ſiue nomine nomen. 202
54. Sanæ menti, & Muſis. 204
55. Damnoſa peritia. 208
56. Sapere ad ſobrietatem. 211
57. Vult dicier hic eſt. 215
58. Auferat à te Deus ſpiritum elationis. 217
59. Confractis altiùs alis efferimur. 218
60. Omnia ſic itidem decerpſimus aurea dicta. 220
61. Vt placeat, ebibe. 221
62. In Deo laudabo verbum. 222
63. Μαθήματα τῆς ψυχῆς βρώματα. 224
64. Animi medicina quiéſque nulla niſi in ſtudio eſt. 227
65. Nulla quies. &, Ἐγὼ ἓν καὶ πάντα. 229
66. Exigua immenſus ſapienti pagina circus. 231
67. Vnus omnia. 237
68. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. 238

LIBER PRIMVS
MVSEI,
SEV
BIBLIOTHECÆ
EXTRVCTIO.

AGEDVM: manus operi. Architectemur *Muſarum domicilium, & ſacrarium Sapientiæ*; & quoniam eiuſmodi molitiones eſſe antiquiſſimas ſatis planum fiet ex iis, quæ variis locis diſputabuntur poſtea, videamus quem in finem extrui ſoleant Bibliothecæ; ſi tamen priùs lectorem meum monuero, vnum eundémque eſſe ſcribendorum librorum, & condendarum Bibliothecarum finem: ac proinde nihil duobus proximè ſequentibus capitibus comprehenſum iri, quod præfixus titulus non contineat; præterquam quòd ſcriptores non pauci tam multos ediderunt ingenij ſui fœtus, vt illis propè idem fuerit libros ſcribere, & bene amplas Bibliothecas inſtruere: ídque vel ex illo D. Hieronymi de Origene liquidò conſtat. *Auxerunt*, inquit, *aliorum ſtudia Bibliothecas, ac per partes compleuerunt; vnus Origenes ingenij facilitate Bibliothecam vnam quamuis ingentem implere potuit, cui ob incredibilem librorum numerum, quos conſcripſit*, ADAMANTIVS *cognomen inditum eſt*. Sex autem librorum millia conſcripſiſſe, teſtantur Epiphanius, ac Ruffinus. Didymus Alexandrinus Grammaticus licèt ſalſamentarij filius (hoc eſt, eius patris[a], qui cubito ſe emungere ſolebat,) fuit tamen tam emunctæ naris, vt tria millia & quingenta volumina ſcripſerit, atque inde ob aſſiduam curam circa libros χαλκέντερος vocatus eſt[b]. Thomæ Aquinates, Auguſtini, Chryſoſtomi, Abulenſes, Suareſij, aliíque permulti ſapientes, nónne ἀμαλθεῖα inſtructiſſima ſcribendo excitarunt? Inter prophanos Democritus de rebus ferè omnibus ſcripſit [c]: Theophraſtus trecenta edidit 1.

[a] Auctor ad Herenn.

[b] De illo Quintil. & Sueton. in Calig. c. 21.

[c] Sabell. l. 2.

volumina. Epicurus plura quàm vllus Philoſophorum [a]. Ariſtarchus Alexandrinus Ariſtophanis auditor ſupra millena [b]. Et ſi Iamblico [c] fides eſt, ſcripta ſunt à Mercurio Triſmegiſto de vniuerſa Ægyptiorum ſapientia triginta ſex librorum millia, & quingenti vigintiquinque: hoc quid aliud eſt, quàm fœtum eruditione cerebrum integras Bibliothecas eniti, & in lucem edere.

[a] Laërt.l.10.
[b] Suidas apud Volater. l.13.c.4.
[c] De myſteriis Ægyptiorum ex Seleuco & Menato vetuſtis auctoribus.

SECTIO I.

Varij fines extruendorum Muſeorum, & Bibliothecarum proponuntur.

2. Πᾶν χρῆμα δύο ἔχει λαβάς: *Vnaquæque res duas habet anſas,* ait Epictetus; imò longè plurimas, vt diſces ex hac ſectione, in qua octo minimùm fines proponimus, ob quos extructæ ſunt à variis Bibliothecæ.

Enchir.c.65.

CAPVT I.

Primus Bibliothecarum extruendarum finis vtilitas publica.

3. Bifariam conſiderari mihi videtur poſſe eruditio, aut tradenda per libros, aut acquirenda librorum ſubſidio: ſi tradenda à viris doctis, inde certè oriri potuit extruendarum Bibliothecarum occaſio. Quoties enim quiſquis eſt, cui non ſit inſitum deſiderium deriuandæ ad poſteros, atque vnà cum ætatibus hominum propagandæ ſuæ conditionis? Id quidem laboris, & ſtudij in librorum ſcriptione ſuſcipi à pleriſque vario fine & conſilio, non inficior. Alij ſiquidem ſola publicæ vtilitatis ratione ſibi propoſitâ, quæ vel excogitarunt ipſi, vel longo rerum vſu didicerunt, ea conſignare ſatagunt literarum monumentis, vt futuris ſæculis proſint: & connituntur eſſe Sibyllarum quàm ſimiles, quæ non tantùm dum viuerent profuere mortalibus reſponſa fundendo; ſed etiam maximopere proſunt mortuæ, quarum libri adiri poſſunt cùm dubitatur de aliquo portento. Proh *ſoles ingeniorum* planè mirabiles, qui vel poſt obitum ſuum lucent, mentéſque noſtras, imò & eorum, qui aduerſis veſtigiis ſtant contra noſtra veſtigia, eodem temporis monumento ſuo ſplendore complent. Veros *Præceceptores humani generis*, vt Seneca loquitur, *atque honoris causâ ſemper appellandos, dignóſque omni veneratione, ac propè numinis cultu*; quos neque ſors fati communis ita efficere potuit mutos & elingues, quin viuant in immortalibus ſuis monumentis, & loquantur eâ vocis contentione,

Ep.64.

vt

vt ſurdus ſit qui eos non exaudiat. *Parentes animorum noſtrorum*, & eius vitæ auctores quam cum cœlitibus communem ducimus; qui ſibi ipſis ſemper ſuperſtites, liberos ſuos nunquam pupillos relinquunt; quibus proinde eo plus debere nos fatendum eſt, quàm parentibus corporum noſtrorum, quò maius beneficium eſt bene viuere, quàm viuere, ac ſemper ad omne officij genus inſtitui, quàm pauculis annis inſtitui. O te diuinum hominem quiſquis hac vna incitatus cupiditate vt hominibus proſis, ſtylum ſumis, libros edis, Bibliothecas extruis! ô te (inquam) velut mortalem Deum, non ſolùm quòd futurus ſis ſempiternus ſenex, victurus vtique in omnes annos conſequentes in hominum memoria, & rectè factis, ſcriptíſque; ſed quod æterni ſenis (ſic Clemens Alex. Deum appellat) æmulus cùm ob aceruos illos, & theſauros ſapientiæ, quos introrſus poſſides, videri poſſis αὐτάρκης, tibíque ipſi ſufficiens; nihilominus tamen tuas illas diuitias longè latéque effundis, quando vetuſtis rebus das nouitatem, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, dubiis fidem, faſtiditis gratiam, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia. Quid eſt de vniuerſo hominum genere bene mereri, atque adeò ad Deum Opt. Max. quàm proximè accedere, ſi hoc non eſt? l. 3. pæd. c. 3. Plin. in præf. hiſt.

4. Fuit hoc inſtitutum magnarum illarum mentium, quos rectè *Genios orbis* dicere queas; qui vt eam ſcientiam quam hauſerant diuinitus cum ſeris nepotibus communicarent, non lucri vllius, non propriæ in vulgus commendationis, ſed vno publicæ vtilitatis ſtudio, libros ſcribendo, & Bibliothecas extruendo ſua ingenia publicam rem fecerunt, vt defuturam potius in aliis diſcendi, quam in ſe ipſo docendi cupiditem verbo ac re ipſa teſtatus ſit is, cuius nomen non tam hominis habetur, quàm ipſius ſapientiæ: verbo quidem, cùm pronunciat ſapientiam ſe didiciſſe ſine fictione, hoc eſt, non malo animo & prauo fine, ſed & illam ſe ſine inuidia communicare, & nequaquam honeſtatem illius abſcondere, cùm infinitus theſaurus ſit hominibus, quo qui vtuntur participes fiunt amicitiæ Dei: re autem ipſa illud profeſſus eſt, qui celebrem illam Academiam Hieroſolymitanam, *ſapientiæ domum* iure merito appellatam regia magnificentia ædificauit, miſítque qui ad arcem illam eruditionis, & ad mœnia ciuitatis πλινωδεῖς paruulos paſſim aduocarent, ſecuros eſſe iuſſos quotquot venirent, de neceſſariis ad ſuſtentandam vitam alimentis, & conquieſcere in beneficentiſſimi Regis benignitate, & prouidentia: qui ſapientiæ alumnis miſcuiſſet ipſe vinum, & propoſuiſſet menſam, ne vlla parandi victus ſollicitudine auocarentur à ſtudio bonarum diſciplinarum. Sap. c. 7. n. 13.

5. Hîc videre mihi videor in Salomone, adeóque in omnibus verè ſapientibus, puerperas nimià (vt ſæpe fit) lactis abundantia preſſas, quærere infantem qui mammam appetat, papillis inhiet, tantaque auiditate fontem illum nectareum ſugat, vt ſi totum exhaurire velit. Quis neget Salomonem permotum hoc deſiderio deriuandæ in omnem poſteritatem ſuæ ſapientiæ inſigne illud gymnaſium auxiſſe regià Bibliotheca, & neceſſaria ſtudentibus ſupellectile, atque ea mente, & conſilio

ſcripſiſſe infinitam illam voluminum multitudinem, quibus omnes artes, & ſcientias complexus eſt: cuius theſauri perexigua duntaxat particula ad nos peruenit, incredibili generis humani detrimento.

6. Hunc ad publicam vtilitatem reſpectum habuit medicorum Princeps Hippocrates octoginta illa edens volumina, quæ ſunt in manibus, tum etiam cum præclarum illud iurauit iuſiurandum, atque ad illud ſuo exemplo medicos omnes adegit, ſe medicamentis, nutricatúve pro viribus ſemper ad languentium vtilitatem vſuros. huc reſpexit Hippocratis filius Piſiſtratus Tyrannus, qui libros Athenis diſciplinarum liberalium publice ad legendum præbendos primus poſuiſſe dicitur. quam Bibliothecam Xerxes vrbe potitus ad Perſas tranſtulit, eam deinde Seleucus Nicanor Syriæ Rex multis pòſt annis reſtituendam curauit.

Gell. lib. 6. c. 17.

7. Huc reſpexit Franciſcus I. Rex Galliæ *literarum parens* cognominatus, ob ſingulare ſtudium in iis poſtliminio Pariſios, adeóque in totam Galliam reducendis; nam præter infinita quæ ſapientiſſimè conſtituit rei literariæ promouendæ perutilia, & hoc adiecit, vt miſſis in mediam Græciam, atque in ipſam Arabiam viris doctis, qui libros vndique conquiſitos ad ſe referrent, nobilem illam Pariſienſem Bibliothecam bonorum ingeniorum, ac diſciplinarum omnium altricem compoſuerit. hoc publici boni deſiderio incitatus Franciſcus Ximeneſius de Ciſneros Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus inſtitutam à ſe Complutenſem Academiam inſigni Bibliotheca locupletauit.

8. Huc denique pertinuit Sixti V. Pont. Max. ſollicitudo, & magnificentia, cùm Bibliothecam Apoſtolicam à Sanctiſſimis Pontificibus, qui B Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordiis incoatam, pace Eccleſiæ reddita Laterani inſtitutam, à poſterioribus deinde in Vaticanum, vt ad vſus Pontificios paratior eſſet, tranſlatam, ibíque à Nicolao V. auctam, à Sixto IV. inſigniter excultam, quo fidei noſtræ, & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituum documenta omnibus linguis expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum copia librorum conſeruaretur, ad puram, & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem perpetua ſucceſſione in nos deriuandam, è loco incommodiore vbi ſita erat, in commodiſſimum ac magnificentiſſimum extulit, *liberalibúſque doctrinis, & publicæ ſtudiorum vtilitati dedicauit.* Quæ à me de hac Vaticana Bibliotheca recitata ſunt, ea ferè totidem verbis ſpectabili charactere inſcripta cernuntur ad portæ dextram: ex quibus intelliges quis eſſe debeat princeps finis erigendarum Bibliothecarum, nimirum *Eruditio* quaſi per manus tradenda poſteris, ſolo publicæ vtilitatis, & diuinæ gloriæ reſpectu: ſin verò ſecus fecerimus, rete aureo conchulas piſcabimur, hoc eſt, abutemur nobiliſſimis inſtrumentis comparandæ ſcientiæ, & Reginam omnium Sapientiam exaugurabit, & in ordinem rediget quiſquis illam quæſtui illiberali, vel inani gloriæ coget ancillari.

CAPVT

CAPVT II.

Secundus extruendarum Bibliothecarum finis, Eruditionis oſtentatio.

SVggillat, nec immeritò, T. Liuium Plinius ſecundus *quòd vtilitati iuuandi prætulerit placendi gratiam*, qui quodam ſuarum hiſtoriarum volumine ſic orſus ſit; *Satis iam mihi gloria quæſitum eſt, & potuiſſem deſinere, niſi animus inquies paſceretur opere.* Profectò populi gentium victoris, & Romani nominis gloriæ non ſuæ, compoſuiſſe illa decuit, maiúſque meritum eſſet operis amore, non animi cauſâ perſeueraſſe; & hoc populo Romano præſtitiſſe, non ſibi. hæc Plinius. Vellem Romanus hiſtoricus ſolus velificatus fuiſſet propriæ laudi in edendis librorum monumentis; habuit in eadem naui ſociorum bene multas centurias, ac in primis antiquos Philoſophos palliata illa vaniſſimæ gloriæ mancipia, quorum præcipuum inſtitutum fuit obſeruare ventos, ac totis velis blandientis vulgi Fauonios excipere, qui poſt multam operam in ſcribendis ſuis commentationibus, ac digerendis Bibliothecis, tum demum ſibi cumulatè ſatisfactum putauerunt, ſi digito monſtrarentur, & ſe audirent dici, hi ſunt. 1. In Præf. hiſt.

Quamobrem iuſtiſſimo Dei Opt. Max. conſilio factum eſſe obſeruat Poſſeuinus, vt quotquot euanuerunt in cogitationibus ſuis, abiecto diuinæ gloriæ ſtudio, & canentes tantùm ſibi ipſis, noſtri curam non habuerunt, mulctati ſint librorum ſuorum interitu, & Bibliothecarum cladibus. Nec immunis fuit eius pœnæ (vt alios deteriores ſileam) Mercurius Triſmegiſtus eiuſdem ſacrilegij reus, atque cæteri, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinuerunt. nam ex tot voluminum millibus quæ edidit, vix ætatem ferre potuerunt dialogi vnus & alter, Pimander & Aſclepius. Adde, ſi libet, & tabulam ſmaragdinam, ſi eam eius opus eſſe putas. Traianum Imperatorem herbam parietariam vocare conſueuerat Conſtantinus, quòd in omnibus à ſe excitatis operibus ſuum nomen ambitioſiùs inſcriberet, vt non tam publicæ vtilitati, & operum perennitati, quàm ſuæ commendationi ædificare videretur. Ego fortunatiorem illum puto, qui ſatagat ſcribenda facere, quàm ſcribere legenda; velítque ad beatam immortalitatem pignerari rectè factorum trophæa, & adumbratæ huius gloriæ contemptum; Deíque potius, quàm hominum oculis, quemadmodum loquitur magnus Gregorius[a], facta ſua ſcriptaque imprimere. hæc tamen intemperie plerique Auctorum ita tranſuerſi aguntur, vt ſolùm appetant neſcio quod 2. Bibl. c.49. l.1. Ariſt.3. met. text.15. D. Auguſt. 8. de ciu. c.23. Aurel Vict. in Conſtant. Plin. D. Chryſoſt. in Pſal. 48. v 12. [a] 11. mor. c.17.

Euge, bellè, acutè, ſubtiliter, ſapienter. Martialis.
Ibis ab excuſſo grandis in aſtra ſago,

aliáſque eiuſmodi laudationes, & plauſus, ſibíque tritum illud ſatyrici glorioſum ridentis tacitè occinant,

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter;

quid eſt hæc φιλοδοξία, aut κενοδοξία innata eruditioni, quàm bonæ matris fœtus deterrimus? Quò tandem pertinet conceptum ex doctrina humanæ laudis deſiderium?

Quò didiciſſe? niſi hoc fermentum, atque ſemel intus
Innata eſt, rupto iecore exierit caprificus.

3. Sat. 1. Eleganter omnino Perſius congenitam ſcientiæ gloriæ appetitionem, quæ ſola eſt frequenter condendarum Bibliothecarum & ſcribendorum librorum cauſa, *fermentum* eſſe dixit, & *caprificum*; fermentum quidem, quòd ſinu ſuo maſſa continere non poteſt, quin ſufferuefiat, infletur, turgeſcat, rumpatúrque: & ſi diutiùs illud retineat, corrumpatur. Intumeſcere ſolet mens hominis eruditi reſoluta laxatáque hoc gloriæ cupiditatis fermento, quod niſi vel tempeſtiuè tollitur, vel certè prudenter temperatur ab eo, qui animum ad hæc opera literaria adiicit, putidam ſuam inanitatem, ieiunum, ac euanidum animum prodet, non ſine intuentium ſtomacho. Sed & *caprificus* eſt hæc gloriæ titillatio; in quam ſententiam placet afferre quæ ſcribit ad Aloyſium architectum Caſſiodorus, *Virgulta*, inquit, *noxià importunitate naſcentia auferantur euulſis ceſpitibus, ne radicum quidam capilli paulatim turgentes fabricarum viſceribus inſerantur, & more vipereo prolem ſibi fœcunditate contraria nutriant, vnde ſe compago caſura diſrumpat.* & Seneca, *Paruula ſemina, & quorum exilitas in commiſſura lapidum vix locum inuenit, in tantum conualeſcunt, vt ingentia ſaxa diſtrahant, & monumenta diſſoluant; hoc quid eſt aliud quàm intenſio ſpiritus, ſine qua nihil validum, & contra quam nihil validum eſt.* Potuítne meliùs explicari quanta ſit vis gloriæ cupiditatis, ſi quæ in hominis eruditi præcordiis inſederit? diſrumpitur miſerum pectus prodeunte foras, & ſeſe exerente malo ſemine; nec finis eſt libros edendi & coaceruandi; impalleſcit ſtudiis, noctes diebus continuat, corpus geniúmque rebus neceſſariis defraudat, vt comparandæ literariæ ſupellectili ſufficiat. Fítque vt plurimum, vt ea opera quæ tanto labore parturit & enititur, ſint caprificus, hoc eſt, ficus ſterilis, nunquam matureſcens, &, quod deterius eſt, auctori ſuo, & parenti exitialis, non ſecus ac Mineruæ templum Alalcomenis, ob innatam commiſſuris ſaxorum hederam, concidit. Vbi enim iſti aucupes humanæ laudis ſeſe confecere vigiliis, inediâ, ſumptibus, & continenti ſtudio, ferè ſolum hoc referunt, vt ſtudioſâ laborare putentur inſaniâ, qui propriam tantùm commẽdationem animo propoſitam habent; quæ tamen non debet eſſe merces ſuſcepti laboris, & expenſarum in condendis libris, & Bibliothecis, ſed acceſſio dumtaxat: *Sicut licèt in aruo quod ſegeti proſciſſum eſt, aliqui flores innaſcantur, non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos, tantum laboris inſumptum eſt; aliud fuit ſerenti propoſitum, hoc ſuperuenit.* Præpoſterus eſt (fateor) extruendarum Bibliothecarum finis, *eruditionis oſtentatio*; at certè eſt finis, haud fortaſſe paucis, iſque primarius.

l. 11.

11. nat. quæſt.

Pauſan. in Bœot.

Sen. de beata vita c. 11.

4. Non ſum tamen ita auſterus, & ἀπαθής, vt ſi *fortè quid aptius exit laudari metuam; ſed recti finémque extremúmque eſſe recuſo.* non eſt mihi pro effato illud Epicteti, *μηδὲν βούλου δοκεῖν ἐπίστασθαι, ſatage rideri nihil ſcire:*

nec

nec mihi probatur ſignum illud profectus à Plutarcho poſitum, *velle facere quod rectum eſt, & foras non ſpectare:* vitandus item appoſitus ſcopulus, & explodenda illius glorioſuli fatuitas apud Euſtachium negantis velle ineſſe ſibi aliquod honeſtum, quo ſe præditum eſſe alij ignorent, Μηδὲν ἐθέλω καλῶν ἔχει ἀνάγνωσιν. quod ad me attinet quemadmodum nolim hominem eruditum ſtruere Bibliothecas, aut ſcribere libros paſcendis alienis oculis hac eſca, nihílque aliud ſuo illo ſtudio, quàm inanem aliis voluptatem, ſibi verò gloriam aliquam ſectari; ita duo ſuper hac re ſtatuo. Alterum eſt, fas eſſe homini docto præfigere ſuum nomen fronti ſuorum operum, tum quòd id facere iam ab omni æuo conſueuerint ſcriptores ſapiétiſſimi modeſtiſſiníque, tum quia hinc quoque acuitur Auctoris diligentia, vt quod molitur in Muſeo, limatius exeat in publicum, nec damnetur incuriæ: vſu enim compertum eſt rumores incerto Auctore ferè eſſe falſos, & vagari ſecuriùs ſine capite mendacium. Alterum, haud damnandam eſſe quorumdam eruditorum curam in locuplete Bibliotheca componenda, imò etiam haud difficulter exhibenda hominum aſpectibus, vt eam quam ſibi merito compararunt, eruditionis opinionem tueantur apud vulgus, ídque è publica re, & numinis gloria videri poſſe; quia plurimum poteſt in vtramque partem præconcepta de ſuis moderatoribus populi opinio. Proinde ad iſtos homines non pertinet illud Gregorij Nazianzeni monentis nihilo magis curandum alienum iudicium, quàm alienum ſomnium, τὸ δοκεῖν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ὥσπερ οὐδ᾽ ὄναρ ἀλλότριον.

CAPVT III.

Extruendarum Bibliothecarum tertius finis, comparanda eruditio.

OBuius eſt cuilibet, & fortaſſe primo loco ſtatuendus hic finis extruendarum Bibliothecarum, videlicet *eruditio acquirenda*, cuius, 1.
provt quiſque eſt cupidiſſimus, ita eſt librorum congerendorum ſtudioſiſſimus. Bibliothecarum enim beneficium eſt, vt in omnium hactenus ſapientium poſſeſſiones figere poſſis veſtigium, & quaſi hæreditatem tibi relictam cernere. *Utinam* (dixit aliquando D. Hieronymus) *vtinam omnium tractatorum volumina haberem, vt tarditatem ingenij lectionis diligentia compenſarem.* Intelligebat vir ingenioſiſſimus ex Bibliothecarum fodinis erui purum putum aurum ſapientiæ, ídque à libris præſtari hominibus, vt quicumque ante nos fuerunt, nobis vigilias ſuas in multam noctem, nobis antelucanas ſuas lucubrationes in multam diem produxerint, nobis ſeuerint, nobis vixerint. laborarunt (inquam) diu noctúque primi inuentores bonarum artium, ſuæque pretium operæ, & ingentes theſauros nobis reliquerunt in librorum apothecis, quos cuique fas ſit in ſuos vſus conuertere. Seuerunt ingenuarum diſciplinarum cultores, vt ſuppeditarent poſteris, quod in horreum memoriæ conderent, & vnde paſcerent mentes ſuas.

2. Ego dicere ſoleo, nihil aliud eſſe Bibliothecas, quàm decantatam illam Phœbi cortinam, vnde reſponſa fundebantur illam adeuntibus: vel logothecam Mineruæ, vel celebre Mercurij Salinum quod λόγιον appellant, vnde candidiſſimos ſales promebant omnes facultates & ſcientiæ: nihil aliud Bibliothecas eſſe ait, quàm omnium artium doctrinarúmque myrothecium & ſeplaſiam, vnde ſingulæ accipiunt vel ſtibium, vel ceruſſam, vel minium, vel alia huiuſcemodi, ſeu pigmentorum lenocinia ad venuſtatem, ſeu odorum ſuauitates ad delitias, ſeu ſuccorum præſtantiam ad ſanitatem & robur, vt ſe comant, poliant, venuſtent, exhilarent; denique eſſe aceruum omnis ſapientiæ, è quo pro ſuo iure ſinguli ſumere poſſint quod ſibi neceſſarium, vel opportunum putant, vt conſerant ſolum animi ſui, poſſíntque deinde ferre fructus tum honeſtatis, tum ſcientiæ qui in omnem æternitatem perennent. Quis putet Ariſtotelem tam multa aſſecuturum, vel ſcripturum fuiſſe, niſi nobiliſſima illa inſtructum Bibliotheca, quam per Alexandri Magni opes, tanto ſtudio, tantiſque ſumptibus ſibi comparauit, & à Platone magiſtro ſuo ob incredibilem legendi auiditatem Αναγνώστης *lector* appellatus ſit? Vnde tandem ſuam Bibliothecam Photius ſcripſit, niſi ex magna in Bibliothecis aſſiduitate? Quando Plinius ſecundus ſcribere potuiſſet hiſtoriam naturalem, opus diffuſum, eruditum, nec minus varium quàm naturam ipſam. Vnde vicena illa rerum pulcherrimarum millia deprompſiſſe potuit, quæ ſe incluſiſſe ait triginta ſex voluminibus, niſi ex lectione voluminum circiter duûm millium. Non vni profuit præfuiſſe viginti illis amplius librorum voluminibus, quos literario magis cenſu, quàm pecuniario locuples Ferdinandus Columbus Chriſtophori noui Orbis inuentoris filius Hiſpali dedicauit. Ex eâdem Bibliothecarum officina prodiere Manutij, familia illa literatorum hominum, ac in primis Aldus iunior (vt Paulum patrem, Aldúmque auum, viros inſigniter doctos, ſileam) qui nunquam tantus in vario diſciplinarum genere extitiſſet, quantum eum ſuſpexerunt Venetiæ, Bononia, Piſæ, ac Roma ipſa, niſi partim ſuis ſumptibus, partim Principum liberalitate inſignem Bibliothecam voluminum ſupra octoginta millia confeciſſet, ſecúmque ſemper tranſtuliſſet, paulo diutiùs aliquo in loco commoraturus. Illam Eraſmus copioſiſſimam eſſe dixit, quáque non alia bonis libris, præcipuè Græcis, ſit inſtructior, ex qua ceu fonte omnes bonæ Bibliothecæ per omnem vſque orbem naſcuntur, & propagantur. Id quoque adiumenti nactus eſt felix Muſæ veteris cultor iuſtus Lipſius, qui cũ Romæ ſe Antonio Perrenoto Cardinali Granuellano acri ingeniorum æſtimatori addixiſſet à Latinis Epiſtolis, per Mecœnatem illum ſuum, & per Guillelmum Cardinalem Sirletum in paucis doctum, aditum ad Romanas Bibliothecas Vaticanam, Farneſianam, Sfortianam, aliáſque tum priuatas, tum publicas habuit, eo fructu, quem facilè cogitando aſſequetur, quiſquis hominis ingenium, iudicium, memoriam, diligentiam, multiplicem eruditionem nouerit.

Plin. iun. ep. ad Marcum.

Plin. ſec. in præfat. ad Veſp. Imp.

In adag. Chil. 3. cent. 1.

3. Et putas ipſe Auguſtinus licèt in excogitando ſagaciſſimus implere

potuiſſet

potuiſſet Bibliothecas ſuis cōmentationibus, niſi & ipſe (vt tradit Poſſidonius) Bibliothecam habuiſſet, vnde hauſit quod in nos poſtea vberiùs refudit. Quid mirum ſi M. Varro infinita ſcripſerit, qui nihilominus in legendo incredibiliter fuit aſſiduus? Mirarer magis ſi pauca legiſſet, & ſcripſiſſet plurima: fieri enim haudquaquam poteſt, vt acer animus & ſolers, torrentes eruditionis legendo ebibat, quin illico torrentes profundat ſapientiæ: hac enim lectione incaleſcit animus, afficitur, & quaſi diuino aliquo Numine afflatus neceſſe eſt (quod dixit Tullius) intelligentiam ſuam excutiat, & conetur, iuxta illud Maronis haud abſimile de Sibylla,

In eius vita.

——totum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum.

Itáque quaſi entheatus extrinſecus ſibi ab auctoribus inſpirata, tum concepta intrinſecus fundit oracula: quemadmodum de ſe teſtatur is, quem ſuprà laudaui, Plinius ſecundus, ſe ad multa millia rerum ſcitu digniſſimarum, quas ex multiplici lectione excerptas ſuæ hiſtoriæ inſeruit, adieciſſe inſuper de ſuo plurima, quæ aut ignorauerant priores, aut poſtea inuenerat vita; qui quidem & alius eſt Bibliothecarum fructus, ſolùm animi noſtri ita præparare ac fœcundare, vt nunquam ſine fœnore reddat poſteris, quod à prioribus accepit.

In præfat. hiſt.

4. Verùm paucis rem confecero, ſi dixero, ex Bibliothecis velut ex equo Troiano omnes hactenus eruditos, & ſcriptores profluxiſſe, ſi pauculos quoſdam exceperis, queis infuſa eſt magnam partem diuinitùs ſapientia, ex quibus deinde proueniunt cæteri, qui appellari ſolent *Antiſtites bonarum artium*, Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Socrates, quos certum eſt non feciſſe ab integro ſua ingenij monumenta, ſed eruiſſe plurima è ſacris Auctoribus, & tanquam ex rediuiuis marmoribus ea ſibi conſtruxiſſe. Quod ad Pythagoram attinet, *à quo Philoſophiæ nomen exortum fuiſſe*, ſcribit Auguſtinus[a], *& à cuius diſciplina deriuata eſſe magiſterij præcepta*, ait Ambroſius[b], *meritóque apud Philoſophos magnis habitum æqualem vix reperiſſe*; omnino hauſiſſe plurima ex Moſaicis voluminibus docet Theophilus Raynaudus[c]. Nam & ea iam fuiſſe conuerſa in linguam Græcam, ante Alexandrum, & ante Perſicum Imperium graues Auctores[d] tū antiqui, tum recentiores aſſeuerant. Platonem verò eiuſdem Moſis commentarios tranſtuliſſe in ſuam Bibliothecam, indéque profeciſſe plurimum, vel ex eo liquet quòd Numenius apud Clem. Alex.[e] dicit *Platonem nihil aliud eſſe quàm Moſem Atticum*; cui & aſſentitur Iuſtinus, eundem appellans *Moſem atticè diſſerentem*; & Ambroſius[f], ſuos illos Iouis hortos ex canticis Salomonis accepiſſe innuit. De Socrate quid? hoc ſat eſto, quòd eundem *Hebraicæ ſapientiæ æmulatorem* vocat Clemens[g]. Ariſtoteles autem quantus quantus extitit, verùm inſtructam à ſe Bibliothecam adeóque intelligentiam ſuam locupletauerit Hebræorum monumentis procliue eſt conijcere ex ipſius ſtudio in conquirendis maximóque pretio coëmendis libris; tum ex ipſiuſmet teſtimonio. *Iudæus* (inquit[h]) *ab altioribus Aſiæ locis ad maritimas deſcendens regiones, vbi tum degebamus, Philoſophiæ amore ad nos ſponte venit, qui multo plura*

Sen. de breu. vitæ.
[a] 8. de ciu. c. 82.
[b] l. 1. ep. 6.
[c] In prologo Theol nat. §. 5.
[d] Clem. Alex. 1. ſtr. cap 13. Serar. in prolog. Bibl. cap. 16. q. 2. aliique apud eundem Raynaudum. Euſeb 10 de præp. Euang. apud Baronium anno Chriſti 183.
[e] 1. Strom. c. 13.
[f] l. de bono mortis.
[g] 1 Strom.
[h] Clearchus peripat. apud Euſebium. 3. præp. c. 3 & Clem. Alex. 1. ſtrom. c. 6.

plura nobis attulit, quàm accepit, Theocritus in Bucolico Carmine faciliè princeps euocatus eſt è Sicilia à Ptolemæo Philadelpho eo tempore (vt promptum eſt coniicere) quo ſeptuaginta Interpretes dabant operam conuerſioni. Nam hic Poëta ad ſcribenda Epithalamia legem ſumpſit ex Canticis Salomonis, ex quibus expreſſit non pauca in Genialem pompam, qua Arſinoe Ptolemæi filia in nuptiali curru Adonidem cum Venere traduxit, quæ Idyllium eſt 15. & in Epithalamium Menelai, & Helenæ Idyllio 18. Gaſpar Sanct. in cap. 10. Dan. Idem pluribus ſuper hac re in commentariis ſuper Cantica prologom. 5. vbi quid Theocritus ex Canticis penè ad verbum tranſcripſerit oſtendit. Vide Paulum Scherloquum *anteloquio 9. in Cantica ſect. 2. n. 14.*

5. Ex quibus omnibus hoc conficio: ſi tantorum virorum primigenia illa (vt videtur) Philoſophia ſimilis fuit illuminationi quæ fit ex ſparto, quam homines accendunt lucem à ſole artificiosè ſuffurantes. Si is qui

Clem. Alex. l. 3. ſtrom.

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit,
Vſibus humanis oculis ea pectoris hauſit.

Ouid 13. Metam.

Pythagoras, *ſi columen & ſublimis apex Philoſophorum* [a]. Idémque *diuini* [b] nomen ſortitus Plato; ſi naturæ Genius Ariſtoteles, & velut medij inter humanũ & diuinum ingenij [c]. Si Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus Socrates, partem non minimam ſuæ ſapientiæ, & eruditionis deriuarunt in ſua latifundia ex librorum fontibus quos ſitienter appetebant; quantum putandum eſt fore opis, & ſubſidij in locupletibus Bibliothecis ad ſcientiæ acquiſitionem, ideo omnibus veritatis inueſtigandæ, ſtabiliendæ, ornandæque ſtudioſis, & candidatis ſapientiæ dictum eſto, quod nepoti ſuo ſcripſit Auſonius,

[a] Arnob. l. 2.
[b] Cic. 3. Tuſc. q.
[c] Cæl. Rhodig. l. 2. c. 2.

Perlege quodcumque eſt memorabile:

nam Bibliothecarum beneficium eſt vt homines ſtudioſi, (vel teipſo iudice qui hæc legis) non ſolùm ſuam ætatem bene tueri, verùm etiam omne æuum ſuo adiicere poſſint. Quidquid annorum ante illos actum eſt, illis acquiſitum eſt, niſi ingratiſſimi ſumus, illi clariſſimi opinionum conditores nobis nati ſunt, nobis viam præparauerunt; ad res pulcherrimas ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur, nullo nobis ſæculo interdictum eſt, in omnia admittimur; & ſi magnitudine animi egredi anguſtias humanæ imbecillitatis libet, multum per quod ſpatiemur temporis eſt: licétque cum ipſa rerum natura in conſortium omnis æui pariter incedere.

Sen. de breu. vitæ.

CAPVT IV.

Extruendarum Bibliothecarum quartus finis, Animi voluptas.

1. NVllæ ſunt epularum, aut ludorum, aut ſcortorum voluptates cum literariis voluptatibus comparandæ, dixit Cato maior, confirmauítque

Cic. de ſen.

uítque luculentis rationibus & exemplis. Quod cùm intelligerent Attalici Reges, arbitrati ſunt non poſſe melius collocari immenſas ſuas opes & diuitias, quàm in extruenda Bibliotheca, ex qua ſibi ſuíſque nouæ in dies animorum voluptates ſuccreſcerent. Audiamus ſuper hac re Vitruuium, *Reges Attalici*, inquit, *magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cùm egregiam Pergami Bibliothecam ad communem delectationem inſtituiſſent, tunc item Ptolemæus infinito zelo cupiditatiſque ſtudio incitatus, non minoribus induſtrijs ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare.* Ex quibus verbis intelligis nihil aliud in Bibliothecæ extructione fuiſſe propoſitum Attalicis Regibus, præter eam, de qua loquimur, *ex Philologiæ dulcedine animi delectationem.* Tamen admonendus es hoc loco Lector, Alexandrinos Reges Eumene Attali Regis filio Pergamenæ Bibliothecæ conditori præiuiſſe in hoc ſtudio. Nam Ptolemæus ſecundus Philadelphus Ptolemæi Lagi filius Eumene Pergami Rege maior memorabilem illã Alexandrinam Bibliothecam compoſuit, eius ſtructuram doctus ab Ariſtotele, vt auctor eſt Strabo, hoc eſt vel exemplo Ariſtotelis, qui primus collector librorum fuit, πρῶτος συναγαγὼν βιβλία, vel quod cùm Ariſtoteles Theophraſto ſuos libros reliquiſſet, Theophraſtus autem Neleo, ab hoc mercatus ſit Ptolemæus, cóſque cum aliis quos ingenti pretio Athenis, & Rhodi coëmerat Alexandriam vnum in locum tranſtulit; nam aliter ſtructuram Bibliothecæ Ptolemæum docere haud potuit Ariſtoteles, qui Ptolemæo fuit ætate ſuperior. Quis eſt ergo iſte Ptolemæus Eumenis circa Bibliothecas æmulus, vt habet Plinius poſt Vitruuium.

[Margin notes: l.7. — l.1. — Athen.l.1. — l.13.c.11.]

2\. Ego omnino hîc vtrumque errore lapſum puto in ordine temporis. Nam Ptolemæus Eumenem Pergamenæ Bibliothecæ auctorem [a], imò eius patrem Attalum, (cui D.Hieronymus [b] eam ſtructuram tribuit) integro ferè ſæculo præceſſit [c], præterquã quòd Alexandrina Bibliotheca Attalicam multis partibus ſuperauit; cùm vel ipſo Antonij Triumuiri tempore quo auctior eſſe debuerat quàm ſub Eumene, in ea ſolùm eſſent [d] εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἁπλῶν, *ducenta millia librorum ſingularium.* Si tamen vindicare libet ab omni ſuſpicione erroris Vitruuium, & Plinium, qui nunquam mihi videntur ſine præfatione laudis appellandi; dicere fortaſſis haud abſurde poſſim, Ptolemæum cognomento Epiphanem Eumenis temporum æqualem in augenda Alexandrina Bibliotheca iam pridem condita, æmulatum fuiſſe Eumenis diligentiam in Pergamena primùm inſtituenda: atque hoc ſi dixero, habebo adſtipulatorem huius meæ coniecturæ Sallianum, qui hanc Philadelphi Bibliothecam ait à poſterioribus Regibus fuiſſe amplificatam; vnde fit vt inter Auctores de numero librorum non ſatis conſtet, Cedrenus centum millia librorum tantùm ponit, Iſidorus ſeptuaginta: Freculphus contraxit hunc numerum per errorem myriadibus in chiliades conuerſis. Ariſteas apud Ioſephum, & Euſebium refert Demetrium ſpopondiſſe Ptolemæo petenti quot iam eſſent, breui ferè quingenta millia. Agellius [e] & Amian. [f] ſeptingenta numerant Difficilè erroris excuſatur Seneca [g] quadringenta tantùm millia periiſſe ſcribens. Vide

[a] Strabo l.13.
[b] Epiſt.ad Chromat.
[c] Sallian.an. ab v.c.474 & 564.
[d] Plut.in Ant.
an mundi 3775.
[e] l.6.c.vlt.
[f] l 6 c.22.
[g] de tranq. c.9.

ſuper hac re Sallianum [a] & Lipſ. [b] Itaque licèt ſemper ipſa, ſemper tamen alia, eo quòd proceſſu temporis numeroſior fuerit Ioannes Rodriquez de Leon, frater illius Antonij, qui ſcripſit Bibliothecam occidentalem & orientalem, ait ita Attalum fuiſſe æmulatum curioſitatem Ptolemæi, vt ob id (inquit Galenus) vendita ſint opera ſuppoſititia cum titulis virorum doctorum; quia *ementium cupiditas mutauit opinionem ſcribentium.*

[a] locis cit.
[b] in Synt. cap. 2.

3. Redeamus ad illas animi voluptates quæ hauriuntur ex Bibliothecis. Quis eas neget eſſe quammaximas, cùm præ illis vix vllæ hominibus ſtudioſis placere poſſint, quibus, vt diutiùs indulgeant, ferè ſolent eſſe ſomni parciſſimi [c], leuéſque [d] cibi & facilis, atque abhorrere à rebus venereis, quia animi lumen ad capeſſendas diſciplinas neceſſarium extinguunt [e], ludorúmque omnes oblectationes flocci facere; qui ſuam in libris peruoluendis, & diſcendis literis exercitationem ludum literarum appellant. *Quæ maior voluptas* (ait Tertullianus [f]) *quàm faſtidium ipſius voluptatis?* Magiſtro hunc in modum ſuccinit diſcipulus [g], *Voluptatem viciſſe voluptas eſt maxima*; & nos quoque occinamus. Quàm magnis liquidíſque voluptatibus plenum eſſe neceſſe eſt illud, propter quod omnis alia voluptas contemnitur? & quod ſolum ſibi eſſe contra omnes animi ægritudines ſolatium experiuntur quotidie cum Plinio iuniore [h], Bibliothecarum cultores: imò otioſa ſenectute [i], (quæ vel ſola ipſa morbus eſt) ſi habet paululum ſtudij, & doctrinæ nihil iucundius.

[c] Plin. iunior ad Marcum de auunculo.
[d] Sen. ep. 15.
[e] Cic. de ſen.
[f] lib. de ſpect.
[g] Cypr. l. de bono pudicit.
[h] ep. l. 9.
[i] Cic. de ſen.

4. Potéſtne aliquid fingi delectabilius, quàm ſedentem in Bibliotheca, & immotum, vniuerſum Orbem nihilominus peragrare, quidquid eſt vſpiam præclarum, & excellens metiri, oculis inſpicere, replicare omnium retrò ſæculorum memoriam, regnorum ortus, progreſſiones, inclinationéſque tanquam è ſpecula contemplari; videre naufragia ſine metu, ſpectare bella ſine periculo, rimari terræ viſcera ſine fatigatione, Principum ædes ingredi ſine repulſa, ſubire templorum ſacraria ſine ſacrilegio; intereſſe ſapientium conſiliis, è Stoa tranſire in Academiam, ex Academia in Lyceum; Zenone, Socrate, Platone, Ariſtotele, Pythagora, Epicteto, Seneca, Theophraſto vti familiariſſimè, támque habere beneuolos, vt nemo horum non vacet cùm volueris; nemo venientem ad ſe non doctiorem beatiorémque dimittat, nemo quemquam vacuis à ſe manibus abire patiatur. Quid iucundius quàm circumfuſum libris delibare quidquid eſt in Grammaticis accuratum, in Epicis amœnum, in Tragœdis ſententioſum, in Comœdis feſtiuum, in Lyricis excultum, in Satyra ſalſum, in Epigrammate acutum, in fabula ingenioſum, in panegyri elegans, in hiſtoria varium, in eloquentia ſublime, in Philoſophia reconditum, in medicina neceſſarium, in iuris ſcientia vtile, in mathematicis admirabile: nec his contentum voluptatibus ebibere plenis faucibus, & perfundi toto pectore Ambroſij ambroſia, Bernardi nardo, ſucco Hieronymi, medulla Tertulliani, Eucherij melle, Auguſtini acidula ſuauitate, Chryſoſtomi aureis imbribus, Cypriani, Baſilij, Gregorij, & aliorum Eccleſiæ

procerum

procerum deliciis?Deſideras in ipſo fonte guſtare diuinam dulcedinem? habes in ſacris voluminibus inſtructiſſimum lectiſternium, atque (vt Chriſtianè loquar, & cum Auguſtino [a]) habes in diuinis literis *Angelorum ferculum, & Archangelorum pulmentum*, vnde poſſis delicatiſſimè epulari; quibus cibis ita reficiebatur Alphonſus Aragoniæ Rex, vt ſpretis regiis voluptatibus vtrumque inſtrumentum adiectis etiam commentariis quater decies perlegerit. Quater decies, inquam, ſine nauſea, & faſtidio. habent enim hoc ſingulare literariæ oblectationes, vt ſæpiùs repetitæ ſemper placeant, nouámque ſui ſubinde creent in ipſa ſatietate appetentiam: cùm tamen aliis in rebus, *cuilibet magnæ voluptati faſtidium finitimum ſit*.

[a] Serm. 38. ad fratres in Erem.

Ranulph. l. 6. c. 1.

D. Gregor. fusè hom. 6.

Senec.

5\. Eruditi quidam viri cuſtodiæ traditi à Tiberio [b] extremi ſupplicij loco ſibi eſſe putabant, ac ſe propè viuentes efferri, ſpirantéſque infodi, quòd ſibi præter ereptam libertatem, ſtudendi quoque ſolatium ademiſſet, ſine quo omne otium, adeóque multo magis illud quod tenetur in carcere cum ignominia, mors ſit, ac viui hominis ſepultura[c]. Nam cùm literæ (vt dicere ſolebat Ariſtoteles) inter proſpera ſint ornamentum, inter aduerſa refugium, & auocatio à moleſtiis; locus ille, vbi vir doctus ceſſare omnino cogitur à ſtudiis, potéſtne illi non eſſe intolerabilior Athenienſium barathro, Tulliano Romanorum, vel Syracuſanorum latumiis? Marſilius Ficinus cuidam ſuo amico de ſua fortuna conquerenti per literas reſpondit, *confugiendum eſſe ad Mineruæ templum, quo ſolo contra fortunæ procellas, & fulmina tegimur*; hinc Senecæ, hinc Ciceroni, hinc Boëtio, hinc pleriſque aliis leuamentum doloris, & mortis imminentis contemptus. Fabius Quintilianus de ſeipſo in magna conſternatione ob mortem filij ſic ait [d], *Viuimus, & aliqua viuendi ratio quærenda eſt, credendúmque doctiſſimis hominibus, qui vnicum aduerſariorum ſolatium literas putauerunt inter humanæ vitæ procellas & tempeſtates, alcedonia quærenda in tranquillo aliquo mari literarum*. Aduocatione & foro interdici pœna eſt à legibus conſtituta in homines ſtudioſos, ſi quid grauiùs peccauerint [e].

[b] Suet. c. 21.

[c] Sen. ep. 82.

[d] Quint. in proœm. l. 6.

[e] Digeſt. de pœnis.

6\. Eſt igitur Bibliotheca officina omnis ingenuæ voluptatis, & deliciarum promptuarium, ſiue illuc concedas non tam vt diſcipulus in ſcholam proficiendi gratiâ [f], quàm vt inquilinus in otij diuerſorium; & velut in theatrum, præſentis duntaxat oblectationis deſiderio. At multo magis te rapiet afficiétque lectarum rerum pulchritudo, ſi tui, vel alieni profectus cupiditate incitatus in Bibliothecam te abdideris. Tullius amico ſuo Attico ſcribit [g] ſe magis oblectari literarum voluptatibus, quàm omnibus Puteolorum, & Lucrini deliciis. *Ego* (inquit) *hìc paſcor Bibliothecâ Fauſti* (is fuit L. Cornelius Sulla, Fauſti Dictatoris filius, Fauſtæ vxoris Milonis frater, quem vnum cum Afranio, & L. Cæſaris filio Cæſar deuicto Pompeio voluit interfici) *fortaſſe putas his rebus Puteolanis, & Lucrinenſibus? ſed mehercule à cæteris oblectationibus deſeror, & voluptatibus propter remp.* (afflictam vtique) *ſic litteris ſuſtentor, & recreor: malóque in illa tua ſedecula quam habes ſub imagine Ariſtotelis,* (quæ erat in Bibliotheca Attici) *ſedere, quàm in iſtorum ſella curuli.* vnde

[f] Senec. ep. 108.

[g] Cic. ad Att. l. 4. ep. 9.

a Cic. lib.2. offic. non mirum ſi Philoſophicum ſtudium idem Tullius [a] *requiem curarum* appellauerit, & de Epiphanio Ticinenſi Præſule Ennodius [b] dixerit, *Vtebatur lectione pro requie, librorum venerabilium pro blandimentis inſtrumenta ſuſcipiens.* Rectè libros *inſtrumenta* appellat: ſicut, & in Anthologia [c] eoſdem libros Μουσῶν ὄργανα dictos lego inter libros qui in Turcica claſſe inuenti ſunt, cùm ad Naupactum prope Echinadas inſulas victores fuere fœderati Catholici, repertus eſt vnus inſcriptus *Conſolatio Viſioneia*, quod eſt volumen omnium conſolationum quæ ex omnibus ſcientiis, ſtudiis, & veritatibus capiuntur ab hominibus earum ſtudioſis. Vellem vt qui indicem eorum librorum texuit Poſſeuinus [d] indicaſſet quoque vbinam hodie extet, cupidiſſimè hunc legerem; & me lecturum ſperarem ſi eſt in Bibliotheca Regia ſancti Laurentij Eſcurialis, vt veriſimile eſt. Claudant iſtud caput iidem verſus, quibus librum de rerum natura ſecundum Lucretius incoauit, & gemina eleganti ſimilitudine hanc quæ ex ſtudio literarum præcipitur, voluptatem expreſſit.

[a] Cic. lib.2. offic.
[b] in eius vita.
[c] l 1. c.17. Bibl.
[d] l.9. c.6. Bibl.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem;
Non quia vexari quemquam eſt iucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuaue eſt,
Per campos inſtructa tua ſine parte pericli:
Sed nil dulcius eſt bene quàm munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena.

CAPVT V.

Bibliothecarum quintus finis morum inſtructio. *Ac primùm* ex ſacris voluminibus vtilitas quanta?

1. LIcèt ea voluptas quæ ex bonorum librorum lectione percipitur, à nemine, qui mente ſanus ſit, dánari queat, quemadmodum nec meritò natura reprehendi, quòd cibis quibus veſcimur ſuauitatem aliquam aſperſerit; nihilominus, ſicut intemperantiùs ederet qui ſolius delectationis cauſa veſceretur; ita præpoſtera atque inordinata fuerit eius lectio, qui lectionem ad ſolam animi voluptatem reuocarit: illa enim oblectatio mentis, & palati, incitamentum quoddam eſt ad vires neceſſariis alimentis reficiendas; eſt condimentum laboris & faſtidij, quod ciborum ſumptio, vel librorum peruolutatio ingenerare poſſet, ſi eius prorſus expertes forent, aut vehiculum ὥσπερ ὄχημα, quo faciliùs transferimus in ſtomachum, & in mentem quod in menſa, vel in Bibliothecis ſalubre inuenitur. In hanc ſententiam ſic Plutarchus [d], *δεῖ μὴ μόνον ἐν ταῖς περὶ ἐδωδὴν, καὶ πόσιν ἡδοναῖς διαφυλάττειν ἐχέμονας αὐτοὺς, ἔτι δὲ μᾶλλον ἐν ταῖς ἀκροάσεσιν, καὶ ἀναγνώσεσιν ἐθίζειν· ὥσπερ ὄψῳ χρωμένους μετρίως τῷ τέρποντι τὸ χρήσιμον ἀπ' αὐτοῦ, καὶ τὸ σωτήριον διώκειν. Danda opera eſt, vt non tantùm in victu, & potu temperatè ſe gerant, ſed in audiendis quoque, & legendis*

[d] *πῶς δεῖ νέον ποιημάτων ἀκούειν, quomodo iuueni audienda ſint poëmata.*

dis libris aſſueſcant, eo quidem quòd delectat tanquam condimento modicè vti: id verò quod vtile eſt, & ſalutare in primis ſectari. Sic malè quondam audire quotquot Platonem, aut Xenophontem ſolâ eloquentiæ gratiâ pellecti Calcagnius lectitabant, dicebantúrque non aliter aberrare, quàm ſiquis apud ſepla- de profectu. ſiarium multa, & ſalutaria vnguenta reperiſſet, ea tamen ſibi tantùm ſeponeret, quibus oblectaret nares, iis neglectis, quæ ad ſanitatem, & robur eſſent opportuna. Non omittam illud magni Baſilij, in ea oratione quam ſcripſit de modo proficiendi ex Græcorum libris: vbi ait vtilitati potius, quàm voluptati ſtudendum in librorum lectione; & iuuenibus apum exemplum proponit, quæ mel è floribus vtiliter legunt, quorum vſus apud alios intra coloris, & odoris delicias ſtat, τῶν ἀνθέων τοῖς μὲν λοιποῖς ἄχρι τῆς εὐωδίας ἢ τῆς χρόας. ἐστὶν ἡ ἀπόλαυσις; ταῖς μελίτταις δ' ἄρα καὶ μέλι λαμβάνειν ἀπ' αὐτῶν ὑπάρχει. quæ cùm ita ſint, malè omnino de vniuerſo genere literarum merear, ſi taceam vtilitatem librorum ad rectam morum & vitæ conformationem, quæ poteſt eſſe finis condendæ Bibliothecæ legitimus. Quod ſpectat ad ſacros libros, D. Chryſoſtomus[a] vſqueadeo eos vtiles eſſe docet, vt & ſyllaba, & apiculus [a] Hom. 18. in reconditum habeant theſaurum, οὐδὲν ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν φθέγγεται ἡ θεία. Ve- Gen. & paſrùm illud quod ſubiungo ſufficere videri poſſit: *Omnis ſcriptura diuini-* ſim alibi de *tus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad eru-* Scripturæ *diendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus,* vtilitate, hom. 5. 17. hæc Paulus Timotheo[b] diſcipulo de ſacrorum voluminum omnimoda 149. 29. 35. vtilitate ad procurationem propriæ ſalutis, & alienæ. Tamen religio ſit 37. [b] Ep. 2. c. 3. omittere diuinum aliud elogium, quo maximopere commendatur fructus ſacræ lectionis. Lenioribus medicamentis perditæ Scribarum, & Phariſæorum mentes curari haud poſſe Chriſtus ſeruator cùm animaduerteret, extremum hoc monitum fuit, eos ad ſacros libros tanquam ad affectorum valetudinarium, in quo etiam deploratis ſuccurritur, amandat: *Scrutamini ſcripturas*, quæ quidem quàm ſalutares ſint dum Ioan. 5. cupidè adeuntur, argumento eſſe poteſt Eunuchus Reginæ Candacis peſſimè laborans, vtpote ſuperſtitione infectus, barbarus, opulentus, potens: is tamen ſibi multíſque aliis ſalutem adeò perfectam reperit in Iſaiæ lectione, vt rectè vſurpare potuerit illud Salomonicum de ſtudio Sap. 7. Sapientiæ, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum ea, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* At ne tanto fructu, quem facillimè quilibet conſequi poteſt, animum ſuum vllus defraudet, inſulsè & minùs piè ſuas occupationes excuſando, D. Chryſoſtomus aulici huius factum proponit Hom. 35. in omnibus æternæ ſalutis ſtudioſis. *Ecce hic,* (inquit) *eunuchus, & Barbarus* Gen. *erat, quæ vtraque ad reddendum negligentiorem ſufficiebant, & ad hæc dignitatis amplitudo, & opum abundantia; adde quòd in itinere erat, & curru ferebatur, hoc enim modo iter facere, non eſt facile lectioni eſſe attentum, imò valde moleſtum, attamen deſiderium, & ingens ſtudium omnia obſtacula è medio auferens in lectione retinebat.*

2. D. Auguſtino parturienti meliorem frugem, & iam diu cum maximis difficultatibus conflictanti, diuina tandem bonitas precibus, & lacrymis Monicæ ſanctiſſimæ fœminæ exorata hunc in modum opem

tulit.

l.2.conf. c. 12. tulit. Vox cœleſtis carmen illud inſonat, *Tolle lege, Tolle lege*: paret æger ſacrum Codicem, qui fortè erat in próptu, ſibi adhibet, vix oculis hauſit conceptam in hunc ſenſum ſuæ curationis formulam, *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis*. (Rom. 13. v.13.) cùm illico ſalutarem ſeceſſionem à vitiis & erroribus priſtinis, atque melioris viæ, vitæque deinceps ineundæ conſilium feliciter enixus eſt. Vidéſne Lector, quàm meritò ſacrum illud diuini Verbi inſtrumentum Gregorius Magnus *manna* appellet, quod ſingulorum neceſſitati, & guſtatui optimè ſeruiat? (l. 6. moral. c. 9.) Potuítne Auguſtino in eo vitæ ſtatu præcipi quidquam accommodatius illa admonitione & parænesi, quam primo oculorum & digitorum coniectu reperit?

3. Felix quidem Auguſtini partus obſtetricante (vt ſic loquar) ſacri voluminis lectione. Sed diuinior Virginis Deiparæ conceptus eâdem ſacrâ lectione pronubâ. D. Ambroſium enim auctorem habeo, (l.2. in Luc. c.1.) Mariam ſanctiſſimam intentam tunc fuiſſe lectioni ac meditationi huius loci Iſaiæ, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, &c. Cùm à Patre æterno per cœleſtem nuntium in Matrem Dei aſcita eſt: vt putes incircumſcriptum numen virgineo vtero claudi noluiſſe prius quàm ſacra lectione præuia ſibi pararetur diuerſorium. Quæ vel ex eo etiam auctoritatem ſumit, quòd D. Auguſtinus (Tom. 10. de nat. Dom. ſerm. 5. & 6.) inter Virginis matris laudes, & ornamenta ſacræ lectionis ſingulare ſtudium recenſet, atque diuinorum oraculorum eximiam intelligentiam. Ego, quid præterea dici poſſit diuinius de ſacrorum voluminum lectione, non video. Vnum duntaxat moneo, manna iſtud eſſe eiuſmodi, vt non ſolùm colligi oculis, vel auribus debeat, verùm etiam ſatagendum in primis, vt in imo corde velut in *vrna aurea* (Hebr. 9 n.4.) condatur aſſeruetúrque religioſè, & cum reuerentia, vt proſit.

4. Libris Aſceticis (quos ſpirituales vulgò vocant) poſt diuinos vtilitatis laudem tribuimus, quod nimirum *in iis aliud auditur nihil, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos, familiares, communicatores*, &c. vt dixit Arnobius (l.4.) agens de libris Chriſtianorum. Eos autem trifariam diuiſos eſſe reperio. Alij præceptis ad omne officij genus nos erudiunt; alij in piis affectibus commouendis occupantur: alij exemplis nos à vitiis auocant, ad virtutem ſtimulant, perpoliunt, & ad vitæ perfectioris ſtudium inflammant; & cùm eorum ſinguli ſint apprimè vtiles, tum verò præſertim viam virtutis ingredientibus ſanctorum hominum exempla ſunt longè vtiliſſima, (Sen. ep.6.) vt ex eorum formula viuamus, corrigamus prauitates noſtras, componamus mores noſtros. hac conſuetudine legendi res præclarè, & ſanctè geſtas iſtud aſſequimur, vt mentem ipſa cogitatione virorum excellentium conformemus, (Cic. pro Arch. poëta.) eorum animos intueamur ſemper, síntque nobis vbique velut duces, cuſtodes, teſtes, cenſores, Conſiliarij, auctores, adiutores. & (quemadmodum dixit D. Baſilius[a]) εἰκόνες ἔμψυχοι, quas contemplemur, vt ex eis in nos ſpirantis virtutis ſimilitudinem transferamus. Codex vitæ magni Antonij aulicos duos Imperatori Theodoſio percaros ex hominis famulatu, & obſequio, in Summi Imperatoris Dei familiam tráſcripſit. Similis caſus DD. Domi-

[a] Ep. 1. ad Greg. Theologum.

nico,

nico, & Ignatio Loiolæ, illi quidem liber de collationibus Patrum, D. Aug. l.8.
huic de Sanctorum vita ſalutis initium fuit. Plura de hoc argumento conf. c.6.
aſceticæ Theologiæ myſtagogi ferè omnes diſputant: vnus ſit mihi pro Drexel. Nicetæ l.2.c.3.
multis Athanaſius, pauculis verbis ingentem complexus piæ lectionis Ribaden.l.1.
vtilitatem. *Sine legendi ſtudio,* inquit, *neminem ad Deum intentum videas.* c.2.
De prophanis Auctoribus maior ſit dubitatio, vtrùm moribus ex rectæ rationis præſcripto componendis vtiles eſſe poſſint.

Capvt VI.

Prophana Philoſophia ad virtutis acquiſitionem prodeſt.

QVamuis non ignorem naturales ſcientias ſapienter à D. Ambroſio 1.
appellari *marceſcentis ſapientiæ vanitates*, ſi cum diuinis eloquiis l.6. Exaëm.
omni ære cœlóque & terrâ perennioribus comparentur: licèt veriſſimè c.2.
à D Anſelmo dictum ſit *antiquos Philoſophos obcæcante ſuperbia perdidiſſe, quod illuminante Dei gratiâ inuenerant, relapſos à ſuperna luce in tenebras ſuas*, iuxta illud Apoſtoli, *euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum* Rom.1.n.21.
eſt inſipiens cor eorum. quò pertinet D. Bernardi exclamatio; *O Lucifer, iam non lucifer, ſed noctifer, & mortifer.* licèt Moſis draco Ægyptios dracones deuorauerit; hoc eſt, tradita mortalibus à Chriſto doctrina futilitatem, & præſtigias humanæ eruditionis, quibus homines miſerum in modum
conſtricti tenebantur, diſpulerit: licèt meminerim dictum à D. Leone Serm. 7. de
mundanam ſcientiam fumum eſſe, qui illuminatum fidei oculum perturbet: & nat.
à D. Gregorio Nazianzeno *inſipientem ſapientiam* vocari, & per tenebras Orat.3.
gradientem ἄσοφον σοφίαν καὶ ἐν σκότει διαπορευομένην, quòd illâ prædití *aucti*
fuerint ad vana, hebetes ad æterna, vt dixit D. Ambroſius: licet non ſim ne- l.5. Exaëm.
ſcius perſonatam fuiſſe vtplurimum veterum ſapientium probitatem, c.24.
plúſque habuiſſe in promptu, quàm in receſſu; nec tam virtutis ſimulacrum ſolidum, & expreſſum effinxiſſe in ſeipſis, quàm adumbratam ſimulatione honeſtatis effigiem: qui quod grauiter pronunciabant in ſcholis & cœtibus de diuitiarum, & gloriæ contemptu, de patientia, de coërcenda libidine, de pulchritudine virtutis; illud ſtatim eiurabant intra priuatos parietes, ſi vel fabriculæ tentatio, vel rei familiaris anguſtiæ, aut locupletior cenſus, aut titillatio voluptatis ingruerent: vnde
& ſapienter talis Philoſophia dicta eſt à D. Paulino [a] habere *in ſpecie le-* [a] Ep. ad Io-
nocinium, in guſtu venenum. & ſæpe eſſe ὅπλον ἀδικίας, *ſceleris inſtrumentum.* uium 38.
Denique licèt dixerit D. Auguſtinus [b], in rerum humanarum ſcientia D Gregor.
eſſe plurimum *ſuperuacuæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis*; licèt Epictetus, & Nazianz.
ipſe ſuperſtitione imbutus quoſdam Philoſophos eſſe dicat. qui habitu [b] lib.4. de
& verbis profiteantur ſapientiam; vitâ & moribus nihil minus habeant, Trin.c.1.
eos proinde vocare ſolitus φιλοσόφους ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν, *Philo-*
ſophos ſine factis dictorum tenus [c], & Seneca [d] candidè & ingenuè fatetur, [c] apud Lipſ.
peccari, vt peccatur à diſcentibus qui propoſitum afferunt ad præceptores ſuos, manud. l.1,
non animum excolendi, ſed ingenium; ſic peccari præcipientium vitio, *qui* c.19.
[d] Ep.108.

docent diſputare, non viuere. Ita quæ Philoſophia fuit, facta Philologia eſt, imò & φιλοδοξία, (vt cum Platone loquar [a].) facere enim nequaquam diſces ab Philoſophis, qui ſecus, ac Philoſophia exigit, ad legem ſuam non viuunt; ſed ad ſummum diſces dicere. Nihilominus haudquaquam ita vitia inualeſcere potuerunt, vt virtutem omnino proſcripſerint, & rectæ rationis lumen extinxerint. Progerminarunt identidem ex ſentis, & horridis mentibus indita diuinitus hominum naturæ bona ſemina; flores ac fructus ſæpenumero produxerunt, quos poſteri ſtudiosè delibatos decerptóſque ſalubriter in ſuam rem conuertêre: à quibus profectò non ideo abhorrere debemus, quòd ex infelici ſolo nati ſint; quin potiùs iis magis gaudendum, quòd miraculi inſtar ſit, fruges optimas ex peſſimo agro effundi, laudémque virtutis, hoſtium ſuorum confeſſione exprimi. Ego ſi ſitiam, non ideo ſolùm abſtinere velim, quòd draco æreus, vel Syren marmorea, vel plumbeus crocodilus, vel alia eiuſmodi Siphonis horriditas aquam eiectans potum mihi propinet; faciam potiùs quod D. Damaſcenus facturum ſe ſcribit, *etiam ex infelicibus prauorum dogmatum vepretis doctrinæ ſanæ & incorruptæ ſuccum apis more colligam, & ab inimicis*, inquit, *ſalutem fructificabo.* Extabat tempore D. Auguſtini quidam M. Ciceronis liber qui inſcribebatur Hortenſius, erátque velut exhortatio ad philoſophiam, in quem cùm idem Auguſtinus nondum Chriſtianus incidiſſet, quid ipſi ex eius lectione contigerit, ab eodem ſtudioſo anagnoſte diſcendum. *Ille liber mutauit affectum meum*, inquit, *& ad te ipſum Domine mutauit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia; viluit mihi repentè omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam, vt ad te redirem.* excidit nobis ille liber Ciceronis, vt plerique alij, temporum iniuriâ eloquentes viri, & ſapientia magna præditi deriuarunt ad ſe eloquentiam Græcorum, & fecerunt eam ἱερὸν ἀνάθημα, *ſacrum anathema* [b]. S. Carolum Borromæum ex Epicteti lectione profeciſſe in virtute, proditum eſt; neque id certè mirum cùm de eodem Philoſopho ſit illud Simplicij, *Qui eius acrimoniâ non excitatur, eum non niſi apud inferorum tribunalia corrigendum puto.* Infinita ſunt apud Senecam quæ veternoſiſſimus quiſque, &

> *Si ſtupet hic vitio, & fibris increuit opimum*
> *Pingue,*

nihilominus ſentiat. Habent Plato, Plutarchus, Xenophon, Iſocrates, Ariſtoteles, Tullius, Theophraſtus, Pythagoras, Triſmegiſtus, habent alij, ex antiquis tam acres ad virtutem ſtimulos, vt mentes noſtras excitent, & erigant; tantáque vi fulgetra ſententiarum vibrant, vt rapiant aſſenſum, inuitóſque & reluctantes trahant quò volunt Quorum nonnulli (quod de Seneca dixit Caligula) licet videantur componere meras commiſſiones, id eſt, pompæ & theatris apta ſcribere; ſuum tamen veritati eſt ſemper robur, & quæ gladiatores faciunt ad aſpectum venuſtè, eadem fieri poſſunt vtiliter ad pugnam. Accipe quod homo Ethnicus de his humanæ philoſophiæ adiumentis ad virtutem conſequendam ſenſerit. Anima hominis Chriſtiani non erit (opinor) ad deponenda vitia

[a] 5. de Rep. in fine.

Ad Coſmam Maiumæ Epiſcopum.

S. Aug. lib. 1. conf. c. 4.

[b] Cyrill. in Zach. n. 53.

Perſ. ſat. 3.

Lipſ. in manud. c. 18.

tia peruicacior, quàm hominis in veri Numinis ignoratione educati. Sic Horatius præeunte in verba ipſamet veritate, l.1.ep.1.

Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator,
Nemo adeò ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Quid igitur illa ſanctorum Patrum quæ ſuprà retulimus tam grauia, 2.
& fulminantia pronuntiata aduersùs prophanas doctrinas, ſi prodeſſe poſſunt bonis moribus, atque ex iis peti tela ad conficienda monſtra vitiorum, colores ad ornamentum virtutis, præſidia ad veræ Religionis defenſionem, adiumenta ad propagationem, lumen ad ſplendorem? Dic tu ipſe, amabo, inquies, quod commercium Luciano cum verecundia, quid Porphyrio cum pietate, quid Socrati cum pudore, quid prophanis cum ſanctitate, quid ſuperſtitioſis cum vera religione, &(vt paucis cum Tertulliano abſoluam) *quid Euangelio cum Academia*, è qua tamen extitit quod in tota antiquitatis eruditione magis integrum, & ſincerum videri poteſt? Itaque vel ablegandi ſunt ab hac Bibliotheca libri omnes prophanæ ſapientiæ, atque eò deportandi, vnde primùm prodierunt, Pythagoras in ſuam ſcholam, Zeno in pœcilē, Plato in Academiam, Ariſtoteles in Lyceum, Druidæ in nemora, Gymnoſophiſtæ in montes, Epicurus in hortulos, Carneades, Democriti, Theophraſti, Ariſtippi in vltimas prophanorum oras, vel ſi eos eſſe vtiles fatemur, atque Muſeo noſtro non indignos, neceſſe eſt quoque nos fateri éos à Chriſtianæ religionis Antiſtitibus calumniam paſſos; quod cogitare, nedum dicere, ſcelus ſit. Reſpondeo hæc ſapienter dicta, ſcriptaque à ſanctis Patribus contra quoſdam, quibus ita placebant humanæ diſciplinæ, vt eis Chriſti ſchola, & magiſterium vileſceret: qui in ſacris pulpitis potiùs doctas fabulas, (vt loquitur ſanctus Petrus) antiquariæ eruditionis choragium, floſculos Rhetorum, Sophiſtarum argutias, dodonæas querquus, Colophonium fontem, Cyrrhæum, tripodem, Trophonij antrum, lebetem, Theſproteum, Ammonis oraculum, Lebadiam, Amphilochum, Amphiaraum, Cortinam Apollinis, aliaque id genus vanitatis, & ſuperſtitionis crepitacula conſectabantur, quàm diuiniſſima Chriſti aſſertoris noſtri, & vindicis effata, vaticinia Prophetarum, Pauli Epiſtolas, & cæterorum Apoſtolorum, ſeu ſacrorum hiſtoricorum monumenta, vt non tam velificari æternæ ſaluti ſuorum auditorum viderentur, quàm eſcas colligere curioſis auribus; quod in homine initiato ſacrilegium eſt. Simile quiddam reprehendit D. Gregorius in Deſiderio Epiſcopo, l.9.ep.48.
qui non Eccleſiaſtem & Epiſcopum in ſuis ad populum concionibus, ſed Grammaticæ profeſſorem agere videbatur, ſæpiúſque & Iouem, & Iouis imperia, & alia id genus terere. At in iſtiuſmodi ſanctorum Patrum querimoniis, non tam humaniores diſciplinæ, & veterum Philoſophorum pronuntiata, quàm eorum prauus & præpoſterus vſus, & diuinioris ſapientiæ à Chriſto Chriſtíque diſcipulis nobis traditæ contemptus caſtigatur.

Etenim ſi prophanas ſcientias omnino proſcriberent & damnarent, 3.
pugnantia ipſimet loquerentur, & eâdem damnationis formulâ ſe iu-

D. Greg. Nyſſ. in vita Moſis.
[a] de Anima c. 20. & 42. item & de reſurr. carn.
[b] Inſt. l. 1. c. 4 & 7.
[c] adu. Iouin. l. 1.
[d] Ep. 54. ad Macedonium. & 8. de ciuit. c. 5. & lib. de vera rel. cap. 4 ep. 56. initio comm. de diu nom.
[e] in Apologia doctæ ignorantiæ.
[f] in fine primi contra gentes.
[g] in apolog. c. 47.
[h] 2. de doct. Chriſti cap. 39. & 40.
[i] in funebri orat.
[k] Deut. c. 21. Cant. 2.
[l] Epiſt. 8.

gularent, quos antiquorum ſapientium placita, tanquam naturæ ſponte productos flores, & ſolo lumine humanæ rationis perfectas gemmas collegiſſe conſtat, atque illis illuminaſſe ſuas commentationes, & velut impiorum hoſtium manubiis tabernaculum veri Dei exornaſſe: Senecam cum laude allegare Tertullianum [a] nequaquam piguit, nec Lactantium [b], nec Hieronymum [c], nec Auguſtinum [d]. Quanti fecerit Platonis philoſophiam idem ſanctus Doctor, argumento eſſe poſſit Platonis & Academiæ frequens & clara in ſuis libris commendatio. D. Dionyſium Areopagitam Platonicis quoque adnumerat S. Thomas, imò & S. Dionyſium adeò Platonem imitatum eſſe, vt ſæpiùs Platonis verba ſeriatim poſuiſſe reperiatur, ſcripſit Cuſanus Cardinalis [e]. *Quæcumque verè & ſanctè dicta ſunt, mea ſunto*, dixit Theodoretus [f]. Enimuero illi conati ſunt vindicare ſapientiam in ſeruitutem; nos optimo iure aſſertores ſumus: ex theſauro Scripturæ omnes palæſtræ Philoſophorum locupletatæ ſunt, ait Tertullianus [g], nos res noſtras repetimus: hæreditas noſtra eſt (inquit Auguſtinus [h]) tradita diuinitus Chriſtianæ religioni, & caſto numinis cultui; nos manu conſertum vocatis iniuſtis poſſeſſoribus, addicente nobis æquitate eam recuperamus. Itaque non poteſt non eſſe admodum vtile, Chriſtianum eſſe ἀεισία περιδέξιον, quemadmodum fratrem ſuum D. Baſilium appellauit D. Gregorius Nyſſenus [i] *ambidextrum*, quòd vtrâque eruditione & ſacrâ & prophanâ dextrè & rectiſſimè vteretur. Auſcultemus tantùm D. Hieronymo diuinum præceptum interpretanti [k]. *Si adamaueris captiuam mulierem* (id eſt, prophanam ſapientiam,) *& eius pulchritudine captus fueris, decalua eam, & illecebras crinium, & ornamenta verborum cum emortuis vnguibus ſeca. Laua eam prophetali nitro, & tunc requieſcens cum ea dicito; Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & tibi fœtus captiua dabit, & de Moabitide efficietur Iſraëlitis.* Illam ambierunt ſanctiſſimi Patres, eam ſibi deſponderunt Chryſoſtomi, Nazianzeni, Cypriani, Fulgentij, Ambroſij, Thomæ Aquinates, aliíque innumeri, qui ex ſcriptura Gentilium, (vt loquitur Petrus Bleſenſis [l]) velut ex muliere alienigena in conflictu ſtudiorum capta, numeroſam ſcriptorum, & rectè factorum ſobolem ſuſceperunt, multíſque libris Chriſtianam remp. & cœlum ciuibus feliciſſimè auxerunt. Itaque mel eximere licet ex prophanorum auctorum alueariis, dummodo (vt in Leuitico præcipitur) eius mellis primitias offeramus Deo: nec tantùm licet;

[m] in libb. Regum.

ſed (quod obſeruauit Beda [m]) turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis ſæcularibus libris omnibus modis exiſtimat eſſe prohibendos; in quibus ſi quæ inuenta ſunt vtilia, quaſi ſua ſumere licet, alioqui Moſes, & Daniel ſapientia, & literis Ægyptiorum ſe non paterentur erudiri; quorum tamen ſuperſtitiones & delicias horrebant. Fas eſt enimuero, fas eſt adhibere externas diſciplinas, vt fides faciliùs in animos influat, & quemadmodum vites clauiculis, ita ſuſtentetur:

[n] homil. de humana Chriſti generatione.

χρὴ πολλάκις ἡμᾶς, καὶ παρὰ τῶν ἀλλοτρίων τῆς πίστεως εὐτονίαν τινὰ προσλαμβάνειν εἰς τὴν τῶν ἀγαθῶν ἔργων ἐπίδειξιν, inquit D. Baſilius [n], *nobis ſæpe petendus eſt quidam vigor ab alienis ad bonorum operum demonſtrationem.*

nem. Adiri poteſt ſuper hoc argumento præter D. Auguſtinum [a] Ambroſius [b]. Sanctus Thomas, qui opuſculo ſeptuageſimo multis probat harum ſcientiarum ſtudia haud quæquam omittenda eſſe; & D. Hieronymus [c], vbi inductionem inſtituit à Quadrato Athenarum Epiſcopo, qui Apoſtolorum diſcipulus fuerat, ad ſua vſque tempora viros eruditiſſimos extitiſſe, *Qui omnes* (inquit) *in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententijs ſuos reſperſerunt libros, vt neſcias quid in eis primùm mirari debeas, vtrùm eruditionem ſæculi, vel ſcientiam Scripturarum. Cùm enim* (inquit Clemens Romanus [d],) *ex diuinis Scripturis integram quis ſuſceperit, & firmam regulam veritatis, abſurdum non erit ſi aliquid etiam ex eruditione communi, ac de liberalibus ſtudys, quæ fortè in pueritia attigit, ad ſermonem veri dogmatis conferat; ita tamen vt vbi vera didicit, falſa & ſimulata declinet*; imò (ait Gueuara [e]) ſunt plurima loca per diuinas Scripturas ſparſa, quæ niſi ex Gentilium hiſtoriis, aut ex fabulis & figmentis eorumdem, ex vetuſtis dicendi modis vulgaribus, ex priſcorum hominum moribus obſoletis, & antiquatis iam diu, nullo modo poſſint intelligi, nulla via penetrari queant. Agebant Scriptores diuini vſitatis ſuo ſæculo phraſibus, communibus vtebãtur prouerbiis, conſuetudines eâ ætate notiſſimas, ſi quando in ſermonem inciderent, obiter & in tranſitu perſtringebant, taxabant ſui ſæculi mores, & ſuperſtitionem Gentilium multifariam cauebant ſuis; regiones atque ſitus locorum exoletis appellabant nominibus, & ad primam partitionem deſcribunt: hiſtorias præterea aut præteritas, aut ex occaſione narrabant, aut in proximo plerumque futuras & venturas vaticinabantur. Ethnicorum vana figmenta cauſis de pluribus referebant, qui notitiam & cognitionem iſtorum à veteribus monumentis Gentilium, quando apud fideles non extant, incurioſus non exquiſierit, ingenioſus delirare cogetur. En quanti interſit humanæ eruditionis ſubſidium ad ſacrarum literarum interpretationem. Et ſi in hanc ſententiam plura deſideras, adi Pinedam [f], Fuluium Vrſinum [g], Romanum Ciacconij [h], Salmeronem [i], Lorinum [k], Barradium [l], alióſque apud Paulum Scherlogum plurimos [m].

De hiſtoriæ vtilitate ad mores bene & ſanctè cõformandos nihil attinet dicere. nunquam equidem *magiſtram vitæ, & officinam prudentiæ* eam ſapientes appellaſſent, niſi meliores redderet eos, qui ſe ad eius diſciplinam conferunt, & ad omnes euentus moderatè, & fortiter ferendos paratiores. De poëſi magis ſit quod dubites, vtrùm prodeſſe poſſit ad morum ſanctitatem. qua de re eſto.

[a] de doctr. Chr. l. 2. cap. 39. & 40.
[b] in Luc. 4.
[c] Epiſt. ad magnum Oratorem.
[d] recogn. l. 10.
[e] præfatione in Habacuc.
[f] in Iob præfationis c. 8.
[g] ad Tioclinium.
[h] ad Sixtum V.
[i] tom. 1. prolegom. 17.
[k] ad verſ. 22. c. 3. Act.
[l] in itinere filiorum Iſraël l. 3. c. 2. n. 4.
[m] Antiloq. in Cantica 13. ſect. 5.

CAPVT VII.

Poëſis ad morum honeſtatem vtilis.

SI auctoritatibus & teſtimoniis certandum, ſtatim vicero, etenim ſunt in promptu teſtes non è triuio proletarij, ſed claſſici & locu- 1.

 pletes,

pletes,ſuíſque momentis appendentes accuratè ſingula; D.Thomas & Ariſtoteles,quorũ vna vox eſt,ad hoc natam eſſe poëſim, vt hominum mentes carminis ſuauitate delinitas ad virtutis amorem conſectatio-
in Epiſt.ad Tim cap.4. lect.1. némque inducat. *Poëticæ fabulæ*(inquit D.Thomas ex Ariſtotele,)*idcirco inuentæ ſunt,quia (quemadmodum ait Ariſtoteles in Poëticis) conſilium illorum erat, vt mortales adducerent ad virtutis adeptionem , ac vitij fugam; ad quæ ſimplices homines meliùs repræſentationibus,quàm rationibus adducuntur. Duo igitur in poëticis fabulis reperiri neceſſe eſt , & vt contineant verum ſenſum aliqua ſimilitudine inuolutum , & vt aliquid vtile repræſentent.* Vides cum fictione coniungi vtilitatem. Itaque ſiue *Epicum carmen* conſideras,quo præclara heroum facinora proponuntur ad imitandum; ſiue *Tragœdiam,* quæ inſignes Principum calamitates replicat,admonétque rerum dominos nihil humani à ſe alienum putent, améntque auream mediocritatem; ſiue *Comœdiam,* quæ ſalibus & iocis indulgens , ac in variis euentibus priuatæ vitæ retexendis occupata,nugas noſtras nobis videndas exhibet velut in ſpeculo, artium humanarum præſtigias & dolos aperit , & dum prauitates noſtras ac næuos iconicè exprimit, nóſque nobis deridendos propinat, bifariam prodeſt; tum quia hunc in modum animos à contentione negotiorum auocat,& delectat; non quòd pulchrum quid videamus , ſed quòd ſimile; ſicut placet pictus
Plutarch.lib. quomodo ſunt iuueni audienda poëmata. Therſites, οὐχ ὡς καλὸς, ἀλλ᾽ ὡς ὅμοιος; tum quia cognitio ſui acer eſt ad emendationem vitæ ſtimulus: ſiue *Lyricum*,quod ſupremi Numinis,& Cœlitum laudes hymnis & pæanibus ad templa & aras complectitur; ſiue *Satyricũ*, quod ſatyricâ licentiâ vitia caſtigat,atque vitioſos acriori ſale perfricat quàm Comœdia: ſiue denique *Elegiacum* , quod miſſione lachrymarum,& flebilibus modis animi noſtri ægritudinibus ex quotidianis calamitatibus medetur; lacrymæ enim compreſſæ amariores ſunt fluentibus, & plerumque grauis dolor voce & oculis vel exhauritur,vel minuitur. Si igitur ſingularum partium poëſeos munus & ſcopum perſpicis,intelliges eſſe in poëſi momenti plurimum ad patienter ferendos humanæ vitæ caſus,ad amorem virtutis , & odium
1.Geograph. vitij: quin & auſim dicere cum Strabone vtilitatem in ea eſſe nihilo quàm in Philoſophorum præceptis minorem , ne dicam maiorem, quippe quæ per compendiariam exemplorum viam nos dirigit;& cùm oculis ſubiicit rotæ affixos ſceleratos Ixionas, vel Actæonas à canibus laceratos,vel Phaëtontes de curru miſerabiliter excuſſos, vel in maxima copia enectos fame & ſiti Tantalos,vel dum infinita id genus comminiſcitur;impudicitiam,aleam,ambitionem,auaritiam,& reliqua portenta vitiorum certo ictu petit,& mactat.

2. Æſchylus apud Ariſtophanem [a] Euripidem interrogat quæ ſit Poëtæ præcipua laus & commendatio? *Si id efficiat*,inquit, *vt homines fiant eius lectione in ciuitatibus meliores,*Quod reſponſum conſentit cum Horatij [b] monito intimum finem poëſeos diligenter inueſtigantis, ac tandem pronunciantis,

[a] in ranis.

[b] in art. poët.

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci,
Lectorem delectando,paritérque monendo.

Poëta

Poëta (inquit Plato [a]) animo ægro & ſalutares ſeueriorum diſciplinarum admonitiones faſtidienti medetur, auſteritatem præceptorum numeri ſuauitate condiens. Sanè & hoc ſolo fine, vt probus euaderet compulſum ſe à parente ſuo totum Homerum perdiſcere teſtatur in Xenophontis conuiuio Niceratus. [a] 2.de leg.

3. Deſcendamus, ſi lubet, ad quædam ſingularia. Cùm Heſiodus ſuum Herculem in biuio ſtatuit, ac difficilem quidem multique ſudoris plenam viam deſcribit, quæ ducit ad virtutem, vnde fit vt pauci illud iter ingrediantur, pauciores progrediantur, pauciſſimi ad ſummum euadant, enixi tamen ſumma felicitate potiantur; contra ac obuenire ſolet molliorem ac faciliorem viam carpentibus; nihil aliud habuit mente propoſitum Poëta ingenioſus, quàm προτρέπων ἡμᾶς, ἐπ' ἀρετὴν, καὶ προκαλούμενος ἅπαντας ἀγαθοὺς εἶναι ταῦτα διελθεῖν· καὶ ὥστε μὴ καταμαλακισθέντας πρὸς τοὺς πόνους προαποστῆναι τοῦ τέλους, *vt omnes ad virtutem excitaret, auctórque eſſet, vt viri boni euaderent, neque laboribus defatigati, ante metam deficerent*, dixit Baſilius. Quid Homerus cùm ab eo Cephallenum dux emergens è naufragio deſcribitur nullis aliis virtutibus, quàm ſolâ virtute tectus ornatúſque, ſui tamen reuerentiam imprimens ſe conſpicientibus, & maiorem æſtimationem nudæ virtutis, quàm fulgentis in purpura vitij; nunquid hoc clamare videtur, *Virtuti ſtudere vos ô homines oportet, quæ cum naufragio enatat, & in terra expoſitum nudum venerabiliorem facit illis qui beati putabantur.* Rurſus, potuítne mente informari maior opinio virtutis, vel proficiſci ab ore Chriſtiano ad honeſti commendationem diuinior vox illis Perſij verſibus, in quibus ait tantos eſſe cruciatus eorum hominum, qui virtutis pulchritudinem ab ſe probè cognitam contemnunt, vt ſcelerum atrocium reis nullum aptari poſſit tormentum maius, quàm eius contemptæ recordatio, [Orat. πρὸς τοὺς νέους, &c. — D.Baſil.ibid. — Sat.3.]

Magne Pater diuum ſæuos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, cùm dira libido
Mouerit ingenium feruenti tincta veneno;
Virtutem videant, intabeſcántque relicta.

O carmen non tam ab homine Ethnico, quàm ab ipſo virtutis ore expreſſum, & dignum laudatore D Auguſtino, quo docemur nunquam futuras vitio tantas vires, vt probare ſe hominibus queat, quibus eſt inditus à Deo virtutis amor, ac eſſe pauciſſimos, qui gratis mali eſſe velint, ne exuiſſe penitus humanitatem videantur. Auſpicatus eſt Salomon pœnitentiæ ſuæ carmen hoc exordio; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, quibus verbis & ſe, & lectorem ſuum à rerum fluxarum & caducarum amore auocat. Sic Satyram exorſus eſt idem Perſius, [l.de magiſtério c.9. — Eccl.c.1. — Sat.1.]

O curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane!

Illud verò, [Sat.2.]

O curuæ in terris animæ eſt cœleſtium inanes,

quam magnam habet affinitatem cum illo regij Vatis, quo grauitatem humani cordis, & contemptum veri boni hominibus exprobrat: *Filij hominum* [Pſ.4.]

hominum vſquequò graui corde, & quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? nec admodum alienum eſt à Chriſti ſeruatoris Petrum obiurgantis oratione, *non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* quo Perſij carmine in hanc ſententiam vſus eſt aureum Chriſtianæ eloquentiæ (lib. 11.c.11.) flumen Lactantius. Infinita ſunt apud Poëtas ſapientiſſimè atque vtiliter dicta, quæ ſi colligere libeat, breui grande volumen confecero. Paucula hæc ex vno & altero afferre placuit de vniuerſo genere virtutis, vt argumento eſſe poſſint, quid dixerint ſingillatim de ſingulis. Nec minus prodeſt muneri concinnitas & exquiſitorum verborum ornatus ſententiæ veritati & intimæ ſapientiæ, quàm in arboribus flores & folia, quibus inumbrantur fructus. Quamquam ſi nihil aliud eſſet poëſis, quàm præludium ad grauiores diſciplinas, & quædam leuior mentis tinctura ad combibendum faciliùs veræ ſapientiæ ſuccum; quis (Sen.) eam inutilem eſſe dixerit? *Hac itur, non huc*; eſto. Sed profectò aliquem locum cogitanti, via neceſſaria eſt. Scriptum legimus Moſem ſapientiæ laude adeò inclytum Ægyptiorum doctrinâ animum ſuum imbuiſ- (D Baſilius ſuprà.) ſe οὕτω προσπελάζειν τῇ θεωρίᾳ τοῦ ὄντος, priuſquam ad eius contemplationem, qui verè eſt, accederet; ſic Daniel in Babylonicæ ſcholæ palæſtra præluſit ſublimioribus de Deo ſcientiis; qua in re ſi quid fuiſſet (Hieron. tom.2.c 1. in Dan.) bonis moribus periculi, eâdem religione abſtinuiſſet aures à Chaldæorum doctrina, qua ab eorum cibis temperauit.

4. At enim verò præclarè monuit D. Pacianus Barchinonenſis Epiſcopus [a], à D. Paulo factam nobis eſſe poteſtatem vtendi Poëtarum dictis, à quo illud Arati in Areopago vſurpatum eſt, αὐτοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *ipſius enim & genus ſumus.* Iam quis me deinceps vetabit dicere Apoſtoli exemplo, hominis adoptatione per gratiam in filios Dei, & diuinæ conſortes factos naturæ atque adhibitos ad cæleſte Chriſti corporis epulum potiori iure appellari poſſe διοτρεφεῖς, διογενεῖς, δίους, *à Deo nutritos, à Deo genitos, diuinos,* quemadmodum heroes Homerus appellat? Poſſum item citare in hunc locum Orpheum in hymnis canentem, diuinum numen eſſe rebus omnibus creatis μητροπάτορα καὶ πατρομήτορα. *Patrem* per infinitam potentiam, *matrem* per immenſam ſapientiam, ſiue ideam, quæ rei fabricam concipit, & quaſi mater efformat; quod etiam præclarè aduertit Philo [b]. Alio loco idem Apoſtolus [c] vſus eſt ſenario Menandri,

> Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί,
> *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Alibi hexametro Epimenidis,

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,
> *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.*

[a] Epiſt.2. ad Sympronianum.
Act.c.7.
[b] de temulentia.
[c] 1. Cor. c.15.

5. Ex quibus exploratum eſt poëſim nec ita conſecrari voluptati aurium & animorum, quin etiam famuletur virtuti, cùm virtus ſit finis eius præcipuus. Eâ verò ſi abutantur aliqui ad turpitudinem, aut maledicta; non magis tunc poëſis cenſeri debet, quàm medicina vocanda eſt, ars illa quæ venena ſpargit, peſtem creat, hominum generi exitium molitur, & alia id genus damna per fraudem & ſcelus infert mortalibus;

bus;cùm medicinæ proprium ſit, ita ſuccorum herbarúmque vi ac poteſtate vti, vt valetudini tuendæ, vel depellendis morbis ſeruiat. Iam verùm fas ſit cuilibet pleraque Poëtarum dicta apprimè virtuti conſona, permixta tamen, & confuſa cum aliis dictis peſtilentibus ſecernere, & tanquam gemmas in luto quærere. Item verùm vitioſi Poëtæ cum ſua fœditate & vitiis habere aliquem locum debeant in Bibliotheca, dicetur libro ſecundo opportuniùs. Nunc ſatis ſit oſtendiſſe maximam ex Bibliothecis ad bonos mores percipi vtilitatem, quandoquidem ipſi Poëtæ, qui vulgò nuncupari cum Homero ſolent *mendaces delinoſi,* vtpote qui facti, fictíque putantur ad aurium & animi delitias; vitiis tamen extirpandis & inſerendis virtutibus multum proſunt. Aureè Theocritus, *Qui Muſis delectantur,* inquit, *nibil eſt, quòd Circes timeant faſcina, ὐ ποτῶ δαλήσατο Κίρκα.* Sunt enim (vt Xenophon [a] dixit) *πηγαὶ τῶν καλῶν, fontes bonorum;* & (vt D. Gregorius Nyſſenus [b]) *εἰς τεκνογονίαν ἀρετῆς, ad virtutis acquiſitionem conferunt;* quia *χαλινοῦ δύναμιν ἔχουσι, vim freni habent.* Eamdem poëſim Syneſius *σύνναον τῆς φιλοσοφίας* appellare non dubitat, *contubernalem ſapientiæ.* Quàm multa Poëtæ dicunt quæ à Philoſophis aut dicta, aut dicenda ſunt. Non attingam Tragicos, aut Togatas noſtras; habent enim hæ quoque aliquid ſeueritatis, & ſunt inter Comœdias & Tragœdias mediæ. Quantum diſertiſſimorum verſuum inter mimos iacet? Quàm multa Publij non excalceatis, ſed coturnatis dicenda ſunt? Ne plura. (Sen. ep. 8.) O præclaram vitæ emendatricem poëticam, exclamat Tullius [c]. Conſulendus ſuper hac re Nicephorus [d] aliique optimæ notæ Auctores agentes de edicto Iuliani interdicentis Chriſtianos lectione librorum Ethnicorum. *Suis ipſius armis hoſtem ferire, ſtrenui viri eſt & fortis. Spectatos numularios diuinum oraculum nos eſſe iubet, & vt pulcherrimum quodque ex rebus omnibus deligentes, quod malum eſt, abiiciamus; quod bonum autem, diſquiramus, atque inuentum retineamus. Vbicumque aliquid boni eſt, ipſius veritatis eſt: in reptilibus & feris quædam ſunt, quæ vtiliter ad ſalutem pharmacis & remediis admiſcemus; ſic quoque in diſciplinis iſtis, quod ad veritatem inquirendam & iudicium acuendum facit, id recipimus: quod autem ad Dæmones ipſos & ad perditionis profundum deducit, deſpuentes reiicimus.*

[a] in Cyr. 7.

[b] de vita Moſis.

[c] 1. Tuſc. qq.

[d] l. 10. c. 20.

CAPVT VIII.

Bibliothecarum ſextus finis, Magnificentiæ oſtentatio.

1\. SIcut *pleriſque etiam ſeruilium literarum ignaris libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt*, ait Stoïcus, ita integræ, & locupletes Bibliothecæ extruuntur interdum à nonnullis non alio planè conſilio, quàm ad apparatum & pompam. Eiuſmodi fuit inſignis illa Ptolomæi Philadelphi Bibliotheca, quam Seneca [e] ait fuiſſe *pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum*; atque mox Liuij auctoritate vſus illam *elegantiam Regum curæque egregium opus* appellantis, hæc verba

[e] lib. de tranq. vitæ.

ſubiungit, *non fuit elegantia illud, aut cura, ſed ſtudioſa luxuria, imò ne ſtudioſa quidem, quoniam non in ſtudium, ſed in ſpectaculum comparauerat.* Quod vt de primùm à Regibus inſtituta verum non eſſet; at certè de reparata videri poteſt certiſſimum. Quo enim alio fine *Regina meretrix Cleopatra* potuit eſſe auctor eius reparandæ, impetratâ ad id ab Antonio Pergamenâ Bibliothecâ, quæ ei in Aſiæ ſortitione obuenerat, eáque Alexandriam tranſlata, vt eſſet auſpicium, & fundamentum literariæ ſuæ magnificentiæ, in quo *fœmina ſuperbo, ac procaci faſtu*, nolebat ſe ab vllo præcedentium Regum ſuperari; vt nec paſſa eſt ſe vinci in epularum inſania ab amaſio ſuo. Mineruam fuiſſe illam oportuiſſet, non Venerem, ſi ſtudiorum gratiâ Bibliothecam excitaſſet.

Plin. lib. 2. hiſt. c. 32. Plut. in Anton. Plin. 16.

2. Domitianum Imperatorem nulla diſcendi cupiditate incitatum, ſed opum duntaxat & potentiæ oſtentandæ ſtudio extruendis Bibliothecis animũ adieciſſe, ex Suetonio[a] colligere mihi videor, qui ſic ſcribit. *Domitianus liberalia ſtudia initio Imperij neglexit, quamquam Bibliothecas incendio aſſumptas impenſiſſimè reparare curaſſet exemplaribus vndique petitis, miſiſque Alexandriam qui deſcriberent emendarentque: nunquam tamen aut hiſtoriæ carminibúſque cognoſcendis operam vllam aut ſtylo vel neceſſario dedit: epiſtolas orationéſque & edicta alieno formabat ingenio.* Veriſimile eſt eandem fuiſſe mentem & finem multorum Principum, & Magnatum in eiuſmodi literariis molitionibus, vt quantum nonnulli afferunt magnificentiam ſuam in ludis, quibus nec interſunt; alij in ædificiis, in quibus nunquam habitant; alij in publicis epulis, quas nec primoribus labris attingunt; nonnulli in veſtium elegantia, quibus non ſe, ſed ſeruos induunt; alij ſexcentis aliis in rebus pro cuiuſque ingenio: ita etiam eſſe poſſunt homines quidam locupletes, qui literaria ſupellectile lauta, numeroſa & exquiſita ſplendorem ſuum & opes proferant; malíntque proſtare ſuum aurum diſpoſitum in Bibliothecarum forulis, quàm arcâ incluſum contineri, rati nimirum iſtas Bibliothecarum extructiones pertinere ad ſuæ dignitatis exaggerationem.

[a] in Domit. ſub finem.

3. Et ſanè rem hanc attentiùs conſideranti, non videntur honeſtiùs effundi pecuniæ in dactyliothecarum, vel pinacothecarum, quàm in Bibliothecarum extructiones; támque laudabiliter poſſideri cenſuerim à diuitibus bene multa voluminum millia, quàm gemmarum; nec quidquam cauſæ eſſe cur tabulæ, cur vaſa Corinthia, vel murrhina, cur antiquo opere ſigilla, cur emblemata ſcitè in aureis ſcyphis illigata; cur exeſa carie, & vetuſtate numiſmata, cur Babylonico, vel Alexandrino opere texta, vel acu picta tapetia, aliáque id genus tolerabiliùs decentiúſque appetantur à principibus perſonis, ab otioſis cum voluptate tractentur, & inſpiciantur curioſè, quàm tecto tenus extructi inſtructíque librorum nidi; licèt cura hæc & elegantia non oriatur ex incenſa cupiditate ſtudiorum. Tum ſi fas eſt cuilibet ornare domum ſuam pro ſuo gradu, & facultatibus: ſi viro illuſtri habenda ratio non tantùm commoditatis, ſed etiam ſplendoris, & magnificentiæ. Quídni eidem liceat iſta exquiſita & cum ſuis imaginibus deſcripta ſacrorum ingeniorum opera in ſpeciem, & cultum parietum comparare? Imò, & hoc

hoc facere eos conuenit cùm ædificant, ſi ædificare volunt ex architecturæ legibus, & Vitruuij [a] præſcripto, cuius eſt monitum iſtud, *Nobilibus qui honores magiſtratúſque gerendo præſtare debent officia ciuibus, facienda ſunt veſtibula regalia, alta atria, & periſtylia ampliſſima, ſyluæ ambulationéſque latiores ad decorem maieſtatis, pinacothecas, baſilicas non diſſimili modo quàm publicorum operum magnificentia comparatas; quòd eorum in domibus ſæpiùs & publica conſilia, & priuata iudicia conficiuntur.* Aduerte lector hîc non præteriri Bibliothecas inter ea quæ ad pompam & apparatum ædificari interdum poſſunt ac debent. Idem continuò ſubiungit ea quæ ſequuntur. *Si ad ſingulorum generum perſonas ita diſpoſita erunt ædificia, non erit quòd reprehendatur.* Itaque ſi eſt apud te aliquo loco τὸ πρέπον, quod nihil aliud eſt quàm decorum quiddam, & naturæ hominíque opinioni ita conſentaneum, vt in eo appareat honeſtas & ſpecies quædam liberalis cum moderatione coniuncta, nihil erit quod reprehendas; erit potiùs quòd laudes Fuggerorum magnificentiam in condenda maximis ſumptibus Auguſtana Bibliotheca, & clariſſimorum Principum Ferrarienſium, & Farneſiorum, item & Mediceorum in illa memorabili, quam meritò vocare poſſis Muſarum è Græcia exulantium regium hoſpitium: ſic multi alij magni Principes & illuſtres viri ſumptus in condendis Bibliothecis ſumptui eſſe non duxerunt, vt vrbes exornarent, & ſuæ tuerentur ſplendorem dignitatis, licèt non dubitem iis quos recenſui, primo loco fuiſſe propoſitum publicum bonum in iſtiuſmodi cura, & impenſis, cùm & illi ſtudia bonarum literarum inſtruendis Academiis, & viris doctis liberaliter alendis multum promouerint. In ſua Bibliotheca extruenda publicis vſibus Ptolemæum proſpexiſſe autor eſt Petrarcha [b]. Eandem ædificationem ingenuæ curioſitati, non autem oſtentationi Strabo [c] tribuere videtur, dum in eo Principe ingenij laudem, & rerum nouarum occultarúmque ſtudium commendat, v. g. cùm regiam ipſius ſollicitudinem refert inexploranda cauſa, cur alieno, vt videbatur, tempore ex ſuo alueo tam latè Nilus exundaſſet, & cùm dixiſſet Reges Ægypti illud aliquando curaſſe, addit: *Is præcipuè cui cognomentum fuit Philadelphus, cognoſcendarum rerum ſtudioſus, qui propter corporis imbecillitatem ſemper aliquid noui inquirebat, in quo ſeſe traduceret atque oblectaret.* Eadem de Ptolemæo iſto Philadelpho, & eius de excitatione Bibliothecæ conſilio prædicant Tertullianus, & S. Epiphanius, ille ſic: *Ptolemæorum eruditiſſimus (quem Philadelphum ſupernominant) ſtudio Bibliothecarum Piſiſtratum (vt opinor) æmulatus eſt.* Iſte, ὁ γὰρ μετὰ τὸν Πτολεμαῖον δεύτερος βασιλεύσας Ἀλεξανδρεὺς Πτολεμαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς φιλάδελφος, φιλόκαλός τις ἀνὴρ καὶ φιλόλογος γενόμενος, ὅς τις βιβλιοθήκην κατασκευάσας ἐπὶ τῆς αὐτῆς Ἀλεξάνδρου πόλεως ἐν τῷ Βρουχείῳ καλουμένῳ κλίματι. Idémque fuiſſe Conſtantino conſilium in Bizantina procliue eſt credere: nam quamuis ei deliberatum eſſet tantum ornamentorum (*vel ex omnium Orientis vrbium nuditate.*) Conſtantinopolim congerere, vt meritò *noua Roma* & antiquæ æmula dici ac videri poſſet: & hanc ob cauſam præter milliarium aureum circum maximum, amphitheatrum, fora, porticus, ſenatus maieſtaté, ac ſenatorum numerum,

[a] l. 6. c. 8.

[b] Dial. 43.

[c] l. 17.

D. Hieron. in Chron.

ſcholas publicas,& alia multa ædificaſſet,in quibus μεγαλοπρέπειαν ſuam oſtendit, eius putatur opus celebris Bibliotheca ibidem ædificata: tamen etiam publicæ vtilitati conſulere voluiſſe exiſtimauerim; præſertim cùm teſtetur Aurelius Victor [a] Conſtantinum in omni genere laudis magnum, *magnificum quoque fuiſſe nutritorem bonarum artium, & fautorem literatorum*;& D.Gregorius Naz[b].*ædificatas ab eodem Imperatore ſcientiarum ſcholas cum laude celebret.*

[a] C.Theod. l. 1. & 3. de preceptorib. & medicis.
[b] in orat. de laudib.D.Baſilij.

Capvt IX.

Bibliothecarum ſeptimus finis, falſæ eruditionis oſtentatio.

1. OMnino ſæpe contingit, vt plerique tenuiſſimè literati, audiant tamen in vulgus apprimè docti & ſapientes, quòd interdum ſe videndos exhibeant in ſuis Bibliothecis infinita librorum multitudine circumfuſos, quorum argumenta, vel etiam nomina ſæpe ignorant, eóſque ne emiſſitiis quidem oculis ſtudij gratiâ nunquam vident. Id ſanè felicitatis obuenit Iuſtiniano Imperatori, homini (vt ait Suidas) rudi omnium literarum, & (quod Græci dicunt) planè ἀναλφαβήτῳ; is tamen quòd ex tribus antiquis Codicibus Imperialium conſtitutionum Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano vnum compingi curauerit, opera decem illuſtrium eius ætatis Iuriſconſultorum, eúmque ſuo nomine appellatum Iuſtinianeum confirmauerit, putant imperiti Iuſtinianum fuiſſe Antiſtitem iuris, & myſtagogum conſultiſſimum. Qua in re notandus eſt potius vulgi error & rei geſtæ ignorantia, quàm Imperator quæſitæ hoc artificio famæ eruditionis inſimulandus. hæc de Iuſtiniano ex vulgari opinione, cui occaſionem dedit centum ab hinc circiter annis mendum in Chalcondyliana editione Suidæ,in qua pro *Iuſtino* ſcriptus eſt *Iuſtinianus*. Porrò Iuſtinus ſenior à Procopio Cæſarienſi in hiſtoria arcana dicitur ἀμάθητος γραμμάτων ἁπάντων, καὶ ἀναλφάβητος: at verò Iuſtinianum ſcribere nouiſſe,doctúmque fuiſſe,Philoſophiæ,Theologiæ, Muſicæ, architecturæ peritum, iuris conſultiſſimum, nauum diſputatorem, & ius pro tribunali reddidiſſe, adeóque etiam ſcripſiſſe & edidiſſe plures libros, egregiè euincunt Nicolai Alemani notæ in arcanam hiſtoriam Procopij *pag.*87. 88. 63. atque alibi. Vide Caſſiodorum *lib.*10. *var. ep.*9.*&* 22. At certè quicunque laudem captant ex inaniſſimis inſignibus locupletis Bibliothecæ, multíque ſtudij ſimulatione, neceſſe eſt fiant fabula emunctioribus naribus, & perſpicacibus oculis,qui per tenuitatem pellucentis huius doctrinæ olfaciunt putidam oſtentationem vaniſſimorum hominum, & imam diſpiciunt ignorantiam.O ſi viderent iſti literatorum ſimij, & inſulſa capita,illos

——à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,

Nec

Nec lingua, quantum ſitiat canis Apula tantùm;

fortaſſe ſatius ſibi eſſe putarent deponere illud ſtudium aceruandi libros, quàm patere, rediuiuis ſannis Luciani [a], πρὸς ἀπαίδευτον καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον.

Lepidum eſt in hāc ſententiam quod habet Seneca [b]. *Caluiſius Sabinus*, inquit, *noſtrâ memoriâ fuit diues, & patrimonium habuit liberum, & ingenuum: nunquam vidi beatum indecentiùs; huic memoria tam mala erat, vt illi modò nomen Vlyxis excideret, modò Priami; quos tam bene nouerat, quam pædagogos noſtros nouimus. Nemo vetulus nomclator, qui nomina nō reddit, ſed imponit tam perperam, quàm ille Troianos & Achiuos perſalutabat: nihilominus eruditus volebat videri. hanc itaque compendiariam excogitauit: magnâ ſummâ emit ſeruos, vnum qui Homerum teneret, alterum qui Heſiodum: nouem præterea Lyricis ſingulos aſſignauit: magno emiſſe illum non eſt quod mireris, non inuenerat, faciendos locauit. Poſtquam hæc familia illi comparata eſt, cœpit conuiuas ſuos inquietare, habebat ad pedes hos, à quibus ſubinde cùm peteret verſus quos referret, ſæpe in medio excidebat. Suaſit illi Satellius Quadratus ſtultorum diuitum* ARROSOR, *& quod ſequitur*, ARRISOR, *& quod duobus iſtis adiunctum eſt*, DERISOR; *vt Grammaticos haberet analectas, cùm dixiſſet Sabinus centenis millibus ſibi conſtare ſingulos ſeruos; minoris*, inquit, *tot ſcrinia emiſſes: ille tamen in ea opinione erat, vt putaret ſe ſcire quod quiſque in domo ſua ſciret.* Haud paulo minus deſipere mihi videntur indocti iſti Bibliothecarum extructores veriſſima imperitiæ & vanitatis conceptacula, quando variorum Auctorum ſibi vindicant eruditionem, eo ſolùm nomine, quòd eorum libros poſſideant. Quaſi verò quòd emeris Epicteti lucernulam continuò Epictetus fias; ſi Æſchyli pugillares illico plenus numine tragœdus exiſtas; ſi calamum Demoſthenis emere potuiſti, reuiuiſcat in te Demoſthenes: quòd ſomniare poſſis in bene inſtructo Muſeo, repentè Poëta prodeas: quòd Timothei tibiæ penes te ſint, vel arcus Herculis; ideo pro Philoctete, vel Iſmenia ſtatim te geras, ſi nec illas inflare, neque hunc poſſis contendere. Nega ſi potes quod dicam: ſi ſola ſupellex literaria doctum facit, nunquid tabernæ librariæ videri debebunt doctiſſimæ? vt ſi promittere barbam, philoſophari eſt, nónne locum inter Philoſophos hircus obtinebit honoratiſſimum? multi ſunt (mihi crede) hac ętate Antigoni ſimiles illius, quem Ammianus [c] *amictu tenus* Philoſophū appellat; multíque *perſonam malunt, quàm faciem.* Multi ἐν ταῖς Μούσαις κολοιοί, *inter Muſas graculi*, qui obſtrepera oſtentatione canori videri volunt,

Vt ſolet argutos ſtrepere inter anſer olores;

libros quidem dicimus eſſe Ciceronis, eoſdémque Dorus librarius ſuos vocat, & vtrumque verum eſt: alter enim illos tanquam Auctor ſibi, alter tanquam emptor aſſerit, & rectè vtriuſque dicuntur eſſe: verùm ſi te venditas alterum Platonem, vel Hippocratem, vel Vlpianum, vel Homerum, quòd eorum libros in tua Bibliotheca poſſideas, nec tui aliter ſint quàm quomodo Dorus librarius poſſidet ſuos, hoc eſt, iure emptionis; næ, mi homo, facetè inſanis, & ſi putas tuo illo Bibliothecæ apparatu aliis fucum fieri poſſe, quàm ſtolidis, tuíque ſimilibus,

[a] ad imperitum multos libros eruptitantem. 2.

[b] Ep. 37.

[c] l. 14. Sen. de bea. l. 2.

duo iugera hellebori vix te bene ſanum fecerint. Duo ſunt, bone vir, quæ nec pecunia comparari, nec à quoquam mortalium donari, nec caſu, vel hæreditate obuenire cuiquam poſſunt, *Virtus*, & *Eruditio.* Vtrumque, laborem & ſtudium deſiderat; nec te affluens librorum apotheca doctum faciet, ſed mens neceſſariis cognitionibus ornata.

3. Ampliùs dico: Incautis obeſt frequenter librorum multitudo ad comparandas ſcientias, non ſolùm quia præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant, quemadmodum cenſuerunt aliquando Druides apud Cæſarem[a]: ſed ob id præſertim quòd Thamus Ægyptiorum Rex literarum inuentori Theuthinuentum ſuum prædicanti ſapienter dixit, & ad rem præſentem appoſitè, negans librorum monumenta prodeſſe eruditionis candidatis; quia ſic (inquit) potius ſapientiæ opinio, quàm veritas diſcipulis traditur. Nam cùm multa abſque præceptoris doctrina perlegerint, multarum rerum periti, cùm ignari ſint, vulgò videbuntur, conſuetudine quoque moleſtiores erunt; vtpote qui non ſapientia ipſa ſint præditi, ſed opinione ſapientiæ ſubornati. hæc Thamus apud Platonem[b]. Quæ licèt mihi omni ex parte non probentur, ſitque in confeſſo apud æquos rerum æſtimatores, & longo vſu compertum librorum lectione diſciplinas mirificè adiuuari: ita nihil fingere animo poſſum ſtultius, quàm ex ſola atque otioſa librorum poſſeſſione quærere eruditionis opinionem.

[a] lib. de bello Gall.

[b] in Phædro.

4. Habet ſanè id incommodi res commodiſſima, libraria ſupellex, non quidem naturâ ſuâ, ſed vitio abutentium, vt monumenta ingeniorum etiam ad indignos peruentura publicauerit. Non eſt tamen lex caſuris imbribus dicta, ne in malorum improborúmque rura defluerent. (Sen.) Cæterùm ſi ſe in amplis ſuis Bibliothecis magnificè quaſi pompam circumferant rediuiui Caluiſij, & ἀπαιδευτότεροι φιλονίδου, *Philonide indoctiores*, ſibíque plaudant gratulentúrque opinionem doctrinæ apud imperitum vulgus, ob librorum copiam & laxitatem Muſei; ego quoque occentabo cum Luciano[c], τί γὰρ κοινὸν λύρᾳ καὶ ὄνῳ, *Quid commune lyra cum aſino?* Venit mihi in mentem diues ille Aſianus, cui cùm pedes ex frigore putridi abſciſſi fuiſſent, ne vlcus ſerperet; vt aliquo ſaltem modo leniret dolorem ſuum, ligneos ſibi conficiendos curauit, quibus ſubligatis interim etiam ſeruis innixus incederet; at in eo quoque magis ridiculus, quòd ſuis illis ligneis pedibus calceos inducebat tanta arte perfectos, quanta eſſe potuerunt vel Darij Perſicæ, vel ſocci Veneris, vel Cothurni Iunonij, & hoc imperitè ſatagebat, vt affabrè calceatus videretur. At πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα, *ſimia ſimia eſt aurea, licèt habeat ſymbola*, nec certè magis Bibliothecæ imperito conueniunt quàm ligneis pedibus concinnè facta, gemmíſque ac vnionibus illuminata ſandalia.

[c] de imperito libros emptitante.

Lucianus ſup.

.CAPVT

CAPVT X.

Octauus finis condendarum Bibliothecarum, Nobilium ingeniorum conſecratio.

QVod de Philoſophia Seneca philoſophus dixit, iure merito de qualibet liberali diſciplina pronunciandum eſt. *Inſularum loco eſſe, & conſecrare poſſeſſorem ſuum.* hæc vna ferè cauſa fuit cur Ptolemæus Philadelphus nobilem illam ſuam Bibliothecam excitauerit, vt nimirum eſſet velut quidam locus ſacer & auguſtus, vbi nobilia ingenia conſecrarentur, & debitos ſibi honores obtinerent. Iudæis enim ſcripſit in hanc ſententiam pro mittendis ad ſe ſacris Codicibus. *Cùm apud vos Prophetarum quoſdam libros eſſe compererim, qui de Deo & mundi fabricatione ſcripti ſunt, καὶ τούτας τοῖς ἄλλοις ἀφιερῶσαι ἐπιθυμῶ. hos cum aliis conſecrare magnopere cupio. Quæ mihi ad vos ſcribendi cauſa fuit, vt illos ad me mittere velitis. Nam quod ego non curioſitate ductus, neque malo animo, ſed honoris illis habendi ſtudio, τῆς τιμῆς ἕνεκα.* Merentur haud dubiè ſingulares honores homines illi, quos Numen cæteris hominibus ingenio antecellere voluit, & valde conſentaneum eſt, vt libri, talium ingeniorum partus & liberi parentum ſuorum radiis fulgeant. 1. Sen. ep. 14. S. Epiphan. de menſ. & pond. n. 10.

Verùm enimuero, ſi quis honos debetur libris, & ſi in illuſtribus loculamentis velut in apotheoſeos pegmate conſecrandi ſunt; id venerationis debetur præcipuè ſacris Codicibus, vtpote qui ſolum Deum auctorem ſuum & velut parentem agnoſcunt: imò & Beato Eucherio[a] libri Canonici videntur eſſe tanquam quædam numina, cùm ratiocinatur in hunc modum. *Si illi dicuntur Dij, ad quos ſermo Dei factus eſt, & ideo dicuntur Dij, quia ſermonem Dei cuſtodiunt; quare non magis ipſe ſermo Dei dicatur Deus?* hoc ſaltem ſine controuerſia verum eſt, quod eleganter dixit D. Laurentius Iuſtinianus, *Eſt ſacra pagina ſapientiæ Verbi ſpeculum, diuinitatis armarium*; & quod iam antea grauiſſimè ſcripſerat D. Irenæus[b]; *Dei filius inſeminatus eſt vbique in Scripturis* hæc cùm ita ſe habeant, dic mihi, nónne Ptolemæus Philadelphus fuit inuitatus diuina permotione cùm ſacros libros in ſua Bibliotheca conſecrauit? hoc eſt, illis honorem & cultum velut diuinum in auguſta illa æde attribuit? Nec verò aliter ſacra illa volumina D. Hilarius indigitat, quàm *libros arcano cæleſti conſecratos.* 2.

[a] in ſerm. 4. poſt Dom. paſſ.

[b] l 4. c. 23.

Statue nunc an non religioſè faciant & laudabiliter quotquot ſacras paginas non aliter legunt, quàm aperto capite, lotis manibus, genibus flexis, vel in pedes erecti venerationis & obſequij gratiâ? Non ſanctè hoc præceperit B. Petrus Damianus[c], *Libros ſanctos ita cuſtodiat vt nunquam manum ſuper literas teneat, nunquam fumo nigreſcere, vel ignis odorem ſentire permittat?* Nunquid non tibi ſumma dignus laude videtur Theodoſius Imperator, qui propria manu literis aureis volumen Euangeliorum deſcripſit; tantæque pietatis æmulus Carolus Magnus, qui in nouo Teſtamento literis item aureis tranſcribendo docuit quanta venera- 3.

[c] opuſc. 15 de ſua congreg. inſtitutis c. 18.

tione

Greg. Tur. l.3.hiſt.c.10. Anaſt.in Vitelliano & Bened. Creſol.myſt.l.3. ſect.2 c.18. [a]Curop.apud Serar. l.1.c.4. 9.15.

Feuardent.in præf ad Xiſt. 5.apud Iuſtinianum l. 1. p.1. de ſacra Script.

D Hil. in Pſ.131.

Maſius in Ioſue.

Syran. in c.4. Luc.& ex illo Georg. Ederus in Oecō. Bibl.l.1. tab. 39.

tione ſacras paginas proſequi debeamus? Eâdem pietate permoti permulti Principes, inuolucra, thecas, capſas auro & gemmis nitentes, multáque arte laboratas aſſeruandis ſacris voluminibus dedicarunt, quod feciſſe Childebertum ex ſpoliis Amalarici, Conſtantem Imperatorem, & Michaëlem Imperatoris Theophili filium produnt hiſtoriæ. Eiuſdem religionis ſtudio fuere in oratoriis magnifica pegmata, vbi Euangelia tanquam ſub auguſtali reponebantur: ſic in ſacello palatino Conſtantinopolitani Imperatoris fuit ſublimis quidam plureus, in quo *ἐπίκειται ἅγιον εὐαγγέλιον*, *ſitum erat ſanctum Euangelium*[a]. Sic in ſacris OEcumenicis Conciliis *adorandus* ille Codex ſacrorum Bibliorum (vt verbis vtar ſeptimæ & octauæ Synodi generalis) in ſolio regium in morem ſtrato in medio Patrum conſeſſu collocatus eſt. Apud Iudæos non ſolùm ſcelus exiſtimabatur publicis ieiuniis expiandum ſacros libros ſuper nuda humo ponere, aut illotis eos manibus attingere, aut in Synagogis à Leuita circumlatos non religioſiſſimè venerari, ſimúlque adorare: verùm etiam, nec audebant ſacrorum vatum oracula niſi ſubſtrato linteo attingere. hinc piorum hominum mos (quod facere conſueuerat D.Franciſcus) vt ſi aliquid diuinorum eloquiorum repererint in loco minùs decenti & honeſto, illico appreſſo oſculo in alium decentiorem venerabundi transferant. Ioſue laudatiſſimus Hebræorum heros tanto in honore & cultu habuit librum legis, vt eum in bellis pro vexillo geſtaret. Sed quid facere Chriſtianos decet in veneratione ſacrorum voluminum, quando Mahumetani adeò reuerentes ſunt Alcorani ſui, vt nemo propè illum ſedeat, ſed ſtatuatur ſemper in ſublimi loco, vbi à nemine indigniùs tractari poſſit?

[b] l.8.c.8.

4\. Haud minori honore Antiates apud Philoſtratum [b] dignati ſunt libellum Apollonij Tyanei, in quo ſycophanta nequiſſimus idémque Magus deſcripſerat Pythagoræ dogmata, quæ didicerat in antro Trophonio: hoc enim volumen in tholo eximij cuiuſdam antri, velut auctoris immortale monumentum dedicauerunt. Mitto dicere de capſula vnguentorum Darij Regis, qua theca ſolos Homeri libros Alexander dignos putauit; vt non mireris, ſi provt quiſque eſt ingenio præſtantiſſimus, nobilia ingenia ſtudioſè conſecrauerit in literariis illis monumentis, quæ reliquerunt, forulos cedrinos, thecas gemmeas, auro radiantia loculamenta, pegmata ſummo artificio elaborata, atque magnifica conclauia illis prouiderit. Verè enim ac ſapienter Lycei præſes dixit: *Conſideratio contemplatióque per ſe magni pretij eſt, & excellentiæ, ideóque magno honore afficienda, ac plurimum colendi qui in eam aſſidui incumbunt.*

Ariſt. l. 10. Eth.c.8.

5\. Si conſecrantur ab hominibus libri in Muſeis, viciſſim quoque libri conſecrant homines ſtudioſos, & velut ſacroſanctos efficiunt, ſúntque illis tanquam tutelaria diplomata Principum ad inuiolabilem clientelam & cuſtodiam: ſunt infinita exempla in hiſtoriis illius venerationis & tutelæ, quam ſibi ab magnis Principibus delatam homines docti libris acceptam referre debent; adeò vt ſola librorum contrectatio auctoritatem afferat. Pater Iacobus Laynes è Societate I E S V, ſua ætate

doctorum

doctorum omnium confeſſione, & ſacroſancti Concilij Tridentini admiratione doctiſſimus, cùm ex Collegio noſtro Romano in Domum profeſſam, in qua degebat, librum neſcio quem, quo tum indigebat, ferret ipſe ſub axilla, vrgeiétque ſocius ſibi vt illum deferendum traderet, aiens haud decorum eſſe & rationi conſonum, ſe vacuo talem ſarcinam à præſide ſuo, & præpoſito Generali Societatis geſtari. Reſpondit modeſtiſſimus Pater, idémque erga libros gratiſſimus: *Mi frater, libri non onerant, ſed honorant*; neque euinci ab ipſo vllis precibus potuit, vt ſocio hac in parte acquieſceret.

Hactenus de multiplici fine extruendorum Muſeorum & Bibliothecarum; quæ diſputatio præmitti debuit, vt rectè & ordine totum opus procederet. Nunc locus ad eius ædificationem deſignandus eſt, ac videndum, quid ſuper ea re cenſuerit conſulta antiquitas; tum deinde, quid nobis ex rationis & artis præſcripto definiendum. 6.

SECTIO II.

Quibus in locis extructa olim Bibliotheca; quis videatur extruendis opportunus: earum breuis ſciographia.

POTEST contingere, vt quis cogitationes, & formas auguſtæ Bibliothecæ habeat, locum tamen ædificandæ deligat minùs idoneum; quemadmodum Dinocratem inſignem Architectum in monte Atho ciuitatem ædificare molientem, cùm tamen non eſſent agri circà qui poſſent frumentaria ratione eam tueri, ſed opus eſſet tranſmarinis ſubiectionibus, Alexander monuit illis verbis quæ Vitruuius [a] refert, quibus ſibi probari quidem formationem aiebat, locum verò improbari. Ita Muſea quo loco extruantur plurimum intereſt: quid hac in parte à veteribus obſeruatum ſit, quídve nunc obſeruandum, hac ſectione definio. 1.

[a] l. 2. in proœm.

CAPVT I.

Bibliothecæ in templis extrui ſolitæ.

LIbris ineſſe quiddam ſacrum & religioſum, docent extrui ſolitæ in templis Bibliothecæ, vt conſtat ex Hebræa, Græca, Barbara, Romana, & Chriſtiana hiſtoria. In Hebræa quidem Iudas Machabæus Nehemiæ ſecutus exemplum, *Bibliothecam extruens congregauit libros Prophetarum, & Dauid, Epiſtolas Regum, & de Donarijs*, quæ omnia Epiphanes abolere tentauerat: eiuſmodi autem librorum monumenta 1.

Mach. 2. c. 2.

aſſeruata fuiſſe in templo,conſtans eſt omnium interpretum ſententia; ac iam multis ante Iudam ſæculis Moyſes ſcriptum à ſe legis volumen, Deut.c.31. v.25. & ad vmbilicum perductum iuſſit Leuitas ponere in latere arcæ fœderis; ſacram verò Bibliothecam à Chaldæis incenſam Iudæis tandem Genebr.lib. 2.Chron. patriæ ſuæ poſtliminio reſtitutis Eſdras ſacerdos reſtituit, ac reparatam auxit ducentis ampliùs voluminibus à ſe conſcriptis.

2. Athenis Adrianus Imperator ſacris Eleuſinis initiatus Herculis & Philippi exemplo ædem Iouis Panellij (id eſt, totius Græciæ præſidis) ſtruxit,& in ea Bibliothecam.Ptolemæi Philadelphi Bibliotheca fuit [a] lib.22. primùm condita in Serapeo, (vt eſt auctor Ammianus [a]) eodémque in loco à Cleopatra reparata eſt,ſeruata ſemper Ptolemæi appellatione, quod docet his verbis Tertullianus, *Hodie apud Serapeum Ptolemæi Bibliothecæ cum ipſis Hebraicis literis exhibentur.* Porrò fuit Serapeum inſana ſubſtructionis moles, & opere magnificentiſſima dicata Serapidi, vbi erat celebre eius numinis ſimulacrum, quod Seſoſtres Rex per Ruff. d.c.22. & ſeq. Briaxam artificem fecit ex omni metallorum, lignorum, & lapidum pretioſorum ſimul tritorum permixtione; quæ arx impietatis frendente nequaquam ſuperſtitione diruta eſt anno Chriſti CCCLXXXIX. Theodoſij ſenioris Imperio.

3. Romæ Octauius Imperator templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitauit,quam fulmine ictam deſiderari à Deo haruſpices pronunciauerant, additâ porticu cum Bibliotheca Latina Græcáque, quam à manubiis Dalmatarum ſubactorum extructam, & à ſororis no- [b] l.49. mine *Octauianam* appellatam Dio [b] aſſerit: fuit autem è triginta ſeptem quas aliquando habuit prima,ſecunda Gordiana, tertia Vlpia, vt [c] de Antiquitatibus vrbis Romæ. eſt auctor Andreas Palladius [c].Eò alluſit Horatius [d],

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo;

Suet.in Aug. & [e],

[d] in Epiſt. *Quod dedicatum poſcit Apollinem.*

[e] 1.Carm. In eandem ſententiam Ouidius, dum ait ſe ductum ad illam ædem, in cuius Muſeum cùm intrare vellet,repulſus eſt ab æditeo. Atque id cauſæ videtur eſſe cur Bibliothecæ extruantur in templis, quòd nimirum nefas ſit quidquam obſcœnum & peſtilens (eiuſmodi erant Naſonis amatoria,) illarum limen attingere. Præterea cùm libri (vt loquitur Seneca) ſint ſacrorum ingeniorum opera,nullo alio in loco conuenientiùs collocari poſſe veteres ſapienter putauerunt, quàm in ſacris & religioſis ædibus.

4. Alterius Bibliothecæ extructæ in templo Pacis,meminit Galenus [f] [f] lib.1. de compoſitione medicamentorum. & Agellius [g]. Idémque mentionem facit Bibliothecæ templi Traiani, quæ *Vlpia* ab eius Principis nomine dicta eſt; & fuit è Romanis præcipuis vna, ac Palatinæ æmula, eo præſertim nomine inſignis, [g] lib. 27.28. quòd in ea fuiſſe aliquando libros linteos, docet Vopiſcus [h]. Item [h] in Aurelio. meminit alterius in Herculis templo: ſed luculentum eſt quod obſer- [i] lib.19. c.5. uat Euſtathius [i], vnde rectè coniicitur Bibliothecas fuiſſe præcipuè in templis, & Sacerdotum curæ commiſſas. Homerum, inquit, quidam Naucrates plagij accuſat,quòd cùm in Ægyptum veniſſet, libróſque reperiſſet

periſſet, *Phantaſiæ* fœminæ, quæ Iliadem, & Odyſſeam ſcripſerat, & Memphi in Vulcani templo depoſuerat, eos ſibi adſcripſit & edidit. Ego, licèt cum Lipſio [a] id putem falſum; nihilominus tamen morem perantiquum indicat.

a c.1. ſynt. de bibl.

5. Olim Chriſtianæ reip. moderatores ingruentibus paſſim hæreticis Orthodoxorum ſcripta & legitimas ſacrarum litterarum interpretationes ſummâ curâ reponebant in Bibliothecis, quas in locis inauguratis condebant, velut tutiſſimum in difficilibus Eccleſiæ temporibus perfugium. Tale conſilium fuit Alexandri Hieroſolymorum Epiſcopi, & martyris. Is enim inter cætera ornamenta nobilem Bibliothecam à ſe collectam Hieroſolymis reliquit, è qua ſe in rem ſuam deriuaſſe plurima fatetur Euſebius [b]. D. Auguſtinus ſuam haud ignobilem moriens legauit Eccleſiæ Hipponenſi, arbitratus nullum ſe poſſe relinquere ſui erga chariſſimam ſponſam amoris perennius monimentum, nullum opportunius in ſecundis rebus, & aduerſis ornamentum, & præſidium: at in re aperta exemplis vtor non neceſſariis. Perſeuerauit ad hęc vſque tempora laudabilis illa conſuetudo in inſignioribus toto orbe Eccleſiis, vt publica templo adiungatur Bibliotheca. Cùm enim diuinum ſit oraculum [c], *labia ſacerdotis cuſtodire ſcientiam, & ex ore eius legem requiri*, neceſſe omnino putauerunt ſuppeditare Sacerdotibus parata in ſacris Bibliothecis adipiſcendæ ſcientiæ inſtrumenta, ne vnquam audiant horrendum illud [d], *Quia repuliſti ſcientiam, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Vel certè ſi hoc aliquando audituri ſunt, cauſari minimè poſſint, adiumenta ſibi defuiſſe cognoſcendæ diuinæ voluntatis, & ſacroſanctæ legis interpretandæ. Id Carolo Magno antiquiſſimum fuit, vt poſt relatas ab hoſtibus victorias ſtatim ſe accingeret ad Epiſcopatus inſtituendos, extruenda templa, eíſque ſcholas & Academias adiungendas inſtructas neceſſariis Bibliothecis, ne vel *inermis eſſet religio, vel inanis ſapientia*, quæ indiſſolubili inuicem vinculo cohærent.

Angelinus Rocca in 4. interfeneſtrio Vat. Bibl.

Niceph. Cal. lib. 7.

b 6. hiſt. c. 14

c Mal. 2 v. 7.

d Oſ. 4 n. 6.

6. Fuit & hoc vſu receptum apud Ægyptios, vt quiſquis fuiſſet cooptatus in ſacerdotium, ſtatim traderetur myſtagogis imbuendus arcanis obſeruationibus religioſæ illius Philoſophiæ, quæ aliud in fronte profert, aliud continet in receſſu; ídque ſignificabant Sphinges in templorum propylæis poſitæ: hoc ipſum quoque admonebat celebris liber qui Myſtæ porrigebatur inter initiationes ſolemnes ritus, & ceremonias: ex quibus planum eſt, rem ſacram & literariam fuiſſe eiuſdem procurationis apud illos. Certè & veteres illi ſapientes apud Ægyptios, qui doctrinæ famam ambitioſiùs conſectabantur, aſſidui erant in ſacris ædibus, & numinum ſuorum delubris, vt darent autoritatem ſuæ ſcientiæ, tanquam ſi diuinitus afflati mera loquerentur è Deorum adytis oracula. Verùm vt ad Chriſtianos redeam, confirmat hunc morẽ D. Hieronymus his verbis [e]: *Beatus Pamphylus martyr, cùm Demetrium Phalereum, & Piſiſtratum in ſacræ Bibliothecæ ſtudio æquare vellet, imagineſque ingeniorum, quæ vera ſunt, & æterna monumenta, toto orbe perquireret, tunc maximè Origenis libros impenſiùs perſecutus Cæſarienſi Eccleſiæ dedicauit.* Eidem Cæſarienſi Eccleſiæ ſuã fuiſſe Bibliothecam ex eodẽ Hieronymo [f] apertè

Calcagn. de reb. Ægypt.

e Ep. 141.

f in Cat. ſcr. Eccl.

apertè colligo, dicente in Cæſarienſi Bibliotheca haberi munus illud ſanctiſſimi Martyris flagrantis amore diuinæ Bibliothecæ.

Caput II.

Bibliothecæ in Regum palatiis extructæ.

1. Ritũ eſt illud Platonis ſimul, ac veriſſimum, *tum demum beatas fore Reſp. ſi eas Philoſophi regerent, aut qui Reges eſſent philoſopharẽtur.* Hinc factum eſt, vt Principes prout fuerunt ſapientiſſimi, tam eſſe optauerint alumni Muſarum, quàm pulli Martis; tantóque ſtudio conſtruxerint Ἀθηναῖα, quàm Ἄρεια; Μουσεῖα, quàm Ὁπλοθήκας; hoc eſt, non minore cura Bibliothecas in regiis ædibus, quàm armamentaria habere ſtuduerint. Interrogauit aliquando Demetrium Phalereum Ægypti Rex Ptolemæus, vnde tandem rectè imperandi formam (rei nimirum admodum operoſæ & difficilis) condiſcere poſſet? ex libris (reſpondit Demetrius) ſi eis vtaris familiariſſimè. nam quod ſæpe amici ob regiæ maieſtatis reuerentiam monere cunctantur, & quaſi verecundantur, & quod adulatores ſeruiliter mentiuntur, & diſſimulant; illud cum maxima libertate libri Regibus ſuggerunt. Ex quo ſapientis viri reſponſo ortum putauerim in Ptolemæi mente conſilium inſignis illius Bibliothecæ, de qua iam ſæpe ſuperiùs; quam licèt extruxerit in Serapeo, eſt tamen veriſimile ſtudioſiſſimum Regem peculiare Muſeum habuiſſe in ipſa Regia libris illis inſtructum, qui ſibi maximè conuenirent. Id certè ex Strabone[a] videtur eſſe exploratum, qui partem regiæ Ptolemæi Muſeum fuiſſe, ait, τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον, cui adiunctæ erant porticus & exhedræ, & amplæ quædam ædes conuictui literatorum deſtinatæ, quorum ſermonibus & colloquiis paſcere animum ſuum Rex poſſet cùm liberet.

[a] lib. 17.

2. Hinc profecta haud diſſimilis cura Matthiæ Coruini Hungariæ Regis, quem verè appellare poſſis *Martigenam*, videlicet qui natus ſit inter arma, & quaſi adoleuerit in ipſo Martis ſinu, nimirum in Ioannis Hunniadis diſciplina. Is haudquaquam degener à perenni & conteſtata parentis bellicoſiſſimi virtute, ita ſe literarum ſtudio addixit, vt Italos, Germanóſque, ſi qui bonarum artium laude excellerent, euocarit, & (quod hîc præſertim agitur) Bibliothecam Budæ inſtituerit in ipſa Regia, quæ etiamnum extat, ſed ſub Barbarie Othomannica, doctorum virorum haud amplius parens, & altrix. Quam copioſam librorum congeriem penes ſe in palatio habuiſſe putandus eſt Alphonſus Aragonius, cui nec gratius vnquam munus offerri potuit, quàm eximius aliquis liber, nec aliam teſſeram ſymbolicam, quàm apertum librum geſtare voluit. Qui denique (vt cũ Ænea Syluio[b] loquar) nunquam in caſtris fuit ſine libris; quocunque iuit, eum Bibliotheca ſecuta eſt, ſiue in tectis eſſet, ſiue in tentoriis manſit, ſingulis diebus aut legit aliquid, aut audiuit. Gordianum minorem vna ferè Bibliotheca ſibi à Sereno

[b] Ep. l. 1. ep. 105.

Samonico

Samonico teſtamento relicta ad cœlum tulit, nulla alia conſecratione, quàm hominum literatorum elogiis. Hoc ſtudium Bibliothecæ, quia Regium eſt, ideo capta Carthagine Senatus Romanus gratificari volens Africæ Regulis, eis Bibliothecas donauit, vni duntaxat Magoni Pœno tantus honos habitus, vt eius duodetriginta volumina in Latinam linguam transferenda cenſuerit. Plin. hiſt. l. 18. c. 3.

3. Fuerunt igitur, súntque etiamnum extructæ Bibliothecæ in regiis palatiis, & id quidem bonum factum, dummodo ſelectis libris vtantur, &(quod de Epaminunda dixit Thucidides) ἀνδ̀ μαλακίας ſine mollitie, & deſidia: ſanè Alexandro mos ſemper fuit nunquam ſe ad capiendum ſomnum componere, quin enſem ſimul cum Homeri operibus ſuo capiti ſuppoſuiſſet, vir cuius ſolum nomen bellicosè id factum eſſe defendit. Notum eſt indefeſſum Iulij Cæſaris ſtudium in mediis bellorum æſtibus, & iactatione armorum; adeóque apud Mundam, vbi de Orbis Imperio dimicatum eſt, & poëmata compoſuit, & rerum ab ſe geſtarum commentarios, duos libros de Analogia confecit; duos item Anticatones.

4. Poſſunt, non eſt dubium, poſſunt ſtudia literarum etiam à Regibus, & Imperatoribus coli, & habere commercium cum bona reip. adminiſtratione, & armis: nec ob id virtutem bellicam ſopitam conniuere teſtati poſſunt inuicti heroes bene multi. Vnus aut alter ſit, exempli gratia, Philippus Macedo non Alexandri ſolùm, ſed etiam Magni pater quantus quantus extitit (fuiſſe verò quammaximum, argumento ſunt centum quinquaginta ferè populi Imperio Macedonum perpetuis eius victoriis, nulla ferè belli offenſione additi) tantus à doctrina prodiit, & ab Epaminundæ in omni diſciplinarũ genere verſatiſſimi diſciplina. De hoc etiam eſt illud Iuſtini[a], mirari ſe, vnde tam perfecta ſciẽtia militiæ in homine Thebano, & inter literas nato: ſed enim verò hoc videri debere mirabile negat Diodorus Siculus[b], aítque cauſam gloriæ illius militaris, quæ in Epaminunda ſumma fuit, in promptu eſſe, nempe eruditionem eximiam. [a] lib. 5. [b] lib. 15.

5. Alphonſus ille Arragonius, cuius ſuprà fecimus mentionem, tam felix domi bellíque fuit, adeò rerum geſtarum gloria inclitus, vt Iuſtus Lipſius[c] aſſerere nõ dubitet à Carolo Magno Europam maiorem haud vidiſſe virtute, & fortuna Principem: tamen quantum amans librorum fuerit, præter ea quæ ſuperiùs retulimus, ex hac eius voce intelliges, *Malim* (inquit) *omnium regnorum iacturam facere, quàm minimam doctrinæ.* Non tantopere mirarer hoc Alphonſi dictum, ſi alicuius duntaxat Ithacæ regulus fuiſſet, ſed ſeptem regnorum Regem hoc ſæpiùs dixiſſe, eſt certè mirabile, & literarum ſtudiis in primis glorioſum; fuit Roberti Neapolitani idem affectus, cúmque aliquando dixiſſe ferunt, *chariores ſibi literas regno eſſe.* de hoc argumento iterum libro ſecundo opportuniùs. [c] in mon. & exem. poſ. l. 1. c. 8.

6. Claudat hoc caput res profectò memorabilis, vnde quiuis facilè intelligat Regium eſſe Muſas adſciſcere ſibi in contubernium, atque illis ædem intra regiarum ædium ſepta dedicare. Refert Henricus Somma-

lius noſter quiddam, quod niſi graui teſtimonio niteretur, incredibile videri poſſet. Cùm quidam è noſtra Societate ante annos plus minùs viginti quinque Argirium Mauritaniæ profectus eſſet pretium redemptionis captiuorum laturus, Rex qui aliquando Chriſtianus fuerat, eum in ſuam duxit Bibliothecam varia librorum ſupellectile refertam. Multos hîc illi codices viſendos porrigit, atque in his aureolum libellum Thomæ à Kempis de imitando Chriſto in vulgarem linguam Turcarum conuerſum: adiecit autem pluris ſe vnicum illum facere, quàm reliquos omnes Mahometanorum. Hæc ille transfuga, è cuius animo Mahometana feritas nec ita potuit exculpere amorem literarum, quin in fortuna inſolentiore, & bellorum tumultibus litaret identidem Muſis in ea Bibliotheca, quam ſibi in palatio luculentam extruxerat, imitatus non tantùm Iuliani perfidiam in deſerenda vera religione, ſed & eiuſdem ſtudium in conquirendis libris, qui Georgij Epiſcopi Ariani [a] à Gentilibus necati copioſam Bibliothecam omni diligentia perquiri, & integram ad ſe Antiochiam mitti ſeuerè præcepit, datis ſuper ea re literis. Alterâ ad Ecdicium Ægypti præfectum epiſtolâ [b] indicat quanto librorum ſtudio arſerit. *Quidam* (inquit) *equis, alij auibus, nonnulli feris delectantur: ego verò inde vſque à pueritia librorum cupiditate arſi.*

[a] Ep. ad Porphyrium.

[b] Myſt. l. 4. c. 28. ſect. 4.

7. Non omiſerim quod ſcitè ſcripſit noſter Creſolius, & bellè huic diſputationi conuenit, in cœleſti Prætorio, & Summi Regis aula videri eſſe Bibliothecam cultam, & lucentem, vbi reperitur liber vitæ, de quo frequens mentio in diuinis oraculis, & ex cuius Muſei Adamantinis pluteis nunc promantur illa volumina, quæ arcano myſterio iubet deuorari à Prophetis, & penetrali cordis excipi, nunc codices volantes, nunc volumina purpureo tergo, inauratâ fronte, & ſignata ſigillis ſeptem quædam grandia, in quibus ſcribi poſſit ſtylo hominis. Non eſt igitur res aliena à Regum ſacrariis libraria ſupellex, cui ſuus eſt etiam locus in cœleſti curia diuini numinis. Hoc ſibi adiumentum ad optimam Hiſpanici Imperij adminiſtrationem deeſſe in Regia baſilica non eſt paſſus Philippus IV. Rex Catholicus, Princeps ſicut Vniuerſitatis omnium diſciplinarum admirabiliter capax, ita plurimarum, præſertim regiarum egregiè peritus, ſtudiorúmque fautor optimus maximus; quemadmodum in operis nuncupatione obiter dixi. Sítne nobilis ea Bibliotheca, quam in eodem regio Palatio habet eiuſdem Regis Philippi intimus, excellentiſſimus Gaſpar de Guſman, Comes de Oliuares, Dux de Sanlucar, &c. inde intelliges quòd in tanta commoditate augendi patrimonij ſui vix vllius rei, quàm maioris in dies integritatis ac plurium librorum voluerit eſſe ditior.

Zach. 5. Iſ. 8. 1.

CAPVT III.

Bibliothecæ in thermis extrui ſolitæ.

1. INdignatus ſum, nec immeritò, cùm legi apud Vopiſcum Vlpiam Bibliothecam ex eo templo, vbi illam Traianus extruxerat, tranſlatam fuiſſe

fuiſſe in Collem Viminalem ad ornandas thermas Diocletiani. *Vſus ſum*, inquit Vopiſcus, *præcipuè libris ex Bibliotheca Vlpia, ætate mea thermis Diocletianis.* ex quibus verbis, & ex capite decimo huius libri liquet, aliam aliquando ſedem habuiſſe. Ego verò ſubiratus apud me dixi: Quis ita exauguraui diuinorum ingeniorum opera, vt ea in locum tam prophanum deportauerit? Nónne hoc fecerit portentum ex veteri immanitate, & barbarie Diocletianus, adeò bonarum literarum rudis, & planè ἄμουσος, vt nec à limine Muſas vnquam ſalutauerit, homo obſcuriſſimo loco natus, & quondam libertus Anullij ſenatoris. Quid commercij Bibliothecis cum eo loco, vbi ſolùm datur opera curando corpori, & vngendæ cuti,

Scabor, ſuppellor, deſquamor, pumicor, ornor, Lucil. ſat. 7.
Expilor, pingor.

Quid enim aliud balneum eſt, (dixit Artemidorus) quàm tranſitus ad cœnam? In eo dum bene bibitur, ingeritur, digeritur, egeritur, ructatur, nauſeatur, vomitur, ſudatur, ſtertitur, præclarè eſt, τὰ θερμὰ λεπτὰ δειλὸν ποιεῖ τ' ἄνδρα, thermæ homines efficiunt molles, ſtupidos, plumbeos, languidos, non autem acutos, & eruditos. Poſsúntne in omnium corporis voluptatum imperio mentis exercitationes conſiſtere? Homerus [a] balinea adnumerat inter vitæ voluptariæ delitias; quæ non eſt parens, vel altrix bonarum artium, ſed potiùs ſeræ pœnitentiæ, & ignorantiæ cauſa, iuxta illud Perſij, (Ariſtoph. in nubibus. — [a] Odyſſ. θ.)

Quid craſſos tranſiſſe dies, lucémque paluſtrem,
Et ſibi iam ſeri vitam ingemuere relictam.

Craſſos dies, & paluſtrem lucem, hîc vocat balneorum vmbram, & talium ſedium nequitiæ ac mollitiei. Tempus in aëre craſſo actum, qualis eſt vaporariorum & eiuſmodi locorum, quæ ſol non illuſtrat; δυσπεψία enim illis locis proprium malum eſt. *Venter & aër pinguis ſenſum non generat tenuem.* Sed inter infinitas vociferationes, & inconditos clamores quibus ille thermarum æſtus circumſonat, potéſtne cuiquam mens ita conſtare, vt non auocetur à ſtudio literarum? *Propone tibi omnia vocum genera, quæ in odium poſſunt aures adducere* (inquit Seneca [b] hanc balneorum iactationem & ſtrepitum deſcribens,) *cùm fortiores exercentur, & manus plumbo graues iactant, cùm aut laborant, aut laborantem imitantur; qui quoties retentum ſpiritum remiſerunt, ſibilos & acerbiſſimas reſpirationes edunt. Auditur crepitus illiſæ manus humeris, quæ prout plana peruenit, aut concaua, ita ſonum mutat. Si verò pilicrepus ſuperuenerit, & numerare cœperit pilas, actum eſt. Adiice nunc ſcordalum, & furem deprehenſum, & illum cui ſua vox in balneo placet. Adiice nunc eos qui in piſcinam cum ingenti impulſæ aquæ ſono ſaliunt: præter iſtos, quorum, ſi nihil aliud, rectæ voces ſunt: alipilū cogita tenuem, & ſtridulam vocem, quo ſit notabilior ſubinde exprimentem, nec vnquam tacentem, niſi dum vellit alas, & alium pro ſe clamare cogit. Iam libarij varias exclamationes, & botularium, & cruſtularium, & omnes popinarum inſtitores mercem ſuam quadam & inſignita modulatione vendentes* &c. & poteſt quiſquam in tanto ſtrepitu habere rationem cum Muſis? Eſt ita ſanè, fuerunt ædificatæ Bibliothecæ in thermis etiam ante Diocletianum, & hoc (b Ep. 56. — Vide Turnob. l. 7. c. 4.)

queritur

Senec. de tranq. vitæ. queritur Stoicus: *Apud deſidioſiſſimos videbis*, inquit, *quidquid orationum hiſtoriarúmque eſt, & tecto tenus extructa loculamenta. iam inter balnearia & thermas Bibliotheca quoque, vt neceſſarium domus ornamentum expolitur; ignoſcerem planè ſi è ſtudiorum nimia cupidine oriretur.* Hæc Seneca. Peccatum iſtud venia profectò digniſſimum, ob incenſum erga literas amorem peccaſſe videri poſſint ipſe Seneca, & Plinius ſecundus, ille quidem ſe in ipſis balneis ſtudia literarum coluiſſe aſſeuerat, neque ſibi ad ea ſepoſito neceſſarium fuiſſe ſilentium. *Ego*, ait, *iſtum fremitum non magis curo, quàm fluctum, aut deiectum aquæ, quamuis audiam cuidam genti hunc vnam fuiſſe cauſam vrbem ſuam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre non potuit: magis mihi vox auocare videtur, quā crepitus. illa enim animū abducit, hæc tantùm aures implet, ac verberat*, &c. *Sed iam me ad hæc omnia duraui: animum enim cogo ſibi intentum eſſe, nec auocari ad externa, omnia licèt foris reſonent, dum intus nihil tumultus ſit, dum inter ſe non rixentur cupiditas & timor, dum auaritia, luxuriáque non diſſideant, nec altera alteram vexet.* Sic ille

[a] Ep. ad Marcum. de ſe. De Plinio ſeniore ita iunior [a], *In ſeceſſu ſolùm balinei, (de interioribus loquor) tempus ſtudiis eximebatur: nam dum diſtringitur tergitúrque, audiebat aliquid, aut dictabat.* Vbi animaduertendum eſt Plinium haud vſum fuiſſe publicis balineis, ſed interioribus, & domeſticis procul à populi circumſtrepentis clamore. Porrò nec ibi etiam dicitur Bibliothecam habuiſſe, ſed audiuiſſe duntaxat, aut legiſſe aliquid: quod certè in homine adeò occupato, vt Imperium Romanum mente gereret, vt procuraret, non modò indulgendum eſt, ſed etiam valde laudandum.

2. Cæterùm da mihi Senecas, da mihi Plinios, vel eorum ſimiles, & ego illis fortè conceſſero conſtruere Bibliothecas in thermis. At quotus quiſque eſt iſtorum, in quorum fide, & ſinu Principes conquieſcunt, atque ſibi adiutores adhibent ad totius reip. gubernationem, qui tanta auiditate ſtudia literarum appetat? quotuſquiſque qui poſſit ita moderari ſuis cogitationibus, vt eas cùm voluerit, & vbi voluerit in concilium aduocet, támque obedientes ſuæ efficiat voluntati, vt non euagentur temerè, & præcurrant quæcumque tandem vox aut ſonus aures impleuerit. Quapropter faceſſant iſtæ Bibliothecæ in thermis, hoc eſt, in voluptatum omnium diuerſoriis extructiones. Quæratur alius locus ædificandæ virginum Muſarum ædi. De numinibus eo loci coli ſolitis

[b] l. 4. de balineis in Epigram. Græc. hæc Democharis [b],

Κύπρις, Ἔρως, Χάριτες, Νύμφαι, Διόνυσος, Ἀπόλλων,
Ὤμοσαν ἀλλήλοις ἐνθάδε ναιετάειν.

Cypris, Amor, Charites, Nymphæ, Dionyſus, Apollo,
Iurati ſedes hîc poſuere ſuas.

Ego hunc Apollinem thermarum inquilinum, non puto eſſe Muſarum præſidem, ſed malè feriatum aliquem cynædum, qui fraudes Cyprias & cupidineas faces, Bacchi pocula, Charitum ac Nympharum mollitiem teſtudine canat. Neque enim eos eáſque, caſtos & ſobrios eſſe reor, quibus ſit cum bipedum omnium corruptiſſimis ſocietas: Baianas Charites, & Nymphas non excipio; imò & de illis dictum volo quod de

[c] l. 1. Epigr. Lucrina cecinit Martialis [c],

Qui

Quæ dum Baianis ſæpe fouetur aquis,
Incidit in flammas, iuuenémque ſecuta, relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.

Illuc enim non tam putes confluere homines, quàm vitia, non tam ſordes illuc afferri corporum, quàm animorum; illæ quidem deponuntur, hæ ſuſcipiuntur, & creſcunt, vulgantúrque velut contage capitaliores omni corporis morbo vitiorum peſtes. Dices, igitur damnanda antiquitas quæ Gymnaſia, ſcholas, & Philoſophorum exhedras in balneis eſſe voluit. In promptu eſt quod tibi reſpondeam; eiuſmodi quæ à Græcis vocantur γυμνάσια, non eſſe loca in thermis deſtinata animorum exercitationi, ſed corporum: atque hanc eſſe germanam notionem illius vocis, vt ſignificet labores vehementiores, quibus natiuus calor augeſcit, fitque corpus robuſtius. Sic Plutarchus accipit [a]. Idem de Baianis ſcholis dictum eſto. Nam omnis ſodalitas, etiam in re militari, *ſchola* dicitur; vnde & milites quidam in caſtrenſi ordine *ſcholarum capita* nuncupantur: vt Romæ fuerunt ſcholæ Quæſtorum, & Capulatorum, hoc eſt, eorum qui Capulis, ſeu vaſis oleariis oleum depluebant. Erant itaque, non inficior, erant in thermis Gymnaſia, & ſcholæ, ſed ſaltatorum, Palæſtritarum Aliptarum, id eſt, hominum diobolariorum; ingenuarum verò diſciplinarum fuerant prorſus nullæ.

[a] in quæſtionib. Romanis, & Plin. ep. 17. l. 2.

Porrò quod Vitruuius ſic præcepit agens de balneis. *Conſtruantur in tribus porticibus exhedræ ſpatioſa habentes ſedes in quibus Philoſophi, Rhetores, reliquique, qui ſtudiis delectantur, diſputare poſſint.* id nequaquam intelligendum aio de ſeriis diſputationibus & ſtudiis, ſed de otioſorum hominum conuenticulis & conſeſſibus ad fallendum tempus, & narrandas eruditas nugas, in quibus locis ſedeant, dum recentes ſunt è balineo, vel dum apparatur paulo pòſt ingreſſuris; ac interea de literis inter ſe colloquantur iſti viri docti qui gloriari ſolent, ſe nunquam minus eſſe otioſos, quàm cùm otioſi ſunt: vel profectò, ſi arctè tenes, & accuratè defendis, fuiſſe hæc loca ſeriò ſtudentium ac diſputantium exhedras, vel ſtationes: ego puto eas haud celebrari ſolitas, niſi à Poëtis quibuſdam mendiculis, ab Rhetoribus frigore enectis, atque Iro pauperibus Philoſophis, qui hyeme cùm domi deeſſet focus, captarent calidiora hæc tabulata, vbi 3.

——languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem voluunt hypocauſta vaporem.

Stat. ſylu. 1. in Baln. Etruſci.

Vnde natum prouerbium, *de balneo, & fumo conducendo cogitare*; & Iuuenalis,

——Cùm iam celebres notique Poëtæ
Balneolum Gabiis Romæ conducere furnos
Tentarent.

Iuuen.

Rurſus inquies, ſi oſtendero non defuiſſe balneum in Academia, vel, ſi mauis, Academiam in balneo, nec id à quoquam reprehenſum, erítne quod tam acriter inuecharis in Baianas Bibliothecas? 4.

F Rem

[a] in vita S. Baſilij.

Rem ita prorſus habuiſſe accipe ex D. Gregorio Nazianzeno [a], qui recèns Athenas ſtudiorum causâ venerat, excipiebatur hoſpitio ab iis qui priores eum occupaſſent; deinde ab aliis ſolenniter & velut ſupplicantium pompa binis pulchro ordine incedentibus deducebatur in balneum Academiæ: cùm propiùs acceſſiſſent, tum periclitaturi fiduciam adoleſcentis, inconditis clamoribus, fragore horribili pulſabant fores, quibus apertis introductum Candidatum in ſuorum numerum adſciebant, tradito pallio ſophiſtico, quod ante ludicræ huius inaugurationis ritum & tentationem, & niſi de ſophiſtarum ſententia, geſtare nemini licuit. Quibus experimentis conſtanter perfunctus honorarium inſigne ſuæ profeſſionis accipiebat ab ſcholarum Antiſtitibus poſtquam lauiſſet in balneo. qui mos etiam D. Baſilij ætate adhuc perſeuerabat, habétque aſſertores Photium in excerptis, Theodorum Prodromum in tetraſtichis, Eunapium in Proæreſio, ac Olympiodorum, qui iſtos appellat τὺς διατριβῶν πρεσβύτας, *Adoleſcentes ſcholaſticos*. Iam tu audes auctores iſtos excipere, & florentiſſimam Academiam atque optimos morum, & ingeniorum formatores Magiſtros notare, qui balneum eſſe in Academia ſuſtinuerint? Eruditè omnino hæc mihi obiicis: non eſt tamen difficile eripere tibi hoc præſidium quo tu tibi videris tueri antiquum morem extruendi balnei in Academiis. Ego hac in parte tuæ ſententiæ accedo. fuit quidem balneum in Academia, ſed Academia non fuit in balneis, aut thermis: hoc eſt, habuit Academia priuatum aliquod balneum, in quo lauabant Auditores Academici, vel ſanitatis, vel abſtergendarum ſordium causâ, quoniam tunc temporis vſus lini erat rarior: ídque fieri conſueuerat eo diei tempore, moderatione & loco, vnde nihil officiebatur ſtudiis. In balneis verò, ſeu in thermis publicis, quo fiebat concurſus omnium ordinum promiſcuè & ſexus, &, quod inde ſequitur, vitiorum; nunquam à quoquam ſanæ mentis conſtituta ſunt literarum Gymnaſia, víxque adibant viri probi eiuſmodi loca niſi neceſſitate compulſi, quòd nimirum balineo domeſtico carerent; nec ibi morabantur diutius quàm pateretur ratio valetudinis, vel munditiæ. Itaque mihi iam tecum conuenit, Athenis literarum Gymnaſium habuiſſe ſuum balneum, non tamen balnea: id enim eſt inter vtrumque diſcriminis apud peritos Grammaticos, quòd balneum priuatum, ac domeſticum locum lauationi opportunum ſignificet balnea publica. In publicis erant tria veluti cœnacula, ſeu regiones. in ſuprema erat ea pars quæ Laconica vocabatur; in media *therma*, ſeu aquæ calidæ; in ima frigidæ: duæ primæ vix erant in balneis priuatis, contrà nunquam deerant in publicis; ex quibus tamen plus erat bonis moribus & virtuti periculi, quia plus erat mollitiæ & delitiarum, quàm in tertia; frigiditate enim duratur corpus, calore ſoluitur. Addo & hoc, & te ipſum arbitrum adigo. Quis vel docere, vel docenti operam dare, vel priuato ſtudio in libros incumbere, vel apud ſe habitare poſſit in illa hominum colluuie, quæ (vti ſuprà diximus)

Apud Buleng. l. de laudis vet. c. 32.

diximus) ſolet totos dies noctéſque ludere , perbacchari , rixari, vociferari in thermis ? Enimuero bene morati prodirent adoleſcentes ex hac nequitiæ vicinitate. Quantæ dementiæ foret iuuenilem indolem , & teneram virtutem explorare hoc experimento? Quotus enim quiſque inter adoleſcentes reperietur , qui tunc voluptatibus ſolus abſtineat , cùm in illas omnis turba procumbit; qui ad blanda & in luxuriam trahentia nec it , nec abducitur. Palmare eſt illud Horatij ad dirimendam hanc controuerſiam , docentis ita fuiſſe perſuaſum veteribus loca celebria vario hominum concurſu haud eſſe opportuna ſtudio literarum , & ingenij exercitationibus , vt bona pars eorum , qui videri volebant Poëtæ, odiſſet frequentiam , ac præſertim thermas,

——*ſecreta petit loca*, (inquit) *balnea vitat.* Horat. de art. poët.

Ex quibus rectè concludere mihi videor ſolam Diocletiani , & ſciolorum locupletum luxuriam Bibliothecas in thermis conſtruxiſſe.

CAPVT IV.

Bibliothecæ in villis , & ſuburbanis extrui ſolitæ.

LOngè conuenientius , & ſine vllo Muſarum dedecore extruuntur Bibliothecæ in villis , quàm in balneis publicis ; nam ſuburbana eiuſmodi loca & latifundiorum laxitatem procul ab vrbium ſeptis ſibi delegêre viri ſapientes , vt liberiùs ſe traderent ſtudio literarum , ibíque animum ſuum vnà cum librorum ſupellectile explicarent. *Magna & ſpatioſa res eſt ſapientia*, (ait Seneca) *vacuo illi loco opus eſt*; *de diuinis humaniſque dicendum , de præteritis , de futuris , de caducis , de æternis , de tempore. quamcumque partem rerum humanarum diuinarúmque comprehenderis , ingenti copia quærendorum ac diſcendorum fatigaberis. hæc tam multa , & tam magna , vt habere poſſint hoſpitium , ſuperuacua ex animo tollenda ſunt. luxum ſpatium res magna deſiderat : expellantur omnia , totum pectus illi vacet.* Quæ capacitas animi vacui & ſoluti , cùm vix haberi poſſit in vrbibus, vbi turba occupationum continuò intus perſtrepit , vbi non tua tantùm , ſed & aliena tibi negotium faceſſunt negotia. Ideo conſultum putauerunt quotquot fuerunt animi libertatis , & literarum ſtudioſi , ſecedere identidem ab hominum frequentia,& negotiorum tumultibus,vetus illud ſibi dictum arbitrantes, *Vindica te tibi*, &, 1.

Rure tibi viuas,reliquis dum vixeris vrbi.

vt generoſas feras cauea domat & frangit , ſic altas mentes *vrbicus carcer.* Apertus & liber circus equos ad curſum prouocat , ſic animum ad ſtudia aura liberior : ſyluam illam viridem videt ? hîc carmen auet, aut hymnum Deo pangere ; illam horti purpuram? hîc cum libellis ſuis

decumbere. Aquæ illud murmur,ad eam altiori cogitatione abiici : & nocte ipſa, aut ſub eam pictum illud paténſque cœlum eum capiet, & inter tot ſtellas errantes, aut inerrantes à curis terríſque erro mente ſcandet ſuper illas.

Lipſ. miſcel. 1.ep 3.

2. Habet hoc inſuper villarum commoditas ad ſtudia literarum peropportunum, vt in cœlo puriore animus cum corpore fiat robuſtior. Quod ſibi contigiſſe narrat Stoicus his verbis, *In Nomentanum meum* (hoc eſt,in villam) *fugi Quid putas, vrbem? imò febrem, & quidem iam ſurrepentem, iam manum iniecerat, illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui cùm in Achaia febrem habere cœpiſſet, protinus nauem aſcendit, clamitans non corporis eſſe, ſed loci morbum, vt primùm grauitatem vrbis exceſſi, & illum nidorem culinarum fumantium, quæ mota quidquid peſtiferi vaporis obruerant cum puluere effundunt; protinus mutatam valetudinem ſenſi. Quantum deinde adiectum putas viribus cum vineas attigi. in paſcuum emiſſus, cibum meum, id eſt, ſtudia literarum inuaſi. Repetiui ergo iam me, non permanſit ille marcor corporis dubij, & malè cogitantis: incipio toto animo ſtudere.* De Claudio Cæſare Suetonius [a]. *Tum demum abiectâ ſpe dignitatis in otium conceſſit, modò in hortis, & ſuburbano, modò in campaniæ ſeceſſu deliteſcens.* Aſconius de Pompeio [b]; *plerumque non domi ſuæ, ſed in hortis manebat.* Cicero [c] de horti emptione cogitare ſe ſcribit, vt ne Romæ in turba ſit, & ne vrbe abſit (erant enim iuxta vrbem Romanorum horti, & qui in illis erant, abeſſe cum incontinentibus vrbis eſſent, non videbantur. Cæterùm quæ in talibus hortis ponebantur ædificia erant voluptaria vtplurimum, & amœnitatis gratiâ extructa, in quæ ſui colligendi causâ Romani ſecedebant, *Diætæ* vocabantur, vel *Zetæ*.

Sen. ep.104.

[a] de Claudio cap 5.
[b] in Miloniana.
[c] l.12.ad Att. iuxta l. nam quod §. vlt. D. de penu leg. vbi dicitur, & ſi in hortis vrbi iunctis. l.abſentem. D.de verb. ſignif l.præſens. de procurat.

Sic etiam Hebræis fuerunt quædam loca remota à turbis, & hominum aſpectu, in quæ ſe interdum recipiebant, ſibi & ſtudiis operam daturi: talem fuiſſe Naioth in agro vrbis Rhamata ſuſpicatur Caietanus, quem Chaldæus interpretatur *domum doctrinæ*, vbi

3. Samuel ab aulæ ſtrepitu ſemotus inſtituebat myſtas ſuos ad omne officij genus, & intelligentiam diuinæ legis. Hebræi apud Lyranum explicant illud Geneſis [d], *Iacob habitabat in Tabernaculis*, de Gymnaſiis literariis, vbi diuina myſteria, & oracula edocebantur à duobus Magiſtris Melchiſedech, & Heber procul ab vrbano tumultu. Eſt ſanè locus ſolitarius tam aptus ad diſcendam ſapientiam, vt licèt Ægyptiæ Academiæ eſſent excultiſſimæ omni genere diſciplinarum, tamen Deus ſolitariam ſcholam elegerit, vt Synagogam erudiret, iuxta illud [e], *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Nec aſſeuerare dubitat D.Bernardus [f] multo vberiorem doctrinam ex ſolitaria palæſtra, quàm ex ampliſſima Bibliotheca deriuari. *Experto crede*, inquit, *aliquid amplius reperies in ſyluis, quàm in libris. An non putas te poſſe ſugere mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo.* Moſem in Sinaitana ſolitudine accepiſſe θείαν μυσταγωγίαν, ait Gregorius Nyſſ. [g] Notum eſt carmen Horatij,

Briſſ c. 3 de ſelect. ex iure ciu. antiq. c.3.
Lamprid. in Heliog. & in vita Baſil. magni.
[d] Gen.25.n. 27
[e] Oſ.2 v.14.
[f] ep.106.
[g] in vita eiuſdé Moſis.

Scriptorum

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes;
ipſas etiam Athenas, licèt videri poſſent quietiſſimæ, & (quemadmodum poſtea ait) otioſiſſimæ.

Id de ſe teſtatum voluit M.Varro [a], qui vbi Auiarium ſuum verbis, 4.
vt ſolet, elegantiſſimis deſcripſit, directum eſſe ait fluuium ab Inſula ad Muſeum ſuum (hic Græco more appellat Muſeum locum Muſis & ſtudiis conſecratum;) qua etiã voce iunior Plinius [b] Alexandrinam Bibliothecam nominat. Tullius [c] grauiter in Antonium inuehitur quòd Caſſinatem illum Varronis fundum nullo iure occupauerit. Placet huc afferre paucula eius verba, vnde quiuis facilè intelligat cuius rei gratia ſe viri docti abdere conſueuerant in villas. ſic habet. *Aduolas in M.Varronis ſanctiſſimi, atque integerrimi fundum Caſſinatem, quo iure*, &c. *At quàm multos dies in illa villa es turpiſſimè perbacchatus? O tecta ipſa miſera, quàm diſpari domino ſtudiorum ſuorum M.Varro voluit eſſe illud non libidinum diuerſorium. Quæ in illa villa antè dicebantur, quæ cogitabantur, quæ literis mandabantur, iura Populi Romani, monumenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omniſque doctrinæ. At verò te inquilino, non enim domino, perſonabant omnia vocibus ebriorum*, &c. Haud modeſtiùs Antonio, nec temperantiùs, licèt ſæpe occultiùs, ſe geſſerunt nonnulli in agris ſuburbanis: fuerunt enim qui voluptariis ſeceſſibus, vel certè ignauiter otioſis ſpecioſum nomen Philoſophiæ inſcriberent.

[a] lib 3 de re ruſt.c.5.
[b] Ep ad Fundanum lib.1.
[c] 2.Philipp.

Verùm ad rem noſtram: Martialis [d] ſatis innuit priſcum morem ex- 5.
truendarum Bibliothecarum in villis, dedicans ſuburbanæ Bibliothecæ Iulij ſui cognominis & amici autographum quoddam, his verſibus,

Ruris Bibliotheca delicati
Vicinam videt, vnde lector Vrbem,
Inter carmina ſanctiora ſi quis,
Laſciuæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inferas vel imo,
Septem quos tibi miſimus libellos
Auctoris calamo ſui notatas, &c.

[d] epig. 16. lib.7.

Plinius iunior ait *in Laurentino ſuo* (nomen eſt villæ) ſibi eſſe cubiculum in apſida curuatum, quod ſolis ambitum feneſtris ſequitur, ac parieti eius in Bibliothecæ ſpeciem armarium inſertum eſſe, quod non legendos libros, ſed lectitandos capit: eius prædij gratiam ac ædificij opportunitatem poſtquam eximiè deſcripſit, ita Gallum amicum ſuum affatur [e]. *Iuſtiſne de cauſis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere ſeceſſum? quin tu nimis vrbanus es niſi concupiſcis, atque vtinam concupiſcas, vt tot tantiſque dotibus villulæ noſtræ maxima commendatio ex tuo contubernio accedat.* Suas eo in loco occupationes has omnes numerat [f]; *lego aliquid, aut ſcribo, aut etiã corpori meo vaco, cuius fulturis animus ſuſtinetur. Nihil audio quod audiſſe, nihil video quod vidiſſe pœniteat: nemo me apud quemquam ſiniſtris rumoribus carpit; neminem ipſe reprehendo niſi vnum me, quum parum commodè ſcribo, nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis nemoribus inquietor: mecum tantùm, & cum libellis loquor.* Addit Ioannes Cataneus in eius vita, eumdem & Romæ Nouocomi in municipio ſuo Bibliothecam dedicaſſe,

[e] Ep. 18.l.2.
[f] Ep.9.l.1.

& annuos ſumptus in alimenta ingeniorum erogaſſe, tertiámque ſalarij partem publico præceptori obtuliſſe. Eundem poſtea locum Paulus Iouius Epiſcopus Nucerinus Bibliothecâ nouâ illuſtrauit, & clariſſimorum virorum imaginibus. Huius ingenuæ ruſticitatis deſiderio incenſus Ouidius, ac amore vrbis, & vrbanitatis depoſito, ſic exclamat,

O rus, quando ego te aſpiciam, quando licebit
Nunc veterum libris, nunc ſomno & inertibus horis,
Ducere ſollicitæ iucunda obliuia vitæ?

Midendorpius l.1. c.1. Eſſæos Iudæos Academias ſuas ad ingeniorum & morum inſtitutionem habuiſſe iuxta lacum Aſphaltitem hortóſque balſami, & palmarum perhibent. Eóque reſpexerunt qui virgines Muſas in Helicone, & Parnaſſo habitare commenti ſunt.

6. Alia cauſa ſecedendi ſtudioſis hominibus eſſe poſſit illa, ob quam olim Prophetæ ſecedebant à populo (inquit Cornelius [a]) non ſolùm orationis, & ſanctitatis; ſed etiam auctoritatis causâ. Nam, (vt ait Tacitus) *Maior eſt rebus ex longinquo honor*; & ſicut pictura ſi procul aſpiciatur, delectat magis, ſi contrectetur propiùs, vileſcit; ita ex ſeceſſu doctis euenire, ſicut & hominibus ſanctis, ſolet; maior oritur apud omnes reuerẽtia, cùm ſæpe minuat præſentia famam. Hinc Orpheus, Zoroaſtes, multíque alij ſolitudinem incoluerunt, tum vt cœlum ac cœleſtia faciliùs contemplarentur, tum vt ſuis dictis ſcriptíſque maiorem autoritatem facerent, ac de ipſis vſurpari poſſet illud quod de Tireſia canit Homerus, & ex eo Plato [b],

a in arg. in duodecim Prophetas.

Hic ſolus ſapit, aſt illi volitant velut vmbræ.

b in Menone.

Huc ſpectant quæ habet Cicero [c]. *In Tuſculano cùm eſſem*, inquit, *vellémque in Bibliotheca pueri Luculli quibuſdam libris vti, veni in eius villam, vt eos ipſe, vt ſolebam, inde promerem. Quò cùm veniſſem, Marcum Catonem, quem ibi eſſe neſcieram, vidi in Bibliotheca ſedentem multis circumfuſum Stoicorum libris: erat enim in eo inexhauſta auiditas legendi, nec ſatiari poterat*, &c. Huc item Plinius [d] loquens de Ciceronis villa ad Auernum lacum, Puteolos tendentibus, impoſita littori, celebrata porticu & nemore, quam & vocabat Tullius *Academiam*, exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus eiuſdem nominis. huius in parte prima exiguo poſt obitum ipſius tempore Antiſtio vetere poſſidente eruperunt fontes calidi perquam oculis ſalutares, celebrati epigrammate laureæ, conditione quidem Ciceronis liberti, at certè ingenio & animo planè ingenui & liberalis. quod carmen ego hîc adſcribam, quia & re ipſa bonum eſt, & dignum quod vbique, & non tantùm ibi, legatur, vt monet Plinius.

c de fin.

d l.13. c.1.

Quo tua Romanæ vindex clariſſime linguæ
Sylua loco meliùs ſurgere iuſſa viret.
Atque Academiæ celebratam numine villam,
Nunc reparat cultum ſub potiore vetus.
Hinc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore lauant.

Nimirum

Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Se quoque habuiſſe in Tuſculano Bibliothecam ſatis indicat ipſe Tullius ad Atticum[a] ita ſcribens, *Tu velim ſi qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci ſint eius, quem tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tuſculano ita delectamur, vt nobis ipſis tum denique cùm illò venimus, placeamus.* Tum paulo pòſt, *Velim cogites id quod mihi pollicitus es, quemadmodum Bibliothecam nobis conficere poſſis, omnem ſpem delectationis noſtræ, quam cùm in otium venerimus* (hoc eſt, in Tuſculanum*) *habere volumus in tua humanitate poſitam.* 7.

[a] l. 1. ep. 5.

*Sic eam appellat Mariana.

Colophon ſit huic capiti villa Schorialis *, aut poſtremũ orbis miraculum, cui ex voto à ſancto Laurentio nomẽ eſt; Catholicorum Regum ſeceſſus certo anni tempore digniſſimus; viginti quatuor annorum labor, ac præter variam ſupellectilem, veſtem pretioſam, vaſa auro & argento grauia, plena artis, plena ingenij ſupra millies ducenties ſeſtertiûm, id eſt, trium aurei millionum impenſa, vt fama fert, veris temperie, ſitus amœnitate, aquarum perennitate, fontium ſtructura, pabuli vbertate, camporum immenſitate, cæduis ſyluis, incæduis ſaltibus, viridicatis ambulationibus, lenis auræ, ex vicinis montibus perpetua niue rigentibus flatu ſuauiſſimo, etiam in medio æſtu interiorem prouinciam torrente; pomariorum amplitudine, hortorum deſcriptionibus, odoratarum herbarum, & florum inſatiabili varietate, templi maieſtate, ſtupenda habitationis mole, laxitate & artificio, marmorum diuerſitate, gemmarum copia, artis conſummatæ ſimulacris, tabularum elegantia, Mauſolæorum magnificentia, vermiculatis pauimentis, religioſi inſtrumenti apparatu, ſubſelliis Monachorum diuinas laudes alternantium ex lignis toto orbe exquiſitiſſimis, Cœlitum ſacris exuuiis religioſiſſimè iuxtà ac ſumptuoſiſſimè conditis, denique artis, naturæ, temporis, pietatis, regiarum opum abſolutiſſimum opus, delitioſum, ſuſpiciendum, venerandum. Cui ne vlla pars ſiue magnificentiæ, ſiue commoditatis, ſiue ingenuæ animorum oblectationis deeſſet; impoſita eſt veſtibulo Bibliotheca maiori longitudine omnino pedum centum octoginta quinque, lata pedes triginta duos: libros ſeruat præſertim Græcos manuſcriptos præcipuæ pleroſque vetuſtatis, qui ex omnibus Europæ partibus, ad famam noui operis magno numero confluxerunt: Bibliothecæ parietes pictura elegans exornat, artes ingenuas artificioſiſſimè exprimens, cum antiquis comparanda. Mariana noſter de hac Bibliotheca loquens, illam potius patere vrbi, quàm ruri eſſe deſiderat, vt eius adeundæ pluribus eruditis facultas maior ſit. Ego, quod ad me attinet, puto hoc eſſe incommodum omnium Bibliothecarum quæ ſunt extra vrbes, quòd nimirum earum vſus, & vtilitas ad pauciores perueniat. Ad vrbanas Bibliothecas redeo. 8.

*Tota impẽſa eſt circiter ſex millionũ auri ex ſupputatione Fr. Ioſephi de Siguenca Monachi Hieronymiani, & Regiæ Bibliothecæ Præfecti, qui rem hanc acuratiſſimè tractauit.

CAPVT

Caput V.

Vrbanæ Bibliothecæ in qua ædium parte extruendæ.

1. Sen.ep.62. NÆ tu ipſe mentiri mihi videris Seneca,cùm mentiri eos dicis, qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt. Sunt enim multi qui nec ſimulant occupationes, nec augent; nec ipſi ſe occupant, nec conſectantur perdendi temporis cauſas, ſed quos neceſſe omnino eſt ad diuinam gloriam, & publicum communitatis, vel priuatum alicuius bonum rebus gerendis non tantùm ſe commodare, vt tute facere dicis,ſed ſe tradere; quas cùm tractant feriò, vt par eſt, fatentur vix ſe poſſe quidquam aliud animo verſare. Nec in te iactabunda pœcile, & auſtera tua Philoſophia efficiet, vt vel iſti mentiantur, vel tu verum dixeris:ſunt ex literatis hominibus non pauci, quos ſuæ virtutes,ſuum iudicium,ſua dexteritas,ſuæ clientelæ,& domeſticæ rationes,ſua ſacerdotia,ita dedicarunt vrbi, vt eos ſibi ipſis eripuerint, víxque animi relaxandi causâ rus ire queant ad perexiguum tempus, multo etiam minùs abdere ſe in diuturniorem ſolitudinem. Quid facias? *Sic viuitur,ſua cuique catena eſt,aliis ſacra, aliis aurea,aliis ferrea*:non cuiuis licet eſſe libero & ſui iuris.Proinde omnibus ſtudioſis id conſilij dederim,vt in vrbe intra ſuarum ædium ſepta ſacrarium aliquod ſibi ædificent, vbi feriati à cæteris negotiis, quotidie ſtato tempore (quantum patietur ratio vitæ & officij) faciant Muſis. Licèt enim hoc præſtet prædij ſuburbani altum ſilentium, & loci haud circumſcripti amplitudo, vt mens liberior ſit; tamen etiam intra vrbium clauſtra, atque in priuato,& anguſto lare habet vbi ſe explicet magnus animus.
Sen.de trāq. Nec vt leonum animaliúmque, ſic animorum impetus caueis coercetur.*Exigua ſæpe area arte deſcribentis in multos vſus patuit, & quamuis anguſtum pedem, diſpoſitio facit habitabilem.*

2. Itaque ſuis erit ſtudiis opportunè locus in vrbibus ſi ædificando Muſeo locum in noſtris ædibus ex Architecturæ præceptis capiemus opportunum. Igitur Bibliotheca in ea domus parte quæ remotior erit
a eleg.1.lib.1.triſt. ab vr̂bano & domeſtico ſtrepitu conſtruitor,iuxta illud Ouidij[a],

Carmina ſeceſſum ſcribentis,& otia quærunt.

Hinc factum eſt,teſteQuintiliano,vt Romani ad Stylum ſecederēt,atque intra ſua cubicula in lectis ſe continerent; imò & penulis ſe abuoluerent,ſícque eſſent his incluſi. Suetonius de Othone ſic, *Excluſus inter cæteros ab inſidiatoribus Caij, cùm quaſi ſecretum deſiderante turbam ſummouerent,in Diatam,cui nomen eſt Hermeum,receſſerat.*Idem eodem capite :*ſecreto captato codicillos exarauit ad ſororem conſolatorios.*At nihil tritius illo verſu Perſij[b],

Caſaub. in Suet. Suet. in Oth.c.10.

b Sat.1.

Scribimus incluſi numeros ille,hic pede liber:

Nihil magis decantatum in rhetorum ſcholis hoc monito Quintiliani, *ſecretum quærunt ſtudia.* Eadémque videtur eſſe hominis ſtudioſi laus, quæ bonarum matrumfamilias τὸ οἰκουρικὸν ϗ φιλέξοδον; eſt enim valde difficile commentari aliquid attento ſtudio inter ſerræ ſtridores

ſtridores dum acuitur, inter nundinarum æſtus, iuxta Cyclopum officinas, dies noctéſque incudem tundentium, prope mendiculorum centurias ſtipem lamentabili nænia rogantium; inter penulatorum iurgia in pontibus & triuiis conductorem expectantium; prope circulatorum præſtigias, & Attellanicas fabulas ſelectos homines in foris publicis otiosè diſtringentium; inter mulierculatum circulos, infantium vagitus, domeſtici ſeruitij itus reditúſque & confabulationes. Quàm Gell.c.7.l.3.
ſit difficile in iſtiuſmodi locorum importunitate verſanti defigere animum ſuum in vna ſtudiorum cogitatione, ſatis intelligunt illi populi, qui malleatores, opifices, & clamatorias artes ſemouent à Senatorum & Aduocatorum ædibus, ne ſtudentibus, & quietis importuniùs obſtrepant. Certè ille ipſe Demoſthenes, quem ad littus maris declamare ſolitum ferunt, vt fremitum populi aſſueſceret voce vincere, Cic.5.de fin.
nunquam ita imperare animo ſuo potuit, vt in aperto loco meditaretur & ſtuderet. De quo ſic Quintilianus [a]: *ſe in loco ex quo nihil perſpici* a l.10.
poſſet recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. vnde ſic infert, *Ideo lucubrantes ſilentium noctis, & clauſum cubiculum, & lumen vnum velut tectos maximè deceat.* Horatius item ſuam tarditatem excuſans in mittendis ad Iulium Florum carminibus, id cauſæ affert, quòd in vrbe verſetur clamoſa, inquieta; vbi operum redemptores & cæmentarij perpetuò circumſtrepunt torquendis lapidibus, ponderibus trochlea & tympano ſuſtollendis, vbi muliones & geruli perpetuò vociferantur, vel fatiſcentes ſub oneribus acutiùs anhelant, vbi vehicula & funera luctantur in viarum anguſtiis, ac turbas cient, vbi vel canis rabioſa latrat, vel ſus lutulenta grunnit; vbi denique omnia incommodant ſtudentibus, cum ita concludit,

I nunc, & verſus tecum meditare canoros. Horat.
Tu me inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere?

Plinius iunior daturus operam ſtudiis, non ſolùm vitandi ſtrepitus 3.
causâ ſe in villam ſuam, cui nomen *Laurentinum*, vel *Laurens*, recipiebat; ſed in hoc ipſo ruſticano ſeceſſu abſtruſius ſibi quoddam conclaue delegerat. hæc ſunt eius verba: *Iunctum eſt cubiculum noctis, & ſomni; non illud voces ſeruulorum, non maris murmur, non tempeſtatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem ſentit, niſi feneſtris apertis. Tam alti abditique ſecreti illa ratio quod interiacens andron* (apertus ſupernè locus, ſeu carens tecto, intra ædes vndequaque parietibus ſeptus, in quem viri conueniebant, atque ibi ſine interpellationibus mulierum verſabantur, vt mulieres in γυναικῶν) *parietem cubiculi hortique diſtinguit: atque ita omnem ſonum media inanitate conſumit*, &c. *In hanc ego Diætam quum me recipio, abeſſe mihi etiam à villa mea videor, magnámque eius voluptatem, præcipuè Saturnalibus capio, quum reliqua pars tecti licentiâ dierum feſtiſque clamoribus perſonat; nam nec ipſe meorum luſibus, nec illi ſtudijs meis obſtrepunt.* Ep.17.l.2.
ita ſe gerebat interdiu; noctu verò quid ageret, & quam amans eſſet ſilentij Fuſco ſuo ſingillatim in epiſtola exponens hæc ait. *Quæris quemadmodum in Tuſcis dies æſtate diſponam, euigilo cùm libuit, plerumque circa* Ep.36.l.9.

horam primam, ſæpe antè, tardiùs rarò: clauſæ feneſtræ manent: mirè enim ſilentio & tenebris animus paſcitur ab iis quæ auocant abductus & liber, & mihi relictus. non oculos animo, ſed animum oculis ſequor, qui eadem quæ mens vident, quoties non vident alia. Id cauſæ eſt cur Bartolus, & Baldus ambo inſignes Iuriſconſulti dixerint pertinere ad curam Principis remouere ab Gymnaſiis eos artifices, quorum ſtrepitu ſtudia literarum impediuntur,
C. de ſtudiis. ídque vt fiat è bono publico eſſe.

4. At, inquies, ædium mearum ſitus interpellat, quo minùs poſſim alibi Bibliothecam meam ſtatuere, quàm in loco talibus auocationibus mentis obnoxio. Quid me facere iubes? Studia abiiciam? libros deſeram? nam & ego in alienas cogitationes facilè diſtrahor pro varietate rerũ oculos & aures incurſantium. Bono animo ſis: parendum neceſſitati. quod tibi initio intolerabile videbitur, forſan conſuetudine fiet haud ita difficile. *Cogita compeditos primò ægrè ferre onera, & impedimenta crurum; deinde vbi non indignari illa, ſed pati propoſuerunt, illos neceſſitas ferre fortiter docet, conſuetudo facilè.* (Sen. de trãq. vitæ.) Vidimus canes qui ferrarias officinas & fabros magnis ictibus ferrum tundentes fugerent velut necem præſentiſſimam, qui tamen vbi aſſueuere, ſub incude poſtea ſecuri dormiunt. Verùm ne te rideri à me putes, cùm tibi propono canes in exemplum: alterum habeto. Noui familiariter nobilem virum Mathematicum hac ætate inſignem, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Italicæ poëſeos peritiſſimum, Philoſophum in primis celebrem, atque de literaria rep. optimè meritum, cuius libros cùm & ego, & multi alij ſæpe vidiſſemus, in nullis ferè aliis pluteis magnam partem diſpoſitos, quàm in patentis aulæ, atque omnibus domeſticis peruiæ abacis, & miraremur quomodo tam præclara opera moliri & ſcribere poſſet, in mediis vtplurimum tenellæ prolis concurſationibus, garrulitate, luſibus, & reliquæ familiæ collocutionibus, ac neceſſariis officiis; negauit omnino ſe interpellari: ídque mirabiliùs videri debet, quòd magis vox ſtudentes auocet, quàm crepitus; illa enim animum abducit, hæc tantùm aures implet ac verberat; & ſonus qui intermittitur moleſtior eſt, quàm qui continuatur. Denique proderit tibi præceptum Stoici, quod cùm ſit ad quamplurima perutile, eſt tamen in re præſenti longè aptiſſimum. *Cuique aſſueſcendum conditioni ſuæ, quàm minimum de illa querendum, & quidquid habet circa ſe commodi, apprehendendum.*

Capvt VI.

Situs Bibliothecæ, lumina.

1. ÆDificandi prima lex eſto, *Ædificantis ſalus, & commoditas; tum deinde incolumitas earum rerum, quarum vſus ad vitam neceſſarius eſt.* quæ duæ res cum ædificiorum decore ferè conſentire poſſunt, ſi ars acceſſerit: id ſi fieri nequeat, decori commoditatem anteponere ſumma ars putator. Quod quàm verum ſit, vt intelligas, pone tibi ante oculos

ſic

ſic ædificatam domum, vt ad ſolidum, & in ſolido ſint fundamenta; ſumma dignitate veſtibulum, plena maieſtatis atria, tectorium concinnum, diligenter exacta & ingenioſè perfecta pauimenta, cameræ elegantes, tecti & è regione bene collocati columnarum ordines, intercolumnia magnifica, ampliſſima periſtylia, directæ ad lineam omnes porticus, muri ad perpendiculum erecti, & ad normam recte coëuntes, conclauia grato aſpectu: emineant cum pulcherrimis acroteriis faſtigia, nihil lumini proiecturæ, nihil ſuggrundia venuſtati officiant, nulla denique requiri poſſint ornamenta. Nihilominus ſi talis eſt, vt propter aquarum immobilium vicinitatem peſtilens ſit, ob malè perforatos parietes regionem cœli ſpectet æſtate æſtuoſam, hyeme præfrigidam, & ob beſtiarum paluſtrium mixtos cum nebula flatus, venenatam: ſi penariæ cellæ tam malâ ætheris parte poſitæ ſunt, vt quod in iis conditur, non ſeruetur diu, ſed vel iniquo calore exugatur, vel contrariis vaporibus molleſcat, vel inimicis frigoribus contrahatur, vel ob loci vitium citò corrumpatur, quis putet hoc ædificium, licèt ad ſpeciem perelegans, extructum eſſe ex artis præſcriptione, & legibus, quandoquidem peccatum eſt in re præcipua, cùm non eſt prouiſum incolumitati habitantium, nec rei penuriæ ſine vitio conſeruandæ. Vitruu. lib. 1. c. 5.

Idem non rarò peccatur in Bibliothecarum extructionibus, vel delectu eorum conclauium, quæ libris & ſtudiis deſtinantur, quando Muſei ornamento prius conſulitur, quàm commoditati; cuius tamen deſignatio ſi conſideratè fieret, & intelligenter, vix vnquam commoditas à venuſtate, vel venuſtas à commoditate ſeiungeretur. Bellè autem, & ſcienter vt id fiat, tribus proximè ſequentibus capitibus ea quæ ſunt huius loci propria complector. 2.

In primis ratum ſit iſtud Vitruuij[a] monitum, *Bibliothecæ ad Orientem ſpectare debent.* Quid? nimirum eadem erit hac in parte templorum ac Bibliothecarum conditio? De templis quidem ſic Hyginus[b], *Placuit omnem religionem eò conuertere, ex qua parte cœli terra illuminatur.* Item Vitruuius de templis eleganter, *Signum quod in ara eſt collocatum, ſpectet veſpertinam cœli regionem, vt qui adierint ad aram vota ſuſcipientes, contueantur Orientem cœli, vt ſimulacra ipſa videantur exorientia contueri ſupplicantes.* Eamdem ob cauſam Chriſtianorum templa iam ab ipſo exordio Eccleſiæ recepto more Orientem ferè ſpectant, quia vindex noſter Chriſtus Dominus auroræ concolori ſuo ſanguine mortis noſtræ chirographum penitus deleuit, *& viſitauit nos Oriens ex alto.* Et, *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Sed hæc quid ad Bibliothecas, inquies? Reſpondere poſſim, etiam in Bibliothecis videri eſſe aliquid religionis; quippe quæ frequenter in templis extrui conſueuerint, vt dictum eſt: tum quia vbicunque excitatæ ſunt, habuerunt ſimulacrum alicuius numinis præſidis ſui, qua de re poſtea. nihil remoror. Vitruuius ſui illius pronunciati ſtatim hanc cauſam affert. *Vſus enim* (puta Bibliothecarum) *matutinum poſtulat lumen.* Cui dicto affine eſt peruagatum illud, *Aurora Muſis amica.* quo certè nihil verius dici potuit; æquum enim eſt, vt honeſtiſſimæ occupationi matutinas horas, ver diei, & florem temporis conſecremus, 3.

[a] lib. 6. c. 7.
[b] de limitibus.

Luc. 1.
Zachar. 6.
Vide Paulinum ep. ad Seuerum 12. & Sidon. Apoll.

præterquam quòd ſtudentibus eſt perutile, vt cùm vacat animus, & dum à ſomno recens & vegetum eſt ingenium, ſuccum literarum ſaporémque diligenter combibat. Muſarum ſanè contubernio prorſus ſunt indigni, quicumque non ſurgunt priuſquam

Perſ. ſat.3. *———clarum manè feneſtras*
Intret, & anguſtas extendat lumine rimas;

quotquot vix vnquam conſpexerunt qualis ſit in ſuo exortu Solis color; nec ægrè ferunt antelucanis opificum operibus ſuam ignauiam occupari.

4. Demoſthenem plus olei conſumpſiſſe quàm vini, & omnes opifices nocturnis ſemper vigiliis præcurriſſe tradit Hieronymus. hæc cauſa eſt cur gallus gallinaceus Mercurio eruditionis præſidi ſacer ſit; quia excitandis in opera mortalibus, rumpendò ſomno natura eum genuit, ne Solis ortum incautis pateretur obrepere. Gallo canente deuotus effectu exilit ad precandum, legendi quoque munus inſtaurat, inquit D. Ambroſius [a], cuius dicti cauſam habes apud D. Greg. Naz [b] quia tunc mens princeps noſtri pars non confunditur *μοχθηροῖς τύποις*, improbis vagíſque ſimulacris. Quemadmodum in amphora primùm, quod eſt ſinceriſſimum, effluit, grauiſſimum quodque turbidúmque ſubſidit; ſic in ætate noſtra (dicamus etiam in die) quod optimum, primum eſt. Apud Romanos ludi literarum aperiebantur prima luce. Iuuenalis [c],

[Plin. lib.10. c.21.] [a 15 hex. c.14.] [b orat.13.] [Sen. ep.108.]

[c] Sat. 7. *Dummodo non pereat mediæ quod noctis ab hora*
Sediſti.

Si quis cum ipſo (vt ita dicam) die ſurgat, officioſior meliórque, quàm ſi quis illum expectat, vt luce prima exeat: turpis qui alto ſole ſemiſomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum eſt: extendamus vitam noſtram, huius officium & argumentum actus eſt, circumſcribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. Attilio Butæ Prætorio poſt patrimonium ingens conſumptum paupertatem confitenti Tiberius dixit, *ſerò experrectus es.* Dies publicus relinquatur; proprium nobis & peculiare manè fiat. hæc ferè Seneca. Ideo attentis ac ſedulis literarum cultoribus placuit ſemper ea culcitra, quæ reſiſteret corpori, & in qua poſtquam ſurrexiſſent, non apparet veſtigium; ne mollior cubitus ſomnum produceret, atque vnà cum corpore ſtudiorum feruor conſopitus langueret. Equidem ita eſt, ſomnus vt venter præcepta non audit, vterque poſcit, appellat; non eſt tamen malus creditor, paruo dimittitur, ſi modò das illi quod debes, non quod potes. *Modicum ſomnum natura deſiderat, ignauia immenſum*; & querimur vitam noſtram breuiſſimis ſpatiis circumſcribi, nóſque in ipſo vitæ apparatu vita deſtitui? iniquæ ſunt in naturam parentem optimam iſtæ expoſtulationes: haudquaquam exigua eſt vita noſtra, quæ ad rerum maximarum conſummationem largè data eſt, ſi eam bene collocamus, ſed ſomniculoſa noſtra incuria & torpor eius ferè dimidium tanquam iniquior publicanus aufert. hinc fit vita noſtra longè contractior, viuentéſque morimur; ob quæ meritò Mneſimachus Comicus ſomnum appellare conſueuerat *μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια.* imò frequenter molle

[Plin. lib.10. c.21.] [Sen. ep.21.]

&

& iners ſtratum, non iam dormientis, (quod faciliùs excuſauerim) ſed vigilantis videntiſque ſepulcrum eſt. Præclarè ex ſuis legibus vixit Plato, apertis oculis è Bibliotheca auroram ſemper excipere ſolitus.

Nec refert quod in Pollucis theſauro vnus idémque ſit ſomni & 5.
literarum præſes Mercurius; & apud Trœzenios mos fuerit in vna eadémque ara facere Muſis, ſimul & ſomno. hoc enim de ſomno ſerotino intelligendum eſt, vtique mente poſt cœnam, & diuturnam contentionem ad ſtudium minùs idoneâ, quo tempore indulgere neceſſariæ quieti ad reficiendas vires, vt primo manè integer, & expeditus Muſeum repetas, eſt facere Muſis & Mercurio, quibus antelucanæ lucubrationes longè acceptiores ſunt, quàm productæ in multam noctem ſerotinæ vigiliæ. Secus ac facere conſueuerat Porcius latro, qui poſt cœnam ferè lucubrabat, nec patiebatur alimenta per ſomnum quietémque æqualiter digeri, ſed perturbata, ac diſſipata in caput agebat, vnde oculorum aciem confuderat, & colorem mutauerat. Hîc rectè Sen. contr. l. 1.
conuenit allata ſimilitudo ab Ambroſio[a]. *Sicut oculi* (inquit) *paſcuntur primo diei lumine, ita etiam mens noſtra alitur inuentis ſapientiæ, & quibuſdam etiam radijs videtur ſplendeſcere.* Vidéſne quàm bene præceptum ſit à Vitruuio Bibliothecæ lumina ſpectare debere ad Orientem? quandoquidem lumina ſtudentium aptiſſima ad capeſſendas diſciplinas inſtrumenta orientis Solis lumine plurimùm adiuuantur.

[a] l. 2. de Abraham c. 3.

Alteram cauſam perforandi auroram Muſeis affert idem architectus. 6.
In Bibliothecis (ait) *libri non putreſcent; nam in his quæ ad Meridiem, & Occidentem ſpectant, à tineis & humore vitiantur, quòd venti humidi aduenientes procreant eas, & alunt, infundentéſque humidos ſpiritus pallore volumina corrumpunt.* Quibus dictis vix eſt quod addam, cùm & plana ſint, & quotidianis experimentis exploratum, nullam eſſe præſentiorem librorum peſtem quàm humorem: quemadmodum eorum incolumitas in calore & ſiccitate magnam partem ſita eſt. Hoc autem commodi egregiè præſtant venti orientales, qui idcirco ob exſiccandi vim vrentes ab Ezechiele appellantur[b]. Itaque videat qui Bibliothecam molitur, vt ei Orientem quantum fieri poteſt, aperiat; ne ſi ſecus faxit, libris perniciem, ſibíque ex ventorum humore noxio grauedines, diſtillationes, tuſſim, aliáque incommoda creet, quibus & valetudo periculoſè tentari, & ſtudia literarum retardari ſolent. In Leſbo inſula oppidum Mytilene magnificè & eleganter ædificatum eſt, ſed poſitum non prudenter: in qua ciuitate Auſter cùm flat, homines ægrotant; cùm Corus, tuſſiunt; cùm Septentrio, reſtituuntur quidem in ſalubritatem, ſed in angiportis & plateis non poſſunt conſiſtere propter vehementiam frigoris. Profectò ſatius foret illi vrbi, vt & malè poſitis Bibliothecis, decedere aliquid de venuſtate, & elegantia, quod commoditati & incolumitati accedat.

Vitruu. l. 6. c. 7.

[b] c. 17.

Vitruu. c. 6. l. 1.

At, inquies, Vaticana Bibliotheca, cui ædificandæ atque variis em- 7.
blematum, inſcriptionum, tabellarum ornamentis decorandæ præfecti ſunt viri arte & ingenio præſtantes; nihilominus lumen excipit à Meridie & Septentrione, per feneſtras quatuordecim, hinc inde ſeptem;

eiúſque porta primaria Orientem ſpectat, quæ omnia planè diſſentiunt à Vitruuij legibus: quis tamen putet neminem vnum fuiſſe Romæ tum cùm ædificabatur, qui hoc animaduerterit? vel ſi obſeruatum eſt, tam fœdè peccatum ſit à ſcientibus & prudentibus contra præcepta architecturæ? Ego quid ſuper hac re reſpondeam, equidem vix ſcio; niſi fortè quòd loci ſitus, & area non patiebantur aliter fieri ædificij deſcriptionem, commenſum, lumina, atque aditus ſine maiore incommodo: vel certè quòd venti qui flant à Meridie, ſint Romæ minùs inſalubres, vrbaníque æſtus perforato Septentrione opportunè temperentur.

Capvt VII.

Celſitudo & proſpectus Bibliothecæ.

1. Angel. Rocca in Bibl. Vat. — LEpidum eſt quod ſubiungo: Bononiæ Canonici Regulares ſancti Saluatoris habent Bibliothecam eximiorum librorum multitudine, loci amplitudine, pulchritudine, ac venuſtate inſignem. eſt autem hæc ædificij deſcriptio: pars inferior eſt cella vinaria, media triclinium, ſuprema verò Bibliotheca: quam cùm aliquando Cardinalis Boba per otium inuiſeret, ac trina illa loca vino, menſis, ac libris attributa aduertiſſet, ex tempore vſurpauit illud Salomonis (Prouerb. 9.), *Sapientia ædificauit domum, miſcuit vinum, & propoſuit menſam.* Acutè omnino, & ad rem appoſitè, quàm etiam ſapienter, ſi ex approbatione ædificij eum in modum diſtributi hoc protulit. Nam primo mentis obtutu rerum perfectionem eiúſque cauſas percipere, ſapientiæ eſt. Porrò periti omnes ſtatuunt Bibliothecas collocandas in ſublimi parte ædium, vt integritati librorum conſulatur. Cùm enim humiliora conclauia, & infimæ contignationes eo humidiores eſſe ſoleant, quò terræ ac impluuiis viciniores ſunt, síntque vtplurimum inacceſſæ Solis radiis, atque haud commodè ventis perflabiles; neceſſe eſt in eis ſi quid aſſeruatur, facilè corrumpi, ſqualidâ illuuie deformari, ſitum redolere. In quam ſententiam dixit Quintilianus *ſitu ſecreti corrumpi ſcripta*; præterquam quòd infima ædium pars multis in regionibus haudquamquam eſt idonea delicatiorum & obnoxiorum corporum habitationi, multo etiam minus hominibus ſtudioſis conuenit, quibus humor ille & ſqualor obſcurioris loci ſolet eſſe noxius. Sit igitur Bibliothecæ poſitus paulo eleuatior, Solíque ac ſalubribus ventis facilè peruius, vnde ſit liber proſpectus in montium altitudines, immenſitatéſque camporum, in liquores pellucidos amnium, in ſyluas viridicatas; aut ſaltem, (ſi id fieri nequit) in hortum, vel pomarium domeſticum, quibus rebus acies mentis, & oculorum diuturnâ contentione fatigata ſuauiter reficitur.

2. Reſpirare idemtidem à ſtudio neceſſe eſt, quod melius fieri nequit, quàm libero cœli contuitu, & rerum naturæ ſpectaculo. hac ratione ſubducit ſe animus compedibus corporeis quibus prægrauatur, & laſ-

ſitudinem

ſitudinem excutit, ſitque breui illa auocatione vegetior. Quídni liceat homini liberalibus diſciplinis, ac euoluendis libris intento, quod ignobiles artes exercentibus licet? de quibus ita Seneca [a], *Artifices ex alicuius rei ſubtilioris intentione quæ oculos defatigat, ſi malignum & non præclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata, oculos libera luce delectant.* Nulla eſt tam auſtera Philoſophia, quæ mihi aſſiduitate lectionis defeſſo innocentem illam oculorum voluptatem neget. Quin & auctor ſi in omnibus ſtudioſis contentionem, ne continuent in plures horas, ſine tantula animi & oculorum relaxatione: qui ſi nanciſci poterunt opportunam viriditatem, qua ſubinde paſcantur, ſentient hac intermiſſione ita ſibi innouari atque integrari mentis robur ac corporis, vt breue illud temporis diſpendium, maximum ſit ſtudij compendium.

[a] Epiſt. 65.

3. Itaque celſitudo & proſpectus Bibliothecæ talis eſto, vt terram in vero ſuo & natiuo vultu cernere poſſit, vel in planities effuſè porrectam, vel in colles placidè, aut rigidiùs in montes adſurgentem; illic herbis & ſponte natis arbuſtis, hîc fruge fructibúſque & feliciore ligno veſtitam, hîc florum herbarúmque exotica vernilitate pictam: hîc arborum artificioſis ordinibus deſcriptam, illic ſeminaria; illic inſitiones & matrimonia, imò etiam adulteria, & ſuppoſitos fœtus inſcia magna matre, nec inuita. Illic eberrantes paſſim greges, illic tondentia latè campum armenta. Illic erraticos palmitum lapſus, qui dum nexibus pendulis per arundines baiulas repunt, vite as porticus faciunt, & tecta frondentia, (vt loquitur Cyprianus [b]) qui his verbis quæ ſubiungo docet quantopere conferat ad ſtudia literarum amœnitas, proſpectus, & voluptas aurium ex auium garritu. *Bene hîc* (inquit) *ſtudia in aures damus, & dum in arbores & vites quas videmus oblectante proſpectu oculos amœnamus, animam ſimul & auditus inſtruit, obtutus.* Religio ſit prætermittere pium ſimul & elegans dictum Ambroſij re, & nomine ſuauiſſimi. En pauxillum diuinæ illius ambroſiæ quam loqui conſueuit. *Si oculi noſtri* (ait) *cùm aliqua obducuntur caligine paſcuntur agrorum viriditate, & ſpecie nemoris, vel collis herboſi omnem malignitatem ægreſcentis obtutus repellunt, & quadam ſalubri ſpecie pupillæ ipſæ atque orbes colorari videntur: quanto magis hic mentis oculus cùm illud ſummum intuetur bonum, & in eo verſatur, atque eo paſcitur, ſplendeſcit, ac enitet* [c].

Lipſ. epiſt. 8. cent. 1.

[b] Epiſt. 2. ad Donat.

[c] Ep. 11. ad Irenæum.

CAPVT VIII.

Bibliothecæ cœlum, ſolum.

1. COElorum in cœnationibus, aut conclauibus tres ſunt omnino præcipuè rationes, *lacunar, camera, fornix.* quæ ſit Bibliothecis magis conueniens, ex hoc capite intelligetur. Primùm tigna tranſuerſaria modicis inter ſe interuallis diſtantia parietibus hinc inde committuntur; vel eadem interdum capitibus fulciuntur, maioribus quibuſdam trabibus

trabibus tranſuerſim ex alia parte proiectis, relinquúntque inter ſe aliquod ſpatium gypſo, vt plerumque in Hiſpania, aut aſſeribus, vt in Gallia, repleri ſolitum, quod metaphoricè ab architectis *lacus* dicitur; totum verò opus, hoc eſt, tigna cum ſpatiis, ſiue lacubus *lacunar* appellatur. hanc cœli rationem non probo in Bibliothecis, duas ob cauſas. Prima eſt, quia volo illas ab igni & à puluere deſuper ex lignis decidente tutas eſſe: deinde, quia anguſtum illud inter tigna interuallum non eſt area idonea picturæ atque emblematis, quibus talis locus eruditioni conſecratus exornari debet. Tamen ſi tigna inter ſe ita conſerantur, vt quadros hexagonos, pentagonos lacus artificioſâ compoſitione efficiant, magis approbo, dummodo iuſta eorum laxitas picturæ deſeruiat.

2. *Camera* magis placet, quæ nihil aliud eſt quàm plures aſſeres ad formam circinationis diſtributi, atque ad ſuperiorem contignationem catenis, ac clauis ferreis crebriter religati, craticulis ex iunco, ſtorea, arundine, palma, tomica, vel alia ſimili materia ſupernè tecti, calce & arena commixtis, vt ſi quæ ſtillæ è tecto, vel contignatione ceciderint, ſuſtineantur. Quibus ita diſpoſitis, & intextis, imum, ſeu concauum trulliſſatur, deinde arena digeritur, poſtea creta, vel marmore politur: & hic modus lacunaris aptior eſt ad Bibliothecarum ornatum, picturas, & munditiem, præſertim quòd cameris ſubiici etiam queant elaboratæ, & elegantes coronæ. Poteſt præterea tale cœlum non ad circinum arcuatim flecti, ſed ad regulam æquari, & complanari, ídque fortaſſe meliùs. Quamquam & hoc eſt huic ſtructuræ ſeu planæ, ſeu incuruæ incommodi, quod areſcentibus contignationibus, vel pandatione ſidentibus in varias rimas ſe aperiat: proinde

3. *Fornix*, quæ eſt tanquam rupes excauata, aut velut amplus paries à ſummo ſinuatus, flexúſque, & penſilis, videtur eſſe quàm aptiſſima; quia præter ſuperiores omnes commoditates, hoc inſuper habet, vt Bibliothecam meliùs vindicet ab humore & incendiis. Tale eſt cœlum Schorialis, tale Vaticanæ, tale ferè omnium publicarum Bibliothecarum. Foret quoque vtile, ſi illud conclaue quod infra Bibliothecam eſt, eſſet fornicatum; varias quidem ob cauſas quæ ſingulis rem conſiderantibus facilè occurrent; tum præſertim ne ſi erit ſubiectum lacunar, aut camera, torquentibus ſe tignis, & aſſeribus, vel aliis humore creſcentibus, aliis ſiccitate decreſcentibus, vitium inferatur Bibliothecæ pauimento. Quamquam vix eſt, aut eſſe poteſt, vt ſuperiora conclauia fornicentur, ſi inferiora camerentur, vel lacunentur. At ſi fornicis curuatura, ſiue apſis opere quod à Muſis *Muſiuum* vocant, ingenioſè excogitatis emblematis foret vermiculata, cœlum eſſet longè nobiliſſimum, & Muſeo valde conueniens, quale deſcribitur à Procopio [a], ἐναβρύνεται δὲ ταῖς γραφαῖς ἡ ὀροφὴ πᾶσα, ἐναρμοσθεῖσα ψηφῖσι λεπταῖς τε, καὶ χρώμασι ὡραϊσμέναις παντοδαπαῖς, αἳ δὴ τάτ' ἄλλα καὶ ἀνθρώπους ἀπομιμοῦνται. *omne faſtigium ornatum eſt picturis, teſſellis miniſtris in omne genus colores tinctis aptatum, quæ & res alias, & homines imitantur.* Sic Anaſtaſius in Leone III. mentionem facit Eccleſiæ, & elegantis triclinij, &

[a] lib. 1. de ædificiis Iuſtinian.

& in Leone IV. oraculi, quorum apſidiæ & teſtudines erant verſicoloribus cruſtis diſtinctæ à muſiuariis artificibus. ſic Manilius, l. 5.

Aurifices auri faciet qui mille figuris
Vertere opus poſſint, caraque acquirere nomen
Materiæ, & varios lapidum miſcere colores
Sculpentem faciet ſanctis laquearia templis,
Condentémque nouum cœlum per tecta tonantis.

Eiuſmodi muſiuum opus adhibere conclauiorum cœlis, Regiæ magnificentiæ eſt, atque haud ſcio vtrùm iam Reges facere id velint, vel poſſint, reperianturque hac ætate bractearij, qui ornandis cameris tentent affigere pictas illas teſtulas ad effigies rerum & animantium. Id tentatum à nonnullis in ſuorum temporum tarditate ſcribit Symmachus [a]. His ita perfectis de ſolo cogitandum erit, de quo ſic Iſidorus: [a] l. 8. ep. 41. 4.
Peritiores architecti neque aurea lacunaria ponenda in Bibliothecis putauerunt, neque pauimenta alia, quàm è Caryſtio marmore; quod auri fulgor hebetet, & Caryſtij viriditas reficiat oculos: nam & qui numulariam diſcunt, denariorum formis myrteos pannos ſubiiciunt, & gemmarum ſculptores ſcarabeorum terga, quibus nihil eſt viridius, ſubinde reſpiciunt; & pictores idem faciunt, vt laborem viſus eorum viriditate recreent. D. Iſidorus Hiſpalen. [b] ait vocem hanc *Caryſtium*, nomen ab aſpectu habere quòd eius viriditas grata ſit oculis; hoc tamen etymon ſi verum eſt, *Chariſtium* ſcribi debet, non autem (vti in Iſidori codicibus ſcribitur) *Caryſtium*. De auri fulgore in lacunaribus dicetur alio loco. Hìc (amabo) obſerua lector, etiam in pauimento Bibliothecarum, conſuli oculorum oblectamentò, quippe qui ſunt adipiſcendarum ſcientiarum, & percipiendi è libris emolumenti ὄργανα, quorum aciem, vt neceſſe eſt crebro, & diuturno vſu atteri, hebetari, & obtundi; ita eſt valde conſentaneum, eam refici & acui iis coloribus, quibus maximè paſcuntur: hoc autem mirificè præſtat viriditas, quæ cùm media ſit inter floridos, & auſteros colores, aciem quâ videmus, nec immodica luce diſſipat, neque obſcuritate nimia contrahit. Itaque volo Bibliothecæ pauimentum non tantùm diligenter exigi, & carere omni lacuna, vel extantibus tumulis; verùm etiam plenum eſſe venuſtatis, eruditionis, & ingenij. Vnum, & alterum elegantis pauimenti modum hìc propono; plures qui volet, conſulat Vitruuium, & Albertum Duretum [c]. [b] etymol l. 6. c. 9 & l. 16. [c] l. 7. c. 1.

Pulchra res eſt ſectis in paruas cruſtas verſicoloribus marmoribus variegatum pauimentum, (vti ſuperiùs de cœlo dictum eſt;) ſed pulchrior ſi eruditis emblematis, vel ſapientium ſententiis imprimatur, ornetúrque. Pauiméta verò Bibliothecarum ideo frequentiùs fieri poterunt opere muſiuo quàm cameræ, quia faciliùs eſt humanæ arti aliquid efficere in ſolo quàm in cœlo. Sai in ſacrario Palladis quod Ægyptij *Iſæum* appellant, (hoc eſt, ſcientiæ diuerſorium, nam *Iſis* ſcientiam ſignificat) ſtratum inſcribebatur his verbis, ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πω θνητὸς ἀνεκάλυψεν. *Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quódque erit, & peplum meum nemo mortalium reuelauit.* apud Athenæum [d] in quodam pauimento deſcripta erat Ilias ταῦτα δὲ πάντα 5. Plut. lib. de Iſide. Stobæus ſerm 42. De Aſarotis ſiue Lithoſtrotis vide Creſol. l. 4. myſt. c. 27. ſect. 1. [d] lib. 5.

δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον, ἐκ πάντων λίθων ἐν τοῖς κατασκευασμένος πᾶς ὁ περὶ τὴν Ἰλιάδα μῦθος. Iſta omnia ſolum habuit ex teſſellis omnis generis lapidum,in quibus fabula omnes Iliadis expreſſa. Adeò Muſeotum videtur eſſe proprium iſtud pauimenti genus,vt à *Muſis* dictum ſit *Muſiuum,μουσαϊκόν*.hæc ſi hunc in modum fiant, nihil non erit in Muſeo eruditum, omnia libri, omnia paginæ: has enim teſſellas marmoreas, quæ à Græcis *πλάκες* dicuntur, Palladius appellat *paginas*:nec tantùm in pauimento erunt τῶν λίθων περικαλλῆ θεάματα, vt loquitur D.Gregorius Nyſſ.[a] *ſpecioſiſſima lapidum ſpectacula*, ſed etiam plena doctrinæ, & inſpirantia literarum amorem. Si timebitur marmor ob frigiditatem in locis ſuapte iam natura ſatis frigidis, vtendum erit pictis lateribus eo colorum delectu, qui gratus ſit oculis: diſpoſitio verò laterculorum cùm in varias formas figurari poſſit in orbem,in ſcutum,in trigonum, in tetragonum,in rhombum,magis placet eaquæ fauorum, ſiue cellarum apium modo hexagona eſt, quia fauus ſymbolicè Bibliothecam exprimit; apúmque labor & induſtria in cogendo melle vnde victitent ipſæ,& hominibus proſint, ſtudioſi hominis diligentiam,in quærenda eruditione,quæ ipſi,& aliis proſit.

Bulengerus c. 8. l. 1. de pictura.

[a] in fun.Pul.

SECTIO III.

Muſei,ſeu Bibliothecæ limen aliquâ ſententia inſcribendum.

1\. [b] lib.1.c.3.

AEDIFICARE volentem oportet *velle,poſſe*,& *ſcire*; quod aliis verbis ſed eodem ſenſu,monuit Vitruuius [b],*Habenda eſt ratio*,inquit, *firmitatis, vtilitatis*, *& venuſtatis ædificij.* Venuſtas pendet ab intelligentia architecti, vtilitas à probitate,firmitas à poteſtate; id nos curabimus quatuor proximè ſequentibus capitibus in deſignatione Bibliothecæ, quantum viſum eſt ſufficere ad præſens inſtitutum.Nihilominus quattum quiddam Bibliothecæ poſtulare videntur,vt perfectæ ſint;nempe *ornatum*,qui à *venuſtate* alius eſt. Venuſtas enim eſt interna rei ſpecies, ex pulchro membrorum partiúmque omnium commenſu,& iuſtis ſymmetriarum proportionibus;ornatus poſteriùs aduenit, & ſuperadditur illi pulchritudini,quæ cum ædificio ipſo nata eſt. Eſt autem poſitus in ædificij pictura,tabulis,ſignis, abacis,& ſimilibus, è quibus ea deinceps perſequemur,quæ ſunt huius loci & inſtituti propria. Atque inter cætera primo loco ſe offert *Bibliothecæ oſtium*,cuius ſtructuram architectis relinquo;viderint illi quod genus oſtiorum maximè placeat,Doricum, Ionicum,Atticum,quæ ſint oſtij partes quæ antepagmenta, quid corona,quid tympanum,quid impagines, quid ſcapi cardinales, & alia id genus;vnum duntaxat hîc moneo.

Daniel Barbarus in eundemVitruuij locum.

2\. Bibliothecæ limini breuis & appoſita ſententia ſpectabili claractere inſcribitor.

inſcribitor. Mos iſte apponendi templis, vrbium portis, Academiis, fontibus, Bibliothecis titulum breui aliquo dicto comprehenſum vetuſtiſſimus eſt,& ad hæc vſque tempora propagatus. Vnum,& alterum è ſingulis exempli gratiâ affero.

Nihil notius ea gnoma,quæ pro vnis foribus templi Apollini Delphici legebatur, *γνῶθι σεαυτόν*, *noſce teipſum*. In alio fani eiuſdem aditu, tota diuinitas quæ latere putabatur in adytis, conſpiciebatur his duabus literis notata εἶ,*tu es*, vt intra ædem maiori cum reuerentia ſupplicaturi ſubirent. Domui cuidam hæc olim erat inſcriptio, *Iouis puer inuictus Hercules domum hanc inhabitat, huc mali nihil ſubito.* Quod legens Diogenes ſolita dicacitate,Et quomodo,inquit, dominus intrabit domus? Venetiis inſigne eſt iſtud epigramma à Sannazario[a] inſcriptum ad vrbis illius commendationem, 3. Plut. Theodoretus initio contra gentes. [a] Epigr. l. 1.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem,& toto ponere iura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces
Obiice,& illa tui mœnia Martis,ait.
Si pelago Tybrim præfers,vrbem adſpice vtramque,
Illam homines dices,hanc poſuiſſe Deos.

Graiaci apud Sequanos in vna vrbis porta eminet elegãti opere perfectum Regis Catholici inſigne ſcutarium, cum hac deſuper epigraphe aureis literis exarata, *Cui ſoli ſol ſemper*, hoc eſt,tam longè latéque diffuſum eſſe ſui Principis Imperium, vt (quod nulli Principum cum illo commune eſt) ſemper ſol luceat in aliqua parte orbis,vbi ipſe imperet: hinc fit vt in qualibet anni tempeſtate illi perpetuò alicubi ſeratur, metatur; illi ſit continua vindemia, continua oliuitas: &,quod mirabilius eſt, qualibet diei hora iuge ſit in eius ditione Miſſæ ſacrificium, quemadmodum non ita pridem Pater Claudius Richardus Regius Profeſſor mathematicarum in Collegio Imperiali Madritano Societatis Ieſu,ſole ipſo clariùs demonſtrauit. 4.

De Academiis vnicum proferam, ſed enim verò promptum ex ipſo Muſarum ſinu. *Gregorius XIII. Pont. Max. Collegium Romanum Soc. Ieſu ædificauit dotauitque: eius beneficij monumentum conſpicitur in porta, Gentilitium eius inſigne draco.*cui optimè conuenit iſtud Epigramma, 5.

Securum hic poſthac capies ſapientia ſomnum,
Nam draco munitas ſtat vigil ante fores.

Epicurus ſuis hortulis,vbi docere conſueuerat,inſcripſit in hunc ſenſum. *Hoſpes hîc bene manebis, hîc ſummum bonum voluptas eſt; paratus erit iſtius domicilij cuſtos,hoſpitalis, humanus, & te polentâ excipiet, & aquam quoque largè adminiſtrabit.& dicet: Ecquid bene acceptus es? Non irritant hi hortuli famem,ſed extinguunt; nec maiorem ipſis potionibus ſitim faciunt, ſed naturali,& gratuito remedio ſedant* de hac ſententia Seneca[b] pluribus. 6. [b] Ep. 21.

Pauculis ab hinc annis Vrbanus Pontif. Max. ædificatos à ſe inſignes hortos eleganti fonte ornauit, eúmque à ſymbolicis ſuæ gentis apibus, quæ ibi cernuntur pulchro opere effictæ, Italica lingua *Mellitum* vocauit.Porrò cùm aliquando animi gratiâ haud procul ab eo fon- 7.

te inambulans vidiſſet,audiſſétque hominem natione Germanum,qui ſpectandi causâ eò venerat, hauſtam manu aquam bibere, eámque vtpote optimam in prima commendatione ponere, extemplò, è re nata diſtichum iſtud compoſuit,dignum fontis illius elogium.

Parcite Romani MELLITVM *dicere ; laus eſt*
Maxima,Germano me placuiſſe viro.

8. Templum Capenſe in Africa Æthiopicis characteribus præfert inſcriptas in limine has voces, *Adazobe ke Akhulei hozo.* ideſt, *Iris,oculi lætitia.* Plura non afferam ne exire videar extra gyrum; hæc tamen proferre placuit, vt intelligas eam epigraphem cenſeri debere optimam quæ fuerit acuta,erudita, breuis,& (quod præcipuum eſt) eius rei cui inſcribitur propria. Sequentia capita nonnullas eius generis ſuppeditabunt: tu eâ quæ tibi magis placuerit vtitor, ſi melior non occurret: interea quàm pridem tales gnomæ præfigi conſueuerint in Bibliothecarum veſtibulis,diſces ex capite ſequenti.

CAPVT I.

Fores Bibliothecæ Oſimanduæ Regis Ægypti hac ſententia inſcriptæ, ψυχῆς ἰατρεῖον, Medica animi officina.

1. NOn quærit æger medicum eloquentem, ſed ſanantem. quia non eloquentiâ, ſed arte medicâ corpora curantur. Aliud quiddam eſt in animi morbis,qui ſæpiſſimè depelluntur ſolâ librorum lectione. Laborare autem ſolet mens noſtra triplici morborum genere, *Ignorantiâ*, quæ cæcitas quædam eſt intelligentiæ; *vitijs*,quæ eſt deprauatio,& corruptio noſtræ voluntatis; denique *moleſtijs*, quæ ob id vulgò ægritudines animi appellari ſolent; equidem nec immeritò, affert enim plurimum doloris omnis aduerſante ratione animi contractio: vnde & conſternari dicitur & exulcerari, & deficere. Contra omnes iſtas ægrotationes præſentiſſima remedia petuntur ex Bibliothecis, quæ proinde rectè cum Oſimandua Ægypti Rege inſcribas, ψυχῆς ἰατρεῖον. Bibliothecas cõtinere ſalutaria Collyria aduersùs ignorantiam,docuimus huius libri capite tertio:eaſdem ſuppeditare panchreſta medicamenta & Alexipharmaca tuendæ virtuti, & prauis voluntatis affectibus depellendis, capitibus quinto, ſexto, ſeptimo oſtenſum eſt Denique ex Bibliothecis promi memorabile illud nepenthe quo diſcutitur animi triſtitia, & inducitur animi hilaritas, ex capite quarto diſcere potuiſti. Quæ ſanandi virtus cùm paſſim omnibus bonis libris inſita ſit, tum verò maximè conſcriptis diuini Numinis inſtinctu ſacris codicibus ineſt vis medendi certiſſima. Non erit, puto, iniucundum,neque alienum ab inſtituto audire aliquot ſanctorum Patrum de re propoſita ſententias. D.Baſilius allu-

ſit,

ſit,opinor,ad Oſimanduanæ Bibliothecæ inſcriptionem, cùm hæc ſcri-
pſit ad Gregorium Theologum. *In Scriptura quilibet* τὸ πρόσφορον εὑρίσκει
τῷ ἀρρωστήματι φάρμακον, *inuenit tanquam in medica officina appoſitum ſuæ
ægrotationi medicamentum.* ídque elegantibus exemplis baſilicè illuſtrat.
Laceſſitus contumeliis & prouocatus iniuriis ſentis animum tuum ef-
ferueſcere iracundia? Intuere Dauidis clementiam; illico remittet ardor
ille mentis & cupiditas repungendi: exardeſcis in vindictam ſubdito-
rum tuorum in obſequenti procacitate exaſperatus? Moſis manſuetu-
dinem animo replica, deferueſces. Obſcœnæ libidines te ſtimulant? Io-
ſephum cogita, retundentur. Grauior caſus te perculit? infractum Iobi
animum contemplate, patienter feres. D. Chryſoſtomus [a], ἴδετε πῶς [a] Hom. 24. in
δυνατὸν ἑκάστης συμφορᾶς τ͂ συνεχῶς τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν κατάλληλον ἐν- Gen.
τεῦθεν φάρμακον λαβόντα ἀπελθεῖν, καὶ πᾶσαν ἀποσείσασθαι ἀθυμίαν βιωτικήν, καὶ ὑπὸ
μηδενὸς συστέλλεσθαι τῶν συμπιπτόντων. *Vidiſti quomodo quacumque calamitate
humanam naturam premente inde* (ex Scriptura) *antidotum accipere liceat, &
omnis vitæ huius repellatur anxietas, & nullo caſu deiiciatur*, &c. Idem alio
loco de ſacris literis, *Nulla eſt* (inquit) *humana natura, vel corporis, vel* Pſ. 37.
animæ paſſio, quæ medicinam hanc accipere nequeat. Rurſus, *Omnium*, ait, *me-
dicinarum theſaurus diuinæ Scripturæ ſunt.* S. Athanaſius [b] diuinos libros [b] aduerſ.
appellat, ποικίλην τῶν ἰατρικῶν βιβλίων σοφίαν, *variam medicinalium librorum* ſcript. t. 2.
ſapientiam, qua medendi arte, quia apprimè erant inſtructi DD Athana- p. 248.
ſius & Baſilius, ideo hunc Gregorius Naz ait excellentem ſanandi
ſcientiam habuiſſe, illum verò ἀποτρόπαιον, id eſt, *malorum omnium depul-
ſorem*, cognominat. Ex eodem ſacrorum voluminum ſtudio, cui ſe olim
conſecrabãt heroës Chriſtiani quotquot è ſæculi æſtibus ad portũ reli-
gioſę quietis enauigãtes θεραπευταί, ſiue curatores, & medici vocati ſunt.

2\. Agnouerunt eamdem vim medicam in ſacris literis Latini Patres,
eámque miris laudibus extulerunt. D. Ambroſius [c] in iis ab vnoquo- [c] in Pſal. 48.
que inueniri ait, quo vel ſua curet vulnera, vel confirmet merita. D Hie-
ronymus [d], *Ad ſanctarum*, inquit, *Scripturarum grauitatem confugimus, vbi* [d] in Ioan. 12.
vera vulnerum medicina eſt, vbi dolorum certa remedia Quæ cauſa fuit cur n. 43.
indignatus ſit D. Auguſtinus ſacros codices reſpui ab hæreticis câ men-
tis veſaniâ, qua ægri delirio laborantes ſalutaria medicamenta reii-
ciunt, ac interdum impingunt in os medici. Sic exclamat [e], *Quàm ve-* [e] l. 9 conf.
hementi, & acri dolore indignabar Manichæis, & miſerebar eos rurſus, quòd c. 4.
*illa Sacramenta, illa medicamenta neſcirent, & inſani eſſent aduerſus antido-
tum quo ſani eſſe potuiſſent.* hæc de ſacris voluminibus, quorum ſingulis
rectè inſcribere poſſis, ψυχῆς ἰατρεῖον.

3\. Sua eſt etiam omnibus ſapientium monumentis ſanandi facultas: &
quoniam in hoc capite eſt euincendum auctoritatibus, quod in primis
capitibus confecimus rationum momentis. Ageſis, producamus alio-
rum ſuper hac re teſtimonia, ac in primis Tertulliani [f], Philoſophiam [f] l. de anima
ſororem eſſe medicinæ conteſtantis, cui dicto valde conſonat illud c. 2.
quod Galenum aiunt dictitaſſe in ſermonibus frequenter, *Phi-
loſophiam medicinam eſſe animorum; medicinam Philoſophiam eſſe corporum.*
Plato [g] Philoſophiam τὴν τ͂ ψυχῆς ἀρρωστημάτων καὶ παθῶν φάρμακον, *animi* [g] de inſtit.
morborum pueroium.

morborum & affectionum medicinam. quod Cicero breuiùs *Animi ſanitatem* appellat. *Ego*, inquit Seneca, *in Muſeo meo aſſiduus ſalutares admonitiones velut vtilium medicamentorum compoſitiones literis mando, illas eſſe efficaces in meis vulneribus expertus, quæ etiamſi perſanata non ſunt, ſerpere deſierunt.* Dio Chryſoſtomus [a] ſuo dignus Orator cognomine, eruditionem vocauit ἴαμα ϗ φάρμακον, *malorum omnium medicinas.* Extat alterius Chryſoſtomi planè aurea paræneſis ad literarum amorem & ſtudium ſapientiæ, in qua omnibus qui εὖ χαίρειν ϗ εὖ πράττειν, bene valere, agere, lætari, ſapere volent, qui inordinatos animi motus comprimere, obedientéſque efficere rationi, qui cupiditatem, qui libidinem, qui alias vitæ peſtes opprimere, qui caſus aduerſos patienter ferre, qui denique afflictam animi valetudinem recuperare, vel integram tueri ſtudent, qui panaceam ipſo nomine (vt inquit Plinius [b]) omnium malorum remedia promittentem quærunt, adeant Bibliothecas, in iis voti & ſalutis compotes fient: reperient alexipharmaca, panchreſta medicamenta, antidota præſentiſſima, & omnibus incommodis opem certiſſimam, κτᾶσθε, inquit, φάρμακα τῆς ψυχῆς, *comparate vobis libros animi pharmaca.* Quæcumque verè, quæcumque ſanctè, quæcumque pudicè, quæcumque modeſtè, quæcumque grauiter, quæcumque ſapienter ſcripta ſunt, pharmaca ſunt; eaque in promptu cuilibet eſſe debent contra ſingulos animæ ſuæ morbos, ſeu vitia.

[a] or. 32.
[b] l. 24. c. 3.

4. Accipe dictum Cyclopis apud Theocritum [c], quo nec centoculus videre meliùs poſſet, nec cui ſi centum linguæ ſint, oraque centum, meliùs dicere.

[c] idyll. 11.

Οὐδὲν ποτὶ τὸν ἔρωτα πεφύκει φάρμακον ἄλλο
Νικία, οὔτ' ἔγχριστον ἐμὶν δοκεῖ οὔτ' ἐπίπαστον
Ἢ ταὶ Πιερίδες.

Nullum eſt contra amorem natum remedium aliud, ô Nicia, neque, vt quidem ſentio, quod inungi, vel aſpergi, queat, quàm Pierides. Philoſopho nunc auſculta. Is Lucilio amico modũ præſcribens vtendi rebus partis à præceptoribus generis humani & inuentoribus ſapientiæ, hæc ait, *Puta nobis relicta medicamenta quibus ſanarentur oculi, non opus mihi alia quærere, hæc tãtùm morbis & temporibus aptanda ſunt; hoc aſperitas oculorum conleuatur, hoc palpebrarum laſſitudo tenuatur: hoc vis ſubita, & humor auertitur: hoc acuitur viſus. Teras iſta oportet, & eligas tẽpus, adhibeas ſingulis modũ. Animi medicamẽta inuenta ſunt ab antiquis; quomodo autẽ admoueantur, vel quomodo, noſtri operis eſt quærere.* Iſtis pharmacis ita nobis aſſueſcendum eſt, vt deſiderata præſtò ſint, ſua ſponte occurrant; ſunt enim velut quædam πρόχειρα βοηθήματα, quemadmodum ea appellat Epictetus [d], *breues formulæ noſtræ curationis conceptæ à medicis animorum noſtrorum*, hoc eſt, à ſapientibus & eruditis ſcriptoribus, qui ἐν ἰατρείῳ τῆς ψυχῆς, ſiue βιβλιοθηκῶν ὑγιαίῳ, vitæ noſtræ, victúſque rationem ita cõponunt ad omne officij genus, vt ſi ex eorum præſcripto viuere volumus, nequaquam miſerè, ſed benè beatéque victuri ſimus; maiúſque ſubſidium inde percepturi, quàm ex Polidarij, vel Machaonis, vel Æſculapij, vel Apollinis, & totius facultatis medicæ ſcientia ad corporis ſalutem. D. Petrum Damianum expertum huius

Sen. ep. 54.
[d] apud Arianum l. 1. c. 27. & l. 3. c. 10.

huius literarij Iatri præſentiſſimam opem contra omnes animæ morbos; ac ea quæ hactenus diſputauimus, grauiſſimis verbis confirmantem tibi ſiſto, ſic ait repetito conſueto in cella ſtudio, à quo ad breue tempus auocatus fuerat. *Tanquam ſi languidus quilibet aromaticam ingrediens officinam, antequam antidoti medicamenta percipiat, depoſitâ langoris ægritudine conualeſcat: ita ego protinus vt cellulæ meæ limen attigi, necdum librum quemlibet aperueram, & benefactum tanquam virtute loci ſanum me atque incolumem compoſitis animæ meæ vulneribus reperi: ſicque ad diuinorum librorum, qui adhuc clauſi tenebantur, adſpectum, velut ante medicinæ potum, ſalutem hauſi, ſpirantibus duntaxat odoribus fragrantium pigmentorum.* hæc eſt bonorum librorum virtus; adeò eſt ſalutaris, vel ſola Muſei aura, vt illico omnes mentis ægritudines pellat. B. Petr. Damianus l. 6. ep. 5.

Quapropter parendum nobis eſt Marco Antonio dicenti, ſanæ mentis cupidis imitandos chirurgos, qui parata ſemper habent ſuæ artis inſtrumenta; ita ad manum habenda ex Bibliothecarum myropolio ſalutaria quædam dogmata, promptos & breues aphoriſmos, ac præſtantes ſententiarum ſuccos, qui ſimul ac adhibiti fuerint, totum animum perfundant, eúmque vegetum ac valentem, atque ad omnia quæ obueniunt perferenda robuſtum præſtent. ὥσπερ οἱ ἰατροὶ ἀεὶ τὰ ὄργανα καὶ σιδήρια πρόχειρα ἔχουσι, πρὸς τὰ αἰφνίδια τῶν θεραπευμάτων· οὕτω τὰ δόγματα σὺ ἕτοιμα ἔχε, &c. Non erit cuiquam mirum vim tantam ineſſe libris, ad curandos animæ morbos, ſi meminerit ægrum corpus non modò recreari eorum lectione, verumetiam interdum perſanari. Quod ex Curtij lectione Alphonſo Aragonio aduerſa valetudine laboranti contigiſſe refert Æneas Syluius [a], & Iuſto Lipſio ſcribenti Aubertus Miræus [b] auctor eſt; huc pertinet quod Plutarchus prodidit de Theleſilla, quæ cùm de infirma ſua valetudine ad Oraculum miſiſſet; reſponſum eſt, Μούσας θεράπευε, *religioſè Muſas cole.* Ex quo autem ſe addixit humanioribus ſtudiis, ſanitati reſtituta eſt, & poëtria euaſit: Porphyrius vna Plotini magiſtri ſui eloquentia valetudini reſtitutus fertur. 5.

[a] de dict. & fact. Alph. l. 1. n. 43. & Panormit.
[b] in vita Lipſij.
Suidas.

CAPVT II.

Altera Bibliothecæ inſcriptio, φάρμακον ἀφθαρσίας, pharmacon immortalitatis.

CVm Hermes Triſmegiſtus vocauit libros ſuos *Pharmacum immortalitatis*; aliquid puto, auditione acceperat, vel legerat de vitali illa arbore, quam rerum omnium ſator, atque auctor Deus in Edeſſeno pomario plãtauerat præſentiſſimum immortalitatis pharmacũ: pharmacũ, inquam, nam medicamẽti potius, quàm alimenti rationem habuiſſe docent duo Theologiæ lumina, Thomas Aquinas [c], & Auguſtinus [d]. Ille quidem, *Vitæ arbor*, inquit, *medicinæ modo corruptionem omnem prohibuit, non autẽ vt cibus vires præſtitit.* Hic, *De ligno vitæ guſtabatur*, ait, *ne mors ſubreperet, vel ſenectute confecti decurſis temporum ſpatiis interirent; tanquam cætera eſſent* 1. Stob. in Eclog. phyſ.

[c] 1. p q. 7. a. 1.
[d] 3. ciu. c. 20.

eſſent alimento, iſtud Sacramento. Iure meritò igitur potuit appellari φάρμακον ἀφθαρσίας; vel certè meminerat Triſmegiſtus, quod eſt in fabulis; Hebem, ſiue Iuuentam Deam diis accumbentibus ambroſiam & nectar, hoc eſt, immortalitatem miniſtrare. quod vtrumque, aptè an ſecus attributum ſit numinibus ab Heſiodo, & aliis, diſputat Ariſtoteles [a], & diſſimulanter irridet priſcos illos fabulatores Theologos. D. Iuſtinus martyr [b] ait poëtas ex Moſaïca hiſtoria tranſtuliſſe in ſua commenta, quidquid de nectare, & ambroſia, de nepenthe, herba moly cæteríſque mortis depulſoribus cibis, frugibus, ſuccis paſſim cecinerunt. Profectò fuerit mihi magnus Apollo ille medicus, atque, vt aiunt, nectare alendus & ambroſiâ, quiſquis tam ſalutare medicamentum conficere poſſit, vt deciduam vitam noſtram reſtaurare, effœtum corpus in priſtinum vigorem redintegrare, & mortalibus immortalitatem propinare queat: ſed hactenus inuentus eſt nemo qui hoc in ſe receperit, nedum præſtiterit.

Vide harum vocum notationes apud Eugubinum in coſmopœiâ, & apud Suidam.
[a] 3. Met. tex. 15.
[b] Apol 2. pro Chriſt.

2. Alia quædam eſt immortalitas, videlicet nominis & famæ, cuius pleriſque hominum ſtudioſiores ſunt, quàm corporis; eius deſiderium cùm inditum ſit à natura humanis mentibus, pauciſſimos reperias, qui non ſatagant relictis ſibi ſemper ſuperſtitibus quibuſdam monumentis propagare ſui memoriam ad poſteros, & ſe ab ſeruitute obliuionis, cui alioqui obnoxij ſumus, vindicare. Talia momenta nullo vnquam tempore intermoritura ſuos libros fore, ſcriptores ſibi perſuadent,

Ouid. 3. Tr. el. 7. & l. 4. de Ponto el. 16.

——*Nil non mortale tenemus,*
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
Nec ſolet ingeniis ſumma nocere dies.

Plin. in præf. hiſt.

Imò, & repertus eſt Apion quidam Grammaticus (hic quem Tiberius Cæſar *Cymbalum mundi* vocabat, cùm *publicæ famæ tympanum* potiùs videri poſſet) qui immortalitate donari dixit ad quos aliqua componebat; vt iam non mirum ſit à Mercurio ter maximo infinitam illam quam edidit librorum multitudinem appellatam fuiſſe *pharmacum immortalitatis*. Simile quidpiam dixit Cardinalis ſancti Angeli, qui Baſileenſi Concilio præfuit; is cùm veterum libros lectitaret, Odoni de Variis, ſic eum compellanti, *Quid tu hîc inter mortuos latitas? ad nos tandem qui viuimus, exi. Imò*, reſpondit, *& hi in fama viuunt.* Eamdem vim ſuis ineſſe carminibus paſſim poëtæ ſibi tribuunt. Non erit ingratum aliquos ex eorum numero variè de hoc argumento canentes audire. Horatius [c],

Æn. Sylu. l. 2. de fact. & dict. Alph. 1.
[c] Ode 30. l. 3.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalíque ſitu Pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. vſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex Dicar, &c.

tum

tum orationem ad Muſam conuertens,

—— Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Ouidius [a], [a] in fine Met.

Dignum laude virum... Muſa vetat mori,
Cœlo Muſa beat.

Elegans eſt licet plena oſtentationis illa clauſula, quam ſuæ Metamorphoſi appinxit Ouidius, gloriatus ſe ſuâ poëſi melius conſuluiſſe ſui nominis perennitati, quàm ſi effeciſſet, vt ſibi æreæ ſtatuæ, vel pyramides erigerentur, 3.

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.
Cum volet illa dies quæ nil niſi corporis huius
Ius habet incerti ſpatium mihi finiat æui:
Parte tamen meliore mei ſuper alta receptus
Aſtra ferar, noménque erit indelebile noſtrum.
Quâque patet domitis Romana potentia terris.
Ore legar populi, pérque omnia ſæcula fama
Si quid habent veri vatum præſagia, viuam.

Sic Naſo; imparibus metris haud minùs eleganter Propertius [b], [b] l.3. Eleg 1.

Nam neque Pyramidum ſumptus ad ſydera ducti,
Nec Iouis Elæi cœlum imitata domus.
Nec Mauſolei diues fortuna ſepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber ſubducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæſitum nomen ab æuo
Excidet, ingenio ſtat ſine morte decus.

Tibullus plurimas res omnino interituras fuiſſe aſſeuerat, niſi eis æternitatem aſſeruiſſet poëſis.

Carmine purpurea eſt Niſi coma; carmina ni ſint, Tibull.
Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.

Iterum Naſo qui ſibi aurea dixit partam æternitatem, id ipſum beneficij ſe præſtare aliis gloriatur; ac ſua *carmina* eſſe veluti *vitam virtutis*.

Carmina veſtrarum peragunt præconia laudum,
Néve ſit actorum vita caduca, cauent:
Carmine fit viuax virtus, expérſque ſepulchri
Notitiam ſeræ poſteritatis habet.
Tabida conſumit ferrum, lapidémque vetuſtas,
Nullaque res maius tempore robur habet.
Scripta ferunt annos; ſcriptis Agamemnona noſti,
Et quiſquis contra, vel ſimul arma tulis.
Quis Thebas ſeptémque duces ſine carmine noſſet?
Et quidquid poſt hæc, quidquid & antè fuit.

DI quoque carminibus, ſi fas eſt dicere, fiunt,
Tantaque maieſtas ore canentis eget.

[a] in Apotheoſi Imperium. Hinc Ciceronis illa vox [a] tantas omnium virtutes eſſe, quantas videri eos voluerunt, qui vniuſcuiuſque facta ſcripſerunt. Hinc illæ Alexandri magni lacrymæ ad ſepulchrum Achillis, quem ob id admodum felicem dixit, quòd Homerum ſuarum nactus eſſet laudum præconem, ipſéque interdum faſtidire videretur victorias, quod careret laudatore Homero. Hinc factum puto, vt Macedonum Rex (Philippus, an Alexander ſit, non memini) ante prælium ſacrificaret Muſis, vt earum beneficio conſequeretur nominis immortalitatem. Hinc Plinij iunioris ſtudium, optantis ſuum nomen inſeri Taciti hiſtoriæ, quò immortalis fieret, *Auguror* (inquit) *nec me fallit augurium, hiſtorias tuas immortales futuras, quo magis illis inſeri cupio. Nam ſi eſſe nobis cura ſolet vt facies noſtra ab optimo artifice exprimantur, nónne dabimus operam, vt operibus tuis ſimilis prædicator contingat?*

Flauius Vopiſc. in Probo.

3. Sunt interdum (inquit Seneca [b]) qui in tantum proceſſerunt eloquentiâ, vel innotuerunt iuſtitiâ, ac bellicis laudibus, vt parentibus ſuis ingentem famæ ſplendorem circumfuderint, tenebráſque natalium ſuorum clarâ luce diſcuſſerint, eáque ratione inæſtimabile beneficium contulerint in parentes ſuos. quod Ariſtoni & Grillo propter Xenophontem & Platonem filios contigit. Sophroniſcum item expirare Socrates non patitur. idémque ego iure mihi videor poſſe dicere de multis, quos enumerare infinitum ſit, qui viuunt in hominum memoria, ob nullam aliam cauſam, quàm quòd illos in ſuis monumentis ſcriptores conſecrauerint. Epicurus apud Senecam Idomeneum à vita ſpatioſa ad fidelem ſtabilémque gloriam reuocans, *Si gloria*, inquit, *tangeris, notiorem te epiſtolæ meæ facient, quàm omnia iſta quæ colis, & propter quæ coleris. Quis Idomenea noſſet niſi Epicurus illum ſuis literis incidiſſet? omnes illos Megiſtanes, & Satrapas, & Regem ipſum ex quo Idomenei titulus petebatur, obliuio alta ſuppreſſit. Nomen Attici perire, epiſtolæ Ciceronis non ſinunt; nihil illi profuiſſet gener Agrippa, & Tiberius progener, & Druſus Cæſar pronepos; inter tam magna nomina taceretur, niſi Cicero illum aperuiſſet. Profunda ſupra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque ſilentium habitura obliuioni reſiſtent, ac ſe diu vindicabunt. Quod Epicurus amico ſuo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. Habeo apud poſteros gratiam, poſſunt mecum duratura nomina educere: plurimos quos in medium fortuna protulit, noti fuerunt, dum ipſi ſteterunt, poſt ipſos citò memoria defecit. Ingeniorum creſcit dignatio; nec ipſis tantùm habetur; ſed quidquid illorum memoriæ adhæſit, excipitur.* Verè quidem dixerunt illi, & profectò paulo iactantiùs, cùm ſibi & aliis certam immortalitatem ſpondent ex literariis ſuis monumentis; longè modeſtiùs Maro æternam memoriam promiſit, ac præſtitit.

[b] l. 3. de benef.

Sen. ep. 21.

Virg.

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo,
Dum domus Æneæ, Capitoli immobile ſaxum

Accolet,

Accolet, Imperiúmque pater Romanus habebit.

Id cauſæ eſt frequenter cur prouehendis diſciplinarum omnium cultoribus Mecœnates ſint liberales & magnifici, quòd hac ratione in immortalibus ſcriptis immortalitatem nominis ſe conſecuturos ſperent. Iacerent ſine dubio in ſitu & tenebris, atque in hominū ignoratione non pauci, ſine ſubſidio literarū, quarum eſt infinita vis ad conſecrandam rerum præclare geſtarum, & excellentiū virorum memoriā. 4.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrimabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte carent, quia vate ſacro:
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus, non ego te meis
Chartis inornatum ſileri
Tótve tuos patiar labores
Impunè Lolli, carpere liuidas
Obliuiones.

Inuentum equidem mirabile, vt deficiente cum vita ingenio, ſibi tamen pars melior ingenij ſuperſit in libris, perſtétque incorrupta vox eruditorum vel poſt eorum mortem, & tam altè ſuſtollatur, vt eam vniuerſus orbis intelligat. Qui quidem ſi ad ſcriptorum commendationem, vitæ quoque ſanctitatem adiunxerint, perenni apud immortales felicitate, & felici apud mortales nominis perennitate potientur; quod dixit Tertullianus [a] his verbis: *Voces eorum itémque virtutes quas ad fidem diuinitatis edebant, in theſauris literarum manent.* Et excellentium Auctorum immortales animæ in Bibliothecarum adytis cótinuò loquuntur, vt ait Plinius [b]. Aiunt quandam regionem tantis frigoribus hyeme rigeſcere, vt prolatæ voces illico congelent, quæ poſtea appetente æſtate vnà cum glacie ſoluantur, audiantúrque ab omnibus. Multo verius eſt, quod de libris dixit Quintilianus, *Hic vſus eſt literarum, vt cuſtodiant voces, & velut depoſitum reddant legentibus.* Plinius [c]: *Huius vnius rei* (literarum) *vſu ſcimus maximè conſtare humanitatem vitæ, memoriam, atque hominum immortalitatem* Caſſiodorus, *Scripturà humanorum actuum ſeruatur fidele teſtimonium* Dignus eſt Cœlius Rhodiginus, certè vir doctus, qui cū ſuperioribus audiatur diſputans de hoc pharmaco immortalitatis. Ille igitur miris laudibus extollens datas homini ab eius fictore Deo manus, in quibus plúſne ſit venuſtatis, vel ad res omnes perficiendas commodi ſtatui, haud facile poſſit, ait, non tantùm earum ſubſidio & ſolertiâ omnia prope fieri, quæ videri, aut contrectari poſſunt; ſed etiam ſapienter ab Anaxagora, Ariſtotele, Plutarcho [d], Quintiliano dictas eſſe ſermonis adminiſtras Verum illud in primis eſt mirabile, quòd ſcriptione omne tempus fiat noſtri iuris, atque (vt loquitur Quintilianus) *annum omnium ſeculorum. Quid illa ſcribendi maieſtas, quæ tantarum rerum ſcientiam nobis comparat, vetuſtatem propagat, nihil ſinit interire, & quod omnia conterit tempus noſtris cogit manibus ſuccumbere? quid hoc magnificentius, quid æque mirandum, id eſſe datum in quo ne mortis quidem auida rapacitas ius vllum ſit.* 5.

[a] in Apologetico.

[b] l.35.c.2. Plutarch.

[c] l.3.c.11.

[d] in moralibus. Rhodig. l.4. c.3.

[a] l.12.Bibl.

Eodem ſenſu Diodorus Siculus[a] elegantiſſimè: *Cui tanta ingenij facultas ſuppetit* (inquit) *vt dignis laudibus literarum diſciplinam inſtitutionémque ſe proſequi poſſe confidat, quibus ſolis vitâ defuncti viuentibus commimorantur, fœderibus commendandis, pactis conuentis, promiſſis teſtes primi accerſuntur, cæteráque omnia, quibus ſeruandis ſumma opus eſt fide, ipſis tutò commendantur. illæ commendata quæcunque excipientes æterna integritate, & inconcuſsâ fide cuſtodiunt.* Poſtremò ſapientiſſimorum virorum ſanctiſſimas ſententias, oracula Deûm, Philoſophorum inuenta, diſciplinarum denique omnium præcepta, ac monumenta humanarum diuinarúmque rerum ſolæ literarum ædes repoſta conſeruant, atque à vetuſtatis & temporis voracitate defenſa veluti quadam diuinâ vi tuendo poſteris ex ordine deinceps per ſuccedentia ſæcula, demum æternitati commendat. Reges Perſarum vocabant pharamacum iſtud immortalitatis ὑπομνήματα, καὶ βίβλους ὑπομνηματισμῶν. & , γράμματα μνημόσυνα τῶν ἡμερῶν. eáque medicamenta ſibi adhibebant contra obliuionem prout neceſſitas poſtulabat.

c.4 Eſdræ. Eſther c.6. Ioſephus l.11. antiq. c. 2. & Briſſonius l. 1. de Regno Perſarum.

Agmen claudat in hoc magnorum virorum cenſu Plinius iunior; eius animum cùm fragilitatis humanæ miſeratio ſubiret ex morte Silij Italici, víxque reperiret quidquam tam circumciſum, tam breue, quàm

6. hominis vitam longiſſimam, ei non ſolùm viſæ ſunt venia dignæ, ſed etiam laude regiæ illæ lacrymæ Xerxis immenſi exercitus imminentem occaſum animo proſpicientis. *Nos certè* (inquit[b]) *tempus hoc futile, & caducum ſtudiis proferamus, & quatenus denegatur nobis diu viuere, relinquamus aliquid quo nos vixiſſe teſtemur. Scio Canini te ſtimulis non egere, me tamen tui charitas euocat, vt currentem quoque inſtigem. ſicut tu ſoles me ἀγαθὴ δ' ἔρις, cùm inuicem ſe exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt.* hoc ferè vnum eſt duarum rerum, *cogitationum* & *vocis*, ſuapte natura fugaciſſimarum retinaculum. *Omnia verba* (inquit Druthmarus[c]) *ſonando tranſeunt, & tranſeundo deficiunt; neceſſe eſt ergo alligari literis verba, quæ aliquid vtilitatis habere videantur.* De animorum noſtrorum cogitationibus ſic Paſcaſius Abbas Corbienſis[d], cauſam afferens cur ad ſcribendum animum appelleret: *Nemo mihi, quæſo, ſuccenſeat, ſi tandem Dei confiſus gratia elegi ſolertiam, quam in me cœleſtis prouidentia eruditionis ſale condiuit, Domino dedicare; quàm inanis vitæ otio ſtudio prætermiſſo torpere, & fugaces doctrinarum ſenſus longo labore quæſitos literis alligare.* Verè igitur libri à Triſmegiſto vocati ſunt φάρμακον ἀθανασίας, à quo non diſſentit Clemens Alexandrinus[e] præſtantium hominum immortales commentarios appellans λήθης φάρμακον, *medicamentum obliuionis.* Nam ſicut medicamentum morbi depulſione ſanitatem affert; ſic libri nos ab obliuione vindicantes nobis pariunt nominis immortalitatem. Nec mirum id quidem; nam *ingenij præclara monumenta, ſicut anima, immortalia ſunt*, ait Saluſtius[f].

[b] Plin. ep. 2. l. 3.

[c] præfatione commentariorum in Matthæum.

[d] prologo in Matthæũ.

[e] 1. Arom.

[f] in Iugurth.

CAPVT

CAPVT III.

Tertia Bibliothecæ inſcriptio, Nunquam minus otioſus, quàm cùm otioſus.

DVabus rebus quæ langoré afferũt cæteris, acui conſueuiſſe animũ 1.
Scipionis Africani ſenioris M. Tullius ſcribit [a], *otio* nimirum, *&* [a] lib. 3. offi. cap. 1.
ſolitudine; ſic enim inquit *requieſcens à pulcherrimis reip. muneribus otium ſibi ſumebat aliquando, & à cœtu hominum ac frequentia interdum tanquam in portum, ſe in ſolitudinem recipiebat, dicere ſolitus, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus, nec minus ſolum, quàm cùm ſolus eſſet.* ex quo Plut. in vita Scip. Afric.
intelligi debet illum mentis agitatione, inueſtigationéque earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otioſum, nec ſolum vnquam fuiſſe. Appianus [b] ſcribit, in pompis imaginem Scipionis ſolius latam [b] in Iber.
fuiſſe ex Capitolio, aliorum è foro, *πολλάκις γὰρ ἐς τὸ καπιτώλιον εἰσῄει μόνος καὶ τὰς θύρας ἐπέκλειεν, ὥσπερ τι παρὰ τοῦ θεοῦ μανθάνων. Quia ſolus ſæpe ſubibat in Capitolium, & fores claudebat, quaſi aliquid à Ioue doceretur.* Ego eius dicti primam partem hoc capite complector, eámque rectè Bibliothecæ inſcribi pronuncio: de ſecunda dicetur poſteriùs.

Verùm, inquies, cui auſcultabo? tibi, an Senecæ? tu otium tuum 2.
grandi charactere Bibliothecæ tuæ inſcribis; Seneca [c] omnino id [c] ep. 68.
fieri vetat, cùm paſſim hæc inculcat, *Abſconde te in otio, ſed & ipſum otium abſconde; non eſt quòd inſcribas tibi Philoſophiam: conuocat turbam quiſquis otio ſuo fabulam impoſuit. Malim ignoſcas otio meo, quam inuideas; ſectari itaque otium licet, iactare non licet.* Tu verò tuâ iſtâ epigraphe alia omnia præcipis. Minimè verò, mihi crede. ego & Seneca nequaquam hoc loco pugnantia loquimur. Damnat ille illud hominum genus, qui non tam quietum in otio negotium, quàm inanem ex otio plerumque deſidioſo laudem quærunt: eſt enim adeò glorioſum literarium iſtud otium, vt etiamſi quoddam aliud huic affine homines deſidioſi exigant, eos vulgus putet ſolos viuere, ſe ipſis contentos eſſe & beatos. Ego quoque illud damno. At neque tu, nec quiſquis erit Stoicus auſterus, vel qui maximè reprehendere meritò poteſtis eos, qui volunt omnibus eſſe exploratum, ſibi eſſe ſtata quædam tempora, & certa loca, in quibus *otia rebus* miſceant, atque expediti ab vrbana ſeruitute, *& faſcinatione nugacitatis* (liceat mihi cum ſapiente loqui) *aſſerant ſe ſibi: mihi enim liber eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit.* Sen. de trãquill. c. 3. L. Craſſus orator apud Cic. l. 2. de orat.
Quàm multos reperies, qui ex ſuo tempore vix quidquam delibant, qui duriſſimam occupationum ſeruitutem ſeruiunt, qui nunquam ſibi viuunt, coguntúrque exclamare identidem, *Mihi viuere non licet?* Deinde putáſne ingenij laſſitudo minor ſit quàm corporis, licèt ſit occultior? huic reficiendo neceſſaria eſt aliqua ex interuallo quies; imò etiam & corpori vacandum, *cuius fulturis animus ſuſtinetur.* Tu proinde Plin. ep. 9.
ſi me audis, certum tibi quotidie deſigna tempus, in quo omnes intelligant te otioſum eſſe, hoc eſt, neceſſariæ corporis, & animi quieti, aut

ſtudio literarum nonnihil indulgere,vel te procul ab arbitris in cœtu tuarum cogitationum otioſè verſari.

Papæ (repones) quæ ſunt tua iſthæc præcepta ? otium mihi commendas ? ad Epicureas voces dilaberis? Viuum videntémque me efferś?
[a] l.9.eth.c.7. ſi enim viuere Ariſtoteli [a] eſt agere, ἐσμὲν ἐνεργείᾳ, profectò ἄνεσις ϗ σχολὴ, otium & remiſſio mors erit, eaque valde ignobilis. Tu proinde ſi me vis otium ſectari,atque illud foribus meæ Bibliothecæ inſcribere,
Heſiodus in ἀεργ. ibidem quoque meum velut mortuo elogium inſcribito. Quid dico elogium ? ἀεργίη δὲ τ' ὄνειδος, *iners otium dedecus*, atque omni morte intolerabilior vita, vtpote quòd Deo hominibúſque inuiſus ſit quiſquis ἄνεργος ζῶν. Vis in me ſuſcipiam probrum Iunij Syllani Aſiæ
Rhodig.l.11. c 1. Varro l.3.c.9. de re ruſt. Proconſulis,quem ob deſidiam *pecudem auream* Cæſar appellare conſueuerat ? Víſne velut auem altilem anguſto incluſum loco, immotúmque ſaginando corpori operam dare ? Attalus Eumenis frater otio marcidus, & tranquillitate reſolutus tradita Philomeni Imperij adminiſtratione linguis Romanorum patuit , ſciſcitantium venientes ex
Sen.ep.8. Aſia, Ecquid apud Philopœmenum Rex gratiâ valeret ? Quapropter noli me (amabo) ita odiſſe , vt otium mihi preceris , ad agendum nati ſumus, id appetit animus ſemper , vt qui nulla conditione quietem ſempiternam pati poſſit. Iube me potius in actu mori,vel etiam abſolutè mori, quàm in torpore viuere ; id enim mihi longè ſatius ſit, quàm vt otio natus,aut notus ſim : non vſqueadeo internæ animi pacis iuges delicias reſpuo,vt ignauiæ indulgens & colliqueſcens deſidia perturbationibus propugnaculum extruam παθῶν ὁρμητήριον. non
Iſidor. Peluſ.l.1. ep.9. [b] de fuga ſæc.c.6. ſum tam malè feriatus vt in *laſciuiæ ferijs*(ſic otium appellabat Ambroſius [b]) velim conſeneſcere; neque ita me infra hominem abieci , vt optem vermiculorum felicitate frui, quibus otium ſumma votorum
[c] in Pſalm. 124. [d] ad fratres de monte Dei. eſt ; vt dixit Chryſoſtomus [c] , & cùm bene latuerunt , bene vixerunt; *omnium tentationum & cogitationum malarum, & inutilium ſentina otium eſt*, ait D. Bernardus [d] ; *numquam otioſus ſit ſeruus Dei, quamuis à Deo feriatus ſit.* Nomen quippe tam ſuſpectum & vanum , & molle rei tam certæ, tam ſanctæ , tam ſeueræ imponendum eſt. *Otioſum non eſt vacare Deo , imò negotium omnium negotiorum, hoc eſt, quod quicumque in cella non agit fideliter, & feruenter , quodcumque agit , quod propter hoc non agit, ſcilicet vt Deo ſeruiatur agit,otiatur.* Ne multa , nullo modo mihi placet illa epigraphe, quâ otium prædicas,& ſuades.

3. Bona verba Philopone (libet enim hoc te cognomine appellare, quiſquis es adeò amans laboris , vt nec otij nomen , ſeu pictum , ſeu prolatum æquo animo feras,) ego quoque ſicut tu, odi & vehementer odi torpentis animi ſitum ; ac tantum abeſt, vt excitatos languefacere ſtudeam,imò languentes excitare geſtio. Excidítne tibi dictum Sene-
[e] de breu. vitæ. Attilius apud Plin.ep.9.l.1. cæ [e] ? *Soli omnium otioſi ſunt , qui ſapientiæ vacant , ſoli viuunt ; nec enim tantùm ſuam ætatem bene tuentur,omne æuum ſuo adijciunt*; idque otio literario acceptum referri par eſt. Caue putes in Bibliothecis incluſos nihil agere,cùm otientur : id ſi ita eſſet,in eos meritò caderet id quod ſuperiùs ex D. Bernardo attuliſti ; qui *otium iners* tanquam ſummam

mentis

mentis malitiam damnat; ſimúlque *inertiam laborioſam* ſuggillat: *pro vitando otio otioſa ſectari ridiculum eſt: otioſum autem eſt, quod nullam habet vtilitatem, vel vtilitatis intentionem*; at otium ſanctæ contemplationis, cui laudabiliter indulſit Maria Magdalena, Chriſto acceptum & gratum fuit, vt loquitur D. Gregorius: otium iſtud literarium non eſt ſegnities & ſolutæ mentis langor, ſed digna homine occupatio; quæ tamen quia caret operoſa illa infelicitate, quæ in externis rebus ſollicitè tractandis homines exercet, fatigat, cruciat; ideo otium appellata eſt. Appellare eodem iure mihi licet iſta quæ vulgò vocantur *negotia*, *occupatam inertiam*; quia vix vllus iſtis negotioſis hominibus, aut certè perexiguus conſtat ſuſcepti laboris fructus, qui tempus ſuum, rem pretioſiſſimam plerumque ſeculâ vili permutant, nec continuis illis impedimentis vnquam efficiunt, vt viuere ſciant.

4. At excellentium virorum nobiliſſimæ actiones in ſeductu ſunt: in priuato lare non tantùm priuatum, verumetiam publicum agunt negotium ſolis cogitationum & ingenij viribus. hoc ſenſu dicebat Scipio, nunquam ſe minus otiari, quàm cùm maximè otiaretur. Non tamen ipſe primus hanc otij laborioſi artem tradidit, nam (inquit Ambroſius [a]) *Sciuit ante ipſum Moyſes; qui cùm taceret, clamabat; cùm otioſus ſtaret, præliabatur. loquebatur in ſilentio, & in otio operabatur. Cuius autem maiora negotia, quam huius otia, qui quadraginta diebus poſitus in monte totam legem complexus eſt, & in ea ſolitudine, qui cum eo loqueretur, non defuit.* Non feriamur ignauiter in illo ſtudioſi otij diuerſorio (ſic placet indigitare Bibliothecas,) ſed vtiliter exercemur, vt loquitur Caſſiodorus [b], *per retractationes innumeras æſtuamus, & quaſi in palæſtra animæ ſpirituali concertatione fatigamur. Seceſſi à populo*, dixit Tertullianus [c], *imò vnicum mihi negotium eſt, nec aliud nunc curo, quàm ne curem: vita meliore magis in ſeceſſu fruare, quàm in promptu.* Et hæc maxima occupatio eſt; ſed tandem diſce ex Seneca quid rerum agant homines literati in illa vacatione & quiete intra Muſei parietes. *Poſterorum*, inquit, *negotium ago, illis aliqua quæ poſſint prodeſſe conſcribo; in hoc me recondidi, & fores clauſi, vt prodeſſe pluribus poſſim. Nullus mihi per otium dies exit, partem ſtudijs vindico, non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos cadenteſque in opere detineo*, &c. Multum igitur intereſt inter ſolitariam inertiam, & otium literarium: illa animalium propria eſt, quæ vel tædio lucis vel metu deliteſcunt, vel (quod turpiſſimum eſt) ſomno, ventri, ac libidini viuunt; iſtud ſapientium, qui eo maiora ſepoſiti agitant, quo minùs agitantur; & tam maximè ſibi aliiſque laborant, quando *requieſcendi causâ abducere animum à negotijs ſolent, & à conuentu cœtúque hominum ſubtrahere ſiſe, & aut ruris petere ſecretum, captare agrorum ſolitudines, aut intra vrbem vacare, animo indulgere quieti, & tranquillitati. Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis*, inquit Siracides. In quæ verba ſic D. Bernardus [d], *Si rectè ſapiens hortatur ſapientiam ſcribi in otio, cauendum, & in otio otium eſt, fugienda proinde otioſitas eſt mater nugarum, nouerca virtutum.*

[a] l. 3. de offic. c. 1.

[b] in Pſ. 76.

[c] l. de pall. c. 5.

D. Ambr. 3. offic. c. 1.

[d] l. 2 de conſid. in fin.

5. An putas deſidem eſſe gubernatorem ſedentem in puppi, & quiete clauum

clauum tenentem, cùm alij anhelant in remis, alij curſitant per foros, alij ſentinam exhauriunt? An tu ſtipendio indignos putas eos, qui in quieta ſtatione pernoctant, vel armamentarium cuſtodiunt; quando alij militari labore miniſteria periculoſiora obeunt, manus conſerunt, ſudant in campo, vel in propugnaculis murorum ruinas reparant, corporibus ſuis ac laterum oppoſitu hoſtes arcent? non igitur deſerunt officium, nec detrectant laborem, qui exigunt in Muſeo beatum illud otium, atque incumbunt in bonas illas artes, quæ bene exerceri niſi à quietiſſimis poſſunt.

6. Apponamus hîc Plinij iunioris ἐπιφώνημα ſuper huius otij honeſtate & delitiis, quibus fruebatur in Laurentino * ſuo, vbi in ſumma tranquillitate, & velut ludibundus velificabatur ſtudio literarum. *O rectam ſinceramque vitam,* inquit! *ô dulce otium, honeſtúmque, ac penè omni negotio pulchrius! ô mare, ô littus, ô verum ſecretúmque* Μουσεῖον, *quàm multa inuenitis, quàm multa dictatis. Proinde tu quoque Minuti ſtrepitum iſtum inanémque diſcurſum & multum ineptos ſermones, vt primùm fuerit occaſio, relinque, téque ſtudijs, vel otio trade; ſatius eſt enim, vt Attilius noſter eruditiſſimè & facetiſſimè dixit, otioſum eſſe, quàm nihil agere.* In eandem ſententiam eſt hæc Auſonij [a] exhortatio εἰς ἀπράγμονα βίον, *ad vitam otioſam:*

* Fuit villa Plinij iunioris, cuius elegantem deſcriptionem habes in eiuſd. ep. 17. l. 2.

[a] Eidyllio ad Paulum.

Dulcia ſecuri repetantur vt otia ruris,
Nugis amœna ſerijs
Tempora diſponas, vbi tu, tua, iúſque tuum ſit,
Vt nil agas, vel quod voles.

& Cicero [b], *Quid poſſum nihil agens, agere melius;* otium enim hominis eruditi eſt χῶρα πάμφορον, vt loquitur Syneſius [c], *ager frugum honeſtatis, & ingenij ferociſſimus.* mihi crede, qui nihil agere videntur, maiora agunt; humana diuináque ſimul tractant, & qui locus *Vatiæ* * inerti eſt pro ſepulchro, ſapienti eſt pro gymnaſio.

[b] 2. Tuſc.
[c] ep. 100.
Sen. ep. 8.
* Fuit Vatia prætorius ſenex ignauo otio, indulgens in villa, quam quoties Seneca præteribat, ſolebat dicere, *Vatia hic ſitus eſt.* Sen. ep. 55.

CAPVT IV.

Quarta Bibliothecæ inſcriptio, Nunquam minus ſolus, quàm cùm ſolus.

1. CVpientem tota mente defigi in contemplatione veritatis oportet (vti nos ſuperiori capite diximus, monétque D. Baſilius [d],) πᾶσαν σχολὴν ἄγειν ἐν κρυπτῷ τῆς καρδίας βουλευτηρίῳ, *in arcana cordis curia omnino otium agere.* Quod his verbis S. Leo dixit, *in aula mentis, diuinæ vacare ſapientiæ, vbi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum in meditationibus ſanctis & in delitijs lætetur æternis.* Franciſcus Petrarcha [e] negat ſe bene exiſtimare de homine, præſertim ſtudioſo, qui (ſi abſque intermiſſione honeſti officij liceat) non cupide interdum à procellis curarum in ſolitudinem velut in portum fugiat. Equidem miratus ſum & amaui pariter illud hominum genus apud Sinas, qui peculiari quodam vitæ inſtituto profitentur ſtudium ſapientiæ, poſtquam didici ex Nicolao Longo

[d] in Pſ. 33.
[e] l. 1. inuect. c. 1.

Longobardo noſtræ Societatis [a],eos apprimè probare,ruſticanos quoſdam ſeceſſus, & ſolitaria loca petere luminis naturalis contemplandi gratiâ, ſéque ipſos reformandi, & quaſi recoquendi, atque (vt ipſi loquuntur) in priſtinum illum ſtatum reducendi, in quo à cœlo creati fuerunt. Eamdem ob cauſam (ait) florent apud eos multis in locis cœtus quidam literatorum,qui fugientes aulæ Regiæ occupationes atque humeros muneribus publicis ſubducentes, quieti degunt in oppidis. Vnde vides eos nec adeò cæcos eſſe,quin clarè videant fruges probitatis & ſcientiæ colligi in ſolitudine vberrimas. Quod etiam experti ſunt Proceres Eccleſiæ ad vnum omnes, atque eo plerique nos inuitant, vnde tales ac tanti onuſtíque copioſis manipulis magno ſuo totiúſque Orbis bono prodierunt. Vnum hîc refero, quia videtur non adumbraſſe tantùm, ſed iconicè expreſſiſſe illa omnia, quæ ſuperioribus capitibus de Bibliotheca eiúſque idoneo poſitu à nobis dicta ſunt, & complectitur præceptum omni hominum generi incredibiliter ſalutare. ſic habet. *Ita habeto ſolicitudinem domus, vt aliquam tamen animæ vacationem tribuas; eligatur tibi opportunus & aliquantum à familiæ ſtrepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quaſi ex multa tempeſtate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus ſecreti tranquillitate componas. Tantum ibi ſit diuinæ lectionis ſtudium, tam crebræ orationum vices, tam forma expreſſa de futuris cogitatio, vt omnes reliqui temporis occupationes facilè hac vacatione compenſes: non hoc ideo dicimus, vt te retrahamus à tuis; imò id agimus, vt tu tibi diſcas, ibi mediteris qualem tuis præbere te debeas.*

[a] in ep. ann. 1598. oct. 18.

Hieronymus vel ſi alius eſt auctor Epiſtolæ ad Cælantium 14.

2\. Quàm vtile eſt ingredi in nubem, Moſis exemplo, dixit D. Gregorius Nazianzenus [b], & ὑποχωρῆσαι θεῷ τι μικρὸν, *aliquantulum Deo ſecedere.* Ego quod ad me attinet (inquit) ſubduxi me parumper ab hominum commercio, vt introſpicerem in me ipſum, excuterem mentem meam, & in illa ſolitudine diſpicerem, qualis ſim in frequentia; & ſiquid à me perperam dictum factúmve, ne rurſus eueniat proſpicerem; deinde vt in cœleſti ſolitudinis officina, *in meipſum intentus*, ὅπη ἐμαυτὸν ἐπέχων, animi prauitates, aut ſi quæ ſunt bona vel corrigerem, vel augerem. Abdere ſe conſueuerant in eiuſmodi remota ab arbitris loca quæ Plutarchus [c] σοφίας γυμνάσια vocat, quotquot dare operam ſuis cogitationibus, & diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locum cogere voluerunt: quod de L. Craſſo ſcripſit in hæc verba Tullius [d], *Dici memini ludorum Romanorum diebus L. Craſſum quaſi colligendi ſui cauſâ ſe in Tuſculanum contuliſſe.* Agrippina Auguſti neptis fœmina ſapientiſſima rediens ex Oriente in Italiam cum cineribus extincti Germanici, rata eſt non priùs prodeundum ſibi eſſe in Tiberij Imperatoris conſpectum, quin componendo animo, vt dixit Tacitus [e], pauculos dies inſumpſiſſet in Corcicæ inſulæ ſeductu. Eſt igitur ſolitudo egregia *morum formatrix*, ἠθοποιὸς ἀγαθή; ſed & Philoſophiæ ἀγαθὴ συνεργὸς, *adiutrix optima*, bonarum literarum parens & educatrix, & meritò à Fabio Quintiliano [f] præſtanti morum & dicendi magiſtro hac oratione laudata. *quod eſt potentiſſimum dicam. Secretum, atque liber arbitris locus, & quàm altiſſimum ſilentium ſcribentibus maximè conuenit.* Id cauſæ fuit quamobrem M. Tul-

[b] or. 41.

[c] de tranq.

[d] 4. Tuſc. 4. l. 1. de orat.

[e] l. 3. ann.

Plut. de tráq.

Syneſ. ep. 101.

[f] c. 3. lib. 10.

a 3.de off. lius dixerit [a], *Quantum licet, vt ſæpe ſoli ſumus*; profitetúrque ſe plura breui tempore euerſâ quàm multis annis ſtante rep. ſcripſiſſe; nimirum quòd neceſſitate compulſus ſit diſcedere à negotiis publicis, fugere hominum conſpectum, ſecum agere, & recipere ſe in ſolitudinem. Eadem etiam de cauſa F. Michaël Bonellus Cardinalis Alexandrinus Bibliothecam illam quam erexit, loci commoditate, forulorum elegantiâ, librorum numero, ornatu, & ordine in paucis nobilem *Eremum* nominauit.

Angelinus Rocca in append. ad Bibl Vat.

3. Attamen ne extra gyrum egredi videamur, & relinquere id quod præfixus Bibliothecæ titulus innuit; videamus quî fieri queat, vt nunquam minus ſoli poſſimus eſſe, quàm cùm ſoli ſumus; quomodo ſimul in celebritate verſari & degere in ſolitudine, regiam viam terere, ſimúlque (iuxta Pythagoræ præceptum) λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν. Si ſeceſſum religioſum ſpectas, rem paucis definit Apoſtolus: *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt*, quod iis euenire ſolet, qui in lalario ſuo ſolitarij in cœlum ſeſe efferunt, cœlitum choris ſe immiſcent, & quod de Pythagora cecinit Ouidius,

Mente polos adyt,

hoc ipſum iugi rerum cœleſtium contemplatione aſſequuntur. Eúmne tu ſolitarium voces, qui cum beatis mentibus adeóque cum ipſo numine familiariſſimè conuerſatur, colloquitur, inambulat, accumbit, &

Oſeæ 14. in conſpectu Angelorum pſallit, quem viciſſim eo conſilio Deus Opt.

2.Cor.6. Max. duxit in ſolitudinem, vt loquatur ad cor eius, inhabitet in illo,

D. Baſil. in p.28. atque inambulet velut in aula ſancta, & ἐν οἰκητηρίῳ θεοῦ, *in diuino domicilio?* Certè in ipſis domunculæ ſuæ penetralibus *tum ſibi minùs ſola videbatur, cùm ſola eſſet Maria*; *comites non deſiderabat quæ bonos comites cogitationes habebat*

S. Maxim. homil.32. Idem de ſolitario comitatu, & comitatiſſima ſolitudine

b l.3.off.c.1. eiuſdem Virginis: *quemadmodum ſola* (inquit Ambroſius [b]) *cui tot libri aderant, tot Archangeli?* In hanc ſententiam ſcriptores Aſcetici pluribus;

c Myſtag.l.3. ſect.2. atque in primis præclarè Creſolius noſter [c], apud quem leges, & illud

d l.1.in Iouin. Theophraſti meritò laudatum à Diuo Hieronymo [d], *Sapiens habet ſecum omnes qui ſunt, qui vnquam fuerunt boni, & animum liberum quocumque vult transfert. quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur, & ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. nunquam minus ſolus erit, quàm cùm ſolus fuerit.* O celebriorem omni frequentia ſolitudinem hominis ſapientis, numeroſo præſtantium ſcriptorum in Bibliothecis degentium comitatu ſepti. Quid præclarius quàm familiariter vti ingeniis omnium ætatum, omniúmque gentium excellentiſſimis, intereſſe rebus geſtis ſuperiorum temporum, audire quotquot hactenus extiterunt ſapientiſſimi Doctores, totam antiquitatem, & ſuperiorum ſæculorũ memoriam ante ſe ſiſtere in Muſeo; rurſus feram poſteritatem, omnéſque annos conſequentes anticipato rerum futurarum ſtatu, perinde ac ſi iam præſentes exiſterent, erudire? Ego ſanè reor nihil magnopere ſapienti deſiderandam eſſe ſocietatem corporum, cui ſua Bibliotheca prouidet ſocietatem animorum; quorum plerique haud paulò minùs reliquis hominibus eminent, quantum vulgus hominum præſtat beſtiis.

Itaque

Itaque eum tu ſolitarium ne voca, qui cum parentibus ſcientiarum, 4.
cum iuris Sacerdotibus, cum orbis Archiatris, cum poëſeos hierophā-
tis, cum opinionum conditoribus, cum Suadæ oraculis, cum cuſtodibus veterum monumentorum hiſtoricis, cum Theologiæ Antiſtitibus poſſit cùm libebit, totos dies noctéſque colloqui: ſinguli tantorum hominum ſunt homini ſtudioſo magnus comitatus, magna concio, magnum theatrum. hos vbi ad tempus dimiſerit, ac inambulans, vel quietè ſedens mente aliò traductâ meditari ſecum ipſe volet in Muſeo, nec tum etiam ſolus erit: quemadmodum nec ſolitaria fuiſſe putanda eſt illa, cuius eſt hæc vox: *Ego ſapientia in Concilio habito, & eruditis interſum cogitationibus.* ſic Sapiens [a], tum præſertim cum corpore ſolus eſt adhibet in Concilium ſuas cogitationes, ſuo ſingulas ordine de rebus humanis, diuinis, præſentibus, præteritis, futuris, cœleſtibus, abſtruſis, quotidianis; de tempore, de æternitate, de moribus, de ſeipſis grauiſſimè dicturas: ſi te hæc ſocietas non delectat, & cupis eſſe comitatior; certè tibi tecum non conuenit. *Turbam enim rerum hominúmque deſiderant, qui ſe pati neſciunt.* Dices: Crates Philoſophus cùm vidiſſet adoleſcentulum ſecretò ambulantem interrogauit, quid illic ſolus faceret? *Mecum*, inquit, *loquor.* Cui Crates, *Caue, rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris.* Vides hæc ſecreta colloquia lucifugorum cum ſeipſis? habent enimvero, habent plurimum periculi, & quæcumque à te enumerata ſunt ſolitudinis commoda, pereunt multis hominibus, nam ea quæ in illo ſeceſſu audacter, libidinosè, iracundè, inuidiosè, improbè, cupidè ſecum agitauerunt, confeſtim ſe produnt. Rectè admones, nemo eſt ex imprudentibus qui ſibi relinqui debeat: at iſte virtutis & literarum ſtudioſus quem hìc inſtruo, aut quem ſuis coloribus pingo, non inuenies cum quo eſſe melius poſſit, quàm in Muſeo ſecum. Non ſum tamen ita moroſus ac difficilis, &, quod de antiquis Monachis dictum eſt, *lucifugus*, vt non placeat illud Stoici: *Miſcenda iſta & alternanda ſunt, ſolitudo, & frequentia; illa nobis faciet hominum deſiderium, hæc noſtri; & erit altera alterius remedium: odium turbæ ſanabit ſolitudo; tædium ſolitudinis turba. Nec in eadem intentione æqualiter tenenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda.*

[a] Prou c.8.

Sen. in prol. nat. quæſt. l.4.

Idem ep.10.

Sen. l. de tranq. animi.

CAPVT V.

Quinta Bibliothecæ inſcriptio, Vocis, & animorum pinacotheca.

Ηχὼ μιμολόγον, φωνῆς τρύγα, ῥήματος οὐράν. *Echo imitatricem ſermonis,* 1.
vocis fecem, verbi caudam, quidam pictor voluit aliquando coloribus exprimere: iámque in machina tabulam extenderat, axiculum, legulam, cullulos, penicillos, amuſſim, circinum, regulam; & reliquum inſtrumentum apparauerat, ſumpſerátque carbonem opus graphide adumbraturus; cùm attentiùs in animi ſui conceptus intuens quâ tan-

Euodus l. 4. Epigr. Græcorum.

dem formâ nullis vnquam ſeu mortalium, ſeu immortalium oculis conſpectam Nympham figuraret, nec ſatis ei conſtaret de compoſitione membrorum, de conformatione lineamentorum, de corporis palæſtra, de colore, de veſtibus; incertus animi nunc accipiebat cretam, nunc abiectâ cretâ ſumebat galenam, mox indignatus galenæ ſumebat rubricam, ſuíque impatiens, quòd nec leui quidem manu opus adumbrare poſſet, attonitu ſimilis hæſitabat; hominem propè emotæ mentis conſpicata Echo è proxima ſpecu ſic affata eſt:

Auſon.ep.11. *Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor?*
Ignotámque oculis ſollicitare Deam?
Aëris, & linguæ ſum filia, mater inanis,
Indicij vocem quæ ſine mente gero,
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata ſequor verba aliena meis.
Auribus in veſtris habito penetrabilis Echo,
Et ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum.

2. Ad hanc vocem haud facilè ſit ſtatuere, triſtior, an lætior pictor fuerit. Euerſâ enim machinâ, & diſſipato inſtrumento ſeipſum irriſit, qui ἀσώματον moliretur, & ſonum ſub oculos ſubiicere tentaret.

Tamen id nec eſſe omnino extra artis poteſtatem teſtatur de Apelle Plinius. *Pinxit* (inquit) *& quæ pingi non poſſunt, tonitrua.* Certè animi noſtri mores & affectus pingi poſſe, licèt haud magis colorati ſint, quàm ſonus, in confeſſo eſt, de illis picturis quæ vulgò *ethicæ* appellantur, qua laude Polignotum excelluiſſe ſcribit Ariſtoteles [a], Πολύγνωτος ἀγαθὸς ἠθογράφος. Plinius eius artificij auctorem facit Ariſtidem Thebanum. *Is omnium primus*, inquit, *animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quod Græci vocant* ETHE; *item perturbationes* huic generi picturæ accommodari poteſt illud Lactantij [b], *Romuli nutrix lupa, honoribus eſt affecta diuinis, & ferrem, ſi animal ipſum fuiſſet, cuius figuram gerit. Auctor eſt Liuius Larentiæ eſſe ſimulacrum, & quidem non corporis, ſed mentis, ac morum*; fuit enim Fauſtuli vxor; & propter vulgati corporis vilitatem, *lupa* inter paſtores, id eſt, meretrix nuncupata: & quid mirum ſi mores pingi poſſunt ab excellentibus artificibus, qui ſcalpro, vel penicillo animare opera ſua, & vitam eis inſpirare poſſint? Vnde Martianus Capella [c] ait, *Mirabile præſtigium elegantiáque pingendi, cùm viuos etiam vultus æris, aut marmoris ſignifer animator inſpirat.* Et Caſſiodorus [d], *Mirabitur formis equinis ſigna etiam ineſſe feruoris: criſpatis enim naribus, & rotundis conſtrictis membris, auribus tremulis credet forſitan curſus appetere, cùm ſe metalla nouerit non mouere.*

[a] 6. de Poët.
[b] l.1.c.20.
[c] l.1.
[d] l.7.ep.15.

3. Alius eſt ſonum, & animum pingendi modus. De ſono quidem nihil eſt certius, quàm pauculis literis infinita nominum diuerſiſſimè ſonantium genera tam iconicè deprimi, vt cùm in apiculos quoſdam notáſque variè inter ſe connexas aciem leuiter intenderis, illico acutos, obtuſos, molles, duros, aſperos, inæquales, coniunctos, diſtinctos, breues, longos, & ſexcentos alios; quid dico ſexcentos? ſonos, inquam,

protſus

prorſus innumerabiles, vel audire miſſos è charta, vel in charta pictos videre tibi videatis; meritóque exclamat Tullius [a]; *Quis ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminauit*, hoc quid aliud eſt, quàm vocem & ſonum pingere; & efficere, vt id quod ex naturæ ſuæ ratione auribus ſolùm percipi poteſt, tamen cùm abeſt, & cùm omnino eſſe deſiit, ſui relinquat imaginem, quæ ſub lectoris oculos cadat. Rem hanc ſuo teſtimonio confirmat Phædrus apud Platonem [b], aiens orationem ſcriptam ſimulacrum quoddam ſermonis non iniuriâ nuncupari; ſicut ſermo ectypum quoddam eſt ex archetypo ſenſorum animi noſtri. Sic D. Gregorius Thaumaturgus [c] inquit, *Prima animi noſtri ſenſa ijs quæ ſuppetunt, vocibus depingentes effingimus; typorum animi characteres ſi non claros, nec ad ſpeciem ornatos, &, quemadmodum in carbonum pictura fieri ſolet, quoquo modo repræſentare conantes.* Iucundum eſt quod apud Athenæum poëta quidam miratur picturam loqui, & literas filias epiſtolæ natura fœminæ, eáſque mutas, non à præſentibus modò, verùm etiam ab abſentibus audiri ſimul, & intelligi, vel intelligi, licèt non audiantur, atque etiam audiri, licèt non intelligantur: at certè non minùs mirabile eſt locutionem pingi, quàm ſcripturam loqui poſſe. Audito primùm ſcripturæ nomine, occurrerunt ad papyrum loquentem Indi, rei nouitate obſtupeſcentes eiuſdem vocalis chartæ miraculo perculſi Peruanum certiſſimum diuinitatis argumentum eſſe putauerunt.

[a] 1. Tuſc.

Athen. l. 11. c. 17.

[b] dial. de Pulchro.

[c] orat. paneg. ad orig.

Biſciola l. 6. ſubceſ. c. 12. quæſt. hiſt. Ind. l. 2. c. 6. Petrus Cieza tom. 1. hiſt. Peruanæ c. 34.

4. Ludouicus Richeomus noſter [d], rem longè facetiſſimam narrat Gallico ſermone quo plurimum ſua ætate claruit: eam ſe accepiſſe ait à Religioſo quodam viro, qui anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo è Braſilia redierat. *Mancipium quoddam Peruanum ab Europæo nobili, qui in Braſilia tum habitabat, ablegatum eſt ad familiarem heri ſui nobilem item Europæum, cum fiſcinula ficuum, & literis. In via ſe ſeruus hic, hero ſuo ſcilicet monoſyllabus, fructuum nouitate, & dulcedine pellectus bonam eorum partem obliguriuit literarum ſecurus. Nobilis verbis acceptis hominem verbis accipere, ille admirari, & qui id ſciret, & verò etiam abiurare factum. Nobilis contrà adferre teſtes literas; alter contrà teſtari, literas mentiri, & eſſe inteſtabiles. Ergo mancipium cum indicibus literis remittitur ad herum ſuum. Herus diſſimulat factum. Paucis pòſt diebus ſeruum remittit cum ficubus & literis numero adſcripto. Hic ratus ſibi abundè cautum ab indicio fore, literas ſub ſaxum abdit, in quo ſeſſum ibat: &, Iam literæ, inquiebat, etiamſi Argi aut Lyncei ſitis, non videbitis delicias meas. Cum hoc dicto exinanit fiſcinam, & totum ſibi de ficubus inſtruit epulum, relictis pauculis quod ſupererat cum literis defert ad nobilem, ille numerum in literis quidem integrum, at in fiſcina dimidiatum tantùm reperit. Tum demum adoriri ſeruum, manus ambas excutere, & marſupium, literarum adferre teſtimonium de numero ficuum: contrà ſeruus purgare ſe, & ſacculorum oſtendere inanias, literarum fidem eleuare, quas certum ſciret, nihil vel per rimas potuiſſe arbitrari quando eas in ſaxa abdiderat: neque antè doceri potuit illiteratum mancipium, quid poſſent literæ, quàm ab hero ſuo tergum eius totum conſcriberetur ſtylis vlmeis.* hæc Hermannus Hugo [e] ex Richeomo, vterque vtrâ-

[d] lib. qui inſcribitur *l'Adieu de l'ame.* Aliquid ſimile (ſi non animo idem) refert Petrus Martyr in ſummario rerum Ind. apud Maiolum coll. 23.

[e] in præfat. libri de prima ſcribendi orig.

que linguâ eleganter. Putabat ſimplex & minimè malus Braſilus epiſtolæ ineſſe lumina, quibus ſe vidiſſet ficus abſumentem. Haud minus admiratione dignum videre poterat eaſdem voces, quibus epiſtola ſeruum illum ſtolidè planum & germaniſſimum ſycophantam interuerſi muneris reum detulerat, pingi potuiſſe, & quod admirabilitatem auget, non aliter quàm atramento, & properantis calami ſubitariis ductibus perfectiſſimè exprimi, imò & plura quàm ſcripta ſint ſignificari; quod fuit olim ſummæ laudi datum à Plinio [a] quibuſdam pictoribus, cuius & hæc obſeruatio eſt; quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera facta eſſe à præclariſſimis pictoribus, Apelle, Echione, Melantio, Nicomacho, cùm tabulæ eorum ſingulæ oppidorum vænirent opibus. *Nunc*, inquit, *& purpuris in parietes migrantibus, & India conferente fluuiorum ſuorum limum, draconum & Elephantorum ſaniem nulla nobilis pictura eſt. Omnia ergo tunc fuere, cùm minor copia. Ita eſt, quoniam rerum, non animi pretiis excubatur. Ita eſt profectò, artes deſidia perdidit, & quoniam animorum imagines non ſunt, negliguntur & corporum.* At longè præſtantior eſt ratio pingendi verba per literas, quæ ſolo lineari monochromate ſiue aureo, ſiue miniato, ſiue nigro, ſiue alterius generis nihil ad viuum non aſſequitur, nihil non abſolutiſſimè perficit: &, quod mirabiliſſimum, ex iiſdem literis res diuerſiſſimæ, adeóque inter ſe penitus contrariæ fiunt, vnde natum Græcum prouerbium, ἐκ τῶν αὐτῶν τραγῳδία γίνεται, καὶ κωμῳδία γραμμάτων. *Ex iiſdem literis tragœdia & comœdia componitur.* Eamdem humani ingenij ſolertiam in excogitanda hac picturæ ratione per literularum ductus ſuſpiciens Ericius Puteanus, *Poſtquam*, inquit [b], *primùm ſiue naturæ, ſiue induſtriæ miraculum euiluit, loqui; tentauit quiſque etiam ſine voce loqui: linguæ oriſque vices ad manum tranſlatæ ſunt, & ſermonis picturam niueum papyri æquor excepit.* Arduum ſanè opus, ſi rei naturam aſſumamus, &, Lucano teſte [c], planè audax.

Phœnices primi, (famæ ſi credimus) auſi
Menſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Quod de voce dixit, de mente dictum quoque eſto. Auſi (ait Poëta) vtique humanæ artis portentum: vnde Plinius [d], Ipſa gens Phœnicum in gloria magna literarum inuentionis. Picturæ laus maxima, & deliciæ artis in eo ſitæ videntur eſſe, vt ſolis lineamentis, abſque vllo colore, res coloratas adeóque res omnis coloris expertes, quales ſunt animi affectus, indiſcretâ ſimilitudine exprimat. *Monochromate*, quòd genus picturæ ex vmbra tantùm, & luminibus conſtare dicitur, ὃ δὴ σκιᾶς τε σύγκειται καὶ φωτός. veluti, ſi Æthiopem albis lineamentis deſignaueris, Æthiopem eſſe ſtatim agnoſcam. hac pingendi laude tantopere excelluit Apelles, vt aliquando Alexandriam vi tempeſtatis pulſus, ac ſubornato fraude æmulorum plano regio inuitatus, venit ad Regis Ptolemæi cœnam, cum quo non fuerat ei gratia in comitatu Alexandri; indignatique Ptolemæo, & vocatores ſuos oſtendenti, vt diceret à quo eorum inuitatus eſſet, arrepto carbone extincto è foculo, imaginem in pariete delineauit, agnoſcente vultum Plani Rege ex inchoato

Paulus Areſius hoc munus fuiſſe ait quatuor animalcula quæ Indi Vtias vocant, cuniculis valde ſimilia diſc. Impreſa proœmiale.

[a] l.35.c.7.

[b] or. 13. de palæſtra bonæ mentis.

[c] l.3.

[d] l.5.c.12.

coato protinus. Nihil minùs præſtat ſcribendi ſcientia, quidquid enim deſcribendum ſuſcipit, ita perficit, non quidem colorum varietate, ſed ſolo atramento, vt ipſiſſimam rem prorſus tibi videre videaris. Plin. l. 35. c. 2.

Venio nunc ad *imagines animorum*, quos dixi eſſe illud alterum quod pingi à ſcriptoribus poteſt longè perfectius quàm à pictoribus res corporeas. Legi quidem ſcriptum à Plinio morem fuiſſe veteribus Romanis præter expreſſos cera maiorum ſuorum vultus qui ſingulis diſponebantur armariis in atrio domorum, vt eſſent imagines quæ comitarentur gentilitia funera, ſempérque defuncto aliquo, totus adeſſet familiæ eius, qui vnquam fuerat populus: ſed, & idem auctor ait alias quoque collocatas fuiſſe circa limina, quas vocat *Animorum ingentium imagines*, affixis gentium ſpoliis, triumphaſséque etiam dominis mutatis ipſas domus. *Et hæc erat*, inquit, *ſtimulatio ingens exprobrantibus tectis quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Verùm hæ *animorum ingentium imagines* nihil aliud fuerunt, quàm imagines eorum corporum, & in quibus excelſæ mentes aliquando velut in domiciliis fuerunt: tamen quia frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, atque haud rarò contingit, vt grandes animæ malè collocentur à natura, quæ fortaſſe voluit oſtendere, poſſe ingenium fortunatiſſimum, ac beatiſſimum ſub qualibet cute latere, nec difformitate corporis fœdari animum, ſed pulchritudine animi corpus ornari; ideo hæc pictura animorum per corporis lineamenta, haud ita iconica eſſe poteſt & certa. 5. Cic. Sen. ep. 66.

Duplex eſt animum pingendi modus longè certior. Alter eſt *oratio*, quæ, vt loquitur Seneca [a], *vultus animi eſt*: ſi circumciſa eſt & fracta, & manufacta, oſtendit quoque illum non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti: idémque [b] de hoc argumento ſplendidiùs diſputans, & quærens, vnde tandem profectum ſit illud quod apud Græcos ceſſit in prouerbium, *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* ac ſæpe animaduerſum ſit, genus dicendi aliquando imitari publicos mores: ſi diſciplina ciuitatis laborauit, & ſe in delitias dedit, argumentum eſt luxuriæ publicæ, orationis laſciuia; *Neque enim poteſt eſſe alius ingenio, alius animo color: ſi ille ſanus eſt, ſi grauis, temperans; ingenium quoque ſiccum, ac ſobrium eſt: illo vitiato, hoc quoque afflatur, quia totum animo permixtum eſt, ab illo fingitur, illi paret, ab illo legem petit.* Tum rem totam illuſtrans exemplo Mœcenatis, *cuius oratio æquè ſoluta fuit quàm ipſe diſcinctus*, ſapienter admonet, *Quemadmodum in vino non ante lingua titubat, quam mens ceſſit oneri, & inclinata, vel prodita eſt; ita nec oratio, niſi animus labat*, illo ſano & valente, oratio quoque robuſta, fortis & virilis eſt: fuítque ſemper laudatum vetus illud, Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται. Et, τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων, vt Solon dicere conſueuerat. Non omittam Iſocratis ad Nicoclem ſuper hac re dictum. Ἐγὼ δὲ ὦ Νικόκλεις, ἡγοῦμαι μὲν εἶναι καλὰ μνημεῖα καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας· πολὺ μέντοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων, καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς λόγοις ἄν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσειεν *Equidem puto, ò Nicocles, pulchra monumenta eſſe corporum imagines: verùm pluris faciendas mentis & actionum icones, quas in ſolis orationibus artificiosè compoſitis ſpectare licet.* Prodit enim ſe animus in ſcriptione, atque illuc manus 6. a Ep. 115. b Ep. 114.

[a] Ep. 115.
[b] Ep. 114.

manus flectere calamum ſueuit, quò mens affectum: hinc Imperatoris Iuliani dictum [a], *Ego verò Telemache etiam te vidi literis, & effigiem animi tui ſanctiſſimi quaſi in paruo quodam ſigillo magni characteris typum expreſſum animaduerti.*

[a] ep. ad Georg.

7. Altera imago mentis noſtræ eſt *ſcriptio*, admirabilior ipſo ſermone, quem tamen eſſe imaginem animæ noſtræ perfectiſſimam diximus. Licèt enim lingua velut penicillus ſenſa animi noſtri voce tanquam coloribus exprimat, tamen ſtatim euaneſcunt colores illi, & vix perexiguo tempore ſenſum feriunt, atque à paucis hominibus percipiuntur; at ſcriptio & animum hominis delineat, & perennis eſt, ac propè æterna; atque ad præſentes ſimul & abſentes, adeóque etiam ad poſteros pertingit, transfértque mentium humanarum habitudinem, ſenſa, & conſilia tam ad viuum expreſſa, vt eius beneficio introire poſſit in intimos receſſus eorum, qui ſuperioribus ſæculis vixerunt, atque abſtruſiſſimas cogitationes in ſe ipſis contemplari. Sed & hoc nequaquam prætermittendum, quòd nec ipſarum imagines agnoſcere plerunque poſſemus cuius ſint, niſi accederet ſcriptionis ſubſidium: hoc artificium cum attentiùs conſideraret Petrus Gregorius Tholoſanus [b] ita exclamauit: *Diuinum miraculum certè, ex viginti quatuor notis atque interdum apud quaſdam gentes etiam paucioribus infinita vocabula, mentes diuerſæ, contrariæ, actus omnium, atque ipſæ cogitationes poſſint efficaciùs, & perfectiùs (addo & diuturniùs) quàm ipſa pictura repræſentari.* Huc pertinet quod ſuperiùs ex dicto Hieronymi retulimus [c], qui laudans B Phamphili martyris, in condenda ſacra Bibliotheca ſtudium, libros appellat *imagines ingeniorum, vera ac æterna monumenta.* Placuit Maiolus in ſubiectum argumentum hæc aiens, *Vnuſquiſque animi ſui effigiem ſine lineamentis in ſcriptura imprimit.* Verùm, quod præſertim mirabile eſt, ſeu bene, ſeu malè componas, & libros ſcribas, perfectam tui vel docti, vel indocti, vel prudentis, vel ſtolidi, vel triſtis, vel læti, aut volentis, aut inuiti, aut aliter quomodocumque affecti ſimulacrum edis.

[b] lib. de rep. c. 2.

[c] Ep. 141. ad Marcellum.

CAPVT VI.

Sexta Bibliothecæ inſcriptio, Ἄλσος ἀγλαοφύτευτον παντοδαπῆς σοφίας, ſaltus ſplendidè omni ſapientia conſitus.

1. MVtuatus ſum hanc inſcriptionem à Conſtantino Manaſſe, cuius Conſtantinopolitanam Bibliothecam deſcribentis verba, quia perelegantia ſunt, placet eſcribere.

Τοῦ τεμενίσματος ἐγγὺς τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας
Οἶκος λαμπρὸς δεδόμητο τοῖς πάλαι, βασιλεῦσι.
Κῆπος ἂν εἴπῃ τις ἁβρὸς βιβλιοφόρον δένδρον
Ἄλσος ἀγλαοφύτευτον παντοδαπῆς σοφίας.
Βίβλοι γὰρ ἐν αὐτῷ προστεθησαυρισμένοι·
Εἰς τρισμυρίας φθάνουσι πρὸς ἄλλας τρισχιλίας.

Τὸ

Τὸ τηλικοῦτον κῆπον ἦ, καὶ τοσοῦτον ἄλσος
Θεῖος ἀνὴρ ἐπίστευτο προέχων ἐν σοφίᾳ,
Τούτῳ συνῆσαν ἕτεροι, καὶ συνδιῆγον ἄνδρες
Ἀμισθὶ δ' ἦσαν παιδευταὶ τοῖς ἐρασταῖς τοῦ λόγου.

Prope templum ſanctæ Sophiæ, magnificæ ædes extructæ erant à prioribus Principibus. Erat hic hortus arborum ferentium libros, ſaltus ſplendidè omni ſapientia cōſitus, libri enim in eo erant reconditi iam olim ad triginta tria millia. Tantum hortum, tam ſplendidum ſaltum diuinus vir adminiſtrabat ſapientia præſtans; cum hoc alij viri erant duodecim implentes numerum circuli ſigniferi, qui gratis docebant ſtudioſos. Occaſionem metaphoricæ huius Bibliothecarum appellationis præbuiſſe mihi videtur magna affinitas, quæ ſemper inter arbores & literas interceſſit: id teſtantur arborum folia, quibus paſſim antiquitas vſa eſt tanquam idonea materia ad ſcribendum: & Græci membranas, & chartas φύλλα, Latini *folia*, Hiſpani *hojas*, Galli *feuilles* etiamnum appellant. de his foliis ad excipiendas literas olim adhibitis eſt illud Virgilij de Sibylla [a], a l.3.Æn.

——foliiſque notas, & carmina mandat
Quæcumque in folijs deſcripſit carmina Virgo. Et,
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ,

& ſexcenta id genus. De palma quidem teſtantur Plinius [b], & Oſorius [c]. Ille, in palmarum foliis fuiſſe priùs ſcriptitatum; iſte, Indos, ait, ſtylo in foliis arborum ſylueſtriū, quas propter ſimilitudinē palmas appellant, literas exarant. De maluâ fidem facit antiquorum nixus auctoritate Hermanus Hugo libello pererudito de prima ſcribendi origine [d]. Hinc C. Heluius Cinna apud Iſidorum ita ſcribit, b lib.13. c 11. c l.10.de reb. Emman. d c 10.

Hæc tibi Arateis multum inuigilata lucernis
Carmina, queis ignes nouimus ætherеos.
Leuis in aridulo maluæ deſcripta libello
Pruſiaca vexi munera nauicula.

qua de re iterum in Emblematis. Obſeruat idem Hermanus [e], etiam in foliis oleæ Siracuſanos indices exulum nomina ſcribere ſolitos, adeóque capitales ſortes fuiſſe frequenter inſcriptas foliis apud Græcos, argumento eſt vox ἐκφυλλοφόρησις, quæ *condemnationem* ſignificat. e ex Diodoro Sicu l.11.

De cortice ex arboribus detracto nemo dubitet, qui primariam notionem huius vocis *liber* intellexerit. Idémque eodem quo ſuprà loco Plinius [f] tradit ſcriptitatum olim in quarumdam arborum libris, quarum tres præcipuè ſpecies enumerat Vlpianus [g], Tiliam, Philyram, & Papyrum. Ego eiuſmodi libros, ſiue arborum cortices literis exaratos videre me memini in Bibliotheca Collegij noſtri Lugdunenſis in Gallia, tum verò non ita pridem in regia Bibliotheca Sancti Laurentij Schorialis in Hiſpania: vnde fidem non abnuerim Q. Septimio aienti [h] ſe vidiſſe opera Dictys Cretenſis in talibus tunicis deſcripta. 2. f lib.13 c.11. g l librorum, in princip.ff. de leg.3. h in præfat. ad Dictym Cretenſem.

Rurſus ante vſum chartæ & membranarum veteres ſcripſiſſe in dolatis ex ligno codicillis, ſiue aſſellis, ſiue tabellis, fuſiùs non diſputo, quia nihil eſt certius ex Plinio [i], Iſidoro [k], Martiali [l], Scaligero aliiſque paſſim: hac de re ex profeſſo ſuperiùs laudatus Hugo [m]. Vnus ſit inſtar 3. i l.13.c.11. k l.6.c.8. Scal cont. Guilland. l l.14. m c.10.

omnium Baronius [a], ex quo didici codicem Euangelij D. Matthæi repertum in ſepulchro D. Barnabæ Apoſtoli literis Hebræis in eiuſmodi tabellis conſcriptum, quas auctor vitæ apud Surium [b] thyinas eſſe refert. Plura eius conſuetudinis firmamenta facilè reperies; ſolum Symmachum profero, quia primos auctores, atque huius ſcriptionis originem indicat. Mallem (inquit) *Aborigenum more dictionem ſalutis alternæ ligno, aut corticibus ſcribere. Ægyptus papyri volumina Bibliothecis foróque texuit.* Mos quoque fuit in ipſis arboribus viuentibus virentibúſque ſcribere. Notum eſt Ouidij carmen [c],

Inciſæ ſeruant à te mea nomina fagi,
Et legor OEnone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina creſcent.
Creſcite, & in titulos ſurgite ritè meos.

Videtur Naſo Maronem hoc loco imitatus, qui hæc habet in Eclogis [d],

——*Teneriſque meos incidite amores*
Arboribus, creſcent illæ, creſcitis amores.

Ariſtenetus [e], τεῖα δὲ ὦ δένδρα, καὶ νοῦς ὑμῖν γένοιτο καὶ φωνὴ, ἢ γοῦν κατὰ τῶν φλοιῶν ἐγκεκολαμμένα φέροιτε γράμματα. *Vtinam ô arbores vobis mens ſit, & vox, vel corticibus inciſas ferretis hæc teſtantes literas.* Theocritus in Epithalamio Helenæ,

Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται, ὡς παριών τις
Ἀγρίη δωριστὶ, σέβου μ'· Ἑλένας φυτὸν εἰμί.

Literæ in cortice ſcribentur, vt quis præteriens legat doricè, Venerare me, nam Helenæ arbor ſum. Hæc de ſcriptione in arboribus, cui diſputationi cauſam dedit *ſaltus ille omni ſapientia conſitus*, vt Manaſſes Bibliothecam vocat: & quia ab eodem appellatur *hortus*; age, videamus num & etiam ipſi flores inſcripti literis reperiantur. Occurrit celebre Maronis carmen [f],

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores?

Cuius ænigmatis germanam interpretationem Ioannes Ludouicus de la Cerda, non eam eſſe putat quæ vulgò circumfertur, de Aiace Telamonio conuerſo in eum florem, qui adhuc præfert duas nominis *Aiacis* principes literas A. I. ſed potiùs de nomine Auguſto, quod erat inſcriptum vnà cum imagine eiuſdem Imperatoris in altera facie numi, quem L. Aquilinus Flores triumuir cuderat; in altera affines ſuo cognomine literas præferentem. ingenioſè prorſus, & eruditè, quiſquis eſt ille vir doctus, qui hunc eius carminis intellectum vel reperit, vel ſtabiliuit, cui ſe gratias habere profitetur ſuprà laudatus Pater de la Cerda, cuius præſentis ac nobiſcum familiaris agentis ingenium candorem haud minus amamus, quàm teſtatiſſimam hominis literarũ politiorum bono nati eruditionem ſuſpicimus. Tamen communem ſenſum amplectimur vt vero propiorem, ſuffragante præſertim Ouidij carmine,

Littera communis medijs pueróque, viróque
Inſcripta eſt folijs, hæc nominis illa querelæ.

vbi

[a] in Mart. Rom.
[b] tom. 3.
Symmachus.
[c] Heroid. 5. OEnone Paridi.
[d] Ecloga 10.
[e] lib. 1. epig. 10.
Theocrit.
[f] Ecl 3.
Ouid.

vbi *communem literam* vocat A I. vel Υ A. à qua Αἴαντος, vel Υάκινθος nomina incoantur: fuiſſe verò illud Maronis carmen paſtori à paſtore pro ænigmate propoſitum, non vſque adeò mirum eſt; neque enim alterum ænigma propoſitum ab altero paſtore de cœlo tres non amplius vlnas patente, erat iſto difficilius: ſufficiebátque tales amœbæos ludos ſolùm habere eam difficultatem, quę ex tempore haud facilè cuiuis pateret. Harum itaque arborum, & florum memor Manaſſes, Bibliothecam Conſtantinopolitanam cognominare potuit ab pomariis, & hortis.

Altera huius appellationis illi fortaſſe occaſio fuit, fatalis illa arbor in Edeno horto, quam ipſe Manaſſes γνώσεως ξυλὸν, *lignum cognitionis*; ſacer verò textus, *Arborem ſcientiæ boni & mali indigetat*; indéque tranſlatione ſumptâ vocauit *Bibliothecam hortum, & pomarium*; *libros* autem quotquot eſſent in loculamentis depoſiti, *arbores*, ex quarum vſu obueniret ſcientia, eâdem ex causâ cognominare conſequenter poſſumus. Nec diſſimili metaphora vſus S.Greg.Naz. dixit occupationem primorum parentum in delicioſo illo horto, vbi coloni fuerant collocati à ſupremo numine, fuiſſe contemplationem: ac propterea intentos ſtudio inſerendarum ſuarum mentium cœleſtibus cogitationibus vocauit φυτῶν ἀθανάτων γεωργὺς, *plantarum immortalium cultores*. 4.

Non erit alienum quærere hoc loco breuiter, Ecquæ tandem fuerit illa *arbor ſcientiæ boni & mali?* habuerítne à Deo id nominis, quòd qui eius fructus guſtaſſent euaſiſſent illico eruditi. Et quemadmodum Pythagoreis interdictū putatur ne veſcerentur faba, quòd ea res habet inflationem magnam; conſtétque cibum illum tranquillitatem mentis quærentibus contrariū eſſe, teſte Plinio [a]. Item nec à fabis ſolùm abſtinebant, verùm etiā ab alio genere leguminū quod Lethyrū, & Erebynthum vocant, ὡς παρώνυμοι τῷ ἐρέβῳ καὶ τῇ λήθῃ, quia nomen *Erebo & lethe* conſonum habent, hoc eſt, *caligini, & obliuioni*, quæ voces inauſpicatæ ſunt ſapientiæ ſtudioſis: ita ex comeſtis fructibus huius arboris ſcientiæ boni & mali, homines conſequerentur ſcientiam: hoc non puto. Non eructaſſet fœdum ex imo gutture mendacium circumſcriptor tartareus, cùm inſuſurrauit in aurem primorum parentum ferale illud carmen; *eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum*; eum autem mentitum eſſe, cómunis ſententia eſt. Nodum hunc meo quidem iudicio ſcitè ſoluēt Rupertus, & Auguſtinus, cuius vtriuſque opinioni libens accedo. *Hoc lignum* (ait Rupertus [b],) *ironicè dictum lignum ſcientiæ boni & mali, vt ipſo nomine ſuo monimentum legentibus repræſentet diabolici mendacij.* Subtiliter ſuo more D.Auguſtinus duobus locis, *Arbor illa,* (inquit,) *appellata eſt ſcientiæ dignoſcendi bonum, & malum quia ſi poſt prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura tranſgreſſio, in qua homo experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum.* Tum alibi, *Aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. Vnde & ipſum lignum, eo quòd iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contravetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, vt appellaretur lignum ſcientiæ boni,* 5.

Cic. de diu. l.1.

[a] c.12.l.18.

Gen. 3 Rupertus l. 2. c. 27. & Sallian fusè.

[b] ibidem.

Idem S.Cyrill. l.3. in Iulianum. Euch. l.1. in Gen.

& mali. Experta enim morbi moleſtia, euidentior fit, & iucunditas ſanitatis. Itaque veriùs ex Ruperti,& Auguſtini ſententia Bibliothecas appellauerimus,*hortos,pomaria,ſaltus ſplendidè omni ſapientia conſitos*;adeóque ſingulos libros potiori iure dicemus eſſe integros hortos, nedum arbores ſcientiæ boni & mali, quàm Stygius præſtigiator arborem illam Edenam latentis diuinæ ſcientiæ fontem nuncupauit.

6. Id ſi de quolibet bono volumine verum eſt, de ſacris libris eſt ſanè longè veriſſimum. Accipe ſuper ea re ambroſiam Mediolanenſis præſu-
[a] l.4.ep 31. lis ſuauitatem. *Deambulat*(inquit [a])*in paradiſo Deus,quando diuinas Scripturas lego. Paradiſus eſt Geneſis liber, in quo pullulant virtutes Patriarcharũ; Paradiſus Deuternomium, in quo germinant legis præcepta; Paradiſus Euan-*
[b] l.3.ep.388. *gelium,in quo arbor vitæ bonos fructus facit.* Adi Iſidorum Peluſiotam [b],& te docebit diuinam Scripturam eſſe λειμῶνας εὐανθεῖς, *prata feliciſſima*.D. Athanaſius quid? Quoties Pſalmorum codicem ſumebat in manus,toties ſibi videbatur ingredi in hortum *peramœnum*,ac propterea παράδει-
[c] lib.de diuinis lectionibus. σον illos appellare conſueuerat; ſicut Caſſiodorus [c] idem Pſalterium continere ait *poma innumera,quibus ſuauiter humana mens ſaginata pin-*
[d] Glaphyt.in Gen.l.4. *gueſcat.* Quid Cyrillus [d]? Scripturam ſacram ὥσπερ πόαν ἀνθεσάτην, *agrum floridiſſimum*:ſed omnium copioſiſſimè & aureè Chryſoſtomus [e] ſacra-
[e] hom in Eutropium tom.1. rum literarum amœnitatem prætulit, Heſperidum,& Alinoi & Babylonis hortis,omnibúſque viridariis quæ fingi poſſunt vtilitate fructuũ, vel ſuauitate odorum, vel perennitate florum, vel deſcriptione arborum,vel Zephyrorum aſpiratione,aliiſque id genus oblectationibus,& commoditatibus commendanda. *Suaue quiddam eſt pratum & hortus*, inquit,*vtroque tamen multo ſuauius ſpirat diuinæ Scripturæ lectio: reperies quidem illic flores,verùm qui tempore marceſcunt; hîc occurrunt ſententiæ in natiuo vigore permanentes:illic adſpirat Fauonius; hîc afflat aura Spiritus ſancti:illic ſpinæ pro muro ſepiunt hortum;hîc Dei prouidentia tutum reddit lectorem: illic cicadæ ſtridore ſuo obſtreperæ;hîc Prophetæ ſuaui iubilo perſonantes: illic ex ipſo aſpectu quiddã delectationis concipitur;hîc autẽ ex ipſa mox lectione plurimũ decerpitur vtilitatis:horti vtique pro tẽporum qualitate ſeruit neceſſitatibus;ſcripturæ autẽ perinde hiberno atque æſtiuo tempore perennant,comantibus vndique folÿs,& fructuum pondere degrauantur;hîc non olera Alcinoi ſpectanda*(inquit
[f] l.4. in Luc. initio. D. Ambroſius [f],) *ſed ſacramenta ſunt Chriſti*, imò (vt loquitur D. Ire-
[g] l.4.c.23. næus [g],)*ipſe Dei filius inſeminatus eſt vbique in Scripturis.*

7. Qui ſunt illi flores,inquies,qui nitẽt in hoc Scripturæ horto? Flores, tu ipſe qui hoc rogas:flores quos voles mihi nomina,exoticos,vernaculos,domeſticos,pratenſes, montanos, colore ſpectabiles,odore ſuaues, ſucco ſalutares;ego tibi omnes à viola,quæ primus eſt eadémque veris nuntius,vſque ad crocũ,in ſacris iſtis areolis indicabo,quin etiã, quod
Plin.c.2.l.21. eſt lõgè mirabilius,nõ hîc flores odoréſque in diẽ gignuntur,(vt palàm eſt in aliis hortis *admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè floreant,celerrimè marceſcere.*)Verùm licèt in diuina Scriptura ſit tanta florum varietas,vt nec pictura ſufficiat imagini eorum reddendæ, & mixturarum varietati; ſiue alterni atque multiplices inter ſe nectantur, ſiue priuatis generum funiculis:tamen iis gratia,& nitor perennis eſt,fragrãtia & ſuccus perpetui:

perpetui: cuius varietatis & perennitatis miraculum ſuſpiciens D. Chryſoſtomus hæc ait *Illic*(in hortis ſcilicet,vbi videtur ludere in magno gaudio natura) *manu tantùm carpimus flores, & protinus marceſcentes ſuam gratiam amittunt; hîc autem*(in ſacris literis) *non ſic: ſed quando auribus virtutes iſtorum accipimus,& eas in ſinu mentis reponimus, per omne tempus,ſi volumus,eorum ſuaueolentia frui poterimus*.Porrò inter cęteros flores quibus vernat Scripturæ hortus, habes in ea (ait Tertullianus[a]) *florem ex virga Ieſſe, ſuper quem tota Spiritus diuini gratia requieuit, florem incorruptum, immarceſcibilem, ſempiternum. Carpis illic* (addit Ambroſius[b]) *nouum florem qui bonum odorem dedit reſurrectionis: càrpis lilium in quo ſit ſplendor æternitatis;carpis roſam, hoc eſt, Dominici corporis ſanguinem.* vnde pulcherrimè Scriptura ſacra dicitur *Lectulus floridus*,in quo anima Deo dilecta ſuauiſſime obdormiſcit. Quò alluſit Hieronymus[c], ita ſcribens,*Tenenti codicem ſomnus obrepat,& cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* Adnecto his quæ diximus eximium quemdam florem libatum in horto D.Caroli Borromæi. Suadebant amici compararet ſibi hortum, & pomarium iuxta palatium Archiepiſcopale, quò fatigatus ex continenti labore & pietatis operibus ſe conferret, animum tantiſper in illa amœnitate inter flores,& fructus identidem laxaturus.Quibus vir Dei vocem hanc gemmeam,*Epiſcopi hortus atque pomarium*, inquit,*ſacra Scriptura eſt.*

[a] de cor.mil. c.15.
[b] ſerm.14.in Pſ.118.
Cant.1.n.15.
[c] ad Euſtoch.
Ioan. Petrus Tuſanus in vita S.Caroli Borrom.l. 8.c.27.

Nimius ſim ſi reliqua perſequar quæ ſancti Patres aſſidui cultores horti,ſiue pomarij ſacratum Scripturarum in hanc ſententiam congerunt; è multis paucula libabo. 8.
D.Greg. Nyſſenus ex arborum inſitione metaphoram elegantem petit, qua ſe ſui fratris magni Baſilij diſcipulum eſſe, & ex eius librorum lectione plurimum ſe profeciſſe ingenuè confitetur. *Agricolas imitabor*, inquit[d], *qui mirabili quadam ratione ex vna eadémque planta varios fructus percipiunt. id autem aſſequuntur inſerendi artificio, quod eiuſmodi eſt. puſillum aliquod ex arbore quapiam germen vnà cum cortice baſi illius ſubiecto decerptum, in alterius arboris maioris aliqua parte inciſâ,vt ſi cortex quadret,includunt; vt naturali maioris arboris humore germen illud contritum coaleſcat, ramúſque fiat: meam itidem ego cogitationem quaſi germen,aut ſurculũ exiguum,& magnæ arbori,nempe præceptoris noſtri ſapientiæ inſeram, occaſione mihi inde ſuppeditata,tanquam humore quodam irrigatus pro viribus ramus eius efficiar.* hæc ille. quibus verbis indicat,rem prorſus ita ſe habere in Bibliothecis, ſicut in pomariis, in quibus poſteriores ſcriptores ab antiquioribus adoptati,velut aduenæ, & nouelli ſurculi,ſuam ex alieno vitam faciant. Idem Gregorius Nyſſenus[e] ſimili ex arboribus petita allegoria commendat ſcripta eiuſdem magni Baſilij, ea comparans cum arbore euangelicâ, quæ patuli ſublimium cogitationum diffuſa ramis longè latéque porrigitur, & faſtigium aſtris inſerit,præbétque piis mentibus (quas ſacrum Euangelium *volucres cœli* appellat) opportunum ad nidificandum locum. His conſentanea dixit Socrates apud Platonem[f].*Vt fameſcentibus animalibus*, inquit,*qui frondes porrigunt,ea vltrò citróque ducunt,ita tu mihi Phædre,librum porrigens per totam Atticam,& aliò quo velis perduceres.* Idem[g] ſub finem ait,

Mendoça annot. 1. proœm. ſect. 3. in libb. Reg.
[d] init. Hexaëm.
[e] in Hexaëm. Græcè.
[f] dial. de Pulchro initio.
[g] ibidem in fine.

ait, *hominem iuſti iniuſtique peritum non eſſe imperitiorem agricicolis ad ſemina ſua doctrinæ ſpargenda : illa enim* (præſertim cùm ſe profuturum ſperat) *in aqua nigra cum ſermonibus ſeminat ; & hortos literarum ſerit & deſcribit, & poſtquam ſcripſerit, tanquam monumenta theſauróſque ad ſenectutis futuræ obliuionem tam ſibi, quàm cæteris veſtigiorum ſuorum ſectatoribus lætabitur vtique notos iam tenellos ſuos fructus inſpiciens.* Tum denique ſubdit præclarum ſtudium eſſe, *quando quis arte dialectica vtens animum nactus idoneum ſermones cum ſcientia plantat, & ſeminat; quæ & ſibi ipſis & ſatori ſuo afferre opem poſſunt, fructúſque producunt, & ſemina reddunt.* hic ille eſt celebris in Platonis ſympoſio locus, quem nunc *Iouis*, nunc *mentis hortum* vocat, tantæ felicitatis, vt in eum *ſipenia*, hoc eſt, ipſamet inſcitia ingreſſa, & paululum commorata fuerit, *Porus* affluentiæ Deus eam illico omnis doctrinæ largitate perfundat. Rurſus [a] campum quemdam veritatis dicebat eſſe πεδίον τῆς ἀληθείας, in quo animæ liberè ſpatiarentur, & in eius contemplatione mirificè delectarentur. D. Gregorius Neocæſarienſis [b] ait moralem Philoſophum eſſe *quiddam omnium multò maximum, & cuius gratia laborat gens tota Philoſophorum, quaſi ex varia reliquarum diſciplinarum conſitione bonos fructus colligit.* Vtinam ita fiat ſicut fieri par eſt; nimirum vt plus operæ & temporis nunc impendatur in excolenda, & in ſcholis accuratè tractanda ea parte Philoſophiæ, quæ eſt de moribus, & potiùs aliis partibus detrahatur quod huic accedat, quàm contrà. ſed hac de re inferiùs. Certè vt hoc fiat, & diligentius quàm cæteræ partes curetur, Philo Philoſophus [c] admonet petitâ ex viridariis, ſeu pomariis eleganti allegoriâ, Philoſophiæ rationem triplicem (inquit) priſcos aiunt agro aſſimilaſſe, ita vt *naturalem* arboribus ſtirpibúſque faceret ſimilem; *moralem* verò fructibus, propter quos ſunt arbores; denique *rationalem* ſepi & maceriæ. τὸ μὲν φυσικὸν δένδροις καὶ φυτοῖς. τὸ δ' ἠθικὸν καρποῖς, ὧν ἕνεκα καὶ τὰ φυτά. τὸ δ' αὖ λογικὸν φραγμῷ καὶ περιβόλῳ. Quemadmodum enim, inquit, maceria fructus plantáſque agri conſeruat arcens irrumpendi, nocendíque cupidos, ita & τὸ λογικὸν μέρος φιλοσοφίας φρουρά τις ἐστὶν ὀχυρωτάτη τῶν δυοῖν ἐκείνων. rationalis pars Philoſophiæ præſidium munitiſſimum eſt reliquarum duarum ἠθικοῦ τε καὶ φυσικοῦ, *moralis, & naturalis.* Cùm enim duplices & ambiguas dictiones explicat, & ſophiſmatum perſuaſibilem ſpeciem diſſoluit, & probabilem deceptionem maximam pernicioſiſſimámque eſcam animæ tollit è medio, adhibitis ſermonibus diſertis, & demonſtrationibus indubitatis, tanquam ceram læuigatam intellectum parat ad experiendos Phyſiologiæ moraliſque diſciplinæ characteres valde probos & integros. hæc ſunt quæ ἡ ψυχῆς ἐπαγγελλομένη γεωργικὴ τεχνιτεύει animæ agriculturæ profitetur; effodiam arbores omnes imprudentiæ, intemperantiæ, timiditatis, iniuſtitiæ ; excidam & voluptatis, concupiſcentiæ, iræ, furoríſque, ac ſimilium perturbationum ſtirpes, etiamſi ſe ad cœlum extulerint, aduram & radices earum immiſſo penitus in terram incendio; ne quæ pars, imò ne quod veſtigium, ne vlla vmbra ſit reliqua : & hæc quidem auferam. Inſeram autem, φυτεύσω δὲ ταῖς μὲν ἐν ἡλικίᾳ παιδικῇ ψυχαῖς μοσχεύματα· ὧν ὁ καρπὸς αὐταῖς γενήσεται· ἔστι δὲ ταῦτα τὸ γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν

[a] in Phædr.

[b] Oratione panegyr. & chariſtia ad Origenem.

[c] l. de agricult. initio.

Plato in conuiuio.

ἀναγινώσκειν εὐστοχὲς ἐπιτήδευσις, ἡ τῶν παρὰ σοφοῖς ποιηταῖς ἀκριβὴς ἔρευνα, γεωμετρία, καὶ ἡ περὶ τοὺς ῥητορικοὺς λόγους μελέτη, καὶ σύμπασα ἡ ἐγκύκλιος παιδείας μουσική. Primùm in pueriliſ ætatis animas ſurculos, quorum fructus ipſas enutriet: ſunt autem hi ſcribendi legendíque certa induſtria, eorum quæ ſunt apud ſapientes poëtas diligens ſcrutatio, geometria, oratoriæ facultatis meditatio, & vniuerſa liberalis Muſica: in iuueniles verò, ac viriles iam meliores perfectioréſque φρονήσεως φυτὸν, *prudentiæ plantam*; fortitudinis, temperantiæ, iuſtitiæ, omníſque virtutis. Quòd ſi quid ad ſylueſtrem, quam vocant, Muſam pertinens, nullum quidem veſcum fructum afferat, poſſit tamen quæ ad cibum proſunt munire conſeruareque. Hoc quoque reponam, non propter ipſum, ſed quia natum eſt ad neceſſariarum vtiliúmque rerum miniſterium. Hæc Hebræorum diſertiſſimus de hominis eruditi, & ſapientis anima, quam rectè vocare potes *ſaltum omni ſapientia conſitum*, quarum doctarum mentium operibus, vel potiùs ipſiſſimiſmet ingeniis omnium ſcientiarum flore nitentibus, & fructu onuſtis conſitæ ſint Bibliothecæ. Statue nunc apud animum tuum lector, quales hortos, qualia pomaria, quàm ampla viridaria, quàm amœna plantaria, quales ſapientiæ ſaltus eas eſſe oporteat? Eamdem de tripartitæ Philoſophiæ ratione cum agro conſito comparationem innuit ex Zenone Laërtius [a]. Similem Themiſtius, & quidem elegantiſſimè aiens, idem contingere in diſciplinis, quod in arboribus, quarum nonnullæ delectabiles ſunt patulis diffuſæ ramis, & amœna denſitate opacæ, verùm infructuoſæ ac inutiles, ſolúmque puellis luſitantibus, aut viatori de via feſſo opportunæ; aliæ verò fructuoſæ ſunt iuxtà, ac delectabiles, qualis eſt ſciẽtia de moribus, de qua inferiùs ſuo loco dicetur.

[a] Orat. 19.

Neſcio vbi Raderus noſter legit Romæ in Apollinis templo pependiſſe lychnuchum inſtar arboris, in quo poëtæ libros à ſe recèns in lucem editos proponebant legendos omnibus, iuxta illud Horatij [b], 9.

[b] in arte.

Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Fuiſſe quidem in æde Apollinis, vt in multis Chriſtianorum baſilicis, polycandela, lychnuchum penſilem arborum modo mala ferentium lucentem, quem Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicauerat eidem Deo, teſtis eſſet Plinius [c]. At excipiendis recèns editis libris deſtinatam fuiſſe, fateor non legi apud quemquam veterum; placet tamen.

Anaſtaſius in Sylueſtro. Bulengerus de donariis Pontificum l. 1. c. 8.

[c] l. 34. c. 3.

Coronemus iſtud caput pulcherrimo, & ſuaueolentiſſimo ſerto decerpto ex S. Maximi areolis, ſanctorum Patrum ſcripta ſic prædicantis: 10.
Non quædam (inquit) *propriè mea, leuiaque proferam; ſed quæcumque clariorum beatorúmque Patrum prata peragrans de illorum roſeto collegi: quorum roſæ, aqua ex latere Dei ac ſermonis qui carnem aſſumpſit manante rigantur; & à iugi ſanguinis indidem orti riuo, rubro colore tinguntur; totúmque mundum ſuaui odoris fragrantiâ replent: qui & ſplendore ſuo firmamenti luminaria vincunt, & vita ſermonem continent.* Græcè eadem ſic, auctoris lingua elegantiſſimè. οὐχ' οἰκεῖά τινα ἢ αὐτοσχέδια φράζων, ἀλλ' ὅσα τῶν ἀοιδίμων καὶ μακαρίων πατέρων τοὺς λειμῶνας ἐπελθὼν τῆς ἐκείνων ῥοδωνίας συναγαγών· ὧν τὰ ῥόδα τὸ ἐν πλευρᾶς ὕδατι τοῦ θεοῦ, καὶ λόγου σαρκωθέντος ἄρδεται, καὶ τὸ ζωῆς ἐκεῖθεν αἵματι ἐρυθραίνεται·

ἐρυθραίνει). οἱ κόσμον ὅλον ἀσπάζοντα λάμποντες, καὶ δαδουχοῦντες· ὑπὲρ τὸν, &c. Hæc ſufficiant, vt videaris Muſeum tuum meritò inſcripſiſſe illa epigraphe quam Conſtantinus Manaſſes huic capiti præfixit, vel hac quæ eſt Thaumaturgi Gregorij[a], φυτεία ἁπάντων μαθημάτων. Singulare eſt quod refert in hanc ſententiam Gaſpar Eſcolanus[b]. *Raymundus Lullus* (inquit) *ſcripturus artem ſuam generalem iuſſu Chriſti crucifixi, qui ſe videndum ipſi obtulerat Seraphini ſpecie diuino ſplendore ardentis; ad radices cuiuſdam montis in vmbra proceræ lentiſci ſedit, & ſcribere aggreſſus inclinato in veſpertinum tempus die, ibidem altiſſima contemplatione a ſeipſo abalienatus pernoctauit; ſcriptione mox repetita non prius intermiſit, quàm opus abſoluit: abſoluto commentario, res mira, ſingula lentiſci folia vidit variis linguarum characteribus Græcæ, Hebrææ, Chaldaicæ, Latinæ, Arabicæ, & aliarum vulgò incognitarum inſcripta: extátque etiamnum hodie, viuitque illa arbos, & quotquot in ea folia naſcuntur varias illæ literarum formas exhibent: atque eius prodigij teſtis eſt vniuerſa Balearis maior. rei miraculo attonitus Raymundus duos continuos dies pius precibus & gratiis ſuorum commentariorum approbatori Deo Opt. Max. agendis conſumpſit. Iterúmque oblati ipſi Chriſti è cruce pendentis ſpecies monentis conſcriptam ab ipſo artem tot profuturam nationibus, quot ſunt in ea lentiſco folia.* Hæc Eſcolanus, apud quem, quemadmodum & apud Gabrielem Vaſquem[c], legi optauerim ea quæ de Raymundo Lullo in vtramque partem afferunt, priuſquam ſycophantiæ & præſtigiarum à quoquam inſimuletur.

[a] in laudem Philoſophiæ moralis.
[b] l. 3. hiſtoriæ Valentiæ c. 21.
[c] in 1. p. diſp. 133. c. 4.

CAPVT VII.

Septima Bibliothecæ inſcriptio, Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος, Seneſco multa ſemper dicens.

1. NOn cohærere videntur ad ſpeciem cum Solone, cuius eſt hæc inſcriptio[d], ea quæ Seneca[e] dicit plurimis locis, & multiplices quæ de ſenum ſtudio circunferuntur parœmiæ, *Turpis & ridicula res eſt ſenex elementarius: iuueni parandum, ſeni vtendum.* hæc ſanè paulò ſeueriùs dicta videri poſſint ab homine Stoico, niſi horum verborum nexus cum proximè ſuperioribus obſeruetur. Duplex enim eo loco liberalium ſtudiorum genus ſtatuit: alia ſunt quibus perfundi ſatis eſt; alia quibus tingendus animus. At licèt vtraque diſcenda; tamen quemadmodum omnibus annis ſtudere honeſtum eſt, ita non omnibus inſtitui. Senem enim hærere in ſeruilibus literis, quibus tantùm via ſternitur quærendæ, vel fruendæ ſapientiæ; quid eſt aliud, quàm cùm faſtigium tenendum ſit; noua vitæ fundamenta iacere, & nouas ſpes etiam in exitu incoare, incipere viuere, cùm deſinendum eſt; exire è vita tanquam modò intratum ſit, haud quidquam habere facti, atque in extrema ætate inſimulari infantiæ? Quos enim ſapientia nondum in emeritos tranſcripſit, licèt pueritiam, adoleſcentiam, maturámque ætatem conſumpſerint, tamen ſi non annis, at certè inſcitiâ puerilitatem retinent. hæc Seneca

[d] apud Platonem in Timæo.
[e] ep. 36.

Seneca variis locis[a]. Vis ſcire cauſam cur nonnulli incipiant ἐν μεσημβρίᾳ τοῦ βίου φιλοσοφεῖν? audi Syneſium[b]. Quia decocto patrimonio, euerſis rebus, veſtibus ad rationariam menſam depoſitis, accepto inſigni aliquo damno, honeſtum aliquem ſeu pereundi, ſeu enauigandi modum quærunt; ac proinde ad ſtudium velut ad ſacram anchoram confugiunt, vel illud tanquam tabulam arripiunt; & quoniam niſi malo coacti bene agere neſciunt; ideo eorum ſtudium minùs liberale eſt, & honeſtum. Porrò quàm longè abſit Seneca à vituperando ſenum ſtudio, hæc eius quam ſubiungo grauis oratio planum facit: eam mi lector, legere ne grauere. eſt vnde proficias. ſic habet in vna epiſtola ad Lucilium[c]. *Vide quam ſimpliciter tecum viuam. Philoſophum audio, & quidem quintum iam diem habeo, ex quo in ſcholam eo, & ab octaua diſputantem audio. Bona, inquis, ætate, quidni bona? Quid autem ſtultius quàm quia diu non didiceris non diſcere? Quid ergo? Idem faciam quod troſſuli & iuuenes? Bene mecum agitur ſi hoc vnum meam ſenectutem dedecet. omnis ætatis homines hæc ſchola admittit, in hac ſeneſcamus, hanc vt iuuenes ſequamur. In theatrum ſenex ibo, & in circum deferar, & nullum par ſine me depugnabit, & ad Philoſophum ire erubeſcam? Tamdiu diſcendum, quamdiu neſcias, & ſi prouerbio credimus, quandiu viuas; nec vlli hoc rei magis conuenit, quàm huic; tam diu diſcendum eſt, quemadmodum viuas, quamdiu viuis. Ego tamen hîc aliquid te doceo. Quæris quid doceam? etiam ſeni eſſe diſcendum. Pudet autem me generis humani quoties ſcholam intraui: præter ipſum theatrum Neapolitanum, vt ſcis, tranſeundum eſt, Metronactis (Philoſophi) petentibus domum. Illud quidem facetum eſt, & hoc ingenti ſtudio quis ſit pythaules * bonus iudicatur: habet tibicem quoque Græcus & præco concurſum; at in illo loco, in quo vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent, & ei pleriſque videntur nihil boni negotij habere quod agant, inepti atque inertes vocantur. mihi contingat iſte deriſus. Æquo animo audienda ſunt imperitorum conuitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus. Perge Lucili, & propera, ne tibi accidat quod mihi, vt ſenex diſcas: imò ideo magis propera; quoniam id nunc aggreſſus es, quod perdiſcere vix ſenex poſſis.* Longiorem hanc orationem eſcripſi: quia ex ea intelligis, quibus præſertim ſtudiis occupari ſenes deceat, & quàm glorioſa ſit iſta *occupatio.*

[a] ep. 13. ep. 22.
[b] ad Philoſophum.
[c] ep. 76.
*qui Pythiū carmen canit tibiâ.

Memini me videre quemdam ſenem, è ſubroſtrariorum cauſidicorum 2.
centuria, qui incredibili efferebatur gaudio; & incedebat omnibus lætitiis, quod neſcio quid tricarum, & ſubtilitatis Grammaticæ, quam nec Alphabetarij (vt ſic loquar) in puerorum ſcholis ignorant, ex accurata peruolutione codicis cuiuſdam cariem & ſitium redolentis intellexiſſet. Proferebat ſuper epulas ſuum illum auctorem vna ſolummodo antiquitate ſpectandum, eum, inquam, proferebat tanquam ritè perſcriptas & obſignatas tabulas, vt euinceret vocem hanc *lens* pro gemina ſignificatione geminos genitiuos ſortiri; ſuáque illâ (ſi Superis placet) eruditâ obſeruatione, haud paulo minùs gloriabatur, quàm ſi geminos in cœlo Soles, vel orbes in Luna nouos certò deprehendiſſet: certè neque hominem hunc id ætatis deliraſſe cenſeo, qui tam ſerò declinare didicit, quia *non huc ibat, ſed hac*; riderem ſi in ſola rei leuiſſimæ cognitione ſtitiſſet: at ſtudium illud ſenile excitabat liberorum amor, quibus

Cic. de ſe-nect. proderat ſui parentis exemplum ad diſcendam Grammaticam, ſicut nemo hactenus notauit Catonem, qui ſexagenarius literas Græcas didicit: [a] Epigr. 105. l. 1. & (quemadmodum loquitur Æneas Syluius[a]) *non dubitauit ad Græcam volubilitatem os ſuum contorquere*; grandiora, & abſtruſiora moliebatur conſilia & ſtudia, linguæ Græcæ ſubſidium ſibi comparans. Quòd ſi elementarius iſte ſenex non vltra protuliſſet ſuas cogitationes, quàm vt inter

Horat. *Grammaticos humiles, ſolo qui cortice gaudent,*

locum obtinere poſſet, ſaltem in popularibus, poſtremum; puerilis ſenectæ, vel pueritiæ ſenilis illum arguerem.

3. Dicendum nunc de illis parœmiis, quæ ſenile ſtudium perſtringunt, & videndum, vtrùm diſcrepent à Solonis dicto. Eſt in omnium ore illud contra ὀψιμάθειαν, *ſenex pſittacus ferulam negligit*, quo monemur tempus & operam fruſtrà collocari in ſenibus edocendis, qui effœto vnà cum corpore ingenio, ægrè admodum & perparum diſcunt, ſi modò quid diſcunt, imò vix dediſcunt, quod perperam didicerunt. hinc Theognis,

Μή με δίδασκ᾽ ἔτοι τηλίκος εἰμὶ μαθεῖν.

Nonius Marcellus inter titulos fabularum Varronis. *Ne me doceas, nam ætas iam me facit indocilem.* vnde & γέρων διδάσκαλος, is vulgò diu conſueuit, qui in re ſera, & intempeſtiua, ac prorſus inutili operam ſuam ponit, veluti (vt Diogenes dixit) ſi quis νεκρὸν ἰατρεύειν ſatagat. hinc D. Hieronymus[b], *Caneſcentem mundum ad initia retrahere par-* [b] præf. ad 4. Euang. *uulorum, & ſenis mutare linguam, pium quidem laborem, ſed periculoſam præſumptionem* eſſe dixit. Ob hæc & ſimilia non expungam Solonis dictum de ſenili ſuo ſtudio: neque enim aliud conficiunt niſi plus eſſe difficultatis in erudiendis illis ſenibus, qui iuuenes cùm eſſent, nihil didicerunt. Cæterùm, nulla ætas ad diſcendum ſera eſt, quamuis alia aliá ſit minus apta. Porrò quietè & diligenter in ſtudio literarum peractæ ætatis ſenectus ſtudioſa eſt, atque ad diſcendum docendúmque aptiſſima; qualem accepimus Platonis, qui vno & octogeſimo anno ſcribens mor-Cic. de ſe-nect. tuus eſt: *Qualem Iſocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixítque quinquagennium poſtea; cuius Magiſter Leontinus Gorgias centum & ſeptem compleuit annos, neque vnquam in ſuo ſtudio, atque opere ceſſauit: qui cùm ab eo quæreretur cur tam diu eſſe vellet in vita? Nihil habeo*, inquit, *quòd accuſem ſenectutem. Præclarum reſponſum, & homine docto dignum. Cato ætate deuexa ſuos originum libros habebat in manibus, colligebat omnia antiquitatis monumenta, omnium cauſarum illuſtrium quaſcumque defendiſſet, tum maximè orationes conficiebat, ius Augurum, Pontificum, ciuile tractabat, multum etiam Græcis literis vtebatur; Pythagoræorum more exercendæ memoriæ gratiâ quidquid quoque die dixiſſet, audiuiſſet, legiſſet commemorabat veſperi. hæ Catonis in ſenectute exercitationes, hæc mentis & ſtudij curricula, hæc palæſtra ingenij.* Alios ſenes Tullius commemorat Gallos, Næuios, Plautos, Liuios, Craſſos, Scipiones, Cethegos flagrantes doctrinæ ſtudiis, quæ prudentibus & bene inſtitutis vnà cum ætate creſcunt. Experiebantur nullam maiorem eſſe animi voluptatem, neque quidquam iucundius

iucundius otioſa ſenectute, ſi habet aliquod tanquam pabulum ſtudij & doctrinæ, & hæc multis ſenibus cauſa vna fuit tam acriter ſtudendi.

Socratis ſtudium aliud quiddam acuit: cùm enim morituro amici adſiſterent extremum ſpiritum excepturi, & aliquid inter ſe diſſererent, ille caput ſuſtulit, & flexit ad audiendum: interrogatus quo tandem fine tunc, aut fructu? nobilem illam vocem edidit, *Vt cùm iſtud ſciero, doctior moriar.* O deſiderium! exclamat Lipſius [a]: & quid in vita, & eius flore faciendum, cùm ille hæc in morte cygneæ Solonis voci Seneca ſuccinat, *Viuere tota vitâ diſcendum eſt* (inquit,) *& quod magis fortaſſe miraberis, tota vita diſcendum eſt mori. Tot maximi viri relictis omnibus impedimentis cùm diuitiis, officiis, voluptatibus renunciaſſent, hoc vnum in extremam ætatem egerunt, vt viuere ſcirent. Plures tamen ex his nondum ſe ſcire confeſſi è vita abierunt. Nullius enim rei difficilior eſt ſcientia.* Fallimur ſi hanc vocem hominis eſſe putamus, non oraculi. Huc pertinet Epicuri epiſtola ad Menecæum apud Laërtium [b]. *Neque iuuenis quiſquam dum eſt philoſophari negligat: neque ſenex cùm ſit, philoſophando fatigetur. Non enim intempeſtiuus vllus eſt, neque ad animæ ſanitatem tempus non habet idoneum. Qui autem dicit aut nondum philoſophandi tempus eſſe, aut tempus præteriiſſe, ei ſimilis eſt, qui dicit ad beatam vitam aut non adeſſe tempus, aut non amplius eſſe philoſophandum. Igitur & iuueni, & ſeni; huic quidem vt ſeneſcens in virtutibus vigeat præteritorum gratiâ; illi vt iuuenis vnà & vetulus ſit, quòd futurorum careat metu.* Certè ſeni quantumlibet effœto, & decrepito probroſum foret, ſi diceret nihil ſibi curæ eſſe, vt bene viuat; ob idque non minùs ſtolidum ſit, ſi neget cuiquam in extrema ætate philoſophandum. hinc illud Diogenis apud Laërtium [c] dicenti cuidam ſe nihili facere Philoſophiam, aut non admodum curare, *Quid ergo viuis?* inquit, *ſi vt rectè viuas tibi non curæ eſt?* proinde meritò ſic poſſumus compellare omnem ætatem cum Perſio [d],

Diſciteque ò miſeri, & cauſſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, & vnde
Quis modus argento, quid fas optare, &c.
——quem te Deus eſſe
Iuſſit, & humana qua parte locatus es in re,

Tum concludit in hunc modum,

——Petite hinc iuuenéſque ſenéſque
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.
Fallimur, &c.

Quotquot ſenes patrocinium inertiæ ſuæ quærunt in ſua ætate, minùs, vt ipſi putant, ad literarum ſtudium apta; habent apud Plutarchum [e] vnde illos pudeat, *Euridice* (inquit) *cum eſſet Illyrica, & pluſquam barbara mulier, tamen vt filios docere poſſet, prouecta iam ætate diſciplinis animum ſtudiúmque applicuit*; eiúſque eſt epigramma Muſis conſecratum de amore quo proſequebatur ſuos libros. Duo vltimi verſus huc ſpectant:

4. (margin, beside "Socratis ſtudium")
5. (margin, beside "Quotquot ſenes")

[a] c. 8. mon. & exemp polit.
[b] lib. 10. Clem. Alex. l. 4. ſtrom.
[c] l. 6.
[d] Sat. 3. & 5.
[e] lib de liberis educandis.

Γράμματα γὰρ, μνημεῖα λόγων μήτηρ γεγαυῖα
Παίδων ἡβώντων, ἐξεπόνησε μαθεῖν.

Grandæua pubeſcentium iam liberorum mater ſategit diſcere literas eruditionis monimenta. Aretinus, qui apud Iuriſperitos ſubtiliſſimus Doctor audit, cùm quadragenarius tirocinium eius ſcientiæ caperet, aſperſus fuit à quodam ſcommate tali, quòd videretur ſibi ille futurus Aduocatus in alio ſæculo, nihilominus famam in ea ſcientia ſibi comparauit. Addit Hadrianus Iunius [a] Suptianum ſophiſtam genere Iſaurum, cùm naturâ tardiore ingenio eſſet, tantum profeciſſe induſtria & labore, vt tricenario maior iam tum primùm lectitare libros cœperit, & liberalibus diſciplinis animum appellere, identidem à ſe repoſcendo quæ didicerat, neque verberibus, neque increpationibus parcendo in ea ætate, quod in pueris ſolet, etenim in balneis viſebatur ſæpe à ſe diſflagellatus, vibicibus, pœnam ſibi ipſi illatam, teſtantibus. Neque ſua ſpe falſus fuit, nam ad ſummum eruditionis culmen peruenit, vti refert Eunapius, qui ſophiſtarum vitas ſcripſit. Accurſius nulli Iuriſconſultorum ignotus, interrogatus cur iam grauis ætate ius diſceret? Reſpondit: *Tardè quidem, at eò maturiùs abſoluam.* Expreſſit & hanc vocem veritas ab ipſius Epicteti ore, Μήτε νέος ὢν φιλοσοφεῖν μελλέτω, μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω· οὔτε γὰρ ἄωρος οὐδείς ἐστιν, οὔτε πάρωρος, πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαῖνον. *Neque iuuenis aliquis differat philoſophari, neque ſenex defatigetur; non enim immaturus quiſquam, aut victus, aut effœtus eſt ad animæ ſanitatem.* At caue putes ſoli ſtudio Philoſophiæ aptam eſſe ſenectutem; politioribus verò diſciplinis ineptã: Sophocles OEdipum Coloneum fabulam quam extrema ætate ſcripſerat iudicibus oſtendit, recitauit, & plauſum tulit (erat enim pulcherrimè & grauiſſimè facta,) & ob id lite vicit, cùm poſtularetur à filiis quaſi ſenio deliraret, ac proinde remouendus ab familiæ adminiſtratione videretur. ſplẽdeſcit enim vſu ſicut æs attritu ſapientia, & ingenij vires plerumque augentur, dum corporis robur minuitur: atque vt in ſobole filiorum ſeptimus partus ſolet eſſe venuſtiſſimus; ſic in fœtura ingeniorũ, quæ poſteriùs & ſeriùs eduntur, ſæpe ſunt omnium pulcherrima. Teſtis ſuprà laudatus Iſocrates, cuius tota ſuperior ętas videtur fuiſſe præludium ad Panathenæa extremę ſenectutis fœtũ adeò luculentum, vt putes illum in eum effudiſſe quidquid venuſtatis, leporum & elegantiæ nonaginta annis collegerat. De tota hac quæſtione ſapienter ſtatuit D Hieronymus [b] his verbis, *Senectus eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerũt, & in lege Domini meditati ſunt die ac nocte, ætate fit doctior vſu tritior, proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulciſſimos fructus metit.* Et verè dicere poterit quod acceptum à Solone dictitare ſolebat Robertus Siciliȩ Rex. γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος. Equidem mihi haud ſemel mirari contigit, cur D. Paulus diuinitus certior factus de proxima ſua morte, *Tempus reſolutionis meæ inſtat* [c], tamen Timotheum quem huius rei admonet epiſtola, iubeat afferre ad ſe libros, *Veniens affer tecum libros* [d]. Quorſum hæc præcipit? Quid proderunt libri morituro? Sapienter reſpondet Vgo Carenſis hîc, *vt eſſent ei ſolatio in tribulatione, & vt aliis daret exemplum ſtudendi:*

[a] animaduerſ. l. 4. c. 24.

[b] ep. ad Nepotian.

Petrarcha de ſtudio.

[c] 2. Tim. v. 6.

[d] 2. Tim. v. 4.

Et

Et eſt argumentum pro ſtudio, aut enim volebat ſtudere non obſtante morte imminente, vel alÿs ſtudium commendare.

Capvt VIII.

Octaua Bibliothecæ inſcriptio, Libri Auctorum liberi.

Plenum eſt acuminis & dignitatis quod S. Theodotus [a] dixit in ſacra concione quam habuit ad Patres Concilij Epheſini de Christi Domini natiuitate. *Tum quoque verbum tuæ mentis proles eſt* (inquit,) *& poſtquam verbum iſtud quod tua mens peperit, elementis ac literis volueris exprimere & in charta ſermonem efformare, manu literas deſcribis: & certa quadam ratione verbum tuum per manum denuo eniteris, & manum per literas verbum parientem conſpicaris*. doctè, eleganter, ſubtiliter. Duos partus, quibus veritas feliciter in lucem ſuſcipitur, geminæ *diuini Verbi* generationi ſimiles agnoſcit ſanctus hic Doctor: alter eſt velut ex Patre ſine vllo matris conſortio, cùm intellectus veritatem in ſe ipſo efformat, & exprimit: alter ex matre abſque vlla ope paternæ operæ, cùm manus veritatem in lucem edit inuolutam literarum & characterum ſignis, quæ humanis oculis percipi poſſunt, & legi: fuit autem Deipara Virgo, fuit illa manus quæ abſque vllius maculæ vel tenuiſſima nota *Verbum diuinum* viſibile factum edidit incorrupti illibatíque ſui ſanguinis elementis conceptum. *Quare quod ſcribas, non quemadmodum* (inquit Seneca [b], *&*) *hoc ipſum non vt ſcribas, ſed vt ſentias, vt illa quæ ſenſeris, magis applices tibi, & velut ſignes.* Propè fuit vt dicerem innotuiſſe huic Philoſopho aliquid de Patre æterno in æterni Verbi generatione; quod priuſquam velut in carne ſcriberet ſuus Pater, illud formauit in diuina ſua mente, eóque apud ſe in ſinu gauiſus, & delectatus iam eruperat in hæc verba, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; ſiue, vt interpretatur D. Irenæus [c], & Tertullianus [d], *in quo bene ſenſi*; nec id vtrumque amauit ſenſítque; verùm & altiſſimè in diuino ſuo pectore inſcripſit, & impreſſit. Vnde D. Gregorius Nazianzenus [e], *Verbum diuinum, immotum ſignum* appellauit. 1.

[a] Orat. ad Patr. Conc. Eph.

[b] ep. 115.

[c] l. 3. c. 11.

[d] adu. Prax. c. 13.

[e] or. de nat.

Eius generis, neſcio quid reperio in fœtibus ingenij noſtri, quos vbi mente concepimus, illos manu in libris enitimur; *non tamen prius* (inquit Fabius Quintilianus) *à nobis ſcribuntur ac eduntur in lucem, quàm complacuerint.* Iconicam verò & expreſſam mentis noſtræ imaginem eſſe illud, quod ſiue loquimur, ſiue in charta pingimus, pulchrè Seneca docet his verbis. *Oratio vultus animi eſt; ſi contorta, ſi fucata, ſi manufacta, oſtendit quoque illum non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti.* Mittamus hæc, & dicamus *libros liberos eſſe ingenij & manus, partúmque ex vtriuſque conſortio progenitum. Verum opificem* (inquit Philo [f],) *Patrem quoque ſuæ creaturæ iuſte poſſumus dicere: matrem autem, ſcientiam ipſius, cum qua congreſſus Deus non humano more proſeminauit creaturam. Illa verò Dei ſemine* 2.

[f] l. de temul.

 concepto

concepto enixa eſt iuſto partu vnicum illum dilectum ſenſibilem filium mundum hunc. Certè iſtos fœtus ingenij, & manus noſtræ eò plus ab Auctoribus amari Plato dixit, quò animus corpori antecellit.

3. Si nobis amœniorum Muſarum iudicia ſuper hac liberorum aſſertione adeunda ſunt, ſiſtunt ſe Martialis, & Ouidius arbitri, qui ambo vnius eiuſdémque auctoris plures libros, *fratres* nuncupant. Ille de multis libris quos ediderat, quóſque repoſuerat in templo Apollinis, ſic ait,

Mart.l.12. ep.3. *Cuius habet fratres tot domus alta Rhemi.*

Iſte de ſuis item libris loquens quos quæſiuit in eâdem Bibliothecâ Palatinâ, ad quam ſe fingit fuiſſe deductum, ſic cecinit,

Ouid.l.3. Triſt.el.1. *Quærebam fratres, exceptis ſcilicet illis,*
Quos ſuus optaret non genuiſſe pater.

Amatorios intelligit, quos Lucina infelici emiſerat. Idem alio loco libros ſuos *viſcera ſua* appellauit.

Idem 1.Triſt. el.6. *Impoſui rapidis viſcera noſtra rogis.*

Libri ſi boni erunt, iidem quoque boni erunt liberi, parentéſque ſuos honore, felicitate, & immortalitate cumulabunt: ſi mali,

OEdipodas facito Telegonáſque voces,

vtpote parricidas, qualem pœnam expertum ſe ab obſcœnis ſuis libris Ouidius fatetur [a]. Sunt itaque *Auctores librorum tanquam liberorum parentes*; quales ſuperiores duo Poëtæ ſe alibi cognominant [b]. Sunt libri *dulces Muſarum fœtus*, vt eos Catullus [c] vocauit: hinc factum vt qui aliorum libros furarentur, eóſque ſibi tanquam parentibus adſciberent, tenerentur plagij, & appellarentur *Plagiarij*, tanquam alienorum liberorum fures. Ob eum paterni amoris ſenſum quem D. Petrus Damianus erga ſcripta ſua in ſe experiebatur, ſic de ſurrepto ſibi quodam libro conqueritur & ingemiſcit. *Tulit librum meum quem velut vnicum filium vlnis vterinæ dulcedinis amplectebar.* Quis pumex non colliqueſcat lacrymis in morte vnigeniti, at οἱ μὲν γὰρ παῖδες σωμάτων, ψυχῆς δὲ ἔγγονοι, monet Stromateus, *filij quidem corporum, animæ verò liberi ſunt ſcripta.* Semper mirificè placuit quod Coſmas Monachus, Sancti Ioannis Damaſceni præceptor, dixit, viris doctis congenitam eſſe cupiditatem generandi filios ſui ſimiles, *vt aureum ſapientiæ genus nunquam deficiat, ſed perpetuò propagetur.* Liberi iſti ſunt vna re, aut altera à liberis qui pro generatione corporea ſuſcipientur, diſſimiles. Eruditionis liberi moleſtiſſimè procreantur, conſeruantur verò facillimè; at proles corporum cum voluptate concipitur, educatur verò, adoleſcit, conſeruatur ægerrimè ac difficillimè: hinc naſcitur idem proportione affectus auctorum erga ſuos libros, qui ſolet eſſe parentum erga liberos; præſertim Poëtarum qui *poëmata ſua* (ſicut Lycei Princeps animaduertit) *perinde ac filios adeóque ſupra modum amant.* Quæ immoderata amoris vehementia tum maximè ſe prodit, cùm recèns editi ſunt illi fœtus ingenij: tunc enim enixa mens, & velut puerpera in partum tota defigitur: & licèt interdum ea proles ſit informis, & moles haud ſatis digeſta, tamen (quod ſimiis & vrſis euenire ſolet, vt notat in hanc ſententiam Syne-

[a] el.1. Triſt.
[b] Mart.l.10. ep.104. Ouid. 1. Triſt. el.1.
[c] ad Malliū.

D.Petr.Dam. l.2.ep.6.

Clem. Alex. l.1. ſtr.

Ioannes Patriarch. Hieroſol. in vita S. Damaſi.

Ariſt.l.9. eth.c.7.

Syneſius [a],) eos lambunt, exoſculantur; ſuauiantur, in pectore geſtant, cordi apprimũt, adeóque efflictim depereunt, vt auctores ſui amore cæci, eorum næuos ac interdum deformitatem non videant, cæterum aliis in rebus, & in aliorum operibus valde perſpicaces: vnde monitum Horatij ſatis intelligentis inconſultum & lippum illum amorem auctorum erga libros ſuos recentes è manu [a] ep. 1.

——nonúmque premantur in annum,

vt de illis ſtatuatur rectiùs. Hinc etiam ſuprà laudati Syneſij dictum, *Aliis permittenda in ſobolem inquiſitio eſt: fauor enim corrumpendis ſuffragiis efficaciſſimus eſt. Ob id Apellem ad tabulas Protogenes admittebat, & Apelles Protogenem.* Eodem ſenſu D. Ambroſius [b], *Vnumquemque fallere ſua ſcripta, & auctorem præterire, atque vt filij etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſuos ſermones palpare.* [b] ep. 40. ad Sabin.

Capvt IX.

Nona Bibliothecæ inſcriptio, Togatæ militiæ armamentarium.

1\. SVas habet pax victorias, vt ſua bella, ac propterea non eſt παράδοξον militiæ quoddam genus *togatum* appellari, *bellicam pacem, & pacatum bellum*, quod præcipue lingua & calamo geritur. Id ſi ita eſt, meritò *Bibliotheca togatæ militiæ armamentarium* dici poterit, & ſinguli libri *arma* petendo hoſti, & tegendo noſtro pectore opportuna. Sic Baſilius τοξεύματα ἐκ μέλανος, *atramenti ſagittas* vibrabat mirabiles. vtique ſagittas, quæ non vno duntaxat loco, non vno tempore cùm ſemel emiſſæ ſunt, feriunt; verùm vna ſola cuſpis infinitos mortales in partibus mundi remotiſſimis vno tempore, atque in omne æuum vulnerat, adeò vt ſæpe formidabilior ſit ſtylus quàm ſica. Lactantius diſputans de Philoſophorum factionibus vtentibus contra ſe inuicem hoc genere armorum, hæc ait [c]. *Pereunt vniuerſi hoc modo, & tanquam Spartiatæ illi poetarum ſic ſe inuicem iugulant, vt nemo ex omnibus reſtet; quod eo fit, quia gladium habent, ſcutum non habent. ita ſe ipſum philoſophia conſumit & conficit.* Si ad tuendam virtutem, & iugulanda vitia celebrabitur, iſtud armamentarium nihil poterit eſſe hominum generi vtilius. Valerius Maximus cùm docuiſſet quantum reip. profuiſſent præſtantium Imperatorum virtutes, in hanc ſententiam prorumpit. Eſt & alia vehemens, & conſtans militia, literis pollens venerabilium doctrinæ ſacrorum Antiſtites Philoſophiæ, quæ vbi pectore recepta eſt, hominum inhoneſto atque inutili affectu depulſo, totum in ſolidæ virtutis munimento firmat, potentiúſque metu ac uol[?]re facit. Parmâ Philoſophiæ & eruditionis promptâ ex hoc armamentario Themiſtocles Græciam patriam ſuam texit, contra ingentes Xerxis copias; quem & referre pedem coëgit, & dicere, non poſſe optare ſe malum calamitoſius ſuo hoſti, quàm vt tantæ ſapientiæ viros a ſe pelleret. De Publicola, qui ſua eloquen

S. Greg. Naz. or. 20.

[c] l. 3 c. 4. de falſa ſap.

Apud Midend. c. 5. l. 1. Academ.

eloquentia tumultuantem plebem compeſcuit, atque è monte ſacro, quò ſeceſſerat, in vrbem reuocauit, notum eſt; de quo aliiſque plurimis qui prompſerunt arma ex eruditionis armamentariis, non ſolùm ad forenſes contentiones, verùm etiam ad hoſtium cataphractorum conatus frangendos iure dicere poſſit, *Cedant arma togæ.* Vſque adeò verum eſt dictum Hippocratis Coi, *neque mœnia, neque turres, neque propugnacula, & monumenta vrbium, ſed σοφῶν ἀνδρῶν σοφὰς γνώμας valere plurimum.*

2. Non dicam ſacros codices nobis eſſe inſtructiſſimum armamentarium; nobis, inquam, quibus eſt non ſolùm *colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem; ſed aduersùs Principes, & poteſtates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.* Non dicam eos eſſe turrim illam Dauidicam, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, *omnis armatura fortium*: ibi quippe (inquit magnus Gregorius [a]) *ſunt præcepta Dei, ibi exempla iuſtorum, quot illic præcepta ſunt, tot etiam pectoris noſtri munimina. In voce ſacri eloquij cuiuſlibet quærimus munimen virtutis, inuenimus: inde præcepta, inde ſumamus exempla, per quæ contra aduerſarios noſtros inexpugnabiliter armemur,* ac proinde Hebræus *hanc turrim ad diſciplinas conſtructam* ait, ac ſi innueret diſciplinas optima eſſe rerump. propugnacula; & quia ſapientis effatum eſt, *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe*; ideò aureè Chryſoſtomus [b], *Si in quacumque domo Euangelium eſt, illuc diabolus ingredi non audet; quanto minùs animam ei aſſiduis lectionibus familiarem neque Dæmon, neque peccatum attinget?* hæc eſt cauſa cur *librum* illum *bellorum* domini, de quo vigeſimum caput Numerorum mentionem facit, Rupertus pro ſacra Scriptura ſumat. *Quid enim,* inquit, *quid aliud continetur, vel agitur in Scripturis ſacris, niſi bellum & certamen Verbi Dei ad deſtructionem peccati, & mortis.* de hoc argumento interpretes diffuſiùs. Aduocemus Caſſiodorum [c] ad deciſionem huius diſputationis; doceat nos quomodo ex Bibliothecis calami, velut ex armamentariis tela promantur. *Scriptores* (inquit) *Domini præcepta ſcribendo longè latéque diſſeminant. Felix intentio, laudanda ſedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, ſalutem mortalibus tacitùm dare, & contra diaboli ſubreptiones illicitas calamo atramentóque pugnare. Tot enim vulnera Satanas accipit, quot Antiquarius Domini verba deſcribit.*

Eph. 6. v. 12. — Cant. 4. n. 4. — [a] hom. 15. in Ezech. — Prou. 3. n. 5. — [b] hom. 31. in Ioan. — [c] de diu. lect. c. 30.

CAPVT X.

Decima inſcriptio, Vena intellectus ſapientiæ fons, ſcientiæ flumen.

1. Esdras [d] auctor eſt huius inſcriptionis, apud quẽ leges è quatuor & ducẽtis libris quos edidit, ſeptuaginta ſelectos eſſe, & iuſſu Altiſſimi traditos ſolis de populo ſapiẽtibus, quòd in iis ſit *vena intellectus, ſapientiæ fons, & ſciẽtiæ flumẽ,* vnde & occultã Iudæorũ Theologiam, quam *Cabalam*

[d] lib. 4. c. 14.

Cabalam vocãt, ortam eſſe nonnulli putauerũt: licèt non ignotẽ aliis viſum eſſe reconditam illã ſcripturæ intelligentiã inter Iudæos de manu, vt aiu t, ad manu, vel potiùs, de aure ad aurem traditam, ortum habuiſſe à Moſe a quo ex omni Synagoga doctiſſimi delecti ſunt, qui (vt eſt apud D. Hilarium [a]) ex occultis legis ſelectiora quædam myſteria conſeruarent, & propagarent ad poſteros. Quod alij addunt Moyſi in monte traditam à Deo quamdam doctrinam, quæ omnem humanam, & diuinam philoſophiam contineat, in qua ſingulæ literæ, figuræ, nomina, literæ, apices, puncta, accentus, ſpiritus abditiſſima ſecreta contineãt, quæ qui præceperit, vt Moſes, Ioſue, Elias, Eliſæus, omnia ei obediant; mera ſunt Magorum ſpecioſam latebram ſuæ impietati prætexentium deliria, à Bulengero noſtro [b] paucis luculentè exploſa. Celebris illa ſcriptio, quam Cabaliſtæ *Malachim* appellant, cuius literæ & characteres ſunt ipſæ in cœlo ſtellæ, in quibus Angeli futura legant, &, vt cecinit Orpheus, *πάσης μοίρας σημάντορας*, ſint omnis indices, eſt ridiculè vana.

2. Itaque ſiue Moſes, ſiue Eſdras ſit primus auctor veræ & legitimæ Cabalæ, quam primo loco poſuimus, quæ nihil aliud eſt quàm ſublimior ſcripturæ intelligentia, non calamo in libris, ſed linguâ & voce mentibus conſignata; vel, vt veroſimilius eſt, ſi Moſis eſt eius parens, Eſdras autem ſarcinator, & intereuntis ſuſcitator, ſeptuaginta illis libris, quos elogio tam illuſtri indigitauit, perinde nobis eſt ad præſens inſtitutum: ſolùm hîc contendo, hæc Eſdræ verba rectè inſcribi Bibliothecis, *Vena intellectus, ſapientia fons, & ſcientiæ flumen.*

3. Síntne autem ſacri codices doctrinæ omnis fontes inexhauſti, id ſymbolicè apud Eſdram [c] preſcriptum eſt. *Stetit Eſdras ſuper gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum, & aperuit librum coram omni populo: ſuper vniuerſum quippe populum eminebat. Congregatúſque eſt omnis populus quaſi vir vnus ad plateam, quæ eſt ante portam aquarum* In qua oratione myſterium agnoſcit Beda, & Gloſſa [d]. *Bene ante portam aquarum collectus eſt populus*, inquit, *tanquam per Antiſtitem ſuum fluentis Scripturarum ibi potandus.* Gilbertus [e] eâdem ſimilitudine vſus eſt efferens magnificis laudibus Euangelium Chriſti. *Magnus eſt doctrinæ Chriſti impetus, cuius vehementia reſiſtere nihil poteſt, magnus impetus, qui nullo compeſci obice valet. Tot credentibus populis obiecti ſunt obices ſcandalorum, tot oppoſitæ moles tormentorum, & tamen ſemper fluunt aquæ de Libano; magni obices, ſed maior impetus eſt*: vnde liquet doctrinam illam cœleſtem non ſolùm rectè dici à D. Cyrillo *νάματα εὐαγγελικὰ, euangelicos latices*, qui mentes noſtras obliment fœcundéntque; verùm etiam *torrentes*, qui obiectas omnes crepidines diſiiciant, euertant, ac in vniuerſum Orbem magno impetu reſtagnent: hinc item colligendum iure merito ſanctum Ephrem omni doctrina inſtructiſſimum, appellari à D. Greg. Nyſſeno [f] *νοητὸν ὄντως Ἐκκλησίας Εὐφράτην*, *ſpiritalem Eccleſiæ Euphratem.* iure D. Auguſtinum à D. Paulino [g] ſic compellari, *Os tuum fiſtulam aquæ viuæ, & venam fontis æterni meritò dixerim.* Portò adeò frequens eſt in ſacris & prophanis auctoribus ſcientiæ commendatio à fontibus petita, omníque ſalutarium aquarum genere, vt nihil ſit tritius. Inter

a in Pſ. 2.

b de licita & vetita Magia l. 1. c. 11.

c l. 2. c. 8.

d in hunc locum.

e Serm. 37. in Cant. inter opera D. Bernardi.

f in vita S. Ephrem.

g Ep 45.

Vide Gretſ. in c.1. Codini c.16. ſacras veſtes miniſtrorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primas tenet στιχάριον *lucidi veſtitus Angelorum imitamen* (inquit Simeon Theſſalonicenſis[a]) quos ſæpiùs in veſte fulgenti apparuiſſe nouimus,& ſymbolum eximiæ illius innocentiæ & ſanctitatis,qua Sacerdotem præditum eſſe par eſt. Epiſcopi autem ſticharium deſuper deſcendentia habet flumina,eſt enim vndulatum,& gratiam docendi in ipſo repræſentant. Nam & inter Angelos non omnibus idem eſt ordo & gradus; ſed ibi quoque alij inferiorum Magiſtri ſunt. Vocantur autem *flumina*,propter vocem Saluatoris in Euangelio, dicentis[b], *Qui credit in me,flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc idem pallio Epiſcopali notatur. Flumina quædam habet,propter ea quæ diximus;pocula verò pro typo veteris & nouæ gratiæ, quæ etiam fluminibus quaſi innatant; quod non aliud ſibi vult,quàm Magiſtro,ſiue Doctori ex duobus Teſtamentis ad docendum hauriendum eſſe.

[a] lib. de templo.

[b] Ioan. 7. 38.

4. Fuerunt Iudæis tres Academiæ celebres in Babylonia in tribus vrbibus *Nahardea,Fora,& Pumbeditha.* Vt autem loci commoditas dedit occaſionem conſtruendæ primariæ Academiæ, vrbs ſcilicet ad ripam Euphratis ſita, loco ſtudiis peropportuno atque aptiſſimo, frequenti populo,agro fertili, qui tantam multitudinem poſſet alere,tuta ab hoſtibus,cincta Euphrate,& firmiſſimis mœnibus, ita ei viciſſim Academia *Nahardea* nomen impoſuit,quod lingua Babylonica *flumen ſcientiæ* ſignificat. Non eſt alienus Strabo ab ea obſeruatione; éſtque affinis eius ſententiæ,quæ putat aliquid eſſe commercij inter ingenium, liberales artes,& aquarum bonitatem. Cùm enim[c] dixiſſet Neapoli celeberrimam Academiam fuiſſe ob loci ſalubritatem, & opportunitatem, ait[d] Tarſenſem Academiam propter Cydni ſaluberrimam aquam, locique commoditates Alexandrinæ,& Athenienſi literarum gloria præſtitiſſe.

Ioſeph. antiq. 18. c. 12.

Buxtorfius in comm. Maſor. c. 6.

[c] l. 5. geogr.

[d] l. 5.

5. Quid nos vetat *venam* in illo Eſdræ loco ſumere, non quidem pro aquarum ſcaturigine, ſed pro ſanguinis conceptaculo,& (vt loquitur Plinius) *pro ſanguinis riuis.* habeo hac in re præeuntem mihi Petrum Collenſem virum grauiſſimum[e],à quo tu mecum diſcere poſſis,qua ratione eruditionis *vena* aperienda ſit, & quantum ex ea ſanguinis mittendum. ſic ille pulchrè equidem & eleganter. *Scapello inſtantiæ eorum, qui me rogant, & à me edocerè volunt venâ cordis inciſâ, vndecumque vocaui verum ſanguinem venarum totius meditationis, vt de ſanguine defæcatæ eruditionis commodaret, ſeu emitteret cor,quod ſufficeret dicenti, & ſibi retineret vnde viueret:tum enim vtiliter aut dicitur,aut ſcribitur, cùm de tractatu ſuo, & vita propria emendatur,& aliena conſcientia nihilominus inſtruitur. Nec credendum quòd ſemper vena cordis euacuetur perniciosè, quoties inciditur, quin potiùs de effuſione charitatis commodiùs fluit, ac liberiùs.* Redeo ad aquas ſapientiæ & intellectus, quas potare dicuntur, propinante Deo, quicumque ſublimi aliqua eruditione & ſacrarum literarum intelligentiâ præditi ſunt. Nam,vt aureè Chryſoſtomus[f], *Diuina eloquia fonti ſimilia ſunt largis perennibúſque fluentis ſcaturienti, etiam qui ante nos fuere pro viribus ſuis aquas inde hauſerunt, & ſimiliter qui poſt nos futuri ſunt,inde attenta*

[e] Libello de conſcientia.

[f] Homil. in Gen. 3.

attentabunt; neque ſic totum exacuare poterunt, ſed magis interim augeſcunt flumina, & increſcunt. hac enim ſpiritualium fluentorum natura eſt, vt hoc magis ſcaturiat ſpiritalis aqua, quò magis inde hauritur. Affinia Plutarchus ſcripſit [a] de humana ſcientia, informans ſedulum auditorem, qui vtiliter dare operam præceptori deſiderat. Suadet ne cribri & pertuſi vaſis ſimilis eſſe velit, hauſtaque ſalutaria dogmata ſubitò effundere, quin potiùs elaboret ea animo rectè percepta cohibere. *Non impletur*, inquit, *vas quod ſemper effundit, ita non impletur ſapientia animus, qui plura loquitur, quàm auſcultat.* Tum præcipit, *vt quemadmodum vas ad recipiendam aquam ſeſe inclinat, & os demittit; ita diſcipulus ad audiendum docilis demiſſúſque veniat.* Verùm ad docilitatem, & ſilentium accedat etiam longaminitas, & perſeuerantia neceſſe eſt, quibus velut fune imum puteum veritatis pertingat, & tandem exhauriat. Quæ demiſſio cùm in capeſſendis omnibus diſciplinis apprimè in diſcipulis neceſſaria ſit; tamen in comparanda ſcientia ſanctorum & diuinorum myſteriorum cognitione, Sacerdotes qui κτ̄ ποταμοὺς τὰ τ̄ φιλοσοφίας νάματα (vt Theodorus Balſamon de Ioanne Patriarcha Epheſino loquitur) inſtar abundantium fluuiorum cœleſtis ſapientiæ fluenta largè fundunt, reuerenter audiri ab omnibus oportet, licèt omni doctrinæ laude conſpicuis; iuxta Ferrandi Diaconi monitum [b]. *Quamuis dux* (inquit,) *tamen Eccleſiæ diſcipulus; etiamſi tibi ſcientiæ plenitudo, ſi facultas maioris eloquij ſuppetat, inclinata ceruice ad humilitatis ſanctæ propoſitum conſule ſacerdotes.* Cæterùm licèt Bibliothecæ ſint diſciplinarum venæ, & fontes; tamen non inde tantũ hauritur, niſi alterum quemdam penitiorẽ fontem adiecimus. *Tenta*, (ait Origenes) *& tu bibe de fonte ingenij tui, eſt intra te natura aquæ viuæ, ſunt venæ perennes, & irrigua fluenta rationabilis ſenſus, ſi modò non ſint terrâ, & ruderibus oppleta; ſed ſatage fodere terram tuam, & purgare ſordes ingenij tui, amouere deſidiam, & torporem cordis excutere.* Hæc ille [c].

[a] lib. de officio Auditoris, ſiue de auditione.

[b] in parænetico ad Regem.

[c] Hom. 12. in Geneſim.

CAPVT XI.

Vndecima inſcriptio, Ego ſapientia eruditis interſum cogitationibus.

EST ex prouerbiis Salomonicis [d] hæc epigraphe, vbi Sapientia poſt hanc doctrinæ ſuæ commendationem, *Accipite diſciplinam, & non pecuniam, doctrinam magis quàm aurum eligite; melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Subiicit poſtea magnificam ſui prædicationem, cuius ſunt hæc initia, *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Cuius ſententiæ intellectum Ianſenius hunc eſſe ait, vt ibi non ſolùm interſit ſapientia, vbi ſana rectaque conſilia quæruntur, & ineuntur; verumetiam iis præſit ſuggerendis, & promouendis. Hieronymus Oſorius [e] contendit illis verbis increatam ſapientiam diuinitatem ſuam teſtificari, cùm docet ſe eſſe diuinorum conſiliorum participem, adeóque ſe patris ſinu

[d] c. 8.

[e] in comment. in parab. Salom.

 &

& gremio, velut proprio habitaculo contineri. Placet item Caietani interpretatio, aientis hac oratione indicari quænam ſit ſedes, quænam arx, quænam regia *ſapientiæ*; nimirum hominis mens & intellectus. Hæc autem animæ facultas cùm ſit omnium nobiliſſima, ita eruditionem quæ partem illam hominis iure tenet, rem vtique præſtantiſſimam eſſe neceſſe eſt. Veri ſunt illi ſenſus, boni, & legitimi. haud tamen abſurdè, (vt ego quidem ſentio) conuenire poteſt hæc epigraphe Bibliothecis, ſi dixerimus, ſapientiam, quæ nihil aliud eſt, quàm rerum humanarum diuinarúmque ſcientia, Bibliothecas proprium ſibi ad habitandum locum delegiſſe, in quibus eruditæ ſcriptorum cogitationes proſtant conſignatæ in libris. In Bibliothecis velut cum imperio verſatur & præeſt, vel vt Dea in ſuo illo ſacrario alios initiat minoribus ſacris, alios maioribus inaugurat, ſuo ſemper numini rectè & quietè operaturos. O religioſum penetrale! ô cellam quam è ducentis trecentíſque, atque etiam amplius Antiſtitum in ea continuò facientium millibus

Sen. ep. 14. ſinguli poſſunt facere auguſtam. Quam dignitatem confert huic loco conſummata ſapientia, *cùm eius ſtudium non dico apud bonos, ſed apud mediocriter malos infularum loco ſit, eiúſque nomen venerandum, & ſacrum maneat.* Manaſſes Conſtantinus Theoſophiæ Templum extructum à Iuſtiniano Imperatore *Cœlum terreſtre* appellat, τὸν οὐρανὸν τὸν κάτω· ὃν οἶμαι καὶ τὰ Σεραφὶμ αἰδούμενα θαυμάζειν, ἂν γὰρ θεὸς καταξιοῖ μένειν ἐν χειροποιήτοις ἐν τούτῳ πάντως κατοικεῖ, καὶ ποῦ γὰρ ἀλλαχόθι. *Quod puto ipſa Seraphim reuerita mirari, ſi Deus morari dignatur in manufactis, hîc omnino habitat; vbi enim alibi?* Quæ verba ſi traduxeris ad Bibliothecas, atque animo finxeris mentem hominis intelligentiâ rerum omnium præditam, Numen eſſe quod *Sapiētia* appellatur. Dic, amabo, putas alio in loco diuerſari velit, quàm in Bibliothecis? aliúdve habere miniſterij ſui inſtrumentum, quàm libros? alios ſacerdotes, quàm Antiſtites ſcientiarum? alium comitatum, alióſque *conſentientes Deos, quàm eruditas cogitationes?* Id quàm verum ſit, diſce ex Seuerino Boëtio, quem cùm *ſapientia* carcere clauſum perhumaniter inuiſeret alumnum olim ſuum ſolatura, moneretque vt ſi operam medicantis expectaret, vulnus detegeret ſuum. ille collecto in vires animo hæc repoſuit, *Anne adhuc indiget admonitione, nec per ſe ſatis eminet fortunæ in nos ſæuiētis aſperitas? Nilne te ipſa loci* (carceris) *facies mouet. Hæccine eſt Bibliotheca, quam certiſſimam tibi ſedem noſtris in laribus ipſa delegeras? & in qua mecum ſæpe reſidens de diuinarum humanarúmque rerum ſcientia diſſerebas? Talis habitus taliſque vultus erat, cùm tecum natura ſecreta rimarer, cùm mihi ſyderum vias radio deſcriberes, cùm mores noſtros, totiúſque vitæ rationem ad cœleſtis ordinis exemplar formares?* &c. tum paulo pòſt. *Quod à te inter ſecreta otia didiceram, transferre in actum publicè adminiſtrationis optaui. Tu mihi, & qui te ſapientium mentibus inſeruit Deus, eſtis conſcij, nullum me ad magiſtratum, niſi commune bonorum omnium ſtudium detuliſſe.* Hactenus Boëtius [a]; vbi & propoſitam epigraphem præclarè comprobat, & quid negotij tractetur *in quieta illa ſapientiæ domo*, pulchrè explicat. Prorſus ita res habet. habitat ſapientia in Bibliothecis: verumtamen in eadem ipſa æde eſt auguſtius quoddam puluinar, & quædam

a l. 1. de cõſ. proſa 4.

cella

cella penitior, vbi præcipuè commoratur, quemadmodum teſtatur ipſa Boëtius in hanc ſententiam reſpondens. *Non tam me loci huius* (carceris) *quàm tua faces mouet, nec Bibliothecæ potiùs comptos ebore ac vitro parietes, quàm tuæ mentis ſedem requiro; in qua non libros, ſed id quod libris pretium facit, librorum quondam meorum ſententias collocaui* [a]. [a] ibid. proſ. 5.

Caput XII.

Duodecima inſcriptio, Theſaurus deſiderabilis in tabernaculo ſapientis. Prou. 21.

Tamdiu expectas lector, & meritò poſcis, vt Bibliothecas aurariam & gemmariam officinam eſſe dicam, atque ærarium, ſiue conclaue ſanctius, vbi regina ſapientia ſuas reponit opes & theſauros. Bene mones; faxo, ac licèt hoc ipſum iam ſuprà innuimus, tamen paulò ſpeciaIiùs diſſerendum eſt de theſauro literarum deſiderabili, qui eſt in habitaculo ſapientis, vt monet Sapiens, ac Hebraicæ linguæ genuina notio præſefert. Quantum (amabo) theſaurum Bibliothecam eſſe neceſſe eſt, quæ abundat tot lectiſſimis gemmis (ſic D. Auguſtinus Cyprianos & Ambroſios vocat.) *Sunt in Eccleſia Dei*, inquit [b], *lapides pretioſi, & ſemper fuerunt, docti ſcilicet abundantes ſcientiâ, & eloquentiâ.* Pace tua dixerim Auguſtine, parum eſt ſingulos doctos viros appellaſſe gemmas; ſublimiùs de magnis ſcriptoribus Domitius apud Plinium [c] ſenſit, ſingulos libros totidem theſauros vocans; & Ennodius aiens [d] Auitum Viennenſem Epiſcopum non ſolùm eſſe gemmatum quoddam monile, & inſigne ex compactilibus adamantibus; ſed integram dactyliothecam: *in quo Præſule ſcili. et ſe peritia velut in diuerſorio lucidæ domus incluſit.* Erraui; nihilo humiliùs de eruditione iudicauit Auguſtinus, *qui mentem bonis artibus & diſciplinis præditam, aram diuinitatis eſſe dixit*, vtique infinitorum vnionum, carbunculorum, & omnis generis gemmarum copia incredibiliter radiantem. 1.

[b] Serm. 218.
[c] in præf. hiſt. nat.
[d] in vita Epiphanij.

Hæc inſcriptio luculenter illuſtrari poteſt illo loco Eſdræ [e], vbi Darius monetur commentarios requirere, ἐν τῷ οἴκῳ τῆς γάζης Βαβυλῶνι, & *cap. 6. eiuſdem libri* habetur, ἐν ταῖς βιβλιοθήκαις ὅπου γάζα κεῖται ἐν Βαβυλῶνι. In Medorum tamen repertos eſſe refert: in quo Eſdræ loco Hebraica lingua *Bibliothecam, domum theſaurorum* innuit; quæ duplicis generis fuit: altera in qua libri qui ad ſapientiam pertinebant adſeruabantur; altera in qua rationum publicarum codices reponebantur, atque ad rem nummariam pertinentia volumina. Quantopere autem ſit deſiderabilis hic theſaurus librorum, accipe ex D. Ambroſio [f] ſacros Codices in hæc verba ſupra omnes æſtimante. *Meritò exulto*, inquit, *ſicut qui inuenit ſpolia multa: inueni heptateuchum, inueni regnorum libros, inueni Prophetarum ſcripta, Hebræi ſpoliauerunt Ægyptios, & vaſa eorum abſtulerunt; Iudæorum ſpolia habet populus Chriſtianus, & totum habemus quod illi ſe habere neſciebant: illi aurum & argentum materiale abſtulerunt, nos aurum mentis accepimus; nos acquiſiuimus cæleſtis ſermonis argentum.* 2.

[e] cap. 5.
[f] Serm. 21.

3\. Pium ſecundum Pontificem Maximum libros pluſquam ſapphiros & ſmaragdos curare ſolitum Platina ſcribit: nec mirum id quidem; nam libri eum ad ſummi ſacerdotij apicem euexerant; & ſi id beneficij non præſtitiſſent, nihilominus id pluris ab omnibus æſtimari par eſt, vnde fit is, qui illud poſſidet, melior, quàm vnde ditior. Ioann.Franc. Picus Mirandulanus [a] ait ſe nouiſſe duos, qui Philoſophi vocarentur, quorum alter tam indignè & illiberaliter ſordidus erat, vt hoc dedecus non erubuerit euomere; ſe quam habebat ſcientiam mille aureorum pretio, ſi non deeſſet emptor, libenter venditurum eſſe: alter qui etiam ſe equum eſſe mallet, dummodo copioſa ſuppeteret alimonia, quàm eo victu viuere, quo degebat; tamen non egebat, ſi metiri indigentiam ſecundùm communem æſtimationem voluiſſet, non ſecundùm inſanabilem & inexhauſtam auri cupiditatem qua flagrabat. Longè aliter de ſapientia iudicauit Regum ſapientiſſimus, cuius ſunt hæc vota [b]. *Optaui,& datus eſt mihi ſenſus; & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ;& præpoſui illam regnis & ſedibus,& diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem pretioſum,quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius: ſuper ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius.* Dignus equidem cui proinde datum ſit *cor ſapiens,& intelligens*: ſicut illi, vel micâ ſapientiæ prorſus indigni, qui tam indignè illam contemnunt; cùm tamen, *nec quidquam maius homo à Deo accipere,*(vt Plutarchus [c] affirmat)*nec dignius dare munus homini Deus poſſit,veritate:reliqua quippe non ſibi propria, & peculiaria Deus homini largitur. neque enim aurum & argentum Deo beatitatem,neque tonitru & fulmen vim parat,ſed ſcientia,& prudentia.* Inæſtimabiles ſapientiæ theſauros ſanctus Iob eleganti oratione hunc in modũ exaggerat.*Neſcit homo pretium eius, non dabitur aurum obryzum pro ea, neque appenditur argentum in commutatione eius:non conferetur tinctis Indiæ coloribus,nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur ei aurum,vel vitrum,nec commutabuntur pro ea vaſa auri: excelſa & eminentia non memorabuntur in comparatione eius: non adæquabitur ei topazius de Æthiopia,nec tincturæ mundiſſimæ componetur.* Quid ſolet eſſe in theſauris præter aurum,argentum, vniones,gemmas, cryſtallum, purpuram? & hæc omnia ſi in altera libræ lance collocentur, tantùm ſapientia præponderabit, vt vix minimi momenti inſtar ſint: at vbi reconditæ ſunt tam exquiſitæ opes? *Sapientia vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neque inuenitur in terra ſuauiter viuentium*;ſicut poſtea in emblemate vigeſimo quarto oſtendemus. *Abyſſus dicit, non eſt in me, & mare loquitur, non eſt mecum:trahitur autem ſapientia de occultis.* In libris latet, effoditur ex Bibliothecis, in receſſu literario reperitur; eóque è ſedibus diuinitatis,quibus ſemper adſiſtit, traducta eſt, atque ab iis qui eam ſtudioſè quærunt,& poſcunt, vtiliſſimè poſſidetur, ſimúlque iucundiſſimè ſine nauſea & faſtidio, nouúmque ſui ſemper deſiderium creat:ſicut aromata quantò magis digitis atteruntur (inquit D.Chryſoſtomus [d]) tantò maiorem naturâ ſuâ fragrantiam reddũt;ita & in Scripturis vſu venit, quanto

[a] l.2.de diu. & hom.phil. ſtudio.

[b] Sap.7.

3.Reg.3.

[c] initio libri de fide & Oſir.

Iob c.28.

[d] hom.13.in Gen.

quanto illas quiſque ampliùs tractare ſtuduerit, tanto magis videre poterit latentem in ipſis theſaurum, pluréſque percipere indicibilium diuitiarum fructus. Vnde vides theſaurum hunc literarium eſſe ſimul *vnguentariam officinam*, quæ ſuauitate odorum quos efflat, ad ſe trahit *ſcientiæ amatores*, qui (vt pulchrè Philo [a],) velut canes venatici, afflati pretioſa illa aura, cupiunt originem tantæ voluptatis aſſequi; idcóque huc & illuc curſitant, & vel ipſo honeſtatis odore, tanquam ſacro nidore ſe recreant. Huc pertinet quod ſanctus Epiphanius hæreſi trigeſima contra Ebionæos narrat [b]. *Cùm multa cogitarent de gazophylacio* (inquit) *propter concluſionem per ſigillum, Ioſephus clandeſtinè auſus id aperuit, & pecunias nullas reperit, verùm libros pecuniis praſtantiores.* Gazophylacium iſtud, & theſaurus ſacer vbi ſit, vt eò te conferas quiſquis es ſalutaris ſcientiæ, & diuinæ ſapientiæ cupidus, monſtrat ex Apoſtolo B. Petrus Damianus [c]. *In pectore Ieſu*, ait, *ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*; hanc ſupereminentem diuinæ ſapientiæ celſitudinem Ioannes diuinitus illuſtrata mente concepit, cùm in ſacroſancto myſticæ cœnæ conuiuio ſupra pectus recubuit Redemptoris: ex illo cœleſti gazophylacio ſummam traxit, vnde noſtræ paupertatis inopiam copioſa liberalitate ditauit. Ex illo ærario diuitiarum copias attulit, & in communem totius mundi ſalutem bene prodigus erogauit. Monilibus illis quæ in hoc caput retulimus, encauſtum illinat Eccleſiaſticus [d] his verbis, *Aſſumite diſciplinam in multo numero argenti, & copioſum aurum poſſidete in ea.* Fluxas, & terrenas diuitias poſſidere quilibet poteſt, hæres inſtitui ab homine aliquo locuplete poteſt, theſaurum inuenire poteſt, furari aurum & argentum poteſt, ac de Iro Crœſus fieri; doctrinam verò poſſidere non quilibet poteſt.

At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes.
Magnaque Niliacæ ſeruit tibi gleba Syenes,
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego túque ſumus. ſed quod ſum, non potes eſſe,
Tu quod es, è populo quilibet eſſe poteſt.

hæc Martialis [e] de ſua facultate poëtica ad Calliſtratum diuitem, ſed indoctum.

Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 8.
[a] l. de ſomn.
[b] l. 1. tom. 2.
[c] ſerm. 63.
[d] c. 51.
[e] lib. 5. Epigr. 12.

CAPVT XIII.

Decimotertia Bibliothecæ inſcriptio, Vnum ſcio, quòd nihil ſcio.

VAlde contrariam modeſtæ huic ſententiæ quam Socrates terere ſolebat, quidam apud Dionem [f], & Platonem [g] vſurparunt dementiſſimæ cuiuſdam fatuitatis teſſeram, *omnia nouimus*: eóque etiam vecordiæ neſcio quis Euthydemus proceſſit, vt cauerit diligenter, ne quidquam videretur à quoquam didiciſſe. Habent iſti qui ſe profitentur 1.

[f] or. 33.
[g] in ſophiſtas.

tut *omniſcios* egregium ſuæ vanitatis caſtigatorem D. Gregorium Nyſſenum [a], à quo iubentur vel formicæ naturam declarare, ſi ſuæ fidem venditationi adſtruere velint. Nec bene longa vita ſuffecerit accuratæ Poëtarum Lyricorum lectioni, dixit in ſapientium numero non poſtremus; quanto minus vt tu omnium ſcientiarum Encyclopædiam conſequare? Quiſquis id non agnoſcit, inſcientiſſimus eſt, & ſuperbiſſimè fatuus. Quàm exiguum enim illud ſit quod in ſingulis ſcientiis adepti ſumus, ſatis probat opinionum diuerſitas, illuſtre argumentum dubiæ & incertæ lucis, quæ nos cogit tenebricoſos quæſtionum propoſitarum exitus pærentare, vti cæci facere ſolent; adeóque etiam oculati, dum in tenebris verſantur. Non abſurdè Lucianus [b] irridet ſtudia contraria, in quæ ſcinditur ſapientium vulgus, & omnium maximè ridiculus ſit, qui in tanta multitudine atque æſtu diuerſa ſentientium, & conſequenter ſæpiſſimè errantium in inueſtigatione veritatis, quæ vna eſt, ſe quoque ſæpe errare negauerit; vt recte intulit Arnobius [c]. Imò quo quis doctiſſimus, & ſapientiſſimus fuerit, eo liquidiùs intelliget, quàm breuis ſit obtutus noſter, quàm hebetes & obtuſi, qui vulgò putantur, ſúntque re verâ inter mortales maximè lyncei. Eruditæ huius ignorantiæ profeſſionem Lactantius [d] in Socrate commendat his verbis: *Cùm eſſet omnium philoſophorum doctiſſimus, tamen vt cæterorum argueret inſcitiam qui ſe aliquid tenere arbitrabantur, ait ſe nihil ſcire niſi vnum, quòd nihil ſciret. Intellexit enim doctrinam illam nihil habere in ſe certi, nihil veri, neque vt putabant quidam, diſſimulauit ipſam doctrinam, vt alios refelleret, ſed vidit ex parte aliqua veritatem. Teſtatus eſt etiam in iudicio* (ſicut traditur à Platone) *quòd nulla eſſet humana ſapientia, adeóque doctrinam, qua tum Philoſophi gloriabantur, contempſit, deriſit, abiecit; vt id ipſum pro ſumma doctrina profiteretur, quòd nihil ſcire didiciſſet.* Videſis Ludouicum Richeomum libro qui inſcribitur, *Academia honoris.* Omnino quiſquis attentiùs conſiderauerit menſuram ſcientiæ quam doctiſſimi quique adepti ſunt, is profectò fatebitur infinities plura eſſe quæ neſciant etiam in rebus corporeis: nam quod ad ea pertinet, quæ à materia remota ſunt, non habeo aliud dicere, quàm quod Ariſtoteles dixit, ad ea cognoſcenda ita ſe habere intellectum noſtrum, ſicut veſpertilionis oculos ad contuendum ſolem. Ecquis eſt (ait Franc. Picus Mirand. [e]) etiam inter principes ſcientiarum qui plurima non peccauerit, quíque in ea facultate cui ſe præcipuè addixit, nactus non ſit maſtigem ſuum? Nec Plato, nec Ariſtoteles, nec Demoſthenes, nec Theophraſtus, nec Homerus, nec Virgilius, nec Cicero ſunt ſine huiuſmodi vibicibus. Quapropter, inquit Clemens Romanus [f], *laborandum nobis eſt, vt indignantes ignorantiæ, præſumptionem ſcientiæ ratione reſecemus. Nam qui credit ſe ſcire quod ignorat, & defendat verum eſſe quod falſum eſt; idem facit quod ebrius ſobrium ſe putans.* Certè ſemper mihi placuit dictum Lactantij de Philoſophis. *nunquam illos tam veridicos fuiſſe* aſſerentis [g], *quàm cùm ſententiam de ſua ignoratione dixerunt* Pulchrè, & modeſtè Oliberio Ennodius,

Tu cœlum teneas, me terris linque quietum,
Qui ſolùm noui, quòd bene nil didici.

CAPVT

a orat. 9. contra Eunom.

b in Hermog.

c l. 2. n. 50.

d l de ira Dei c. 1.

e de ſtud. diu. & hum. ſap. l. 2. c. 6.

f Ep. ad Iacobum fratrem Domini, poſt medium.

g inſt. l. 3. c. 1.

Caput XIV.

Decimaquarta inſcriptio Bibliothecæ, σοφίας ἐμπόριον, Sapientiæ emporium.

EMporium eruditionis, & ſapientiæ eſſe librorum lectionem monet 1.
Themiſtius [a], ex quo non aurum, precioſa ligna, purpura, aliáque [a] Or. 15.
eiuſmodi exportantur; ſed virtus, & prudentia loco mercium, ἀρετὴ καὶ φρόνησις καὶ ἀγώγιμα. Quid? emi poteſt eruditio? id negant omnes ſapientes. *Nō habetur vanalis doctrina vt libri*, inquit Petrarcha [b], *& ſi haberetur, neſcio vtrùm tot emptores repertura ſit, quot libros. Illi enim muros veſtiunt, hæc animos; quæ verò oculis non videntur, ab hominibus negliguntur.* Vænit tamen eruditio, ſi Tullio credimus ad Marcum filium hortandi gratiâ ſic ſcribenti. *Suſcepiſti onus graue & Athenarum & Cratippi, ad quos cùm tanquam ad mercaturam bonarum artium ſis profectus, inanem redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & vrbis auctoritatem, & Magiſtri.* Alludit Tullius ad Homeri carmen,

[b] Dialogo 43.

> Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τ' ἀπονέεσθαι.
> *Turpe foret manſiſſe diu, vacuúmque reuerti.*

Ne te pigeat longam viam ire ad eos, qui ſe aliquid vtile docere profitentur. Cùm enim negotiatores augendæ rei familiaris gratia tanta maria tranſmittant, turpe fuerit adoleſcentes excolendi ingenij cauſa nec terreſtre iter velle ſuſcipere.

Venit in mentem quod appoſitè ad hunc locum refert Iacobus Midendorpius [c]. Carolus Magnus regnabat in Galliis, cùm ex Scotia duo Monachi ſoluentes in quibuſdam mercatorum Britannorum onerariis exſcenderunt in Gallia: negotiatoribus verò merces ſuas prædicantibus ac diuendentibus, cœpere & ipſi valentiſſimè proclamare: *Si quis es auidus ſapientiæ, huc ad nos: vænalis eſt.* quæ cùm ſæpiùs iterarent, non effugerunt ſuſpicionem emotæ mentis, potiúſque videbantur ipſi indigere elleboro, quàm alij ſapientia. Res tamē ad aures Regis venit, cui de illa vænali ſapientia ac de eius pretio interroganti, affirmarunt penes ſe omnino eſſe theſaurum illum, ſéque inæſtimabiles illas opes perexiguo pretio addicturos: tria ſibi dūtaxat ad id neceſſaria, *locū opportunū, animus ingenioſos, ac ea ſine quibus vita hæc ſuſtineri non poteſt, victus, ac veſtitus ſubſidia.* Gauiſus eſt maximopere Imperator cognitâ vtriuſque ĩngenuâ ac liberali voluntate, ac illius quam re ipſa ſecum habebant, ſublimis ſapientiæ mercibus. Peramanter atque honorificè vtrumque excipit, alterúmque inſtituendæ Ticinenſi Academiæ præficit; alterum Lutetiæ Pariſiorū retinet, ephebeum quoddam nobiliū adoleſcentiū curaturū. Ceſſit vtrūque ex voto: nam gratuitā operā ſtrenuè impenderūt omnibus ſapientiæ candidatis. Eā accepiſſe, emptę pretiū fuit; ſiquidē nullum aliud minerual poſtulabant, quàm vt ſtudium licitantium par eſſet voluntati gratuitò addicentium. Qua re quid iuſtius, quid honeſtius?

[c] in Academ. Orbis lib. 4.

Nihilominus quantumcumque ſit liberalis, honeſta ac gratuita do- 2.

centium voluntas & opera:tamen carò ſtat diſcentibus, & grãdi pretio comparatur.Quo tandẽ(inquies)*induſtria & labore?* Ita Tullius filium monet in Athenienſi negotiatione verſantem, penes ipſum ſapientiæ pretium eſſe, nimirum *ſtudium, & diligentiam*, comparaturúmque rem pretioſiſſimam, ſi quantum conniti animo poteſt, quantum labore contendere, tantum efficiat, vt ne ipſi ſibi defuiſſe videatur. Rurſus: Vbi tandem ſitum eſt illud emporium? In Bibliothecis, in quibus

Quæque viri docto veteres fecere nouique
Pectore, lecturis inſpicienda patent,

[a] l.3.Triſt. el 1.

vt de Palatinâ Apollinis cecinit Ouidius [a]. Ibi proſtat vęnalis eruditio, ſed ſine ſordibus; non enim cogitat ſapientia quantum lucri ſibi, ſed quantum ſtudentibus auxilij & doctrinæ allatura ſit: túque ſi eius merces oculis & animo luſtraueris, ac rem tuam feceris, cumulatè ſibi ſatisfactum, & perſolutum putat, imò refert acceptum. Iterum dico, *non eſt mercenaria ſapientia*; imò ſe beneficium accepiſſe putat, ſi fecerit. Tu viciſſim ne grauere aliquantulum laborem pretij loco: quidquid pro ea dederis, exiguum eſt, non vænit illa ſuo pretio, ſed tuo: pluris eſt quàm ematur, & ob id ſemper illi aliquid extra, quamuis empta ſit, debebis. Etenim ſe rem vtique inæſtimabilem leui pretio addicit, & tantum impendit, quantum à Medico, vel à Magiſtro amiciſſimo impendi poteſt ſalutis, ſcientiæ & voluntatis. Tu, ne ingratus ſis, non ſolùm pretium operæ, ſed & animi repende: vtrumque enim illi debes. harum mercium pretium & excellentiam ex eo colliges, quòd nullo pacto obnoxiæ ſint caſibus fortunæ, & innumeris calamitatibus quæ ex Crœſi momento Iros faciunt. Audi Vitruuium ſuper hac re diſputantem, & proferentem Ariſtippum pro exemplo, alióſque ſapientes pro teſtibus. Ariſtippus Philoſophus Socraticus (inquit [b]) naufragio eiectus ad Rhodienſium littus cùm animaduertiſſet geometrica ſchemata deſcripta, exclamauiſſe ad comites ita dicitur: Bene ſperemus; hominum enim veſtigia video; ſtatímque in oppidum Rhodum contendit, & rectè Gymnaſium deuenit, ibíque de Philoſophia diſputans muneribus eſt donatus, vt non tantùm ſe ornaret, ſed etiam eis, qui vnà fuerant, veſtitum, & cætera quæ opus eſſent ad victum præſtaret. Cùm autem eius comites in patriam reuerti voluiſſent, interrogaréntque eum quídnam vellet domum renunciari; tunc ita mandauit dicere: *Eiuſmodi poſſeſſiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiam è naufragio vnà poſſent enatare.* Namque ea vera ſunt præſidia vitæ, quibus neque publicarum rerum mutatio, neque belli vaſtatio poteſt nocere. Non minus eam ſententiã augendo, Theophraſtus hortando doctos potius eſſe, quàm pecuniæ confidentes, ita ponit doctum ex omnibus ſolum neque in alienis locis peregrinum, neque amiſſis familiaribus & neceſſariis inopem amicorum, ſed in omni ciuitate eſſe ciuem, difficiléſque fortunæ ſine timore deſpicere caſus. Quis has poſſeſſiones & merces animo ſibi parare non geſtiat? Quis emporium illud adire non ſatagat, vbi proſtat Encyclios doctrinarum omnium diſciplina?

[b] l. 6 in proœm.

CAPVT

CAPVT XV.

Plures aliæ gnomæ inſcribendis Muſei foribus proponuntur.

NIſi onus voluminis temperarem, & ſtylum inhiberet vetus illud quod mihi in aurem inſuſurrari ſentio, *Propilæum ne ſit maius templo*; excurrerem ad alias inſcriptiones bene multas, & ſingulas ſingulis capitibus, (vt feci ſuperiùs) complecterer. Plures hoc capite perſtringam, ac in primis eſto Iſocratis pronunciatum Apollinis oraculo verius, 1.

——Ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής,

Si fueris diſcendi cupidus, eris multiſcius.

hoc monitum eſt in ſtudio literarum palmare, & affine illi quod in morum compoſitione, atque ad virtutem progreſſus congerunt Doctores Aſcetici, *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.*

Curia mortuorum Senatorum. Intelligis (puto) in qua officina cuſum ſit iſtud epigramma. Nihil potuit ſalutarius reſponderi Ptolemæo Regi interroganti Demetrium Phalereum de optima adminiſtratione Imperij, quàm vt mortuos Conſiliarios ſibi adhiberet; ſunt enim *ſine gratia, ſine cupiditate, ſine metu*; nec aliunde veritatem certiùs audituri ſunt Principes, cùm plerique eorum qui Principibus obſequuntur, vel pudore, vel metu conticeſcant, vel ſpe propriæ vtilitatis corrupti, dum fauorem emereri ſtudent, mendacium obiiciant, & ſupparaſitentur. Pauſanias redditum eſſe ait reſponſum ab Apolline Delio, Μεγαρέας εὐδαιμονήσειν εἰ μετὰ πλειόνων βουλεύσοιντο, *Megarenſes fore felices ſi cum pluribus conſilia cogitarent*; quæ cauſa fuit ædificandæ curiæ, quam βουλευτήριον appellarunt, ſtatim animum adiecerint in eo loco, vbi erant τάφοι heroum. Aliud eius generis oraculum refert Laërtius [a], Zeno Citticus conſuluerat numen, ecqua tandem ratione vir bonus fieret? reſponſum eſt, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, *ſi mortuis concolor fieret.* Ille cùm exemplo numinis mentem interpretatus eſſet, dedit operam veterum auctorum lectioni, ratus nullo alio modo ſe poſſe meliùs eorum colorem & mores combibere.

Ioannes de Borja Regis Cath. apud Rodulphum Imperatorē legatus in Emblematis moralibus pag 75.
Calcagn. de profectu.
Vide Theodoretum ſerm. 10. cont. gr. pag. 142.
Hyginum fab. 142.
Macrob. l. 1. Saturn. c. 17.
Pauſan. in Bœot. fol. 314.

Atrium libertatis. Aſinius Pollio orator & ſenator nobilis (inquit Suetonius [b],) inuitante atque incitante Auguſto Imperatore, *Atrium libertatis* extruxit, primus Romæ Bibliothecas publicauit Græcas Latináſque, additis auctorum imaginibus in atrio, quod de manubiis magnificentiſſimè extruxerat In illo atrio libertatis collocatam Bibliothecam ex Suetonij verbis haud obſcurum eſt; ſed ex Ouidio exploratiùs [c],

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis 2.
Atria libertas tangere paſſa ſua eſt.

Equidem ſapienti conſilio conſtituta *libertas in Bibliotheca*, vel *Bibliotheca in libertate* dedicata: & quod Socrates [d] de Iudæorum, & Perſarū,

[a] lib 7.
[b] in Aug. c. 29.
[c] l. 3. Triſt. eleg. 1.
[d] apud Rhodig. l. 21. c. 40. lect. antiq.

 qui

qui fortiſſimi celebãtur, otio libero, & libertate otioſa dixit, nos addit vnâ voculâ otio literario tribuamus, ἀργίαν μουσικὴν εἶ) ἐλευθερίας ἀδελφὴν, *otium literarium libertatis fratrem eſſe. Corpus hoc* (clamat Seneca[a]) *animi pondus ac pœna eſt, premente illo vrgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſerit Philoſophia, hæc libertas eius eſt, hæc euagatio,* &c. Idem gemmã ex Epicureo cœno colligens, *Philoſophiæ ſeruias oportet,* ait [b], *vt tibi contingat vera libertas, non differtur in diem, qui ſe illi ſubiecit ac tradidit, ſtatim circumagitur* (alludit ad ſeruos qui cùm manumittebantur, ſolebant circumagi.) *hoc enim ipſum Philoſophiæ ſeruire libertas eſt.* Hæc ſi tam altè prædicat Stoicus de Philoſophia, quæ vna eſt duntaxat de Bibliothecarum inquilinis, aut familiis, quàm potiùs dicendum eſt, Bibliothecas in omni ſeruitute eſſe apertam libertati ædem: hominis eſt in ſumma animi impotentis imbecillitate ſe ipſum non ferentis nefaria illa & phanatica vox, quæ ait in imo mari, flumine, vel puteo libertatem ſedere, ac per præcipitem locum ad eam deſcendi, ex arbore breui, retorrida, infelici libertatem pendere; iugulum, guttur, cor effugia eſſe ſeruitutis, & quamlibet in corpore venã eſſe ad libertatem iter. Deſperatè, furioſè, ac planè ſeruiliter locutus eſt, quiſquis hoc dixit: omnis enim indignatio in tormentum ſuum proficit, & imperia grauiora ſentit qui contumaciùs patitur. Veriùs pronunciaſſet & fortiùs, *homini ægro certiſſima patere atria libertatis, Bibliothecas.* Cordatiùs idem [c] locutus eſt, cùm dixit; *inter ſtudia verſandum eſt, inter auctores ſapientiæ, & vt quæſita diſcamus, nondum inuenta quæramus. Sic eximendus eſt animus ex miſerrima ſeruitute in libertatẽ.* hoc enim proprium eſt ſtudiis literarum, vt non ſolùm (quod Naſo cecinit [d],)

——————————lætum
Sint opus, & pacem mentis habere velint;

animóque ſoluto, ſereno, ac libero tractanda ſint; ſed quòd ipſammet pacem & animi quietem, ac libertatem afferant. hæc de libertate animi ſtudia & libros tractantium. De libertate verò librorum in admonendo & reprehendendo lectores ſuos, mox dictum eſt, dicetúrque iterum in parænesi allegorica ad amorem literarum, quæ apponetur in fine voluminis. Interea habe ex Iacobo Midendorpio [e], quod Bibliothecæ Parmenſis foribus inſcriptum eſt in hanc ſententiam:

Ingredere Muſis ſacer, nam & hîc dij habitant,
Nullus amicus magis liber, quàm liber.

[a] ep.65.
[b] ep.8.
Idem l. 2. de ira.
[c] ep.103.
[d] l.1. Triſt. eleg.12.
[e] lib.4. in Academiis Orbis.

SECTIO IV.

De ſimulacris quatuor numinum olim in Muſeis & Bibliothecis poni ſolitis.

I.

INTER varias cauſas Polytheiſmi, quas eruditè & accuratè perſequitur Theophilus Raynaudus [f], hãc affert D. Aug. [g] *Tutelam rerũ ad*

[f] Theol.nat. d. 7. q. 1. art.2.
[g] 4. de ciu. c.8.

ad vitam ſeu neceſſariarũ, ſiue vtilium. horum autẽ numinũ tanta fuit multitudo, vt, quemadmodũ dixit ſanctus Doctor, *enumerare pigeat, quæ illos colere non puduit. Vnuſquiſque ponit hoſtiarium*, inquit, *& quia homo eſt omnino ſufficit. Tres deos iſti* (Ethnici) *poſuerunt, Forculũ foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini; ita non poterat Forculus ſimul fores & cardinem liménque ſeruare.* hunc in modum ridet prorſus ridiculam veterum ſuperſtitionem. Sui quoque non defuerunt Muſeis & Bibliothecis Præſides dij *Hermes, Minerua, Amor, Hercules*, quorum ſimulacra eminebant in altiſcuiis pluteis, qua de re habeo dicere ſequentibus capitibus.

CAPVT I.

Hermes poſitus in Bibliothecis, & cur?

HErmem omnium Academiarum ornamentum nominat M. Tullius [a], rogátque Atticum ſuum [b], vt quos pollicitus eſt, citò mittat. *Hermæ tui* *, inquit, *cum capitibus æneis, de quibus ad me ſcripſiſti, iam nunc admodum me delectant. quare velim & eos, & ſigna, & cætera, quæ tibi, & eius loci* (Academiæ) *& noſtri ſtudij, & tuæ elegantiæ eſſe videbuntur, quamplurimum quàm primúmque mittas.* Rurſus ad eumdem [c], *Hermas de quibus ad me ſcripſiſti, vehementer expecto; quidquid eiuſdem generis habebis dignum Academia, quod tibi videbitur ne dubitaueris mittere, & arcæ noſtræ confidito. Genus hoc voluptatis meæ quæ γυμνασιώδη maximè ſunt, ea quæro.* Hæc verò Mercurij ſimulacra quæ vulgò *Hermæ* dici conſueuerunt, nihil aliud ſunt, quam columnæ, ſeu cippi quidam lapidei, vel lignei quadrati, quibus imponebatur caput Mercurij, qualis vulgò fingi ſolet, eximia quadam vultus ſpecie, in qua nihil effœminatum & molle, nihil comptum fucatúmve ſit. Rem paucis attingit Iuuenalis [d], nobilem quemdam adoleſcentem, ſed moribus obſcurum perſtringens.

> *Nil niſi Cecropides, truncóque ſimillimus Hermæ,*
> *Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quod*
> *Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.*

Locus vbi hæ ſtatuæ poni conſueuerant, fuerunt domorum propylæa, Athenis præcipuè, vnde Ælianus [e], καὶ τὸν στέαρον λαβὼν ὅτε ἐπανήει μετὰ τὸ δεῖπνον τῷ Ἑρμῇ τῷ πρὸ τῶν θυρῶν ἑστῶτι ἐπέθηκεν αὐτὸν, κατὰ τὸ ἔθος. Poſitum quoque Hermem in triuiis ad monſtrandum iter paſſim leges, qui quidem vt eſſet prætereuntibus notior, vel vt illum deorum nuntium aliqua religionis ſpecie colerent, ad eius pedes aceruari ſolebant cumuli lapidum; hac re nihil notius. Potiùs videndum cur in Bibliothecis dedicatus; deinde cur truncus, & ſine brachiis.

Primum paucis expedio; quia nemo neſcit acceptam vulgò referri Mercurio non palæſtram tantùm, & corporis exercitationes, verùm etiam ingenij. Cicero [f] auctor eſt Mercurium Ægyptiis leges & literas tradidiſſe. Addit Iamblicus eam ob cauſam Ægyptios ſapientes, ſi quid ederent in lucem, ei velut bonorum ingeniorum, & literarum Auctori

1.
[a] l.2. ad Att.
[b] ep.6. l.1.
* 1. ex marmore Pentelico. Plutarch in Publicola.
[c] ep.7.
[d] Sat.8.
2.
[e] var. hiſt. l.2. c.41.
3.
[f] 3. de nat. deor.

dedicaſſe. Sed cur truncus, & mutilus, cum ſolo capite, in cubo ſiue quadrata baſi & columna?

4. Priuſquam ſingulatim de hac re definiamus, placet nonnihil hoc loco in vniuerſum afferre. De columnis olim coli ſolitis pro numinibus, haud fortaſſe omnibus notum, vnde & res ipſa cognoſcetur, & eius cauſa. Itaque reperio priſcis temporibus columnas paſſim fuiſſe non ſolùm pro Mercurij, ſed etiam pro aliorum numinum ſimulacris. Tibullus,

Non vereor, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in triuiis florida ſerta lapis.

[a] l.1. ſtrom. Clemens Alexandrinus [a], Κίονες πυραμοειδεῖς καὶ πυραμίδι μὲν ὁ μειλίχιος, κίονι δὲ ἄρτεμις ἡ πατρῴα ἦν εἰκασμένη. Columnæ pyramidatæ, & Melichius pyramidi, Diana columnæ aſſimilata erat. *Apollo vicanus*, erat columna in acutum exiens, ſiue turbinata in veſtibulis ædium. Maximus Tyrius Arabum [b], ἄγαλμα λίθος τετράγωνος, τῆς παφίας ἄγαλμα πυραμὶς λευκή. *Simulacrum lapis quadrangulus Veneris pyramis alba.* Epheſiæ Dianæ ſimulacrum erat truncus acutus vlmeus, πρέμνῳ ἐνὶ πτελέης, vnde & *Epheſius Ptelea* vocata. Itaque hæ videntur eſſe cauſæ cur ſic antiqui pro numinibus columnas habuerint, & religioſè coluerint: tum quia ςύλος σημαίνει τὸ ἑςὸς, καὶ μόνιμον τοῦ θεοῦ, *columna ſignificat firmitatem & immutabilitatem Dei*, vt obſeruat Clemens Alexandrinus [c]. Tum quia πρὶν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις κίονας ἵστων ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ, *priuſquam exactè habitus ſtatuarum fingerent, columnas fingebant, vt Dei ſimulacra* ὥστε πολλοὶ τῶν βαρβάρων, πενίᾳ τε καὶ ἀπειρίᾳ τέχνης, ὄρη θεοὺς ἐπονομάζουσι καὶ δένδρα ἀργὰ, καὶ ἀσήμους λίθους. *Muſei Barbarorum artis inopiâ, atque inſcitiâ montes deos nominant, & lapides inutiles & informes*; ſic Dio Chryſoſtomus [d]. Tertiò, eo quòd in eiuſmodi columnis ſæpe eſſet aliquid præſtigiarum; nam & occultâ vi interdum mouebantur, veluti ſi fuiſſent animatæ. Vnde & λίθοι ἔμψυχοι, & αὐτοκίνητοι dictæ ſunt. Talis fuit Bætylus lapis obuinctus faſciis, quem pro Ioue Saturnus deuorauit, vt eſt apud Heſychium, & de quo ſic Photius, εἶδον τὸν βαίτυλον δι' ἀέρος κινούμενον. *vidi Bætylum qui per aërem mouebatur.* Talis Halagabalus in imo maximus & rotundus, in ſummo acutus, qui de cœlo decidiſſe putatus eſt, & ab Emiſſenis cultus pro ſole. Non tantùm Diis, verùm etiam hominibus erectas pro ſtatuis columnas diſcimus ex Plinio [e]; *Antiquior celebratio columnarum ſicut C. Menio, qui deuicerat priſcos Latinos.*

[b] Serm.38.

[c] l.1. ſtrom.

[d] ſerm.12.

[e] l.34.

5. Redeo ad truncos Hermas. In hanc rem ſcribit Seruius [f] ideo mutilum fingi Mercurium, & cum ſolo capite in cippo erecto, quòd ei in monte dormienti à nonnullis manus amputatæ fuerint, vnde tam ipſe, quàm ille idem mons in quo & natus, & malè mulctatus eſt, *Cyllenius* dicitur. nam Græci aliqua parte corporis mutilos κυλλοὺς vocant. Aliam huius rei cauſam comminiſcitur Macrobius [g] non fabuloſam, vt Seruius, ſed ex intima Solis natura petitam, quem per Mercurium ſignificari contendit, *Pleraque ſimulacra Mercurij*, inquit, *ſtatu quadrato figurantur ſolo capite inſignita; quæ figura ſignificat ſolem mundi eſſe caput, omnémque vim eius non in quodam diuiſorum miniſterio membrorum, ſed in latera eâdem ratione*

[f] in 8. Æn. apud Dampſterum antiq. l.2. c.9.

[g] l.1. Saturn. c.19.

ratione finguntur, quia & tetrachordum Mercurio attributum creditur: quippe ſignificat hic numerus vel totidem plagas mūdo, vel quatuor vices temporā quibus annus includitur, vel quod duobus æquinoctiis, duobúſque ſolſtitiis Zodiaci ratio diſtincta eſt. Feſtus Pompeius[a], Politicum potiùs, quàm Poëtam, vel Phyſicum agens, ſic philoſophatur. Ideo Cyllenius, id eſt, truncus, & fingitur & nominatur Mercurius, quia interpres & nuntius non tam manibus ad conficienda negotia, quàm capite & linguâ indiget, iuxta illud Ciceronis, *Non viribus, & celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, auctoritate, & prudentia,* quæ maximè in capite reſidet. Quod verbis docuit Tullius, id re ipſa docuit ille Imperator, qui cùm ſe vulgò contemni animaduerteret, quòd podagrâ laborans pedibus non poſſet inſiſtere, eaque per ſeipſum exequi, quæ adoleſcens conſueuerat, ferri ſe iuſſit ad Prætoris Tribunal, reſtes plurimas ante pedes ſuos poni, atque eò Aduocatos præcipuos ſuæ maieſtatis contemptores, omnes de infelici arbore ſuſpendi; quibus in eius genua prouolutis, & veniam ſuppliciter poſcentibus, *At nunc diſcite* (inquit) *non pedes imperare, ſed caput, & minimam mihi ad rectè imperandum partem deeſſe. Totus homo* (ſi Apuleio credimus) *in capite eſt*; in eo mens velut in arce, aut illuſtri ſolio dignitatis collocata. Nullum fuit olim ſpectaculum Circenſi ſignificantius, & plenius inuoluta ſapientia. Proinde carcerum oſtia duodecim aperiebantur curſum inituris agitatoribus *ab Hermulis* fune demiſſis ſubitâ æqualitate: qua re ſignificabatur, vt notat Caſſiodorus[b], totum illic conſilio geri, vbi imago capitis expreſſa cognoſcitur operari: vnde iampridem inualuit ille mos ad hæc vſque tempora propagatus, vt plerique eorum, qui ſe iconicè ſeu pingi, ſeu fingi curant, ſatis ſibi eſſe putent, ſi ſolum caput indiſcreta ſimilitudine exprimatur: ídque iampridem conſuetudine receptum apud Athenienſes, vt quadratis baſibus pro Mercurij capite, ſolum caput Alcibiadis poneretur, docet his verbis Arnobius[c], *Quis eſt qui ignoret Athenienſes illos Hermas Alcibiadis ad corporis ſimilitudinem fabricatos.* Et Ariſtænetus[d], τοιούτους ἴσθι πάντως τοὺς ἑρμᾶς μᾶλλον, ἢ κατ' Ἀλκιβιάδου μορφήν. *Sed hanc faciem oportebat potius fingi* HERMAS, *quàm ad Alcibiadis vultum.*

[a] lib. 3.

[b] l. 3. var. ep. 51.

[c] 6. contra Gent.

[d] l. 1. ep. 11.

6. Tertij quod proponebatur (cur nimirum affixum Mercurij caput baſi, ſeu columnæ quadrilateræ,) hanc cauſam affert Suidas, quòd eiuſmodi figura eſſet veri ſermonis aptiſſimum ſymbolum, qui nunquam titubat, ſed conſiſtit, nec vllâ vnquam vi deiicitur; contrà verò mendacio nihil inconſtantius, nihil minùs ſolidum, nihil minùs ſede ſua ſtans. hæc ſunt quæ apud Auctores reperi de Mercurio. Nihilominus tamen haud pigebit meam quoque ſuper hac re ſententiam interponere: exiſtimauerim ideo collocatum Mercurium in cubis, ſeu quadratis cippis, tum in viarum diuortiis, tum in Bibliothecis, vt apta eſſet area inſcriptioni, quæ moneret viatores, quò ſingulæ viæ ducerent, & homines ſtudioſos quid maximè in tractandis libris conueniat. Eam fuiſſe mentem Hipparcho in excitandis paſſim eiuſmodi quadratis pilis, impoſito supernè Mercurij capite, docet Plato apud Goropium[e], nam vt tyrannidis & libidinis inuidiam, & infamiam, ſapientiæ nomine leniret, non tantùm multis

[e] l. 6 hermath.

Ælian. in var. hiſt. multis honoribus cumulauit viros eruditos, ſed etiam Academiam muro ſepſit magnis ſumptibus, & erectis plurimis id genus columnis mercurialibus; tum in vrbe, tum in agris, graues inſcripſit ſententias, quibus homines ad probitatem & ſapientiam hortabatur. Plutarchus Cymoni indultum à populo refert, vt poneret ſibi tres Hermas, & ſingulis ſingula Epigrammata inſcriberet, quæ tu leges in eiuſdem Cy-

[a] lib ad Meſſallam. monis vita, hæ in ſtatuarum baſibus inſcriptiones *Tituli* appellabantur, vel *Indices*, vtrumque hoc diſticho complexus eſt Tibullus [a],

Nec quæras quid quaque INDEX *ſub imagine dicat,*
At tua non capiet TITVLVS *ſub imagine facta.*

[b] in Rhodiaco. Quæ inſcriptiones quanti fuerint momenti, & quanto ipſis etiam ſtatuis potiores, docet Dio [b] his verbis, χειρὸς μὲν ἀφαιρεθείσης, ἢ δόρατος, ἢ φιάλης, ἡ τιμὴ μένει· τῆς δὲ ἐπιγραφῆς ἀναιρουμένης ἀνῄρηται δήπουθεν ἡ μαρτυρία, καὶ τὸ δοκεῖν ἄξιον ἐπαίνου γεγόνεται τῶν ἀνθρώπων. *Si manum, haſtam, phialam abſtulerit, manet honor; ſi autem titulum, tollitur teſtimonium & honor.* Tum conſequenter, ἐάν τις ἓν μόνον ἐξχαράξῃ ῥῆμα ἀπὸ στήλης τινὸς, κτενεῖτε αὐτὸν· τὴν ἐπιγραφὴν ἀναιρῶν ὅλον ἐξαλείφει τὸ ψήφισμα καθ' ὃ τὴν τιμὴν ἐκεῖνος ἔλαβε. *Occiditis eum qui ex imagine vnicum verbum eraſerit; qui tollit titulum, totum de-*

[c] in Apolog. *cretum tollit, quo ille honorem conſecutus eſt.* Idem innuit Ariſtides [c], εἰ μὲν ἐπὶ εἰκόνων αὐτοῖς ἐπόντα ἐπιγράμματα ἐξεκόλαπτεν ἢ μετεποίει βλάσφημα ζωγράφος ἀντὶ εὐφημιῶν, *Si pictor titulos imaginum quæ decreta ſunt viris fortibus deleret, aut pro fauſtis acclamationibus infauſtas appingeret, mulctaretur.* Ritum

[d] de pict. l. 1. c. 22. hũc apponendi titulos ſtatuarum baſibus fuſiùs adſtruit Bulengerus [d]. Verùm de Hermis inſcribi ſolitis, ſi quid præcipuè deſideras, habeto

[e] in Cteſiph. iſta ex Æſchine [e], qui ait lemmata quædam inciſa fuiſſe Hermis eorum, qui ad Strymonem fluuium vicerant Medos. τρεῖς λίθους Ἑρμᾶς στῆσαι ἐν τῇ στοᾷ τῇ τῶν Ἑρμῶν, ἐφ' ᾧ τε μὴ ἐπιγράφειν ὀνόματα τὰ τῶν ἑαυτῶν, ἵνα μὴ στρατηγῶν, ἀλλὰ τοῦ δήμου δοκεῖ εἶναι τὸ ἐπίγραμμα. *Statuerunt in porticu tres Hermas, eâ lege, vt non illorum qui vicerant, ſed populi arbitrio inſcriberentur epigrammata.* Hoc ipſum clariſſimè Demoſthenes, τινὲς πόλλ' ἀγαθὰ εἰργασμένοι ἀγαπητῶς ἐπιγράμματος ἐν τοῖς Ἑρμαῖς ἐτύγχανον. *Aliqui bene meriti obtinuerunt inſcriptionem in Hermis.* Scholiaſtes ait, ξύλα ἢ λίθοι τετράγωνοι ἔχοντες ὄψιν Ἑρμοῦ ἐπάνω, κάτω δὲ ἐν τῷ πλάτει τὰ ἐπιγράμματα. *Ligna & lapides tetragoni habentes figuram Hermæ deſuper, infrà verò in latitudine* (baſis) *inſcriptionem.*

7. Inſcribamus & nos aliquid *Hermis bibliothecalibus* ad ſtudia literarum, & capeſſendas bonas artes accommodatum: eſt in promptu tri-

Auctor Pythagoras, apud Apuleiũ in apologia Magię. tum vetuſtate prouerbium, *Non ex quolibet ligno fit Mercurius*; hoc eſt, haud omnes promiſcui nati ſunt ad eloquentiam, & politiores diſciplinas: non vulgaribus ſubſidiis à natura inſtructus ſit neceſſe eſt, quiſquis Suadæ, vel Muſarum corculum eſſe deſiderat. Scitè, quiſquis ille eſt, ſeu

[f] lib. 5. Crates, ſiue Democharis apud Athenæum [f], ἐκ θύμβρας οὐδεὶς ἂν δύναιτο κα-

Plin. l. 19. c. 8. Dioſc. l. 3. c. 45. τασκευάσαι λόγχην, οὐδὲ ἐκ Σωκράτους στρατιώτην ἄμεμπτον. *Ex tymbra nemo poſſit lanceam facere, neque ex Socrate bonum militem.* Sicut non omnem promiſcuè materiam fabri deligunt fingendis ſculpēdiſque Mercurij ſimulacris; eſt enim quædam materia ſeu lignea, ſeu lapidea adeò aduersùs ferrum, atque artem contumax, vt neque figurari, neque ſcalpi, neque

dolari

dolari vllo pacto poſſit. contrà verò alia eſt tam idonea & obſequens, vt ipſa manum artificis inuitet, qui ſi eius filum dextrè ſine errore ſequitur plus ſquammarum, & ſcotiæ vno quadrante horæ ſcalpro deiiciet, quam integro die ex inepta materia; ac breui tempore conſummatæ artis opus efficiet. ita ſunt quædam ingenia, quæ, ſi vel leuis opera acceſſerit, illico magnam perfectionem conſequantur, & ad ſummam eruditionem perueniant, & quaſi proferant ipſa ſeſe, & ſuapte ſponte abſolutiſſimi Mercurij euadant: quemadmodum ſunt alia quibus ex ſeipſis nullus impetus eſt, nulla aptitudo, nec ſecutura quidem cùm præceſſeris; ſed obluctatura ſemper magiſtrorum arti, & diligentiæ, Bæotici ſtipites, & quidquid effeceris, ſemper informes trunci, in agris relinquendi, non collocandi in Bibliothecis.

Pertinet ad hunc locum, ſaltem corollarij modo quod dixit Caſſanæus, pro Hermis qui olìm in Bibliothecis poni conſueuerant, nunc ibidem proponi ſcuta ſymbolica familiarum: ſed enim verò minus idoneè ab eodem dictum eſt, fortè illud generis velleris ſcutarij quod Galli, & Angli feciales vocant *Hermines*, Itali *Armellini*, Hiſpani *Armiños*, ab Hermis, vel Hermathenis deduci, eo quòd in eorum locum ſucceſſerint; id, inquam, minùs aptè deriuatum eſt. nam ſi vera eſt eius coniectura, non modò vellus illud muris Armenici appellandum ſit *Hermines*, ſed ſingula gentilitia ſcuta eodem modo nominanda forēt. quia, vt patet, non illæ ſolùm parmæ teſſerariæ, in quibus eſt illud vellus ponticum, ſeu hermionicum, verùm etiam quælibet aliæ, locum priſcorum Hermarum obtinent in Muſeis Nos in arte teſſeræ ſcutariæ magis idoneas, vt nobis quidem videmur, huius vocis notationes offerimus. 8.

Caput II.

Hermathena in Bibliothecis, & cur?

Tria hoc capite diſputo. Primo loco quid ſit *Hermathena*; ſecundo, cur in Bibliothecis, ſiue animorum palæſtris dedicata: tertio, quid in eiuſmodi ſimulacro inſcribendum? Ingenuè fateor viſum mihi eſſe haud ita facile cogitatione informare, ac multo minùs definire, quid ſit illud genus ſtatuarum, quod paſſim *Hermathena* nominatur. Licèt enim ipſa vox coniunctam Mercurij, & Mineruæ imaginem ſignificet, idque vulgò ſcribant Autores; tamen non ſatis conſtat, neque videtur à veteribus clarè expreſſum, vtrùm *Hermathena* diceretur vnicum vtriuſque numinis ſignum, quod eſſet bifrons, aut biceps, vel etiam bicorpor, & proinde vocaretur *Mercurio-minerua*, ſiue *Hermathena*. Attingunt nodum, non diſſoluunt, quicumque dicunt Mercurio & Mineruæ communes aras erigi ſolitas, imò vt vtrumque numen in eàdem ſtatua poni conſueuiſſe: ita Thomas Dempſterus [a], vel qui ſcripſere vtriuſque numinis ſimulacra copulata ab antiquis, atque vnicum ex duobus effectum hac coniunctione: ita Vincentius 1.

[a] l. 2. antiq. Rom. c. 9.

a in imag. deorum.

Cartharius [a] : verùm,quâ tandem ratione geminum illud ſignum ita in vnum coaluerit,vt *Hermathena* communi appellatione dici poſſit, non docent.

2. Priuſquam de hac re paulo curioſiùs inquiſiuiſſem, fingebam animo *Hermathenam* non bifrontem quidem, nec bicipitem, nec bicorporem ſtatuam,quæ altera parte Mercurium referret,ſed diſtinctum vtriuſque ſignum in vnâ eadémque baſi affixum:tamen re paulò accuratiùs diſcuſsâ, viſum eſt, nihil aliud eſſe *Hermathenam*, quàm Mineruæ ſimulacrum mediâ parte inferiori in cippum quadratum, ſeu columnam deſinens; ſuperiori verò,(qualis vulgò fingi ſolet) galeâ,peplo, clypeo,haſtâ inſigne; itáque eſſe vt credam facit, tum quia nulla alia occurrit aptior eius rei informatio, tum antiquus numus Fuluij Vrſini alterâ parte Hadriani Imperatoris effigiem,alterâ Mineruam,qualem hîc proponimus,exhibentis : vnde ſibi in eâdem difficultate fluctuanti porrectum eſſe in quo conſiſteret, fatetur Paulus Manutius;qui præterea dicit lapidem illum figuræ quadrangulæ ſignificare Mercurium,ac vocari Ἑρμῆν τετράγωνον, cui lapidi cùm impoſueris Mineruæ ſignum, *Hermathenam* efficies; hac ratione, ac numi figura perſuaſus nobiſcum ſentit.

Iconem exhibet Paulus Manutius in ep.3 l.1.ad Att.

3. Aliæ inſuper mihi ſunt rationes,quæ me in eamdem ſententiam inducant : in primis præter ea, quæ ſuperiori capite de columnis paſſim pro numinibus coli ſolitis,obſeruo,& ſpeciatim de Pallade ex Orpheo.

Τριτογενείῃ θῆκαν ἀείραντες βριτὴν λίθον.

Tritogeniæ Palladi excitarunt grauem lapidem. qui supernè deſinens in Palladis ſimilitudinem,rectè dici potuit *Hermathena*,non quidem compoſita voce ab Ἑρμῆς & Ἀθηνᾶ, quas *Minerua impoſita baſi,ſeu fulcro*; quo ſenſu Homerus metaphoricè dixit Ἕρμα πόλιος,*columen, ſiue fulcimentum ciuitatis*,(quamquam nec abſurda foret iſta interpretatio) ſed ab Ἑρμῆς, quod *Mercurium* ſignificat,& Ἀθήνη,quod *Mineruam*, ac ſi *Hermathenam* interpreteris *Mercurio-mineruam*, hoc eſt,*Mineruæ ſtatuæ ad Hermarum ſimilitudinem factæ*,videlicet,cuius media pars ſuperior ſit armatæ viraginis ſpecies,vt eam exhiberi mos eſt; inferior verò truncus, vel lapis quadratus,ſicut omniũ primus expreſſus eſt Mercurius, & exprimi frequentiſſimè conſueuerat : quídni igitur ego Mineruam, eo modo quo dixi fictam,*Hermathenam* vocare poſſim,cùm Arnobius[b] Alcibiadis ſtatuas in modum Hermarum perfectas vocet *Hermas Alcibiadis*?Illius generis fuit ea,cuius meminit Heſychius,Προτονὴ εἰκὼν βασιλικὴ ἕως τοῦ ὀμφαλοῦ τοῦ σώματος εἶδος, *Protone erat imago regia ad vmbilicum vſque corporis formâ.*

Ode ψ & Il. π.

b l.6. cont. gen.

4. Alterum,quod propoſuimus,eſt *Hermathenas* fuiſſe *ornamenta Bibliothecarum*,huius rei teſtis eſt Tullius [c]. *Quod ad me Hermathena ſcribis*(inquit)*per mihi gratum eſt, & ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Mineruæ ſingulare eſt eius Gymnaſij*. eumdem morem confirmat Caſſanæus ſuprà. Sed cur Mineruæ ſtatua propriam, & ſingulare eſt ornamentum Academiæ Ciceronis? Quia Academia Gymnaſium fuit Athenis, vnde ſuam villam Cicero nominauit, & Athenæ

c ep 3. ad Att.l.1.

Paul.Manut. in ep.3.l.1. ad Att.

Athenæ à Minerua conditæ, ac nominatæ. Neque vllo ſymbolo melius exprimi poteſt tum ſtudioſi hominis conditio, tum doctrina, eiúſque parandæ modus, quàm Mineruæ ſimulacro, ac proinde nihil poni potuit in Bibliothecis aptius, & conuenientius Hermathena.

Fingitur Minerua prodiiſſe ex fœto Iouis capite; quia ſapientia & eruditio eſt quoddam ſupremi numinis donum, & inaudierant forſan fabuloſi Theologi qui primi finxerunt ortum hunc Mineruæ ex capite Iouis, dictum fuiſſe à Salomone ſapientiam proceſſiſſe ab ore Altiſſimi. Cuius tria ſunt munera præcipua, bene cogitare, quæ ſis meditatus rectè eloqui, & cogitata dictaque ſtrenuè perſequi; ideóque *Tritogenia* nuncupata eſt. Sanè ita ſemper exiſtimata eſt aut ſapientia, aut eruditionis præſes, ſi non ipſa ſapientia & eruditio; vt non ſolùm ædificare à Minerua Athenæ omnium doctrinarum altrices fuerint, in quibus ſumma vis dicendi & inuenta eſt, & perfecta: verùm etiam quæcumque loca fuerunt celebria veterum poëtarum Græcorum concurſu in quæ ſua ſcripta deferebant, ſicut poëtæ Latini ad Apollinis templum, *Athenæa* vocabantur; quemadmodum & illa Auditoria, ad quæ poëtæ ſua carmina recitaturi, vel Philoſophi diſputaturi, vel Rhetores declamaturi ſolebant conuenire: denique præmium dari ſolitum præceptoribus à diſcipulis *Mineruale*, vel *Mineruał* appellatum eſt: indéque factum vt neceſſaria ad eruditionem comparandam ſupellex & ſubſidia Mineruæ præſidio ac tutela credatur eſſe: eius generis eſt olea, quâ redimitam eſſe in coronæ modum Mineruæ galeam ſcribit Apuleius: nam & illi arbori meritò putatur præeſſe, quòd literas diſcentibus multùm olei in continentibus vigiliis inſumendum ſit. Similem ob cauſam Athenis huic Antiſtitæ ſtudiorum dicatam fuiſſe quamdam lucernam, in quam infuſum ſemel oleum nonniſi anni vnius ſpatio conſummabatur, licèt noctes diéſque arderet. Mitto dicere ab Ægyptiis appictam fuiſſe pro cono eiuſdem Deæ caſſidi in Iſidis templo (quod erat doctrinæ domicilium) *Sphingem reconditioris doctrinæ ſymbolum*; & gallum gallinaceum impigrum ſtudentium excitatorem, atque Mineruæ comitem perpetuum. hæc & pleraque id genus Mythologis relinquo; quemadmodum & Parœmiologis hæc prouerbia; *Sus Mineruam*; *pingui & craſſiore Minerua*, aliaque eius generis.

5. Lucian Pauſan in Att.

Democrit. & Euſtath. apud Rhodig. l. 20. c. 13.

Lamprid. in Alexandro. Varro 3 de re ruſt. c. 2.

Pauſan. in Att.

Idem.

Vnum refero duntaxat, quod Hermathenæ in Bibliotheca inſcribi volo, *Nihil inuitâ Mineruâ.* Ita enim fuit perſuaſum antiquis Mineruam præeſſe bonis artibus & ingeniis; vt manârint inde plurima illa, quæ teruntur, prouerbia; cuiuſmodi eſt in primis illud, quo ſignificatur nihil operis literarij repugnante ingenio aggrediendum: *ſolent enim* (ait Seneca) *male reſpondere coacta ingenia.* hinc natum illud Horatij monitum, 6.

Tu nil inuitâ facies dicéſue Mineruâ.

huic affines locutiones apud Ciceronem variis locis. Certè tantum eſt momenti in hac velificantis Mineruæ aura, vt ſi ſecunda afflauerit,

multum viæ feliciſſimè emetiri poſſis, & quaſi ludibundus: ſi reſtauerit, prorſus hærendum ſit, vel aduerſo flumine ſemper eundum. Quapropter magnopere cenſeo, ſcripturus aliquid, vel meditaturus explores ventos; & cùm aſpirantem tibi ſenſeris Mineruam, totis eam

Cic. de ſen. velis excipias: alioqui experieris nihil eſſe aliud bellare cum Diis, quàm naturâ repugnare. Non eſt tamen ita fidendum eidem naturæ tuis votis obſequenti, vt remiſſior fias, & oſcitabundus tractes ſtudia literarum. *Sed* (quod aiunt) *cum Minerua manus quoque admouenda*, & recolen-

[a] l. 5 moral. Eudem. dum Agathonis carmen laudatum ab Ariſtotele [a],

Τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην.

Ars fortunam iuuet, & fortuna artem.

[b] Serm. 58. & illud Simyli apud Stobæum [b],

Οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ

Πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα παράπαν οὐδενὶ

Οὔτε πᾶν τέχνη μὴ φύσιν κεκτημένη.

Nec ſufficit natura ſine arte cuiquam quocumque in ſtudio, nec ars per ſe ſine præſidio naturæ.

Capvt III.

Hermeracles in Bibliothecis.

1. DE *Hermeracle* eodem modo philoſophandum cenſeo, vt de *Hermathena*, dicendúmque *Hermeraclem eſſe Mercurij, & Herculis coniuncta ſigna*, ſiue Herculem parte media inferiori columnam, vel cippum, alterâ, vt eam pingi mos eſt clauam dextra prætentantem, & leonino exuuio redimitum, ἀλλὰ μὴν Ἑρμοῦ καί τε Ἡρακλέους ἐπὶ νῦν ἀγάλματα κοινά. *Sed & nunc* (inquit Ariſtides) *Mercurij, & Herculis communia ſunt ſigna.*

2. Porrò, *Hermeraclas* ſuum quoque habuiſſe in Bibliothecis & Acade-

[c] ep. 7. & 8. ad Att. miis locum innuit Tullius [c], vbi ornamentum ſuæ Academiæ non tantùm ab amico petit *Hermas*, & *Hermathenas*, verùm etiam *Hermeraclas*: tum ſubdit, *Bibliothecam tuam caue alicui deſpondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. namque ego omnes meas vindemiolas eò reſeruo, vt ſubſidium ſenectuti parem.* Vnde non tantùm palæſtræ ornamento vt ſplendori proſpici puto à Tullio emptione ſignorum numinum illorum, quæ præeſſe putabantur Gymnaſiis & corporibus exercendis, ſed etiam Muſeo,

Pauſanias. Rhodig. l. 12. c. 19. ſiue Bibliothecæ. Cenſeri verò Herculem inter præſides liberalium ſtudiorum Deos, admonet eius claua ex oleaſtro, quæ eſt arbor ſapientiæ: idem indicant in Arcadia Mercurio, & Herculi templa communia; tum eiuſdem cultus, & ara in Academia Athenienſi cum Minerua & Mercurio: denique nihil notius Hercule illo, qui *Gallicus* ideo vocari conſue-

[d] Oratione de inſtaurãdis ſcholis, apud Lil. Girал. ſynt. x. uit, quòd Galli eum fingerẽt tenuiſſimis catenis aureis extremæ linguæ perforatæ, inſertis infinitam hominum multitudinem auribus religatam, non tam vi trahere, quàm ſermonis ſuauitate delinitã, & ſequi geſtientem ducere. Adde ex Eumenio oratore [d] *Herculẽ* ſeorſim ab Apolline

Muſagetem,

Muſagetem, hoc eſt, *Muſarum* ſeu comitem, ſeu ducem, cui ſub hoc nomine Fuluius nobilior in circo flaminio ex pecunia cenſoria ædem fecit, non eâ tantùm de cauſâ, quòd eſſet poëſeos ſtudioſiſſimus; verùm etiam quòd quando cum imperio verſaretur in Græcia, ſic eum coli acceperat. Idem nouem ſigna Camœnarum ſub tutela fortiſſimi numinis dedicauit, vt res quæ mutua inuicem indigerent ope, hinc Muſarum quies defenſione Herculis, illinc virtus Herculis Muſarum voce, & præconiis.

Inſcribamus item aliquid huic Hermeracli: non occurrit quidquam aptius, quàm illud quod in ore habere, & decantare in ſcholis ſolebant Græci, θεοι τ' ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλῦσι. *Dij bona laboribus vendunt*; quod cùm omnibus in rebus verum ſit, iuxta illud Virgilij[a], 3.

[a] in Georg.

———labor improbus omnia vincit,

atque Simplicij Antiphanis ſenarium,

Τῆς ἐπιμελείας πάντα δοῦλα γίγνεται,

Diligentiæ parent omnia.

in diſcendis tamen ſcientiis eſt ſanè veriſſimum, & quotidiana experientia teſtatiſſimum; vt dubitare meritò poſſis, ſitne optabilius excellens ingenium cum remiſſiore diligentia; an ſumma diligentia cum mediocri ingenio: vt vt ſit, licèt primum ſit magnæ felicitatis, certè ſecundum virtutis eſt maximæ. Ingenioſo gratulabor, laborioſum ſuſpiciam; ac plura etiam ab iſto cum ſua illa malignitate naturæ, quàm ab illo cum ſua illa felicitate expectabo: & ſi paria vterque ediderit, haud parem vterque laudem promerebitur. Eſt ita ſanè; nihil eſt tam difficile & arduum quod humana mens non vincat, atque in familiaritatem perducat aſſidua meditatio. *Quodcumque imperauit animus, obtinuit. nunquam opera ſine emolumento, nec emolumentum fermè ſine opera impenſa eſt.* Nullum eſt tam horridum & incultum ingenium quod aſſiduitate ſtudij & vſu librorum non ſplendeſcat. Sapiens eſt & graue Fabij Quintiliani monitum in hanc ſententiam parentibus iuxtà ac liberis, & cuilibet de ſtudio literarum cogitanti in primis ſalutare; quod ideo non pigebit exſcribere. *Hebetes & indociles* (inquit [b]) *non magis ſecundùm naturam hominis eduntur, quàm prodigioſa corpora & monſtris inſignia; ſed hi pauci admodum fuerunt: argumentum, quòd in pueris elucet ſpes plurimorum, quæ cùm emoritur ætate, manifeſtum eſt non naturam defeciſſe ſed curam; præſtat tamen ingenio alius alium, concedo; ſed vt plus efficiat, aut minus: nemo tamen reperitur, qui ſit ſtudio nihil aſſecutus* Quòd ſi ad præclaram naturam & bonitatem ingenij velut ad nitentem ſua ſponte agrum idonea cultura acceſſerit, incredibile quàm vberem meſſem collecturus ſis. Si nactus es ingenij aream ſolidam, facilem & expeditam, atque excitandæ magnæ eruditioni idoneam, túque ſtrenuè ædificaueris, protinus in immenſum creſcet opus, & faſtigium aſtris inſeret. *hoc facere Herculeum eſt. Generoſos, & heroicos animos nutrit labor. quid ceſſas? non eſt viri timere ſudorem.* Non excidat illud D. Gregorij Naz.[c] ἐκ σπουδῆς καὶ ἐννοίας, ἐπιστῆμαι καὶ τέχναι τὸ κράτος ἔχουσιν. *Duabus rebus in ſcientias, & artes comparatur imperium, vel duabus rebus artes,*

Sen. de ira l. 2.

Liuius.

[b] l. 1. c. 1.

Sen. ep. 31.

[c] orat. in magnum Baſilium.

& ſcientiæ ad ſummi honoris & imperij faſtigium euadunt ſtudio, & ingenij felicitate.

CAPVT IV.

Lil.Girald. Synt. 10.

Hermerotes Bibliothecarij.

1. Pauſan. in Attic. [a] l. 1. inſt. c. 20. Clem. Alex. in protr.

STatuas ex Amore, & Mercurio, eâ quâ ſuperiùs diximus ratione coniunctas Ἑρμέρωτας vocant. conſecrata fuiſſe huiuſmodi ſimulacra Amorum & Cupidinum in Græcorum Gymnaſiis, adeóque in ipſo Academiæ veſtibulo, intolerantiſſime tulit Lactantius [a], quorum aſpectu incauta ætatula impudicitiam, pietatem exiſtimaret, & profiteretur Theologiam probri & petulantiæ plenam, doctrinámque impuriſſimorum numinum ſtudioſe condiſceret: affectus enim intelligentiam vtplurimum imbuit ac regit. *Quære nunc* (ait D. Cyprianus [b],) *an poſſit eſſe qui ſpectat integer & pudicus deos ſuos quos venerantur, imitantur; fiunt miſeris & religioſa delicta.* hunc morem ſtatuendorum Cupidinum in literariis Ephebeis à Tullio quoque reprehenſum refert idem Lactantius [c]: tamen & hoc ipſum haudquaquam inconſultè & perperam contendunt Philoſophi in ſuis de Amore diſputationibus apud Athenæum [d], videlicet vt innuerent, amore literarum omnino eſſe opus ei, qui ad eruditionem aſpirat. Amor enim impetum admittendum acuit, ſi tamen non ipſe impetus eſt, vt dixit D. Auguſtinus, *eò feror quocumque feror*, difficultates ſuperat; laborem vel non ſentit, vel contemnit, vel etiam diligit; & (quod dixit D. Bernardus [e],) *vbi amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor*, ἀλλὰ τὴν τῶν τεχνῶν δημιουργίαν οὐκ ἴσμεν, ὅτι οὗ μὲν ἂν ὁ θεὸς αὐτοῖς διδάσκαλος γένηται ἐλλόγιμος καὶ φανὸς ἀπέβη. *Sed & artium facultatem nónne ab hoc Deo tradi videmus, eúmque hominem cuius hic eſt præceptor quauis in arte præcellere*, &c. hæc Plato [f], ἔρως δ' ὅδε καλὸς καὶ ἄξιος ἐγκωμιάζεσθαι, ὁ καλῶς προτρέπων ἐρᾶν. *Ille autem amor honeſtus eſt qui ad honeſtè amandum impellit.* Amori honeſto apud Cretenſes, & Thebanos ritè fieri ſolitum refert Athenæus, quod in militari amore ſitam eſſe victoriam putarent. Eum Orpheus vt ſolertem indagatorem, perſpicacem, ac rerum occultarum claues habentem commendat. Refert Plutarchus [g] vulgatum Græcorum dictum, μουσικὴν δ' ἄρα ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν, *muſicam docet amor, licet priùs indoctus ſit.* Itaque ſi tuum pectus cœleſtis quædam fax diuini amoris ſuccenderit, túque eâ ſolùm mente & conſilio doctrinam ambias, vt inflammeris ad amorem numinis, alióſque eodem igne inflammes; experiere nihil eſſe ad diſcendas bonas artes ingenioſius, nihil diuino amore ſolertius, faſque tibi erit hunc Ἑρμέρωτα habere in tuo Muſeo, poteríſque illi verſiculum hunc inſcribere,

Ingenium præſtat, præſtat & ingenio.

[b] ep. 2. c. 6.

[c] ſuprà.

[d] lib. 13.

[e] Serm 83. in Cant. Apud Stob. ſerm. 61.

[f] in conuiuio de honeſto amore. Idem Plato in ſymp. apud Stob. 5. de temp.

[g] in ſymp.

SECTIO

SECTIO V.

Elegantibus picturis, & appoſitis emblematis ornandum Muſeum, & ſuper ea re nonnullæ cautiones.

PICTVRAM & ſcripturam reipſa, & nomine eſſe germanas, facile intelliget, quiſquis vtriuſque munus conſiderauerit, & communem vtrique apud Græcos appellationem, imò & apud Latinos; nam & *ſcribi* & *perlegi* dicuntur imagines, perinde ac ſi forent Auctores alicuius ſcripta Apelleæ cuperent te ſcribere ceræ. Virgil.[a] de rebus pictis à Dædalo, I. Stat. in Sylu. [a] 6.Æneid.

> ——*qui protinus omnem*
> *Perlegerent oculis*
> *Nomen in Arcadia meruit quod in arundine pingi.*

Mart l.9. ep.14.

& Plutarchus picturã tacitun poëma vocat; poëma, loquẽtem picturã; dixítque Gregorius Nyſſenus [b] *etiam mutam picturam in pariete loqui*, ϗ γραφὴν σιωπῶσαν ἐν τοίχῳ λαλεῖν. quæ cauſa eſt, vt propè abſit, quin ego tabulas pictas abſolutè appellem libros non ſolùm indoctorum, vt vulgò dici conſueuerunt, verùm etiam creditorum; illud ſaltem pronuncio, perparum intereſſe inter Pinacothecas, & Bibliothecas. Itaque noſtra Bibliotheca meritò imperfecta videri poſſit, ſi careat hoc genere mutorum librorum, qui vel ſcalpro, vel ſtylo, vel penicillo eduntur. Tum ſi nihil foret præter ingenuam voluptatem quæ ex pictura percipitur, ſatis ſit vt Muſeum luculentis tabellis ornetur. Stoici licèt ſeueriores Philoſophiæ cultores admiſerunt in ſuam porticum vbi docebant, hæc ornamenta, quam Polygnotus in honorem Muſarum pulchrè depinxerat, vnde à picturæ varietate ποικίλη vocitata eſt. Suus fuit locus ſectione præcedenti numinibus olim præſidibus Muſeorum; nunc habeo ornare & inſtruere cellam hanc literariam conuenientibus picturis & emblematis, quorum ſingula ſint velut libri in anguſtum coacti, & collati in eruditum, licèt perbreue compendium; vnde duplex manabit commoditas: altera venuſtatis illius loci, quo nullus debet eſſe ornatior, quemadmodum nullius ornatus homo doctus debet eſſe ſtudioſior. *Quicumque enim eo non delectatur* (inquit Philoſtratus [c],) *non modò veritatem, ſed & eam, quæ ad Poetas pertinet, ſapientiam iniuriâ afficit.* Eſt enim pictura τ͂ θεῶν εὕρημα, tum ob formas quibus in terra horæ pingunt, τὰ ἐν γῇ εἴδη ὁπόσα τοὺς λειμῶνας αἱ ὧραι γράφουσι; tum præſertim ob cœli ſpeciem quo nihil poteſt eſſe pictius. Altera commoditas eſt eruditio, quam eminere in cœlo, in ſolo, in parietibus Bibliothecæ, ſi accuratè conſtruitur, omnino par eſt vt omnia in templis

[b] de S. Theodoro.

Cic. 1. Acad. & 1. de diu.

[c] in Holladia.

templis ſpirare pietatem,& veram in Deum religionem,& in armamentariis bellicam virtutem decet.

2. Priuſquam ad rem veniam,nonnulla te moneo , quiſquis es qui de Muſeo excitando cogitas. Primum,vt quotquot ibi erunt picturæ,elegantes ſint,atque ingenio & arte perfectæ , & viciſſim penicillus calamum in picturis,& penicillum calamus in libris æmuletur,séque inuicem iuuent. Duas cauſas habeo hoc te monendi. Prima eſt,quia Muſæ poſtulant vt in Muſeo nihil ἄμικτον collocetur, nihil agreſte,nihil illiberale , nihil rude,nihil inconcinnum ; ſatius enim eſt nudos eſſe parietes, quàm inuenuſtè pictos ; alioqui quæ tabulæ oculos tenere , ac ſuauiter reficere deberent,eoſdem à ſe alienant & fatigant dum diſplicent : deinde,quandoquidem in eo loco interdum te viri docti conuenient,aut viſendi gratiá,vel officij, vel conſilij,vel ſtudij causâ ; ſic habeto , vix eſſe etiam inter mediocriter eruditos quemquam , qui non profiteatur aliquam cognitionem architecturæ, Muſicæ,Medicinæ , ac picturæ præſertim , licet nec colores diluere , nec terere , nec penicillum tenere, nec carbone delineare , non denique prima huius artis rudimenta didicerit; haud tamen videri cupiat imperitus iudex horum operum. Fatebitur quidem ingenuè ſe nunquam didiciſſe lineam , & ſe prorſus eſſe pingendi imperitum ; quia tamen ſunt pleraque in tabellis,de quibus vt bonum iudicium feras , non tam eſt neceſſe habere manum eruditam , quàm limatum & ſolers iudicium , &c. ideo vix eſt,vt literati homines in iſtis rebus inſpiciendis,æſtimandis,demirandis, reprobandis arguti, & lyncei videri non deſiderent : & ſimulatque picta imago , vel ſculpta in oculos incurrerit, illico non cauillentur circa auſteritatem colorum , florem, ſuauitatem,circa vultuum argutias , venuſtatem oris, capillorum elegantiam , aptam membrorum proportionem,conformationem lineamentorum , habitum palæſtræ, circa eminentias,receſſus,& lumina ; qui neruos,articulos,veſtium rugas,& ſexcentas eiuſmodi minutias non conſertentur oculis,& ſermone gaudeántque mirificè ſi Arithmeticam in Ionico,Sicyonio, & Attico pingendi genere animaduertant; poëticam in figmentis , Opticam in ſingularum rerum, prout longiùs,vel propiùs abſunt , paruitate,vel magnitudine, ac iſtius generis oculorum deceptionibus; Geometriam in ſymmetria , moralem Philoſophiam in perturbationibus animi exprimendis ; & plurimum ſtudent eruditionem,iudicium , & ingenium ſuum in hac arte in primis ingenua, & liberali proferre. De colorum delectu quos cœlo Bibliothecæ , vel parietibus recens gypſo , aut cæmento inductis imprimas , nihil dicam ; quia hæc cura pictorum propria eſt , qui ſi periti ſunt ſatis norunt, non promiſcuè omnis generis colores adhiberi ad albarium opus ; ſed plerumque ex terra coloris varij,aut rebus terræ affinibus factos,ex calce,ex tritis carbonibus aliiſque eiuſmodi,qui cùm recenti parieti permixti fuerint, nulla vetuſtate euaneſcunt.

3. Cauendum præterea maximopere ne minutus quidam carbo , aut calx non trita , nec bene diluta intra cæmentum reſideat : nam breui tempore

tempore ob igneam vim quæ illis ineſt, intumeſcens, ac ſeſe proferens, rumpit inductam parieti cruſtam, ac fœdè picturam deformat. Vidi ego impluuium vnius Academiæ, cuius parietes figuris aſtronomicis innumeris, & multiplicibus horologiis erant pulcherrimè deſcripti, & eleganter picti, tamen imperitia, vel incuria tectoris in calce (vti monuimus) perpurganda & maceranda, totum opus valde fœdauit tectorio in næuulos, verrucas, tumulos, puſtulas ob conceptum carbonem, & calcis grumulos multis in locis ſeſe aperiente, ac tandem collabente.

Item ſi ad emblemata Muſas adhibes, ſi Charites, ſi Sibyllas, aut aliquid ex hiſtoria, vel fabulis, vel eruditione promptum: vide (amabo) 3.
vt pictores exprimant iſtiuſmodi imagines modeſto habitu, ore verecundo, pudore virginali, eáque ſpecie & formâ, vt quiſquis in eas aſpexerit, non faces obſcœni amoris hauriat, ſed religioſiùs caſtitatem colat; non temerè hoc moneo, ſolet enim haud raro contingere, vt dum pictores ſibi nimis indulgent, conſectantúrque pulchrorum corporum veritates, & indiſcretas ſimilitudines, in quibus eſſe aiunt picturæ delitias, & artis medullam, Diuam Chriſti hoſpitam Magdalenam in ſuo illo horridæ ſpecus ſeceſſu prouolutam ante ſignum Chriſti in Cruce affixi, ita intectam exhibent, tantam illi affingunt mollitudinem & nitorem cutis, vt pietati penicillus probro ſit, poſsítque Minerua videri caſtior hoc reparatæ pudicitiæ exemplo, vtpote quæ gloriare Pallas non dubitet peplum ſuum à nemine mortalium fuiſſe vnquam reuelatum.

Itaque ſi erunt aliquæ effigies alterius ſexus in tuis emblematis, ita 4.
moderabere pictori tuo, vt pro Charitibus non pinna Ledam, aut Helenam, aut Cleopatram contaminatiſſimas fœminas, nec pro Calleope, maleſanus aliquis Briaxis rediuiuus exprimat Paſiphaem; pro Clio, Silanion iterum Corinam faciat; pro Erato, Praxiteles Phrynem; pro Thalia, Herodotus Olynthius Glyceram; pro Melpomene, Turnus Laidem; pro Terpſicore, Meco Europam; pro Euterpe, Calliades Nearam; pro Polymania, Praxiteles Spitumenem; pro Vrania, Apelles Venerem, omnes infames mulierculas, & nobilia ſcorta, digna potius titione, & carbonibus, quàm nobilium illorum artificum ſcalpro, vel penicillo. Fabij pictoris filia pudicitiæ ſtudio virum nunquam pinxit, cætera graphicè expreſſit. Abſint ab hominis Chriſtiani Muſeo Paniſci, nudæ puellæ, Satyri ebrij, Floraliorum pompæ, Eleuſia myſteria, emergentes è mari, vel volitantes in concha Veneres, Antinoi, Adonides, & portentoſa Iouis adulteria, quæ propudia ne in ipſis quidem Ethnicis ferenda putauit Clemens Alexandrinus [a], eaque vocat *conſecratas impudicitiæ columnas*, ἡδυπαθείας ἀρχέτυπα, ſolutæ & mollioris vitæ exemplaria. Tatianus [b], κακίας ὑπομνήματα, vitiorum monumenta, θεάματα τῆς ἀτιμίας, *infamia ſpectacula*. Ego picta Muſea eiuſmodi ſordibus appellare ſoleo, *Triumphantis libidinis arces, pinacothecam Aſmodei, ſcholas impudicitiæ, profligatæ caſtitatis trophæa, officinas lenonum, & veriſſima proſtibula*; quod nec tulerunt Thebani, à quibus animaduerſum eſt in eos, qui turpia pingerent. Nec Ariſtoteles qui caſtiſſimè monuit μήτε ἄγαλμα, μήτε γραφὴν τῶν

[a] in protrept. non multò ab initio.
[b] orat. contra Græcos.
Greg. Nyſſ. hom. 3.
Buleng. l. 1. de pict. c. 10.
polit. l. 7.

τοιούτων πράξεων,nullum ſignum,nullam picturam debere tales res turpes imitari. Infamis eſt eo nomine Parrhaſius, qui minoribus tabulis pinxit libidines, eo genere petulantis ioci ſe reficiens ; ſed ſceleratiores pictores profeſſione Chriſtiani, qui penicilli obſcœnitate fidei ſuæ integritatem ſanctitatémque eiurant. Quis credat in talibus luſtris habitare virgines Muſas,&(vt Chriſtianè loquar) diuinam ſapientiam. Ego ſi ſciam tuum Muſeum eſſe expolitum iſtis fecibus, ac ſimul inſtructiſſimum libris, qui mihi maximopere neceſſarij ſint, pateátque aditus ad eos vtendos,vel etiam exportandos;nolim tamen eò ingredi,& malim carere tuis opibus, quàm haurire oculis tuas ſpurcitias ; & ſi tu me inuitaueris,liberè reſpondebo,

Nobis laus erit minùs eſſe doctis,
Qui Muſas colimus pudiciores.

5\. Nemo itaque pietatis, vel eruditionis fucum inducat prurienti ſuæ libidini,neque capiatur fœdo artis & naturæ inter ſe in tabella certantium ſpectaculo : alioqui vincetur & ipſe turpiter. Prò quàm multis Chriſtianis pudorem iniicere deberent hæc philoſophi Ethnici verba. *Omnino obſcœnitas verborum exterminanda eſt de ciuitate, ex turpiter enim loquendi licentia ſequitur & turpiter facere : potiſſimum igitur ſtatim à pueris neque diſcant, neque audiant quidquam turpe; cùm verò dicere quidquam interdicimus, clarum eſt quòd & aſpicere picturas, aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura magiſtratibus nullam neque picturam, neque ſtatuam eſſe talium rerum imitatricem.* Eas Trullenſe Concilium canone centeſimo appellat *oculorum præſtigiatrices, mentis corruptrices, & ſufflammationum ad turpes voluptates incitatrices.* Longè capitaliores obſcœnis libris. licèt hi ſint bonorum morũ corruptores præſentiſſimi : imagines enim velut in ſpecula, aut iaculatoria feneſtella poſitæ continenter, caſtitati inſidiantur, doctóſque ac literatum rudes in ictu oculi (vt ita loquar) perimunt. Nam,magno Gregorio teſte [a], *in illis legunt etiam qui literas neſciunt*;&,quemadmodũ Quintilianus dixit [b], *Pictura tacens opus ſic intimos penetrat affectus, vt ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur.* His ſanè incentiuis vſum fuiſſe ſpurciſſimum Tiberium Cæſarem Trãquillus docet [c]. *Vt deficientes libidines excitaret* (inquit) *cubicula plurifaria diſpoſita tabellis & ſigillis laſciuiſſimarum picturarum adornauit.* Quæ cauſa eſt cur grauis auctor Ioannes Molanus [d] hæc ſcripſerit : *Quis neſcit obſcœnas imagines iure naturæ perinde prohibitas eſſe atque libros ſiue hæreticos, ſiue obſcœnos.* Proinde ne mirare Philomuſe,ſi quàm longiſſimè has ſpurcitias è Muſeo arcemus;ſunt enim ex eo genere rerum,quę prohibentur,quia malæ ſunt,non autem malæ ſolùm,quia prohibitæ. *Quia ſpecies formæ cordi per oculos illigata*(ait D Hieronymus) *vix magni luctaminis manu ſoluitur.* Nec obnuit is, qui in ſacra ſua nænia ſic ingemuit [e], *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. In Euangelio* (inquit D. Hilarius [f]) *motus tantùm incidentis oculi adulterio æquatur,& cum fornicationis opere punitur illecebroſa tranſcurrentis viſus affectio.*

Ariſt.l.7.politic c.vlt.

Quàm ſeuerè id Deus vindicauerit docet Roa de ſtatibus,& Fr.Ioſeph.de Ieſus Maria de caſtitate.

[a] l.9.regiſtri ep.9.
[b] l.11.c.3.
[c] in Tiberio cap.43.
[d] l. 2.hiſt. ſanct.imaginum c.2.
[e] Thren.c.3.
[f] Can.5.in Matth.

6\. Admonet me & aurem vellit ipſamet verecundiæ virtus, vt adoleſcentuli

eſcentuli cuiuſdam factum pluſquam iuuenile, & certè in hoc genere heroicum ne obliuiſcar libens pareo. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimoquarto vnus è noſtris diſcipulis Ingolſtadij è ſodalitio Deiparæ Virginis audiens quemdam propolam clancularium obſcœnas quaſdam tabulas vænales habere;hominem adiit, omnes ad vnam emit, emptáſque combuſſit, confirmans nihil ſe maiori lucro emiſſe, nihil diſpendio minori perdidiſſe.qua emptione multorum animas qui inde mortem oculis hauſiſſent, lucrifecit; dignus ephebus inſigni in oulariſſimo Parthenonis loco imagine,æternóque monumento Refert Drexelius noſter recenſitos ſibi à celebri quodam calcographo pictores ac ſcalptores pingendi ſcalpendíque artem, quam egregiè norant, inuerecundè exercentes, aut ad incitas demum redactos, aut præmaturo funere ſublatos miſerrimè deceſſiſſe. Sic Deum vindicem experti ſunt veri animarum carnifices, penicillum ſuum & cœlum proſtituentes libidini.Nunc ad imagines & emblemata.Triplicis generis ea eſſe volui, & diſtribui in tres iſtas ſectiones. In prima, ſunt icones illorum hominum,ſeu Gentium vnde ſcientiæ ortæ ſunt, vel quibus perfectæ cultæve ſtudioſiùs:in ſecunda,præcepta quædam emblematica,ſeu præcipua emblemata ad ſtudia literarum pertinentia : in tertia, affectiones quædam ſtudiorum,& ſtudia tractantium.

Nicetæ c.6. §.2.

CAPVT I.

Primus fons eruditionis, Chriſtus crucifixus.

INSCRIPTIO.

In quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Col.c.2.v.3.

NOn erit quòd vllus miretur Chriſtum crucifixum vocari à me *Emblema*, ſi meminerit eumdem conceptum in virginali Matris 1.
vtero vocari à D. Cyrillo Alexandrino [a] *ſacratiſſimum ænigma, quod ſumma potiùs veneratione ſuſpiciendum eſt,quàm humani iudicij trutinæ ſubijciendum.* Hoc vulgò à doctis diſcrimen ſtatuitur inter emblema & ænigma,quòd ænigma ſit pictura,aut ſermo admodum obſcurus & difficilis, & tantùm maximè perſpicacibus ingeniis peruius, nec niſi poſt diuturnum ſtudium & moram.Emblemá verò eadem res eſt,aut affinis; verùm haudquaquam ita implicita & inuoluta, quin facilè ab eruditis euolui & explicari poſſit;non tamen ita clara & aperta, vt imperitioribus ſtatim explorata ſit. Quæ cùm ita ſint, certè diuinæ ἐνανθρωπήσεως οἰκονομία meritò ænigma dicenda eſt: eſt enim res intellectu tam difficilis,vt ipſe *Archidux noui Teſtamenti*(ſic D.Ioannem Baptiſtam appellat D.Cyrillus Hieroſol.) palàm profeſſus ſit, indignum ſe eſſe qui illum ſoluat; nimirum quòd ei ſigilla ſeptem ipſius Dei annulo impreſſa forent: quæ cùm in Cruce reſignata ſint, idem cœleſtis Agnus qui conceptus natúſque *Ænigma* erat,affixus cruci factus eſt *emblema.*

[a] exhort. ad Reginas.

Sit igitur in loco maximè illuſtri totius Bibliothecæ hoc Emblema, *Chriſtus crucifixus*, cum hoc lemmate, *in quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* hoc ſignum duas præcipuè ob cauſas in Bibliotheca ſtatuo. Altera eſt; quia eſt valde conſentaneum tuum Muſeum videri eſſe hominis Chriſtiani, cui crux ſumma ſapientia eſt, non autem Ethici philoſophi, cui crux, ſtultitia. Altera, quia Chriſtus crucifixus eſt ſymbolicus liber planè diuinus, ac proinde in Bibliothecæ oculatiſſimis loculamentis proponendus. Longiuſculum eſt quod de hoc diuino codice ſcribit B Laurentius Iuſtinianus aureo opere de triumphali agone Chriſti, tamen adeò proprium eſt huius loci, vt viſum ſit longè gratiſſimum fore, ſi eloquentiſſimi Patris, & laurea à quadrigâ vehentis in illa diuini triumphi panegyri fragmentum hîc inſeramus: ſic igitur de Chriſto paſſo. *Chriſtus non in membranis, non in lapide, non in ligno, ſed ſanguine proprio in ſua carne conſcripſit librum, vtque ab vniuerſis legatur, publicè expoſuit: non autem ſermone compoſito, vel humanæ ſapientiæ exaratus eſt verbis; ſed hominum interueniente malitia, digito Dei ſcriptus, nempe ſæuientibus Gentilibus atque Iudæis depictus eſt foris, virtute autem & ſapientia Chriſti formatus eſt intus. habet foris ſimplex & indoctus quid legat; habet ſpiritualis & perfectus quid intelligat: legit ſimplex & lætificatur, atque compungitur; exercitatus verò intelligens irradiatur atque accenditur. Quiſnam niſi ſapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbreuiatam quidem legem, legalia ſacramenta, charitatis compendium, perfectionis celſitudinem, virtutum normam, & totum redemptionis humanæ modum ordinémque in hoc ſui corporis incluſit volumine. Quam ob rem cùm ſcribere compleſſet, nihilque ſupereſſet ſcribendum, inquit, Conſummatum eſt.* Quid elegantius, quid verius? eo in codice exarata reperies ſtylo ferreo, encauſto pluſquam imperatorio, & grandiori vulnerum charactere, diuinæ ſapientiæ arcana occultiſſima, adoptionem noſtram in filios Dei, & cooptationem in cœleſte regnum. Dixi, *diuinæ ſapientiæ arcana.* Crux enim ipſa tametſi nihil aliud conſideres, Chriſtum religioſo cultu in ea venerantibus, *ſapientiam* Chaldaico & Indico ſermone ſignificat. Dixi,
Maſcal Indicè. *venturæ vitæ promiſſionem.* Nam hæc ipſa ſalutiferi ſigni figura, apud Ægyptios eſt venturæ vitæ ſymbolum, ſeu hieroglyphicum.

3. Memorabile quiddam eſt apud Suidam [a], Rufinum [b], Sozomenum [c], Socratem [d], neque ab hoc loco alienũ. Cùm dirueretur Serapidis templum Theodoſij ſenioris imperio, ac inuentæ eſſent in abſciſſo illo ſimulacro, in poſtibus, in parietibus, literæ quædam ſacerdotales quas Ægyptij ἱερατικὰς vocant, ſiue ἱερογλυφικὰς dominicæ Crucis formam referentes; Chriſtiani recèns conuerſi ab ſuperſtitione, imò etiam Pagani, qui ad inuſitatæ & portentoſæ rei miraculum accurrerant, pronunciarunt, germanam huic literæ interpretationem eſſe *vitæ venturæ.* Tu, mi lector, ſi ſola crux felici præſagio immortalitatem tibi portendit, omen accipe; pone tibi in tuo Muſeo ante oculos literam hanc ſacroſanctam, quæ vel vnica præſtat omnibus humanæ ſapientiæ voluminibus: atque in ea dum Chriſtum aſpicies, finge animo te videre in nido ſuo, vel potiùs explicatum in pulpito volumen, aut (quemadmodum

[a] verbo...
[b] l 2. c 2.
[c] l. 17. c. 15.
[d] l. 5. c. 17.

admodum dixit D. Baſilius) propoſitam tabellam, *τύπον ϗ προγράμμα, exemplar & ſcripturam*, in qua Chriſtianæ Philoſophiæ præcepta, acerrima ad bene honeſtéque viuendum incitamenta, omniúmque virtutum illuſtria exempla perleges.

Alludit (puto) D. Baſilius ad dictum D. Pauli Galatas grauiter in- 4.
crepantis, quòd vitam ſuam & mores non exigerent ad ſanctiſſima effata illius libri, quem in Cruce affixum præ oculis haberent, *præſcriptus eſt in vobis Chriſtus crucifixus, προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος*, eſt vtique in eo libro vnde doctior & vnde melior fias. Talis ex eius diligenti peruolutatione extitit D. Bonauentura, profeſſus diuinum hoc volumen ſcriptum intus & foris, ſibi eſſe inſtar amplæ illius Bibliothecæ, quam D. Thomas Aquinas, & ipſe Doctor maximus & docibilis Dei *διδακτοὶ τοῦ θεοῦ* in eius cubiculo ſe ſperauerat viſurum. O librum (exclamat Salmeron noſter [a]) ſuper omnem librum! hunc expedit [a] tomo 10. tract. 37.

Nocturna verſare manu, verſare diurna: hoc ſit Enchiridium no-
ſtrum, hæc Iſagoge ad ſapientiam, verbum abbreuiatum, contemptus 5.
mundi, ſoliloquium, ſtimulus diuini amoris, Itinerarium mentis in Deum; quiſquis eum euolues, in eo te reperies altiſſimis inſcriptum inſculptúmque characteribus. Nam & hoc eſt auctoris huius libri diuinum oraculum; *In manibus meis deſcripſi te* [b]. Vtinam, quod felicita- [b] Iſa. 49. 16.
tis D. Ioanni contigit, claues habeamus pectoris Chriſti, vnde tanquam è referriſſima apotheca, & locuplete ærario promere poſſimus theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & velut aquilæ grandes ex vitali illa arbore hauriamus medullam doctrinæ cœleſtis, licet omnino, cùm libebit: proſtat enim continuò in pulpito Crucis apertus hic liber; præ- Ezech. 17.
ſtolatur cupidiſſimè diſcipulos quos erudiat cœleſtis Doctor è ſuggeſtu Crucis. *lignum enim illud vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit magiſtri docentis*, dixit Auguſtinus [c]. habeo in Cruce diuinam Bi- [c] tract. 19.
bliothecam. Illibatum mihi eſt archiuum Crux Chriſti; habeo Docto- in Ioan. & ex
rem Angelorum, cui nihil optatius eſt, quàm mihi tradere ſcientiam D. Auguſt.
Sāctorum, *& artem bene viuendi, quæ tota in cruce eſt*, dixit diuus Thomas: S. Thom. in
hæc quoque (niſi perditè excors ſim) hæc ſit ſumma votorum meo- cap. 12. ad Hebr
rum. *hæc mea ſublimior philoſophia, ſcire Ieſum, & hunc crucifixum, totúſque* D. Bernard.
mihi figatur in corde, qui pro me fixus eſt in cruce. ſerm 43. in cant. & ſerm. 15.

Exigit hic locus & debita IESV CHRISTO vindici noſtro reuerentia, vt paulò attentiùs conſideremus, & qui tandem ſint iſti theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, qui in ipſo abſconditi ſunt. In primis 6.
affingere aliquam homini Deo ignorantiam, delirium eſt inſanæ mentis & impiæ: neque Agnoita quiſquam eſſe poteſt (inquit S. Gregorius [d] Vaſq. in 3 p.
laudans S. Eulogium eadem in Photij codice 230. ſentientem) qui diſp 51. c. 2.
Neſtorianus non ſit. Nam præterquam quòd templum Dei nulla ex [d] 8 reg. ep.
parte obtenebrari decet; quid tandem nobis attuliſſet commodi, vel 41.
potiùs quid incommodi non attuliſſet, ſi qua inſediſſet menti Chriſti D. Anſelm.
ignorantia? & ſi verum eſt quod ſceleſtiſſimè Gnoſtici delirarunt 2. cur Deus
apud D. Irenæum [e], Chriſtum ſub præceptoris ferula alphabetum, homo c. 13.
quod antea ignorabat, didiciſſe; ſi extremi iudicij diem, & cauſam [e] l. 1. c. 17.

quamobrem à Patre æterno in Cruce derelinquebatur neſciſſet, aut incognitas habuiſſet res illas quas dicitur fuiſſe admiratus? *Dies hic occultus etiam Iudici eſt* (*ait D. Auguſtinus* [a],) *non ad cognoſcendum, ſed ad prodendum: inutile enim nobis, aut etiam noxium futurum erat detegi diem illum, quos neque dici illius incertitudo ab ipſa ſecuritate prohibet.* Ignoratio illa cauſæ relictionis (de qua idem Auguſtinus [b]) appoſitè à Valentia noſtro de ignorantia qua Chriſti humanitas ex ſe, & ſecundùm propriam facultatem naturalem laboraſſet, vel de ignorantia non priuatiua, ſed negatiua explicatur: ſicut nec admiratio ſemper locum habet ab nouitate priùs incognita, ſed interdum ab rei alicuius excelientia nouo modo cognita: ſcientiam porrò illam, quam Theologi *experimentalem* vocant, fuiſſe quoque in Chriſto, præter illud D. Bernardi [c]; *ſciebat iam antè noſtra, ſed aliter*, Scriptura ſatis indicat [d].

a in Pſ. 9.
b in Pſ. 21. expoſ 2. q. 15. p. 1.
c Serm. 56. in Cant.
d Iſ. 7.

7. Quomodo autem in diuiniſſimo illo ſole ineſſe vlla ignorantiæ labes potuiſſet, qui nec labeculas opinionis, & fidei, vtpote imperfectas luces, ipſiúſque ſtatui minimè conſentaneas, admiſit? Qualis (per Deũ immortalem) qualis theſaurus ſapientiæ, & ſcientiæ obſconditus in Chriſto, qui non modò ſcientia omni naturali perfectiſſimè præditus fuit, verùm etiam ſupernaturali per ſe infusâ, ab ipſo ſui conceptus exordio, cùm iam inde ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & ſcientiæ requieuerit, eaque fuerit ad merendum neceſſaria in eo, qui fide, vtpote cognitione imperfecta, careret? Fuerítque diuinitus conceſſa hominibus inferioris conditionis? quæ quia tota ſimul Chriſto infuſa eſt, bellè in eam cadit illud S. Maximi [e]; *Non fuit ſcientia Chriſti*, inquit, *ſicut noſtra ſapientia, quæ eſt veſtimentum conſutum, & ex variis ſenſim comparatis diſciplinis conſarcinatum; Chriſti autem ſapientia fuit veſtis deſuper contexta per totum, & inconſutilis, ſeu ſimul parta diuinitus.*

Iſa. 11.
e hom. in Ramis palm.

8. Acceſſit ad has ſapientiæ gazas clarus conſpectus Dei, ſeu ſcientia beata: nec enim æquum erat filium Dei priuari tanto bono, cuius poſſeſſio redemptioni & ſaluti noſtræ nihil officeret; Deo aliunde præſtante, vt viator ſimul eſſe poſſet, eóſque perferre dolores & cruciatus, quibus noſtra ſcelera expiarentur. Sed quis dicendo, vel cogitando aſſequi poſſit quantus hic in Chriſto ſcientiarum theſaurus fuerit? Naturalium quidem maximum fuiſſe neceſſe eſt, ſi excellentiſſimum ipſius ingenium conſideras temperamenti ac ſenſuum tum externorum, tum internorum perfectionem, atque facultatum inferiorum obſequentiſſimam rationi ſubiectionem atque obedientiam; ſingularem denique Dei tutelam debitam Chriſto, ne ſenſus obiectorum internuncij falli poſſent; vtriuſque verò ſupernaturalis amplitudo quantum longè latéque patuerit, quis mortalium, vel immortalium explicet? Accuratiùs hæc diſputare Theologorum eſt ex proprio munere quęrentium de ratione formali ſcientiæ Chriſti per ſe infuſæ, de eius obiecto, vtrùm ad illud ſingularia pertineant, vtrùm rerum omnium poſſibilium comprehenſio, vtrùm euidens abſtractiua cognitio Trinitatis, an diſcurſiua ſit, an phantaſmatum indiga; qualia fuerint eius inſtrumenta & ſubſidia, aliáque id genus.

De

De ſcientia beata hoc ſolùm aio, eam reſpondere gloriæ Chriſti; 9.
quis eius altitudinem exploret? Itaque (vt Sancti Fulgentij verbis loquar) in Chriſto quippe capite ſunt omnes ſenſus, hoc eſt, omnes theſauri ſcientiarum; in nobis tanquam in reliquo corpore, tactus eſt duntaxat, quæ eſt notitia imperfectiſſima: nobis ad locupletem illum ſapientiæ Dei Theſaurum accedere licet, ac ſperare, inanes haudquaquam eſſe redituros. hic primus fons ſapientiæ ex duodenis illis, quos in hac ſectione indicamus, ad quem adeundum, atque ad eas aquas, quas hauſerimus, in eumdem Oceanum refundendas pulcherrima parænesi nos diuus Bernardus hortatur: *Origo fontium & fluminum omnium mare eſt; virtutum ac ſcientiarum Dominus* IESVS CHRISTVS. *quis enim Dominus virtutum niſi ipſe eſt rex gloriæ; ſed & iuxta Annæ canticum, idem ipſe Deus ſcientiarum Dominus eſt: ſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt, inde ſcientia, inde ſapientiæ ſermo: theſauri ſiquidem ſapientiæ & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt; cur non ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraudibus, & ſine intermiſſione reddantur?*

CAPVT II.

Secundus fons eruditionis, Deipara Virgo Maria.

INSCRIPTIO.

Sedes ſapientiæ.

SAnctiſſimam Virginem Deiparam ænigma, vel emblema appellem, 1.
nec ſatis ſcio. Ænigma omnino eſſe, atque ab eius curioſiori inueſtigatione religioſè abſtinendum, aureis & grauiſſimis verbis nos admonet D. Petrus Chryſologus. *Quantum ſecretum cubiculi ſit regalis, quali reuerentia, quo tremore locus adeatur, vbi ipſa Principis requieſcit maieſtas, circumſpectum frequenti ſatellite regiæ domus atrium docet. Certè ad thalamum ſponſi, niſi proximus, niſi ſatis intimus, niſi laudabilis fama, niſi probabilis vita, nullus admittitur. Intra thalamum verò ipſum, Virginem Deus capit ſolam, ſola ſuſcipitur virginitas illibata. & audes ô homo Dominicæ incarnationis veſtigare ſecretum, & ad illius pectoris cubiculum contendere, vbi tota ſuperni Regis, tota diuinitatis requieſcit maieſtas? Audes ipſas Dei manus operantes ſanctum ſibi corporis templum intra virgineam aluum Genitricis curioſus arbiter intueri? Abſconditum ſæculis myſterium, & ipſis Angelis inuiſibile ſacramentum noli diſcutere. ſed crede.* hæc Chryſologus. Eandem tamen emblema eſſe Muſeis religioſè inſerendum (quod omnibus ſæculorum ætatibus factum eſſe Creſolius ſcripſit [a]) diſco ex grauiſſimis Patribus, qui *Beatam Virginem diuiniſſimum librum* nominant. In primis ſanctus Epiphanius [b], inter cætera elogia, quæ pleno ore, & pleno pectore congerit, ſic eam compellat. *Tu es* (inquit) *ἡ ἀκατάληπτος βίβλος ἡ τὸν λόγον, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ πατρὸς τῷ κόσμῳ ἀναγνώσασα, liber incomprehenſus quæ verbum & filium Patris mundo legendum exhibuiſti.* De eadem Georgius Nicomedienſis interpretatur oraculum Iſaiæ de libro, quem neque periti literarum

[a] in myſtic. l. 4 ſect. 3.

[b] orat. de laud. b. B. Mariæ Virg.

Iſa.29. rarum legere poſſint,quia complicatus eſt & obſignatus, multo minus imperiti, qui literas inſuper neſciunt: vnde in hoc emblemate, vel potiùs ænigmate explicando difficultas ineluctabilis eſt. *Mariam* (inquit) *indicauit liber obſignatus, quem nullus legit ſciens literarum, præter eum qui obſignauit, & ſeruauit ſupra rationem, cum charta ſignificauit puriſſima, in qua Verbum ſine ſcriptis impreſſum ſcidit fraudis chirographum.*

2. Conſentanea ſunt quæ dixit alter Nicomedienſis Gregorius [a], Deiparam Virginem *librum obſignatum* appellans. Sanctus Damaſcenus [b] diuini huius libri ſtudioſiſſimus, eius primam in publicum editionem natalitia oratione celebrans hæc ait, *Hodierno die is qui omnia efficit Deus Verbum quod pater è pectore eructauit, librum nouum condidit Dei lingua à Spiritu ſancto calamo quodam in ipſo conſcribendum, qui quidem homini literarum perito datus eſt, nec tamen ab eo legitur. Neque enim Ioſeph Mariam cognouit, neque ipſius myſterij potentiam.* Andreas Cretenſis [c] erga B. Virginem ſingulariter pius, ſic eam affatur. *Tu es liber verè viuus quòd in te tacitè fuit inſcriptum Verbi paterni viuifico calamo Spiritus: tu ſola verè es noui Teſtamenti volumen à Deo ſcriptum, quod Deus antè fecit cum hominibus.*

[a] Orat. de Deip laudib.
[b] Orat. 1. de natiu. Vide D. Gregoriũ Thaumat. ſerm. 3. de annunt. B. V.
[c] Orat. 2. de dormit.

3. Amo, & vehementer amo ingenioſam ſimul ac eruditam pietatem cuiuſdam Mariæ clientis è noſtra Societate, qui nuper in præfatione quadam theologica tam ſublimiter ſenſit de hoc Mariali ſcientiæ fonte, vt aſſeruerit doctéque pariter ac ſplendidè probauerit, non ſolùm Angelos nunc in cœlis inde haurire quæcumque naturæ Angelicæ indebita ſunt; ea videlicet, quæ de nouo ipſis reuelantur, verùm etiam ipſorum met Angelorum dum adhuc in terris degeret, Mariam fuiſſe magiſtram. Quæ quæſtio ſi auctoritatibus diſceptanda eſt, in promptu ſunt palmares & decretoriæ. Audi D. Bernardinum Senenſem [d]. *In hoc eſt electa vt ſol,* inquit, loquens de Virgine Deipara, *ſcilicet ad irradiandam totam multitudinem Spirituum cæleſtium.* DD. Bonauenturam, & Damianum reiicies? minimè reor; neutri vel ſanctitas, vel ſapientia, vel Senatus Pontificij purpura ad auctoritatem deeſt. Ille ſic [e]. *Maria dæmonibus eſt mare amarum ſpiritualiter, & Maria eſt hominibus ſtella maris officialiter, & Maria eſt Angelis illuminatrix æternaliter.* Iſte [f]; *Virga Ieſſe veri prænia luminis in illa inacceſſibili luce perlucens ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint nec debeant apparere. ſicut ſol ſolus orbem illuminat; ſic hæc ſola ſolidiori lumine & homines & Angelos illuſtrat.* Quę ne oratoriè dicta videantur, quæro abs te, nunquid valde conſentaneum eſt tam auguſtæ Matris dignitati, maieſtatíque ſedis quam increata ſapientia ſibi delegit ad habitandum, vt quandoquidem Angelorum infimi à ſuperioribus, vt hi quoque ab ſupremis illuminantur, illi pariter ab ea, quæ ſupra omnes Angelorum choros euecta eſt, ipſiúſque felicitatis & gloriæ Angelorum inſtrumentum fuit, recipiant nouas illas cognitionis acceſſiones & corollaria, quibus identidem à primario & immenſo ſapientiæ fonte Deo Opt. Max. illuſtrantur? Ego omnino ita ſentio, ac libens volens ex animi mei ſententia hoc tibi do, *magna parens*, nec me vnquam cum D. Epiphanio exclamare

[d] tom. 1. conc. 61.
[e] in ſpecul. lect. 3.
[f] de aſſumpt. Virg.

exclamare pœnituerit, *O Virgo ſancta, lucis æternæ mater, quæ in cœlis illuminas copias Angelorum, & ipſorum Seraphim incomprehenſum oculum.*

Id haud tantopere mirum videbitur, ſi eadem Virgo nondum exuta mortalitate eoſdem Angelos pleraque docuit; docuiſſe autem vltrò fatebitur, quiſquis animo replicauerit magnam illam Apoſtoli vocem, *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc; in gentibus euangelizare inæſtimabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit; vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei ſecundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* quibus verbis profitetur ſe ipſorummet Angelorum quodammodo Doctorem circa quædam myſteria gratiæ, cuiuſmodi eſſe poteſt diſpenſatio fructus Incarnationis, & multiformis ſapientia Dei in prouidentia, & prædeſtinatione erga homines per tale myſterium. Nec veretur D. Chryſoſtomus loquens de exordio Euangelij Ioannis dicere, *Nihil nobis humanum, ſed à Spiritus ſancti abditis theſauris omnia proloquitur, quæ nec Angeli priuſquam hic diceret, nouerunt. namque & ipſi nobiſcum per Ioannis vocem, & per nos didicerunt, quæ cognouimus.* De quorum verborum intellectu eruditè Suares [a]: Et inficiabimur Angelos aliqua à Deipara didiciſſe etiam dum ſuperſtes erat, à qua ipſimet Apoſtoli plurima didicerunt, præſertim cùm præcipuum illud fuerit gratiæ genus, quod rependere potuit adſiſtentibus ſibi & officioſiſſimè famulantibus Angelis; nec verecundari potuerint Beati illi ſpiritus in eius ſe tradere magiſterium, *ſub cuius diſciplina* (vt loquitur D. Ildefonſus [b],) *Deus infans verſatus eſt*? Quod autem ſit illud genus ſapientiæ in qua profecit Chriſtus, proximè ſuperiori capite indicatum eſt. 4.

Eph. 3. v. 8.

Suar. l. 5. de Ang. c. 6. n. 22.

[a] ibid. n. 18.

S. Damaſc. or. de natiuit.
Georg. Nicomedienſis.

[b] ſerm. de aſſumpt. Virg.

5. Age verò (vt lemma huic imagini adſcriptum obiter perſtringam) quidni fas mihi ſit eâdem ratiocinatione conjecturam facere de magnitudine ſapientiæ & ſcientiæ B. Virginis, quâ D. Bernardus [c] eius charitatem æſtimauit? *Dubitare quis poteſt* (inquit) *in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa quæ ex Deo eſt charitas, nouem menſibus corporaliter requieuit?* nunquid non eodem prorſus corporeo modo totidémque menſium ſpatio increata ſapientia in vtero virginali velut in ſede ſua & ſolio reſedit? Si diſcipulorum cum ſuis Doctoribus contubernium plures efficit ſapientes quàm ſchola, quemadmodum Seneca animaduertit, ſi Moſes ex paulo intimiore conſuetudine aliquot dierum cum Deo adeò radiatus prodiit, vt oculos ſe intuentium præſtringeret; quibus facibus, quibus radiis, quibus fulgoribus, quibus ſolibus colluſtratam fuiſſe putas, ac deinde cæteros colluſtraſſe illam, cui tanta annis plurimis cũ ſplendore Patris luminum CHRISTO IESV familiaritas, tanta neceſſitudo interceſſit, tanta (vt ſic loquar) vnitas, dum æternam illam ſapientiam aluo virginea contineret? Præiuit huic meæ ratiocinationi D. Ambroſius [d], ex illa commemoratione Chriſti Domini in vtero Beatæ Virginis rectè inferens eam in ſapientia plurimum profeciſſe. *Verè aluus Mariæ crater tornatilis* (inquit) *in quo*

[c] ſerm. 1. de aſſumpt.

[d] l. de inſtitutione Virginis c. 14.

erat ſapientia, quæ miſcuit in cratere vinum ſuum, indeficientem piæ cogitationis gratiam diuinitatis ſuæ plenitudine ſubminiſtrans. Eâdem argumentatione vſus eſt Sanctus Anſelmus [a]. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum,* ait: *Chriſtus, vt dicit Apoſtolus ad Corinthios, & ad Coloſſenſes, eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, & in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & Chriſtus eſt in Maria; ergo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt in Maria.*

[a] in hom. ſuper Euangelium Lucæ 10.

6. Quapropter meritò ab Auctore ſermonis de laudibus Beatæ Virginis, qui eſt inter opera D. Bernardi, dicitur eſſe mirabilis ille thronus qui ſancto exuli diuinitus oſtenſus eſt, de quo procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. *Maria enim cœleſtem doctrinam*, ait, *auidiùs ebibit, fideliùs credidit, ſinceriùs lucudentiùſque alijs tradidit.* Quæ cauſa D. Ambroſio fuit vt diceret [b], *mirum non eſſe Ioannem Euangeliſtam præ cæteris fuiſſe locutum myſteria, cùm ei praſtò eſſet aula cœleſtium Sacramentorum.* nam (inquit D. Anſelmus [c],) *licèt Apoſtoli per reuelationem Spiritus ſancti edocti fuerint omnem veritatem; incomparabiliter tamen eminentiùs ac manifeſtiùs Maria per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & permulta eis per hanc reuelabantur, quæ in ſe non ſolùm ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu, ipſo experimento didicerat.* Habuit quidem illa (quemadmodum acutè dixit Rupertus [d]) ſuum tempus tacendi, nimirum quandiu Chriſtus inter mortales verſatus eſt, quo tempore *Maria* erat hortus verè concluſus, & fons ſignatus, conſeruans & conferens in corde ſuo omnia verba: at poſt Chriſti ad cœlos aſcenſum locuta eſt, & erant emiſſiones eius paradiſus, & fauus diſtillans labia eius; nec eam veretur S. Ignatius [e] *magiſtram noſtræ religionis appellare.* Quid plura? mihi clientium tuorum minimo iterum te, pro eâ quâ poſſum reuerentia & gratulatione compellare cum D. Epiphanio libet, *Per te notitia cœleſtis à terris ad cœlos tranſmittitur.* Quid ais Epiphani? Itáne verò doctrinam cœleſtem Maria à terris ad cœlos tranſmiſit? Certè magnam ſpem facis ab eâdem doctrinas cœleſtes ad nos in terras tranſmiſſum iri: imò & continenter tranſmitti ſatis indicant ſtellæ illæ coronariæ, Doctorum ſymbola, quibus auguſtum Mariæ caput cingitur. Felices ſtellæ; ô térque quatérque beatæ illæ ingeniorum & eruditionis faces, quæ radiant in vertice Virginis; felices Doctores, felices diſcipuli, felices ſcriptores quotquot Mariæ diademati, ſcientiæ & ingenij ſydera dedicant; caput enim Virginis ea longè diuiniori lumine accendit, *eaque* (vt loquitur Bernardus) *potiùs ornat, quàm ab eis ornetur.*

[b] l. 1. de inſtitutione Virginis c. 7.
[c] l. de excellentia Virginis c. 7.
[d] l. 1. de gloria & honore filij hominis. Vide Franc. Suarem tom. 2. in 3. part. q. 37. art. 4. diſp. 19. & ſeq.
[e] ep. 1.

7. Volo igitur in hac noſtra Bibliotheca emineat Deiparæ Virginis tabella, qualem pinxiſſe D. Lucam accepimus: in qua duo præcipuè obſeruo, quæ ad literas & ad iſtud literarum domicilium pertinent. Alterum eſt ſydus illud, quod in eius humero dextro appingitur, eruditionis & doctrinæ hieroglyphicum; vt eſt apud Danielem [f], *Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudierint multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Hyades illæ ſacræ ſuo exortu diuino quodam imbre doctrinæ ſalutaris mortales omnes irrigant. Alterum eſt,

[f] c. 12. n. 3.

eſt,appictus liber in altera manu *pueri Ieſu*,quem exceptum vlnis Virgo Mater ſuauiſſimè geſtat : in quam rem placuit Creſolij noſtri animaduerſio digna homine religioſo & docto , quam ideo libet huc afferre. Apex Hierarchiæ,atque Princeps religionis Meſſias ad honeſtiſſimam illam voluntatem (videlicet aceruandorum librorum & condēdarum Bibliothecarum)præiuiſſe mihi videtur, qui cùm agris & penatibus careret,ac ne haberet quidem in quo ſuum caput reclinaret,diuiniſſimus tamen pictor Lucas , qui cœli afflatu Chriſti in terris imaginem expreſſit,ei dedit in manibus librum,vt cùm Dei filius noſtri cauſa ſe op bus commodíſque vitę ſpoliauerit,librum tamen pro omni ſupellectili voluiſſe habere videatur:ita ſupremus omnium parens,in cuius magna manu cùm ſint diuitiæ & gloria, tum libros in eádem contineri literæ ſacræ memorant ; vt intelligamus rem eſſe & numini charam,& auguſto cœli prætorio non indignam.

Dic Philomuſe,quę tutela tuo Muſeo opportunior eſſe poteſt,aut re- 8.
ligioſior hac Chriſti Genitricis effigie ? M.T. Ciceronem peculiari quadam religione Mineruam bonarum literarum præſidem coluiſſe Plutarchus ſcribit , eiuſque ſignum domi ſuæ habuiſſe , hauddubiè in larario,& Bibliotheca. Tu,ſi Chriſtianus es, auguſtiſſimæ parentis tutelam Muſeo tuo impenſiore cura inſcribito ; & confide ab ea tanta tibi affore præſidia ad virtutum & literarum ſtudium, quanta veteres in ſua ſapientia ſtolidè ſuperſtitioſi à Minerua nunquam expectauerunt. Gloriatur Minerua in fabulis ſe prodiiſſe armatam è Iouis capite , ac proinde vocari geſtit αὐτόκος : at hæ ſunt præſtigiæ tartarei ſycophantæ hac fabellarum vanitate veras laudes Deiparæ Virginis (de qua multa antè didicerat)minuere & obſcurare ſatagentis. Vna eſt Θεοτόκος *Maria* ; vna inuictiſſima virago , quæ tecta cœleſtibus armis ita cum dracone tartareo congreſſa eſt, vt illius caput contriuerit , extorſerítque infinitam prædam , quam conuehebat in ſua latibula , & captiuos homines in æternæ vitæ libertatem (inferis ne quicquam frementibus)vindicarit.Confugiamus quotquot damus operam literis , non ad Saitanam illam Palladem,quæ fructum ſuum ſolem eſſe delubri ſui foribus mendaciter inſcripſit ὃν ἔτικεν καρπὸν ἥλιος ἐγένετο ; ſed ad illius patrocinium,quæ admirabili virtutum omnium ſplendore circumfuſa,*Chriſtum Ieſum* diuinum illum ſolem enixa eſt.Illa,ſecundùm Deum, ſit Muſei noſtri ac noſtrorum ſtudiorum præſes, ac meminerimus magnam hãc matrem à viris ſapientiſſimis ac ſanctiſſimis eius opem perſæpe expertis appellari *dominam Sapientiæ* [a] ,*doctricem Doctorum* [b] , *Magiſtram & illuminatricem Apoſtolorum* [c] , *Dominam & Magiſtram Prophetarum* [d] , *Magiſterium fidei* [e] , *lumen ſtudioſorum* [f] ; quid plura ? *Illa multocula effecta eſt, & Seraphim , incomprehenſæ viſionis*, inquit Epiphanius [g].

[a] D.Hieron. l.30.in Iſai. c.7.
[b] Idiſta lib. de Virg. c.30.
[c] ibid.
[d] Galarin. l.7 de arcanis Cath.veritatis c 4. & 12.
[e] D.Laur. Iuſt.de natiu.Mariæ.
[f] Ephrem de laudib. Mariæ.
[g] ſerm de laud. Mariæ.

Senſit mirabilis illius ſtellæ quæ ſolem enixa eſt,ſplendorem lucen- 9.
tiſſimum Rupertus Abbas Tuitenſis,ſanctitate, miraculis , eruditione, ac ſcriptorum monumentis clarus : congenitus enim eius ingenio ſtupor & tarditas (quâ re maximè angebatur.) *Mariani* ſyderis afful-

Trithemius lib. de Monaſt. Hirſaug.c.109. de viris illuſt.S.Bened.

R 2 gente

gente lumine penitus diſcuſſus eſt. Senſit eandem opem *Hermanus* corpore & nomine *Contractus*, ſed à quo conceſſit in clientelam & patrocinium auguſtiſſimæ orbis reginæ, ita factus eſt promptus & expeditus ingenio, vt in poëſi, Muſica, Aſtronomia, philoſophia vix haberet parem; inſuper linguarum Latinæ, Græcæ & Arabicæ peritiſſimus ſingulari benigniſſimæ patronæ ſuæ beneficio. Non commemoro Albertum illum, cui ſua excellens eruditio *magni* cognomen peperit: vnde data ſit illi, vel potiùs ad tempus commodata inſignis illa ſolertis ingenij atque omnia peruadentis ſubtilitas, nemo neſcit: *Mariæ* certè fauori & præſidio acceptum referri debere quidquid facultatis & ſcientiæ fuit in cliente patronæ ſuo ſtudioſiſſimo, argumentum eſt rerum omnium, quas didiciſſet repentina obliuio triennio ante mortem: quæ tamen inſcitia, quia coniuncta erat cum ſingulari obſeruantia religioſi inſtituti, pietate ac ſimplicitate, fuit optabilior naturalibus ſcientiis, quarum perfectionem conſecutus fuerat. Quis dubitet D. Damaſceno à beneficentiſſima Virgine adfuiſſe præſens auxilium in tractandis literis & ſcribendis libris, cui ab eâdem manus dextra abſciſſa reſtituta eſt, vt ſcribendi ſtudium continuaret valde opportunum Eccleſiæ pro ſacris imaginibus defendendis? Itaque ſiue *Virginem Mariam velut librum diuina manu exaratum* conſideras, ſiue vt *diſciplinarum Antiſtitam, ac fontem bonorum ingeniorum*, quam felicitatem alij Magiſtri ſuis diſcipulis præſtare non poſſunt; ſuus debet eſſe eius imagini locus in tuo Muſeo perilluſtris.

Petrus Caniſius l. 5. de B. Virg. Trithem. l. 2. de viris illuſt. ordinis S. Bened.

Capvt III.

Fons tertius ſapientiæ, Prophetia.

Matrona velatis oculis diſtrictum gladium dexterâ tenens & tubam, ſiniſtrâ catenam, quæ à ſole supernè eminente deſcendit; capiti imminet columba.

INSCRIPTIO.

Iſ. 21. *Super ſpeculam Domini ego ſtans iugiter.*

1\. HÆc eſt huius emblematis interpretatio; oculi velati prophetiæ obſcuritatem ſignificant; tuba clangorem diuini eloquij; gladius intentatas ſceleratis minas; catena ſeriem prouidentiæ res omnes & euentus inter ſe aptè connectentis, quæ à ſole, ideſt, à Deo deriuatur: columba Spiritus Dei eſt index, qui per Prophetas locutus eſt.

2\. Iudæa olim fuit domicilium caſtæ religionis & veræ ſapientiæ, cui Deus præfecerat viros ſanctos, Doctores conſultiſſimos, inter quos fuere multi qui afflatu diuino incitati futura prænunciarunt. hi *Prophetæ* vocantur; quos placuit hoc loco inter fontes ſcientiarum referre, quoniam tales reipsâ fuerunt; neque libuit diuinum illud

vatici

vaticinandi donum aliter exprimere in hoc Muſeo, quàm quo modo in Vaticana Bibliotheca exhibetur, quemadmodum Cornelius à Lapide[a] refert Prophetas verò, ſeu Hebræos ſapientes primo loco ponimus; ab iis enim vtpote ſapientium omnium antiquiſſimis, profecta eſt magnam partem ea ſapientia, quâ poſtea celebriores Ethnicorum Philoſophi claruerunt, vti ſuperiùs diximus. Deinde, quia genus iſtud ſapientium non ſolùm præceptis & voce, verùmetiam exemplis & ſanctiſſimis moribus nos erudiit: vnde à D. Chryſoſtomo[b] Prophetæ dicuntur velut quidam *pictores virtutis*, quam in ſeipſis viuam ſpirantémque vitæ integerrimæ moribus expreſſerant; & per hoc (vt loquitur Origenes[c]) *diuinitatem participarunt & propbetiam.* Nam (quod rectè dixit Philo[d]) *malum virum non eſt fas interpretem eſſe numinis, ſed in ſolum ſapientem hoc competit, quia is ſolus eſt inſtrumentum Dei reſonans, ab eo contactum & pulſatum inuiſibiliter*; licèt non ignorem donum prophetiæ eſſe gratiam gratis datam (vt Theologi loquuntur) quæ etiam in hominem ſceleratum cadere poteſt. Verùm enim verò ſic eos S. Chryſoſtomus *pictores virtutis* appellat, vt addat etiam, *& malitiæ*, deſcribunt enim illi (inquit) *peccatorem, iuſtum, pœnitentem, ſtantem, ſurgentem, titubantem.* Prò quantus inter mortales dignitatis apex hominem æternitatis à Deo participem fieri, hominem *diuini ſermonis characterem* (quemadmodum Origenes[e] *diuinationem* appellat) ore ſuo præferre, hominem replicare, præterita & futura occupare: quæ cauſa eſt cur Prophetæ dicti ſint *videntes* (vt D Baſilius animaduertit[f]) *quia futura tanquam præſentia conſpiciunt*; quæ videndi facultas tantam humanæ intelligentiæ vim ſuperat, quantum diuinitas humanitatem. *non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines*; ac propterea θεοδίδακτοι meritò appellandi, *à Deo docti*, vt quod à diuino numine accepiſſent, illud poſtea in nos refunderent, nóſque ab ſalutaribus hiſce fontibus ſalientes in vitam æternam aquas hauriremus. Quapropter libet iiſdem verbis te affari, lector, quibus D. Hieronymus[g] Pammachum alloquitur. *Prophetarum quotidie medullas bibas. Quidquid enim ſanctarum eſt Scripturarum, quidquid Logica, Phyſica, Ethica, quidquid humana poteſt lingua proferre, & mortalium ſenſus accipere, iſto volumine continetur*[h].

Vehementi doctrinæ ſiti ardens S. Iuſtinus[i] quærebat vbi eam expleret & reſtingueret; Stoicis aliquamdiu addictus, cùm ab iis de Deo nihil diſceret, ad Peripateticos tranſiit; horum quoque vænalem ſapientiam pertæſus Pythagoricis ſe conſecrauit; à quibus tamen deterritus difficultate diſcendi Muſicam, Aſtrologiam, & Geometriam, quas ad beatam vitam *prodromas* eſſe aiebant, continuò ad Platonicos receſſit; in quorum etiam diſciplina cùm plus reperiſſet oſtentationis & pompæ, quàm ſolidæ veritatis vbi conſiſteret, ab ignoto quodam philoſopho admonitus, abiectis circularis ſcientiæ ſtudiis, tam feliciter & auſpicatò ſe tradidit ſanctorum Prophetarum lectioni, vt ex eo ſtudio *Iuſtinus* prodierit *Iuſtus*, Chriſtianus verè Philoſophus, ac Martyr. Erit pretium operæ audire quid ignotus ille admonitor (fuerítne homo, vel Angelus non diſputo) Iuſtino ſuggeſſerit in Prophetarum commendationem:

[a] in 12. min. Proph.

[b] in Pſ 90.

[c] l. 3. periarch. c. 3.

[d] libro, quis rerum diuinarum hæres.

[e] 6. contra Celſ.

[f] præf. in Iſ.

Petri 1. c. 10.

[g] ad Pammachum.

[h] Idem præf. in Iſ.

3.

[i] initio dial. cum Tryph.

tionem: vndę intelligemus quàm limpidus, quàm ſalutaris, quàm vber fons ſit Prophetia. *Extiterunt* (inquit) *quidam quondam his omnibus qui Philoſophi habentur, antiquiores, beati, iuſti, & Deo chari, qui diuino Spiritu afflati locuti ſunt, réſque eas fore vaticinati ſunt, quæ nunc eueniunt (Prophetas autem, ſiue* VATES *eos vocant) hi ſoli verum & intellexerunt ipſi, & hominibus enunciarunt, nullius metu deterriti, nec victi opinione, aut gloria impulſi, ſed ea ſola prædixerunt, quæ ſancti Spiritus pleni audiuiſſent, atque vidiſſent. Libri autem eorum nunc etiam extant, eíque qui eos euoluerit, maximus fructus propoſitus eſt, & principiorum & finis, & eorum quæ Philoſophus tenere debet, cùm eis fidem habuerit. Non enim demonſtratione, aut neceſſaria concluſione vſi ſunt, tum in ſuis ſermonibus, quippe qui teſtes veritatis eſſent digni, quibus maior quàm omni demonſtrationi tribueretur auctoritas. Ea porrò quæ euenerunt, & eueniunt, cogunt aſſentiri eorum orationi. Quamquam etiam propter nouas inauditáſque res quas efficiebant, digni erant quibus crederetur; quandoquidem & effectoris huius vniuerſitatis Dei parentiſque nomen celebrabant, & ab eo Chriſtum eiuſdem filium nuntiabant. Id quod ij, qui ſpiritus erroris & impuri pleni erant falſi Prophetæ, nec perfecerunt, nec perficiunt: ſed mira quædam opera ad ſtuporem hominum edere audeant, erroriſque magiſtros ſpiritus & dæmonia honoribus afficiunt. In primis autem precare Deum, vt tibi fores luminis aperiantur; neque enim cerni intelligíve poſſunt ab hominibus niſi cui datum ſit, Deíque eiúſque Chriſti conceſſu ac munere. Hæc ille cùm dixiſſet,* (addit D. Iuſtinus) *aliaque præterea multa, quæ non ſunt huius temporis, eaque me ſequi iuſſiſſet, abiit, neque eum vidi poſtea. In meo autem animo repentè ignis excitatur, méque tenet deſiderium Prophetarum, virorúmque illorum, quos Chriſtus charos haberet: cúmque eius verba mecum ipſe in animo repeterem, hanc vnam reperiebam philoſophiam & tutam, & vtilem. Sic igitur ego & ex his Philoſophus extiti: maximè autem vellem, vt omnis etiam eodem modo, quo ego, animo affecti, à Conſeruatoris verbis ne diſcederent, religionem enim quandam in ſe continent; ſatiſque in eis eſt virium ad eos flectendos, qui à recta vita via deflectunt: iiſque qui in eis ſuas cogitationes defigunt, requietem iucundiſſimam afferunt. Quòd ſi aliqua ex parte tibi ipſi curæ es, Tryphon, ſalutiſque ſtudio traheris, atque in Deo ſpem collocaſti, quemadmodum à re non abhorrenti, licet tibi cùm Chriſtum Dei filium cognoueris, & perfectus euaſeris, vitam beatam adipiſci.* Quid illuſtrius in Prophetiæ laudem dici queat, quis aculeus ad eius ſtudium acrior: quam meritò adſcribere picturæ pro lemmate poſſumus iſtud, *Diuinatio in ore Doctoris, in doctrina non errabit os eius* [a]: vel iſtud, *neceſſe eſt compleri omnia* [b]: vel iſtud, *ſuper ſpeculam Domini ego ſtans iugiter*[c]: aut iſtud, *illuc vbi impetus ſpiritus*[d].

[a] Prou.16.
[b] Luc.24.
[c] Iſ.21.
[d] Ezech.1.

4. Viri ſancti ac religioſi, meditatione rerum cœleſtium ſe ad diuina erigentes, & diuinis laudibus concinendis occupati, *Prophetæ* quoque appellantur. Quod genus Philoſophiæ (audeo dicere) etiam vaticinandi facultate optabilius ac nobilius eſt. *Magnum ſanè* (inquit D. Bernardus fratres ſuos alloquens) *magnum prophetandi genus, cui vos deditos eſſe conſpicio; magnum prophetiæ ſtudium, cui vos video mancipatos. Quid illud? nempe non conſiderare quæ videntur, iuxta Apoſtolum, ſed quæ non videntur; obliuiſci quæ retrò ſunt, & extendi in anteriora; ex magna parte prophetare eſt.* Hæc eſt

Vide reliqua ſanè perpulchra ſerm.2. ad fratres in illud, eſt generatio quærentium Dominum.

vera

vera ſapientia longè alia à Philoſophorum cogitationibus, quos idem Bernardus [a] appellat *in terrenis lynceos, in cœleſtibus talpas. Vani enim ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſapientia Dei, & Sanctorum ſcientia.* [a] ibid. Sap. c. 13. 1.

CAPVT IV.

Eccleſia Chriſtiana.

Grauis & modeſta matrona habitu, ſiniſtrâ manu impoſitam ſacræ Scripturæ Codici pontificiam tiaram ſuſtentans, pendentibus infernè binis clauibus, supernè columbâ Spiritus ſancti hieroglyphico imminente, dextrâ crucem complectens, ad quam hinc catenis religata hæreſis furiali veſaniâ, illinc idololatria Bellonæ ſpecie; ſacro volumini inſcripta ſit literis ſanguineis hæc vox, *Credo.*

Circumquaque varia ſanctorum Martyrum ſupplicia, adſtantium Tyrannorum iuſſu; qualia cogitatione deſcribi poſſunt.

Tum ex optica ratione cymba procul apparens, cuius malus crux, eadem quæ mox deſcripta eſt matrona captos retibus piſces à ſexdecim piſcatoribus, hoc eſt, ab Apoſtolis ſimul & Euangeliſtis ſtudioſè excipiens, velo cæruleo inſcriptæ literis aureis hæc ſententia, *Capiuntur ad vitam.*

I. Licèt diſcipulatus Chriſti, in quo Apoſtoli primas ſine controuerſia tenuerunt, ſit regia dignitate præſtantior, vt dixit D Laurentius Iuſtinianus [b], licèt *Apoſtoli* ſint *duces rationalis gregis*, hoc eſt, populi Chriſtiani, hi nimirum duodecim fontes ariditatem animarum doctrinæ cœleſtis floribus irrigantes, vt obſeruauit D. Petrus Damiani [c]: licèt non ſint Moyſe deteriores, neque Prophetis inferiores, ſed boni cum bonis, & bonis meliores, vt ait S. Cyrillus Hieroſ [d]. licèt eorum ſermones, Prophetarum & legis ſermonibus præponantur, quòd vberiorem gratiam acceperint, vberiúſque expoſuerint Chriſti myſterium, vt Iſychius Presbyter animaduertit [e]: licèt diuinum ſit oraculum, poſitos eſſe à Deo in Eccleſia primùm quidem Apoſtolos, deinde Prophetas, &c. dictúmque in eam ſententiam à D. Chryſoſtomo Apoſtolos omnibus diuinis chariſmatibus exornatos primum in Eccleſia locum obtinere: licèt eorum ſinguli (quod de D. Paulo dixit D. Hieronymus [f]) *vaſa fuerint legis, & ſanctarum Scripturarum armaria*; denique licèt ſint diuinę ſapientiæ Coryphæi, ſoles cœleſtis doctrinæ, Antiſtites Chriſtianæ Academiæ, orbis magiſtri, Myſtagogiæ Principes, hierophantæ & Theologi diuiniſſimi, vtpote qui etiam *θεοδίδακτοι ab ipſo numine erudití*, adeóque quod

[b] in faſcic. c. 17.
Exodi 15.
[c] Opuſc. 32. de Quadrag.
[d] Catech. 14.
[e] l. 2. c. 18. tom. 4. Bibl. vet. Patrum.
1. Cor. 12.
[f] in Matth.

(quod dixit Eucherius)*ipſius Chriſti* OCVLI, qui ſcientiæ lumen vniuerſo corpori Eccleſiæ præſtant: tamen quia columnæ iſtæ & firmamenta veritatis,&(quemadmodum loquitur Magnus Gregorius)*tabulæ Apoſtolicæ* extenſâ in mundum prædicatione dilatatæ nituntur Prophetis velut ſubiectis baſibus;idcirco placuit in his comitiis ſapientiæ præmittere *Apoſtolorum prodromos & antitypa*; ſic Cornelius noſter [a] *Prophetas* appellat, quamquam & ſanctus Sixtus tertius Pont. Max. eoſdem Apoſtolos *noui Teſtamenti Patriarchas vocat, qui ex quadriformis Euangelij doctrina(ſicut Iob quatuor vno tempore coniuges habuiſſe perhibetur)caſtâ quadam laſciuiâ ſpiritualis ſobolis multitudinem innumeram ſuſceperunt* Ne laboremus in hac controuerſia, eôdem Prophetæ & Apoſtoli collimant, vnum *Chriſtum Ieſum* annunciant. *Et ſicut in regiam viam reliqui calles à pagis agriſque conueniunt; ita Prophetæ hunc Chriſtum viam eſſe credentibus oſtenderunt*,quemadmodum fecere Apoſtoli. *Vetus Teſtamentum in nouo reuelatum, & nouum in vetere relatum vides.* In veteri Teſtamento eſt occultatio noui,in nouo Teſtamento eſt manifeſtatio veteris. Cedro dignum eſt quod Rupertus,verba hæc Apocalypſos c.11.exendens, *& datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ*,&c.in commendationem doctrinæ Apoſtolorum affert.*Calamus*(inquit)*ſimilis virgæ facultatem ſcribendi ſignificat cum magiſterij dignitate, vt de nulla illorum ſententia, ſine dictione liceat cuiquam Eccleſiaſtico dubitare*; *hoc namque magiſterium tantummodo & Apoſtolorum eſt, & illis ſolùm hæc virga data eſt:vnde in Pſalmis ſic determinatum eſt*; *Dominus narrabit in Scripturis populorum,& Principum horum, qui fuerunt in ea:Principum horum, inquit, id eſt,Prophetarum, & Apoſtolorum, & Euangeliſtarum.* Audi Gregorium [b], & Apoſtolorum ſcientiæ quantus ſit ambitus,quanta complexio,intelliges. *Per incrementa temporum*,ait, *creuit ſcientia ſpiritualium Patrum,plus namque Moyſes quàm Abraham, plus Prophetæ quàm Moyſes, plus Apoſtoli quàm Prophetæ in omnipotentis Dei ſcientia eruditi ſunt:fallor,ſi hæc ipſa Scriptura non loquitur.Pertranſibunt plurimi,& multiplex erit ſcientia.*

[a] in argum. in 12. min. Proph.

S. Sixtus libello de diuitiis.

Theodor. de curan. Græc. affect.

S. Auguſt. in Pſ.105. Idem lib. de catech. rud. c 4.

Pſ.86.

[b] l. 21 in Ezech. hom. 16.

2. Philoſophia profectò mirabilis, Apoſtolorum Philoſophia quæ orbem,quà ſe longè latéque porrigit,ita ſibi addixit,ſuíſque placitis ſubiecit,vt illi ſe ſapientiſſimi inter mortales conſecrauerint,in eius verba iurauerint,ac iudicauerint eius pronũciata firmius nixa eſſe,quàm cœlũ ipſum & terram;fuerunt enim interpretes,& velut os ipſius numinis, è cuius inexhauſta ſapientia manat, quidquid eſſe poteſt caſtæ lucis,& ſalutaris doctrinæ, vnde mens illuſtrari & mores laudabiliter informari poſſunt. Auctor eſt Porphyrius [c] Plotinum philoſophum Platonicum petiiſſe à Gallieno Imperatore,vt dirutam olim in Campania quandam ciuitatem reſtitueret, cámque attribueret Platonicis philoſophis ex Platonicæ Reip. forma inhabitandum, quam *Platonopolim* appellarent; haud tamen impetraſſe.Enimuero res mirabilis Platonem tantum philoſophum,adcóque (ſi Superis placet) diuinum, nec vnicam in toto orbe vrbem habere potuiſſe,in qua viueretur ex ipſius diſciplinæ legibus: piſcatores autem ſuæ ſapientiæ retibus ita fuiſſe complexos omne hominum genus,vt ſponte conceſſerit in nauim Petri,Theodoribus Græcorum,

[c] in vita Plotini apud Baronium an. Chr.264. n.3.

corum, & Ægyptiorũ Bari infinitis partibus diuiniorẽ, indéque effecta ſit ἔμψυχος ναὸς Ἐκκλησία, quemadmodum loquitur Gregorius Nyſſenus[a], ciuitatémque conſtituerunt ex vniuerſi mundi habitatoribus, & quadripartiti orbis plagis; cuius incolendæ ſtudio incenſus regius Pſaltes hoc acroama cecinit, *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* περιοχῆς habet Græcus textus, hoc eſt, vt interpretatur appoſitè ad noſtram ſententiam Euthymius, *ineluctabili doctrinâ velut mœnibus firmiſſimis circumuallatam*; quæ nulla vi, nullis machinis, nullis cuniculis, nullâ fraude euerti poſſit.

Eſt itaque Eccleſia Chriſtiana ſublimitas diuinæ illius Philoſophiæ, eo mirabilior, quòd non ſolùm reconditis myſteriis, & planè auguſtis mentem imbuat, verùm etiam factis potius quàm ſermone exerceatur, 3.
quam proinde S. Gregorius Nyſſenus[b] vocauit ὑψηλὸν φιλοσοφίας ἔργῳ μᾶλλον, ἢ λόγῳ κατορθούμενον, eóque etiam admirabilior, quòd qui eam adamauerint, poſſint ἄνευ γραμμάτων φιλοσοφεῖν, *ſine literis philoſophari*. O mirabilem Chriſtianorum Academiam, & fidei tenebras omni humana luce & ſcientiâ præſtantiores, quandoquidem *non tam veniam meretur, quàm præmium ignorare quod credis.*

Quod ad corpus præfixi emblematis pertinet, ideo nihil dicam, quia 4.
immenſa ſunt quæ de hac ſymbolica naui & piſcatione, ſacrorum librorum Interpretes tibi ſuppeditabunt: de anima, ſiue lemmate, *capiuntur ad vitam*; quid dicam aliud quàm quod D. Paulus, & ipſe animarum piſcator eximius Timotheo ſcripſit, *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* Si qui capi nolunt, hoc eſt, Chriſtiani eſſe renuunt; vel licèt ſe capi ſinant, mali tamen piſces eſſe volunt, miſerè peribunt. Mens tamen & conſilium capientium eſt, vt capiantur omnes ad vitam. *Bene Apoſtolica inſtrumenta piſcandi retia ſunt* (inquit D. Ambroſius[c]) *quæ non captos perimunt, ſed reſeruant, & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad ſuperna producunt.* Et alio loco idem[d], *Piſcis es ô homo, audi quia piſcis es. ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mare,* &c. *Sunt ergo boni & mali piſces; boni ſeruantur ad pretium, mali ſtatim ardent; bonum piſcem nec retia inuoluunt, ſed eleuant, nec hamus internecat, atque interficit, ſed pretioſi vulneris perfundit ſanguine. Noli bone piſcis Petri hamum timere; non occidit, ſed conſecrat.*

Interpretatio ſecundi emblematis huius tabulæ, & diſcipulorum Chriſti in propugnanda Magiſtri ſui doctrina fortitudo.

Altera pars huius emblematicæ tabulæ quam primo loco propoſuimus, non tam philologicam interpretationem poſcit, quàm cœleſte 5.
quoddam epinicium Chriſtianæ Religioni, quæ ne quidquam fremente Orco, incaſſum ridentibus Philoſophis, nequidquam ſæuientibus Tyrannis, doctrinæ ſuæ placita, ſuúmque illud *Credo* omni humanâ ſapientiâ ſublimius, & certius omnes mundi plagas docuit, & tam altè infixit infinitorum populorum animis, vt innumerabiles ſuo illud cruore aſ-

S ſeruerint,

[a] hom. 12. in Cant.

[b] Orat. cat. c. 18.

D. Hilar. l. 8. de Trin.

Tim. 1. c. 2. n. 4.

[c] l. 4. in Euang. in fine.

[d] Exaëm. l. 5. c. 6.

Vide Toletũ in hæc verba, *Eris homines capiẽs.* Vide Orig. hom. 16. in Hier. & Iuſt. mart. in quæſtionibus Gentium, quæſt. 40.

ſeruerint, maluerintque vitam ſibi crudeliſſimè eripi, quàm fidei & diſciplinæ Chriſtianæ Academiam eiurare.

6. Quod hactenus viſum eſt monſtrum Tiberio importunius? quæ bellua Nerone efferatior? quæ vorago, quis gurges tantum aquæ haurire poteſt, quantum animo ſorbere Domitianus? Quæ portenta ex vetere illa immanitate Deciis, Valerianis, Gallienis, Maxentiis Maximis, Iulianis, cæteríſque immanibus belluis importuniora? Nihil dicam de præfectis, nihil de carnificibus ad pulſandum, lacerandúmque exercitatiſſimis. Deus immortalis! quod ſpectaculum pictura huius emblematis exhibet? Illic immanitatem belluinam cerno in figura Diocletiani; illic Marentium, quem cùm nomino, funeſtum quoddam animal dico, quod vix hominum acerbis funeribus ſatiari poteſt, & cui nihil ſapit niſi humano ſanguine conditum: illic effrænatam cruciandi cupiditatem cum ſumma impunitate in Maximino agnoſco; illic humano ſanguine concretum lutum in Tiberio, vel ipſomet Theodori ipſius præceptoris teſtimonio: illic efferatos & humanum ſanguinem ligurientes Polyphemos, non incluſos illos quidem antris, in quæ nullus niſi tempeſtate aliqua delatus incidat; ſed eos, qui omnia loca amentes & furioſi peruadant; eos, quibus nullus videtur ludus iucundior quàm cædes; nullo tam delectantur ſonorum concentu, quàm crepitu plagarum; nullo colore, quàm humano ſanguine, nulla ſupellectile, quàm apparatiſſimæ carnificinæ inſtrumentis, Diocletianos intelligo, & alia monſtra, quæ cùm ſe ſuis canibus, ſatellitibus, ſuis furiis ſuccinxerunt, proh quam timenda ſunt, quàm horrenda ab iſtis hominum portentis, (ſi tamen homines dicendi ſunt, è quorum animis extirpata fuit omnis humanitas (ab iſtis, inquam, hominum portentis, quos in hac tabella vides, plurimíſque aliis eiuſdem furoris & feritatis, ſtudioſiſſimè elaboratum eſt, vt doctrina Chriſti penitus opprimeretur, & aboleretur in eorum ſanguine, qui illi adhæſiſſent; ſed irrito ſemper conatu; tametſi omnibus machinis & inaudita crudelitate id tentatum ſit continenter multis annis, imò plurimis ſæculis, nouaque in dies cruciandi libido efferbuerit; nam defatigatus Chriſtianos excarnificando Tiberius ſucceſſorem habuit infeſtiorem; defatigato Neroni ſuffecta eſt importuna bellua: extincto Domitiano, ortus eſt Traianus; Traiano ſucceſſerunt Antonini; his quoque ſuffecta eſt vicaria inhumanitas Decij & Valeriani: diſruptis iſtis Chriſtianorum ſanguine quem largiùs ebiberant, ſuperiorum omnium ſæuitiam maiore ſæuitia cumulauit Diocletianus. Sequutum eſt nefarium iugum Maximinus & Maxentius: præcurſoribus ſuis in hac immanitatis & amentiæ palæſtra palmã præcipere conatus eſt Licinius: ex eodem equo proſiliit fax funeſtiſſima Iulianus. reuixerunt nouiſſimè omnes ſimul, cùm emiſſa ex crudelitatis barathro furia immanis ardentes Caluinianis & Lutheranis ignibus tædas intentans, vrbibus exciſionem, tectis inflammationem, agris vaſtitatem, prouinciis depopulationem, ſacrarum ædium exaugurationem, funeſtam mortalibus immortalibúſque calamitatem minata

nata

nata eſt, nec verò minata eſt impotentius quàm ſæuiit in Chriſtianæ Philoſophiæ gymnaſia & ſectatores. Quid dicere reformido? Gloriatur ſua iam manu ferro flammáque extincta eſſe in Gallia anno nô amplius vno, minimùm Catholicorum quadraginta duo millia. Et perinde ac ſi mitiùs egiſſent priſci Tyranni cum iis, qui cœleſtem ſapientiam in Gallias intulerant, atque promulgauerant; proh nefas! eorum oſſa è ſepulchris religioſiſſimis eruerunt, Irenæum Lugdunenſem proiecerunt, Dionyſium Pariſienſem, Martialem Lemouicenſem, Trophimum Arelatenſem, Eutropium Arauſicanum, Creſcentem Viennenſem, omnes in alma Chriſti Academia magiſterij, atque (vt ſic loquar) doctoratus iure, titulo, prærogatiuis & infulis inſignes, Clotildem reginam Clodoueo regi ad capeſſenda Chriſtianæ diſciplinæ dogmata adiutricem: ipſummet Chriſtum ſupremum Doctorem, principem, ac conditorem huius philoſophiæ, pluſquam rediuiui Iuliani ſuis telis imperierunt, cuius effigiem variis locis raptatum, conuiciis & verberibus affectam flammis addixerunt.

Æquat hac ætate, ac fors vincit omnium retrò ſæculorum immanitatem Iaponica crudelitas, & quà humani ſanguinis fluminibus, quà accenſis rogis, quà proſcriptionibus atrociſſimis, quà carceribus immaniſſimis, quà edictis crudeliſſimis euangelicam ſcientiã penitus extinguere, & ex eorum mentibus qui illam profeſſi ſunt, radicitus exculpere conatur. Et quoniam ſchola Chriſti nullum ſexum, nullam ætatem, nullum hominum ordinem reſpuit; ideo in omnem promiſcuè ætatem, in omnẽ ſexum, in omnem ordinem immaniſſimè ſæuitum eſt iam ab ipſis prolatæ cœleſtis huius doctrinæ initiis: cuius ſumma gloria eſt, quòd quantò ſollicitiùs impia ignorantia, effera cęcitas, ſuperſtitio, hæreſis, ſcelus, de ea prorſus delenda & perdendis ſacroſanctis eius libris, ac profeſſoribus opprimendis cogitarũt, & cogitata in rem contulerunt; tanto propagata eſt lætiùs, tanto ſtabilita firmiùs, eò plures referri in album diſcipulorum Chriſti geſtierunt; eò plures iurare in eius verba, ſéque ei totos conſecrare, & (quemadmodum Gentium Doctor loquutus eſt) captiuare intellectus ſuos in obſequium fidei. 7.

Poſſunt attolli crepidines ne lacus ſuo curſu ad mare fluat; ſed ſolũmodo ad tempus: nam coaceruati tãdem fluctus, & intra ſua clauſtra efferueſcentes exitum molientur in patentes campos, vehementiore impetu reſtagnantes efferent ſeſe, & oppoſitas ſubſtructionum moles diſiicient, vel glomerati ſuperabunt aggeres, interclusum rectum iter quærent per mille flexiones ac diuerticula, ſeſéque adeò contra vim attollent, vt ipſoſmet montes operturi ſint. Leni lapſu & quieto fluebat puriſſimus fons Chriſtianæ ſapientiæ, iámque plurimi mortalium pertæſi lutulentas aquas vitiorum, errorum, & ſuperſtitionum, incorruptos latices cœleſtis doctrinæ conſectabantur, mirati eiuſmodi irrigatione emergere in ſuorum animorum ſolo, non herbeſcẽtem duntaxat viriditatem, verùm etiam exiſtere infinitam copiam florum & lectiſſimorum fructuum. Quid conſilij inierunt prophanarum atque impiarum ſectarum propugnatores, Magiſtri, & patroni? Conati ſunt præcidere tubos, 8.

per quos accerſiti riuuli & ducti ab ipſo capite Chriſto deriuabantur in vniuerſum orbem; miſſos longè latéque huius diſciplinæ ſatores cultoréſque Apoſtolos, atque Apoſtolicos viros exquiſitis ſuppliciis & mortibus affecerunt, rati ſic nouam hanc doctrinam vnà cum ipſius profeſſoribus perditum iri: verumtamen longè aliter cecidit, quàm ſperabant, fons enim Chriſtianæ ſapientiæ in ſuo exortu & ſcaturigine perexiguus creuit in Oceanum, qui vniuerſum orbem complexus eſt.

9. Loquamur ſine allegoriis apertè. Intuere pictam in hac tabula emblematica omnis generis cruciamentorum inſtructiſſimam Libitinam: aſpice inter cruentas carnificum manus euulſos è nutricum gremio infantes, è paternis abreptos complexibus adoleſcentes, è molli cultu parietum virgunculas & matronas; viros, ſenes innumerabiles generoſa capitis ſui deuotione, & mille horrendis mortibus ſancientes eam doctrinam, quam Chriſtus docuit. Aſpice vt Chriſti diſcipuli dum apparatur ſupplicium, dum incenduntur ignes, dum forfices & gladij expediuntur, dum tenduntur equulei, dum rotæ nouaculis armantur, dum beſtiæ ſoluuntur è caueis, dum ferrei vngues promuntur dum carnificina feruet, vt adſtãt læti & alacres, vt ſuum illud *Credo* modulantur, vt exultant, vt Magiſtro ſuo Chriſto vitam ſuam pignerari geſtiunt? Vix, ac ne vix quidem, quædam virgunculæ ſe ſuſtinent quin ſua ſponte proſiliant in ardentes rogos; vix ſibi incliti adoleſcentes temperant quin artus ſuos candenti ferro vltrò vellicent, quin paratas ipſi ſe induant in machinas viri; quin tortores ipſos & feras laceſſant ſenis; vniuerſis & ſingulis certum, fixum, ac deliberatum eſt obire quæcumque excogitare barbaries, atque Orcus tormenta poteſt potius quàm pati ſe dedoceri ſanctiſſima illa effata, quæ didicerunt: torrentur, tenduntur in equuleis, ſeruilem in modum fuſtuario conciduntur, lacerantur, inauditis cruciatibus excarnificantur, vt Philoſophiam Chriſtianam eiurent; illi obfirmatiùs in ſua profeſſione perſeuerant, & nec vel latum vnguem ab euangelicis pronunciatis dimouentur.

10. O magnam vim illius doctrinæ quæ in Academia Chriſti proponitur! Age verò impietas, dic bruta ſuperſtitio; victricem te putas? victam te fateare, vel ipſo liuore iudice, neceſſe eſt: prome, prome ſi quid habes equuleis immanius, crucibus, ferro, igne; perge, quid ceſſas, concute fœcundum pectus: vre, membra diſtrahe, lacera, lania; non expromes aliam vocem ab diſcipulis Chriſti, quàm *Credo*; *Chriſto adhæreo: verum vnicúmque Doctorem Chriſtum agnoſco*; *delirant qui ſecus faciunt.*

11. Quàm glorioſè, quàm iactabundè, quàm arroganter & ſuperbè ſe venditarent celebres & decantatæ ſectæ Academicorum, Pythagoreorum, Druidarum, Gymnoſophiſtarum, aliæque id genus familiæ, ſi vel duo diſcipulorum, aut Doctorũ paria nactæ eſſent, qui profeſſionis ſuæ pronunciatis ſuo cruore chirographum appinxiſſent; ſuíque capitis & vitę periculo propugnaſsẽt. Quomodo id feciſſent qui quod magnificè de tolerandis fortiter iniuriis, vel doloribus pronunciabant in Stoa, in Academiæ

Academiæ vmbraculis, in hemicyclis, in Lyceo; hoc plerumque inter leues febriculæ æſtus, aut aſperiore verbulo laceſſiti tanquam perperam ab ſe dicta, re & factis reuocabant; muliebriter eiulabant, impotenter repungebant, ferebant intoleranter. Immemorabiles Chriſti diſcipuli tam arctè tenent, tam accuratè defendunt vniuerſa ac ſingula capita euangelicæ doctrinæ, adeò ſtrenuè vitæ ſuæ rationem & mores ipſius placitis conformãt, vt nullis machinis, nullis ſuppliciis dimoueri poſſint ab eo diſciplinæ inſtituto quod in Eccleſia docti ſunt, neque à ſanctitate & conſtantia quam profitentur auocari: coniice iterum oculos in hanc tabulam mi lector; vide vt tyrannicæ veſaniæ ſatellites & adminiſtri atrociter plagas inferendo incaleſcunt; contrà vt Chriſti diſcipuli fortiter ferendo exultant; carnifices vlulant inter vulnera, vulnerati ſilent; vel ſi os aperiunt, profeſſionis ſuæ formulam conſtanter recitant, & magiſtrum ſuum blandè & reuerenter appellant. Concurſant huc illuc furioſi carnifices; Chriſti diſcipuli in eodem veſtigio conſiſtunt: illi ad plagarum crepitum, ad oſſium fragorem, ad corporis lacerationem, fluentibus buccis, ſuperciliorum depreſſione, diſtorſione oris, ardentibus oculis, interruptâ aſpiratione, animi ſui impotentiam, & virus contra Chriſtianæ ſcholæ candidatos teſtantur; adſtant Chriſti diſcipuli tranquillâ fronte, ſereno vultu, vulnera præbentes vulneribus, oculis nunc in cœlum, nunc in ſuas plagas blandè defixis, triumphant gaudio, & magiſtro ſuo gratias quas poſſunt maximas agunt, ſummíque beneficij loco habent, poſſe cœleſtis illius doctrinæ in qua inſtituti ſunt, veritatem ſanctitatémque his experimentis comprobare.

Doctrinæ huius Apoſtolicæ ineluctabilem firmitatem pro dignitate laudare non eſt humanarum virium. Epinicij tamen loco eſto illud Theodoreti [a] inter multa quæ prudens prætermitto. *Legum quas noſtri piſcatores & Publicani, quáſque ſutor tentoriorum* (D. Paulum intelligit) *tulerunt ac promulgarunt, non Caius, non Claudius diſſoluere potuerunt, nec qui eis Nero ſucceſſit: hic etenim tametſi duos optimos legiſlatores immanitate proſtrauerit, Petrum namque & Paulum interfici iuſſit, at certè quas illi promulgarunt leges minimè ſuſtulit. Non denique Veſpaſianus, non Titus, non Domitianus, quamquam multis ac varijs machinationibus eas oppugnare contenderit; multos enim de medio ſuſtulit, qui ſe legibus illis addixerunt, omne tormentorum genus contra eos intendens. Traianus inſuper atque Adrianus magno ſe apparatu contra eas leges inſtruxerunt: ac Traianus quidem Perſarum potentatum diſſoluit, Armenióſque Romanorum fræno ſubiecit; Scythicas præterea nationes compulit ſceptris ſuis parere, piſcatorum tamen noſtrique ſutoris abolere leges non potuit. Hadrianus verò vrbem Iudæorum, à quibus crucifixus eſt Chriſtus, totam diruit & euertit: at eos qui in Chriſtum crediderunt, abducere à Chriſti ſeruitute non potuit. Antoninus quoque qui Hadriano ſucceſſit, quique ex eo genitus eſt Verus, quamplurima trophæa deuictis Barbaris excitarunt, libertatémque adamantibus populis iugum Romanæ ditionis impoſuerunt: neque tamen eos, qui lubentes Chriſti iugum ferebant, aut vi, aut ſuaſionibus impulerunt miſſum facere, quem* 12.

[a] l. 9. de leg

S 3 *tantoperè*

tantopere diligebant, cùm tamen illos & minitando terrerent, & irrogatis ſupplicijs cruciarent, &c. *Itaque Corybantium more capita præ furore iactantes, inciti rabie, techniſque ac veteramentis vſi quamplurimis, piſcatorum leges non diſſoluerunt quidem, ſed multo validiores oppugnando eas reddiderunt; planéque illis perſimiles inuenti ſunt, qui flammam quidem reſtinguere concupiſcunt, oleum verò fatui inſtillantes ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque contra pietatem bello ſuſcepto, piæ veritatis robur manifeſtiùs declararunt; ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moſes, ardore ignis non eſt abſumptus, ita nec Chriſtianos impiorum bellis petitos tela hoſtium conſumpſerunt: quin potiùs ſicut lignatoribus ſyluam cædentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quàm ſint rami qui inciduntur; ita nunc quoque pijs pluribus interfectis multo plures quotidie ad doctrinam euangelicam accedebant, cruórque cæſorum corporum irrigatio quædã erat, nouis in Eccleſia emergentibus plantis.* Et paulò pòſt. *Philoſophorum facilè princeps Plato legibus iam à ſe conſcriptis, ne Athenienſibus quidem ciuibus ſuis perſuaſit, vt illarum inſtitutis remp. gubernarent non externis, non vrbanis, non villicis, non Græcis, non barbaris, non ſeruis, non liberis, non viris, non mulieribus, non iuuenibus, non longæuis, non literarum ſtudio innutritis, non denique rudibus & indoctis. Et Romani & qui non timuerunt Romanorum potentiam leges à Galilæis piſcatoribus acceperunt, & ſeſe vltrò crucifixi hominis imperio ſubdiderunt.* hactenus de pictura emblematis.

13. De lemmate, ſeu adſcripta vocula *Credo*, libet eiuſdem Theodoreti replicare verba in hanc ſententiam [a]. *Si fortè noſtrum illum credulitatis ac fidei titulum accuſatis* (Græcos alloquitur) *audio enim vos identidem vſurpare, quòd videlicet noſtris ſententijs tradendis nullam quidem prætendamus demonſtrationem, ſolam verò fidem ac credulitatem inſinuare illis conemur, quos diuinis rebus imbuendos ſuſcipimus; hoc ſanè ipſum eſt quod impudentem contra nos iniquitatem veſtram calumniámque coarguat. Nos enim veriſſimis rebus ſermones noſtros tanquã teſtibus certiſſimis comprobamus: vos autẽ rurſus hîc quoque veſtris, quod dici ſolet, iaculis ac ſagittis voſmet ipſos confoditis. Nam & celebratiſſimus ille Pythagoras, qui Italicæ ſectæ dux fuit, legẽ hanc diſcipulis ſuis ſanxit, vt perpetuũ quinquennium conticerent, ſolúmque audiendo præceptori aures accommodarent: ita vt quæ diceretur ſine vlla prorſus diſceptatione ac reclamatione admitterent,* CREDENTES *ingenuè ſe rem habere, vti dicĩ audirent, nec præterea quidquam ſolliciti quærerent, ſeu in alterutram partem dubij traherentur; ex quo factum eſt, vt qui ſemel eius diſciplinæ ſe addixiſſent, ſi fortè rerum quas dicerent, demonſtrationem poſcerentur* αὐτὸς ἔφα, *hoc eſt,* ipſe dixit, *reſpondere ſoliti fuerint, omni demonſtratione validiorem eſſe, cenſentes Pythagoricam vocem; idque ipſum alijs etiam perſuadere conantes. Quod ſi ſatis eſſe illi opinabantur ad faciendam fidem; tum qui dicebant, tum & qui audiebant, quòd ea videlicet eſſent Pythagoræ dogmata & inſtituta: quis erit adeò ſtolidus, imò, dicam veriùs, ſic attonitus, vt dubitet Deo docente, nec fidem dictis habeat, neque illi tantum reuerentiæ tribuat, quantum Pythagoræ tribuebant, qui eius diſciplinæ ſe addixerant? Plato Poëtis nugacibus pleraſque obſcœnitatum fabulas effingentibus, de Dæmonum tamen genere loquentibus, iubet haberi fidem, vtpote* (vt ipſe loquitur) *de eorum filijs,*

[a] Li. de fide.

filijs, quamquam nec ſignis vtantur, neque vllis neceſſarijs demonſtrationibus: & non ſanctius ac iuſtius erit diuinis Apoſtolis ac Prophetis credere, qui nihil turpe, nihil fabuloſum, nihil incredibile afferunt, ſed quæ ſunt Deo conuenientia, quæ ſanctiſſima, quæ ſalutaria, nobis tradunt. Idem Plato [a] ne de ſuis quidem legibus cuiquam permittit ſibi negotium inſumere, ſed ingenua fide accipi iubet quæcumque ſanctiones feruntur, neque curioſiùs eas perpendi, ſiue bene habeant, ſiue perperam, *& Chriſtianum credo,* ſtoliditatis inſimulabitur; & teſtimonia Dei, quæ credibilia facta ſunt nimis, non credentur? Quanta verò ex certa illa perſuaſione & fide Chriſtianorum lux mentibus oriatur, niſi ipſamet *fides oculus eſt mentis*, pulchrè idem Cyrenſis Præſul [b] docet; aiens venia dignos videri antiquos Philoſophos de diuinis differentes ſi eorum ignorabant veritatem quæ loquebantur, nimirum qui neque Prophetarum, neque Apoſtolorum præuio lumine ducti fuerint, ſed vnâ tantùm naturâ duce vſi ſunt, cuius impreſſa nobis olim diuinitus monumenta iniectus error impietatis deleuit.

[a] l. 1. de leg.

[b] l. 1. de fide.

Et verò ſi ad quaſlibet artes & diſciplinas addiſcendas Præceptori ſuo fides habenda eſt, quam præuiam & velut prodromam cognitio ſubſequitur, recursúſque ex cognitione deſiderium plura ſciendi oritur, & ex deſiderio inueſtigatio, & plenior ſcientia: nunquam prima elementa perdiſcet qui literatori fidem non habeat, ita eſſe primam, ita ſecundam literam appellandam, paríque ratione de cæteris intelligendum; nam ſi fortè intercedit, negétque primam literam dici *Alpha* oportere, alio autem quodam nomine vocandam eſſe, nunquam profectò bene perdiſcet, quod in re eſt, ſed errabundus circumagetur, falsúmque pro vero ſibi aſſumet: at ſi Præceptori fidem habeat, eiúſque legibus obſequendo quæ ſunt diſcenda percipiat, ipſam illico fidem cognitio & ſcientia ſubſequetur: ita & Geometræ fides habenda eſt dicenti punctum eſſe cuius pars nulla ſit, daríque etiam longitudinem quæ omni careat latitudine: idem de Aſtronomis & Medicis, adeóque etiam de ſutoribus, de agricolis, de nauium fabris, & gubernatoribus; idem de prophanis myſtagogis & hierophantis, aliiſque quarumlibet artium ac ſcientiarum magiſtris pulchrè admonet is quem ſuprà iam ſæpe laudauimus, Cyri Antiſtes [c] longa inductione hoc conficiens, quo nihil poteſt eſſe magis appoſitum ad præſentem diſputationem de fide & diſciplina Chriſtiana, quam inter ſapientiæ & eruditionis fontes hoc capite recenſui. *Eſt itaque*, inquit, *fides ceu primaria quædam baſis, & crepido ſcientiæ.* hanc porrò & Philoſophi eſſe voluerunt voluntariam quandam animi ſummiſſionem, *ſcientiam* autem habitum indeciduum cum ratione. Inſulſum eſt igitur planè facinus, nec ferendum, ſi velis cæterarum quidem cunctarum artium *Magiſtris conuenire ſcientiam, fidémque diſcentibus*; ac in ſola rerum diuinarum doctrina, factum hoc inuerti commutaríque oportere, itaut hîc fidei ſcientia præponatur. Proinde Theophylactus [d] *fidem clauem ſcientiæ* appellat, citans illud Iſaiæ [e]; *Niſi credideritis, non intelligetis*, eóque nonnulli illud Apoſtoli referunt, *Credere oportet* 14.

[c] l. 1. de fide.

[d] in Luc. 11. v. 52.

[e] c. 1. v. 9. iuxta interpret. 70. Theodor. ad Hebr. c. 11. v. 6.

oportet accedentem ad Deum quia eſt,& inquirentibus ſe remunerator ſit. Ad hoc debet homo eſſe intelligens, vt requirat Deum, inquit Auguſtinus [a]; *ſed vt intelligat debet priùs credere.* Tertullianus cauſam hanc affert cur Phariſæi interrogati à Chriſto Domino cœleſtiſne eſſet baptiſmus Ioannis, an terrenus, reſpondere conſtanter non potuerint, *vtpote* (inquit [b]) *non intelligentes, quia non credentes; nos porrò quantula fide ſumus, tantulo & intellectu poſſumus æſtimare*,&c. Eôdē pertinet quod Tertulliani diſcipulus Cyprianus in titulo capitis quinti libri primi aduersùs Iudæos habet, *non poſſe Iudæos intelligere de ſcripturis, niſi crediderint in Chriſtum*, eundem Iſaiæ locum quem mox attulimus proferens; quibus omnibus addo intelligentiæ clarum iubar, necnon diuinæ ſapientiæ ac humanæ eruditionis refertiſſimum promptuarium eundem Auguſtinum definientem [c], *priùs ſanctarum Scripturarum auctoritatibus colla ſubdenda eſſe, vt ad intellectum per fidem quis perueniat.* Id fuiſſe ſymbolicè ſignificatū in duobus Apoſtolis ad ſepulchrum Chriſti currentibus Origenes* putauit; Pétrus typus fidei ingreſſus eſt prior, Ioannes intelligentiæ apex, poſterior: denique eſto pro huius diſputationis ſynopſi pronunciatum Chæremonis apud Caſſianum [d]. *Nunquam rationem veritatis intrabit quiſquis à diſcuſſione cœperit erudiri.* Quod cùm ceteris quidem in doctrinis verum ſit, tum verò maximè in diuinarum rerum cognitione, ad quas penitiùs peruadendas fidei ſupernaturalis præcurſio neceſſaria eſt.

[a] l.15. de Trin.c.1.

[b] l.de baptiſmo c.10.

[c] l.1.c 21 de peccatorum meritis.

* Vel quiſquis eſt auctor homil. 2. in diuerſ.apud Ioannem Aluarem in Iſaiæ c 7

[d] Collat. 13. c.18.& 18. c. 13.

15. Nunquam finis ſit, ſi velim inire numerum veritatum naturalium quas diuina fides ex tenebris ignorantiæ pluſquam cimmeriis in quibus iacuerant, excitauit, minùs bene cognitas liquidiùs explicauit; de ſubſiſtentia, ſiue hypoſtaſi quàm altum apud Ethnicos Philoſophos ſilentium? de rérum creatione ex nulla præexiſtente materia; de accidentium exiſtentia abſque vllo ſubſtantiæ fulcro; de duorum corporum in eodem ſitu, quod penetrationem vocant; aut eiuſdem rei eodem tempore diſtinctis in locis, quod replicationem; de concurſu (vt loquuntur) primæ cauſæ cum ſecundis: de totius alicuius ſubſtantiæ in alteram conuerſione; déque aliis eiuſmodi pulcherrimis notitiis; (vt nihil dicam de moralibus,) quàm nulla prorſus, aut quàm tenuis non dicam intelligentia, ſed ſuſpicio, aut veſtigium in eorum libris, vel Academiis qui ex hoc admirabili fidei fonte nihil cognitionis hauſerunt. Vnde liquet quantum Eccleſiæ Philoſophia debeat, quantum Philoſophi Chriſtiani Ethnicis antecellant; quæ diſputatio præclarum fuerit Academicæ proluſionis argumentum in philoſophici curriculi ſolennibus auſpiciis.

16. In huius interpretatione emblematis longior equidem fui quàm animo deſtinaueram cùm orſus ſum, neque tamen ita me pœnitet diffuſioris diſſertationis, vt nihil dicendum ſtatuam de hac Heroina quæ in media filiorum ſuorum laniena oculis in cœlum defixis, vultúque & habitu ſigna exaggeratæ animi fortitudinis, & internæ lætitiæ argumenta præferente, nimirum de æterna ſalute charorum pignorum ſecura, ſibi Chriſtóque ſponſo gratulatur. Quænam ea ſit, iam ſuperiùs diximus,

diximus, túque facilè intelligere potes ex iis ſymbolis quæ geſtat, *Eccleſia eſt Dei viui, columna & firmamentum veritatis*; perennis & puriſſimus fons cœleſtis doctrinæ, & illius ſapientiæ, quam Salomon ſcientiam Sanctorum vocat; de qua ſapienter Irenæus, & ad rem noſtram commodiſſimè monet [a], *non oportere apud alios quærere veritatem quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli quaſi in diues depoſitorium pleniſſimè in eam contulerunt omnia, quæ ſint veritatis, vt omnis quicumque velit ſumat ex ea potum vitæ.*

Tim. 1. c. 3. v. 15. D. Auguſt. l. cont. ep. Fundam. c. 4. tom. 6.

[a] l 3. c 3 de ferè eadem c. 40. & l. 4. c 43.

Capvt V.

Sibyllæ.

Annoſa virgo in exceſæ rupis receſſu ſcribens in palmæ foliis, appictis circum eam decem liliis.

INSCRIPTIO.

Inſigne, virginitas; virginitatis præmium, diuinatio.

1. PRoximum poſt Apoſtolos & ſanctos Vates locum in ſapientiæ profeſſione Sibyllis attribuo; quia pleræque earum omnibus Philoſophorum ſectis fuerunt antiquiores; ídque vel ex eo conſtat, quòd Erythræa è decem quinto loco recenſeri ſolita, multa de Ilij excidio & Homeri mendaciis vaticinata ſit. Sapientiæ laude excelluiſſe, ipſum nominis etymon ſatis indicat: Æoles enim σιὸς Deos & βουλὴν conſilium appellant, adeò vt *Sibylla* idem videri poſſit, ac *Dei conſiliaria*, meritóque ab ipſis Chriſtianis dictæ ſint *Prophetiſſæ Gentium*, imò & Chriſtiani *Sibylliſtæ*, quòd earum teſtimonio ſæpe vterentur contra prophanos inanium deorum cultus: ex quo factum eſt, vt quia his oraculis ſuam ſuperſtitionem iugulari ſentirent Imperatores Ethnici, Chriſtianos ab ea lectione pœna capitis deterrere tentauerint, quam legem mali dæmonis artificium Iuſtinus [b] appellat, κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου, ἢ Σιβύλλης, ἢ τῶν Προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων, &c. eorum tamen fuerunt irrita conſilia, & inanes minæ, & bruta fulmina.

Orig cont. Celſ 5. Theophil. Raynaud. in theol. nat.

[b] apolog. 2.

2. Porrò licèt haud imbutæ eſſent vero Dei cultu, neque (vt Theologi loquuntur) eſſent in gratia Dei per charitatem, atque interdum etiam agitante malo dæmone vaticinatæ ſint, vnde & D. Auguſtinus [c] eas vocat *Prophetiſſas non Dei*; tamen inſtinctu diuino plurima de fidei noſtræ arcanis prædixerunt: quæ cauſa eſt, vt meritò à nobis referri poſſint inter fontes ſapientiæ. Clemens Alexandrinus [d] futura illis apparuiſſe ſcribit: nec negauit Iulianus Apoſtata [e], ídque fieri debuiſſe omnino conſentaneum erat; ſiue (vt Nicephori ore loquar [f]) *fuit diuinæ poteſtatis ad rerum futurarum certiorem conſenſum, non ſolùm per peculiares miniſtros futura prædicere, verùm ſeorſim quoque aduenis & alienis ad id vti: perinde ac Muſicus quiſpiam gratum & iucundum decantans carmen, ſuper*

[c] cōtra Fauſtum.

[d] 1. ſtr. c 6.

[e] apud Cyrillum l. 6. tex. 5. Iuſtin. in paræn. ſub finem de Cumana.

[f] 8. hiſt. cap. 19.

ſuperuacuas quoque percutit plectro chordas, aut ornatus gratiâ. ſuper eas, quæ ex vſu ſunt, alias etiam adiicit. Afflatum illum diuinum eruditè adſtruit Theophilus Raynaudus[a] contra cauponariam (vt loquitur) Caſauboni Theologiam.

[a] diſt. 5. n. 194. theol. nat.

At cur in hac tabula Sibyllam expreſſerimus in antro ſedentem, &
3. ſcribentem ſua oracula in palmæ foliis, tu conſule Bulengerũ noſtrum. Vnum dumtaxat moneo, ideo à me appicta circum iſtam ſpecum decem lilia, vt & denarium Sibyllarum numerum intelligas; & quid cauſæ ſit, quamobrem præpotens numen fatidica facultate has fœminas honorauerit: qua de re ſic D. Hieronymus[b], cuius verba niſi paulo longiora tibi videbuntur, eſſe poterunt pro lẽmate huius emblematis. Varro Sibyllas, inquit, exiſtimauit eſſe decẽ, quarum *inſigne, virginitas; virginitatis præmium, diuinatio. Quòd ſi Æolici ſermonis genere Sibylla* θεοβούλη *appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* Cæterùm non eſt audiendus Cicero[c] hæc de Sibyllinis carminibus dicens, *Qui Sibyllæ carmina conſcripſit, perfecit vt quodcumque audiuiſſet, prædictum videretur, & hominum & temporum definitione ſublatâ. Adhibuit enim latebram obſcuritatis, vt iidem verſus aliàs in aliam rem poſſe accommodari viderentur.* Ad ſummum, illud dictum Tullij verum ſit quoad ea carmina, quæ de prophanis rebus bacchantes & exhalatione temulentæ ſcripſerunt; nam quod pertinet ad myſteria Chriſtianæ religionis, de quibus locutæ ſunt, res clarior eſt quàm vt indigeat interprete: ſunt in manibus earum oracula; adeantur; liquebit. exempli gratia ſolùm eſto illa acroſtichis quâ vna earum in Chriſti Domini ſacratiſſimo nomine Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, ingenioſè & reuerenter luſit; quarum quinque vocum primariæ literæ etiam ſymbolicè Chriſtum deſignant, conflantes hanc vocem Ἰχθὺς, *piſcis*: ab hoc enim diuiniſſimo piſce omnes quotquot ſumus Chriſtiani in aquis Baptiſmi generamur.

[b] contra Iouin. l. 1. c. 26.

[c] l. 2. de diu.

Virg. 6. Æn. Plin. l. 2.

Capvt VI.

Sextus fons ſapientiæ, Ægyptus.

Duæ pyramides inſculptæ circulo, accipitre, ſcarabeo, ſtella, corde hominis, ichneumone, ſpeculo, acerrâ, falce, & ſimilibus ſymbolis apud Horum Niliacum: inter vtramque matrona auguſtô corporis cultu pedibus crocodilum premens, tranſlucido, ſeu diaphano ſipario velata, in ſiniſtra manu, papyrus nilotica; in dextra, vas cryſtallinum plenum, ſplendenti & grato oculis ſucco.

INSCRIPTIO.

E tenebris lux gratior.

1. VT multa per vitrum ſuccina pellucent ſuauiùs, ſic veritas magis delectat integumentis allegoriarum, ſymbolorum, emblematum inuoluta

D. Auguſtinus.

inuoluta; nec delectat ſolùm cùm per tranſlucentia ſiparia conſpicitur, ſed veneratione quadam intuentium ſe oculos complet. Quæ cauſa fuit, (ſi Phalereo Demetrio credimus,) cur omnia myſteria velata ſint allegoriis ad grauitatem. Certè & in Salomonicum templum iam abſolutum cùm inferretur arca, ædem ſanctiſſimam auguſtiſſimámque caligo impleuit, quibus tenebris gloria Domini obnubebatur. hoc genus eruditionis Ægyptij præcipue adamarunt, de quo ſic Cornelius Tacitus. *Primi*, inquit, *Ægyptij per figuras animalium ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ ſaxis impreſſa, cernuntur, & literarum inuentores perhibentur.* Inuentum illud ſuum ita excoluerunt, vt hæc eruditio nec indigna viſa ſit, quam Moſes ediſceret, quo nomine eum inter cætera elogia *eruditum omni ſapientia Ægyptiorum*, ſacræ paginæ prædicant, quæ *ſapientia*, qualis ſit, enucleatiùs Philo ediſſerit. *Numeros* (inquit) *Geometriam, vniuerſámque Muſicam rhythmicam, harmonicam, metricam, ſiue contemplatiuam, ſiue per inſtrumenta vocéſque promentes ſeſe modis variis accepit ab Ægyptiis Doctoribus* (quæ quidem ſcientiæ fuerunt vulgares, & promiſcuè omnibus traditæ,) & inſuper (quod hîc præcipuè agitur) *occultam Philoſophiam deſcriptam literis hieroglyphicis* (vt vocant) hoc eſt, notis animalium, quæ ipſi venerantur etiam pro numinibus, προσέτι τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῆς ζώων ἀποδοχῆς ἃ καὶ θεῶν τιμαῖς γεραίρουσι. hæc autem fuit magis recondita, & velut quiddam ſacrum, apud ſapientiſſimos ſacerdotes depoſita, vnde ἱερογλυφικὰ γράμματα ab illis dicuntur; atque ab Origene [a] ἱερατικά; nec deeſſe putabant illi cœleſtem quamdam virtutum velut præſidem, cuius numen intelligentiam affunderet diſcentibus.

Vide Midendorpium l.2.

[a] in c. 1. ep. ad Rom. & hom 1. ſuper Numeros.

Ab Ægyptiis hæc hieroglyphica ſolertia fuit poſtea propagata ad Græcos per Pythagoram, qui illam didicerat ab Ænopheo Hieropolita præceptore ſuo, cùm illuc Ægyptiacæ Theologiæ cupidus nauigaſſet. D. Cyrillus Alexãdrinus [b] fatetur illa ænigmata, & ſymbolicos characteres plurimi ingenij & grauitatis plenos eſſe, & ad augendam prudentiorum ſcientiam accommodatos; & hæc cauſa fuit cur Ægypto tanquam fonti & parenti vtilis & ſolertis diſciplinæ locum hîc dederimus. Eius iconem interpretari nihil attinet, eſt enim ex ſuperiùs dictis ſatis clara & facilis. 2.

[b] l 9 adu. Iulianum.

Ab eodem fonte profluxerunt teſſeræ ſcutariæ familiarum, emblemata in equeſtribus ludis præferri ſolita, vel in arcubus triumphalibus cælata, omníſque ſolertia gryphorum, in quibus ſcitè proponendis ac interpretandis, ineſt non modicum ingenuæ voluptatis & vtilitatis. 3.

Quamquam & huius diſciplinæ hieroglyphicæ ſemina ſparſa in Ægypto ab Abrahamo quando vixit Heliopoli cum ſacerdotibus eius gentis, veriſimile putant Alexander auctor hiſtoriæ Iudaicæ apud Euſebium, Eupolemus apud Clementem Alexandrinum [c], & Cauſſinus noſter integro volumine in hoc argumento cum laude verſatus: id eò procliuiùs crediderim, quòd nihil ſit frequentius in ſacro Inſtrumento tum veteri, tum nouo, inuolucris allegoriarum, ſimilitudinum, ænigma- 4

[c] l.1. ſtrom.

a l.5.adu. gent. de natura hominis.

tum, & ſymbolorum. Adſcribamus hîc iudicium Theodoreti [a] de Ægyptiorum diſciplinis & ſapientia, περὶ δὲ Αἰγυπτίων περιττὸν οἶμαι λέγειν· καὶ γὰρ αὐτοὶ τῶν φιλοσόφων οἱ πρῶτοι κριτὰς εἶναι τούτους ἔφασαν τῶν ὀνομαστοτάτων παρ' Ἕλλησι· ἐπαινοῦσι δὲ Αἰγυπτίους ὡς σοφωτάτους, πολλὰς γάρ τι Ἕλληνες καὶ παρὰ τούτων ἔμαθον ἐπιστήμας; *ſuperuacaneum puto* (inquit) *de Ægyptiis dicere, Princeps enim apud Græcos Philoſophi fatentur Ægyptios Græcis omnibus eſſe ſapientiores, laudant Ægyptios vt ſapientiſſimos; multas enim ab ijs Græci accepere diſciplinas.*

CAPVT VII.

Septimus fons eruditionis, Græcia.

Auguſta & ſplendenti ſpecie matrona Amaltheę cornu dextrâ ferens, ſiniſtrâ fauum mellis; ad pedes noctua.

INSCRIPTIO.

Sapiunt, quibus Attica mella non ſapiunt?

1. GRæciam puto, adeóque Ἑλλάδα τῆς Ἑλλάδος Ἀθήνας in hac imagine agnoſcis, túque meritò me reprehēdas, niſi inuentricē omniū doctrinarum (vt loquitur Romanus orator) & nutriculam bonorum in-

Cic. 1. de or. geniorum hîc conſecrauero. Inſeruimus eius dextræ Amaltheæ cornu, ſymbolum omnis eruditionis, qua inſigniter floruit. Illic enim omnigena poëſis, illic eloquentia, ibi Mathematicę diſciplinæ, ibi Lyceum, ibi Stoa, ibi Academia, illic Mineruæ, Apollinis, Muſarum omnium cunabula, & domicilia. Inde orti literarum omnium lumina & columina, Præſides, Genij, bonorum ingeniorum fontes Homeri, Pindari, Euripides, Heſiodi, Orphei, & ſexcenti alij lyrâ, ſocco, cothurno & alio genere inſignes. inde Æſchines, Demoſthenes, Thèophraſti, Iſocrates, Xenophontes, Ariſtides, Tyrij, quà dicendo, quà docendo incliti: inde parens hiſtoriæ Herodotus, & innumerabiles alij: inde Platones, Ariſtoteles, Zenones, Philoſophiæ numina; inde memorabilis σοφῶν ἔπλας eò confluere ſoliti ex omnibus partibus φιλομαθεῖς, velut ad celeberrimum emporium, & mercaturam bonarum literarum adeò locupletem, vt ex ea inanem redire, ipſis etiam Romanis viſum ſit.

2. Auguſtiore corporis palęſtra & cultu pluſquam regio, atque circumfuſam multo lumine illam exhibuimus; id ſuggerentibus duobus

b l.7. contra Iulianum in 2. Cor. 1. grauiſſimis Eccleſiæ patribus Cyrillo [b], qui *Atticam linguã haud vulgare Dei donum eſſe aſſeuerat, ſed & cum eximiâ pulchritudine vtiliſſimum*; & OEcumenio, qui cum τῆς εὐγλωττίας perfecti ſermonis & excultæ linguæ authorem efficiat diuinam ſapientiam, quæ cùm ſingulis peculiarem

Creſol. l. 2. ſect. 2. aliquem ornatum indiderit, Græcæ λαμπρότητα *ſplendorem, maieſtatémque* propriam eſſe voluit. Siniſtrâ manu fauum mellis portat, tanquam ſuauitatis

ſuauitatis Atticæ argumentum: ſermonis dulcedinem melle ſignificari tritum eſt, tum in ſacris paginis, tum in prophanis. In illis, *lac & mel ſub lingua eius*, & Cicero[a] de Neſtore, *E cuius ore melle dulcior fluebat oratio.* Verùm hac oris mellea ſuauitate præſtitiſſe Athenas innuit Rex Theodoricus, qui Senatui vrbis Romæ Felicem Conſulem commendans hæc ait [b]. *Non primis, vt aiunt, labris eloquentiam conſecutus toto ſe Aonij fonte ſatiauit*, &c. *rerum naturalium cauſas ſubtiliſſimè perſcrutatus, Cecropij dogmatis Attico ſe melle ſaginauit.* Audax metaphora, ſed quæ rem noſtram probat, at cui ſunt ignota τρώγματ' ἄττικα, *Attica bellaria, lepores Attici, & Latinus Atticiſmus*, ex interuallo reguſtandus? De noctua ſedente ad pedes ſimulacri Græciæ nihil dicam, quia nullus ignorat Athenas Græciæ caput eam volucrem præcipuè amaſſe, eâque ſignaſſe ſuam pecuniam; talem nummum argenteum apud ſe habet Laurentius Ramires de Prado, omnis ingenuæ & literariæ curioſitatis ſtudioſiſſimus (vti nos teſtes ſumus, quibus Muſeum ſuum diligenter inſpiciendum humaniſſimè permiſit, adeóque ipſe officioſiſſimè ſingula nobis indicauit) eum exhibet ex æneæ formæ prototypo c. 44. pentec. Si ſolùm, &c. vnde Gylippus ſeruus multas noctuas ſub domini ſui Lyſandri tegulis cubitare callidè dixit: Si ſolùm ob ſuauitatem Græca lingua diſcenda foret, eſſet tamen aliquod huius operæ & laboris pretium: at cùm ſit inſtrumentum ad conſequendas omnes ſcientias tum humaniores, tum ſeueriores, tum etiam ſanctiores, quandoquidem ſine illa poëſeos, hiſtoriæ, eloquentiæ, philologiæ, Mathematicarum, philoſophiæ, Medicinæ fontes adiri nequeant, necnon & ſacri codices haud ſatis intelligentia comprehendi, certè religio ſit ſi non illam didicero, cùm erit commoditas. huius peccati reum ſe confitetur D. Auguſtinus [c], quòd ab ea puer fuerit alienior: & ego ſi ſim ſexagenario maior, tamen eam diſcere nec grauabor, nec erubeſcam. Accurſius aliíque eius linguæ imperiti impegerunt in crebras ineptias in interpretatione iuris, in quo non pauca Græcè reperies.

[a] lib. de ſen.

[b] apud Caſſiod. l. 1. ep. 1.

Plato polit. l. 3.

Cic. de clar. Orat.

Plutarch. in vita Lyſandri.

[c] l. 1. conf. c. 13.

3\. Iam monuimus Athenas dictas eſſe à Thucydide ἑλλάδος ἑλλάδα, quaſi *Græciam ipſius Græciæ*. nam quod *pupilla, ſeu acies illa, qua videmus, in oculo eſt, quod ratio in mente, hoc Athenæ fuerunt in Græcia*, ſi Philoni credimus; éſtque ſanè vt credamus. Nam & D. Nazianzenus [d] *aureas illas* vocat, *atque omnium diſciplinarum procreatrices.* & D. Auguſtin. [e] *Matrem ac nutricem liberalium doctrinarum tot tantorúmque Philoſophorum, quâ nihil habuit Græcia clarius; hinc inter cætera, ob quæ Plato gratias naturæ agere conſueuerat quòd homo natus eſſet, non beſtia; Græcus non Barbarus; mas non fœmina, & hoc fuit quòd Athenienſis eſſet non Thebanus.* Hic tamen è re nata obiter obſeruatum velim, perperam gratias agi naturæ ab hoc Philoſopho, quòd natus ſit homo, non beſtia; fieri enim non poteſt vt homo beſtia eſſe potuerit, vt nec beſtia, homo. Quoad cætera meliùs philoſophatus eſt, & gratus eſſe potuit diuino numini. Lucianus [f] haud inter poſtremas felicitates Demoſthenis numerat, quòd Athenis natus ac inſtitutus ſit.

[d] in monodia Baſilij magni.

[e] l. 18. ciu.

Lactant. l. 3. c. 19.

[f] dial. de laudib. Demoſthenis.

CAPVT VIII.

Octauus fons ſapientiæ, Roma.

Romanus togatus dextrâ præferens palmam, ſiniſtrâ nauim; lunulam in calceo.

INSCRIPTIO.

Æternæ facundia Romæ.

1. EX lunato calceo & toga Senatorẽ Romanũ agnoſcis; ex palma & naui, oratorem. Fuit Roma ſi non inuentrix bonarum artium, at certè omnis prorſus literaturæ feliciſſima excultrix; verùm oratoriæ facultatis admiraculum. Ac licèt Fabio Quintiliano [a] viſum ſit, Latinam facundiam inuentione, diſpoſitione, conſilio, cæteríſque huius generis artibus, Græcæ prorſùs diſcipulam videri: tamen ſcimus diſcipulos haud paucos ſuis præceptoribus nihilo fuiſſe minores. M. Tullius in Latina lingua habuit Magiſtrum Lucium Plotium natione Gallum, patriâ Lugdunenſem; Ariſtoteles habuit Platonem in Philoſophicis; quis eſt tamen tam ſtolidè væcors qui neget præceptores iſtos potuiſſe ſuperari à ſuis diſcipulis, nedũ ęquari? Vnũ vltrò conceſſerim circa eloquendi rationem vix eſſe Latinis Græcos imitandi locum, vt de ſermonis Græci opulentia taceam; ſunt enim Græcis nonnullæ literæ quarum ſonus longè dulciſſimus eſt, támque ſuauiter ſpirantes, vt continuò tanquam ſi mollior aliquis Zephyrus nectar aſpergat, tota oratio ſuauiſſimè renideat. Nihilominus tamen ſi pondus & grauitatem, ſi ſuccum & neruos, ſi vim eloquentiæ æſtimas, quemadmodum Scipio, Lælius, & Cato in loquendo velut *Attici Romanorum* fuerunt; ita ex Græcis ſi qui erunt in præmouendis affectibus *Romani Atticorum,* profectò rem magnam facient. Græci præſtant Latinis gratiâ, iucunditate & copiâ ſermonis; Latini rerum inuentione pugnant, & ſublimitate ſenſuum. Non poſſumus eſſe tam graciles, (inquit Fabianus) ſimus fortiores: ſubtilitate vincimur, valeamus pondere: proprietatis apud illos eſt certior copia; vincamus ingenio: Græcorum etiam minora ſuos partus habent, nos plerumque maioribus velis moueamur; validior ſpiritus noſtros ſinus tendat.

[a] c. 10. l. 12.

Quintil. ibid

2. Palmam oratori attribuimus, eſt enim ſua eloquentiæ victoria; cui proinde nec ſua deeſſe debent honoris inſignia. Elegans eſt carmen incerti auctoris de palma forenſis eloquentiæ,

——licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub iudice bella mereri;
Hinc quoque ſeruati continget gloria ciuis,
Altaque victrices intextent limina palmæ.

Vide Martial. l. 7. epig. 27. Iuuen. ſat. 2. v. 118.

Siniſtrâ

Siniſtrâ manu præfert nauim, ſymbolum eius poteſtatis quam in hominum affectus exercet; quos nunc attollit ad ſydera, nunc deprimit ad tartara, nunc certâ ſpe ad Orientem promouet, nunc deſperatione retrahit ad Occidentem; nunc immotos in Meridie ſtatuit, nunc incenſos, pluſquam Arctoo frigore ſopit, & extinguit, nunc ad fletum & miſericordiam deducit; demum in quamcumque vult partem circumagit. Orator enim tanquam alter Æolus

Luctantes ventos tempeſtatéſque ſonoras
Imperio premit; Lucian.

& ceu Vlyſſes rediuiuus ventos omnes in vtre incluſos circumfert ſecum, habétque pro comitatu βροντὰς καὶ ἀστραπάς; nec imperium modò, ſed mitem in hominum pectoribus videtur conſtituiſſe tyrannidem: & quemadmodum Plato Hebræus [a] dixit *in Auditorum mentibus tanquam Noëmus beſtiis arca incluſis imperat.* Corpus (inquit) hæc arca ſignificat, quòd neceſſariò capit affectionum vitiorúmque innumeras peſtes: has autem vir bonus dicendi peritus vinclis & carcere frænat. De hoc argumento iterum infrà *lib.* 2.

[a] lib. de plāt. Noe.

3. Ne tamen vrbis Romæ laudibus obtrectare videamur, dum Romanam eloquentiam hîc ſolummodo prædicamus, reliquis ſcientiis prætermiſſis; apponamus dictum Plinij [b]: *Plures vna gens Romana in quocumque genere eximios tulit, quàm cætera terra.* Et Fabij Quintiliani[c], cuius eſt iſta vox, *nuſquam plura & maiora quàm in ciuitatis Romanæ monimentis reperiri*, videlicet ex iis, quæ ad virtutem & diſciplinas pertinent. Eſto

[b] lib. 7. c. 30.
[c] l. 12. c. 2.

——*Tradiderit victas victoribus artes*
Græcia, facundum ſed malè forte genus. Ouid. l. 3. faſt. in Martio.
tamen——*Si Romani penſantur eâdem*
Scriptores trutinâ, non eſt quòd multa loquamur:
Venimus ad ſummum fortunæ, pingimus, atque
Pſallimus, & luctamur Achiuis doctius vnctis. Horat. l. 2. Ep. 1.

Vis ſuper hac re inſigne Græci hominis grauiſſimum teſtimonium. Is eſt Theodoretus[d]. *Apud Romanos profectò* (inquit) *& poetæ & oratores, & hiſtorici viguerunt, vtque illi aiunt qui in vtraque lingua verſati ſunt, multo prudentiora ſunt Romanorum, quàm Græcorum auctorum inuenta, multóque breuiores ſententiæ. neque idcirco à me id dictum exiſtimari velim, quòd Græcorum idioma deterendo attenuem, cuius ipſe aliquomodo ſum particeps; neque quo ſecus ac debeo altrici meæ præmia nutritionis perſoluam: ſed quo tumentiores eorum buccas deprimam, ſupercilia deijciam, qui nimium plus Græco idiomate gloriantur, &c.*

[d] l. 5. de natura hominis.

CAPVT IX.

Nonus fons ſapientiæ, Magi Perſarum.

Perſa mitratus, candida ſtola redimitus, ſuſpenſum in fictili vaſe ignem intuens.

INSRIPTIO.

INSCRIPTIO.

Σοφοὶ μὲν, ἀλλ' οὐ πάντα.

1. MAgorum vitæ rationem habes apud Diogenem Laërtium [a], & Briſſonium [b]. Nos hoc loco ea ſolùm attingimus quæ ad eorum diſciplinas pertinent. fuiſſe autem *Magos*, Perſarum *Sapientes*, docent D. Chryſoſtomus [c], Clemens Alexan [d], Cyrillus Alexandrinus [e], Theodoretus [f], Leo Papa [g], Strabo. [h] Μάγους σοφίᾳ τινὶ διαφέροντας, *Magos ſapientiâ præſtantes*, honore & imperio affectos ait. Suidas, Μάγοι inquit [i] παρὰ Πέρσαις, οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόθεοι, & Appianus eodem loco fuiſſe ait apud Perſas Magos, quo Brachmanes apud Indos, hoc eſt, μετεωρολόγους καὶ σοφούς: imò Plato apud Apuleium [k] eorum diſciplinam appellat θεῶν θεραπείαν. Philo Iudæus [l] τὴν μὲν οὖν ἀληθῆ μαγικὴν, ὀπτικὴν ἐπιστήμην οὖσαν, ᾗ τὰ τῆς φύσεως ἔργα τρανωτέραις φαντασίαις αὐγάζεται, σεμνὴν, καὶ περιμάχητον δοκοῦσαν εἶναι, οὐκ ἰδιῶται, ἀλλὰ βασιλεῖς διαπονοῦσι. *Veram quidem illam magiam, hoc eſt, perſpectiuam ſcientiam, cuius ope naturæ opera cernuntur clarius, vt honeſtam expetendámque non plebeij, ſed Reges exercent:* tum ait, ex hac ſcientia adulterata & deprauata deſcendere quas maximè proprio vocabulo *malas artes* dicimus circulatorum, ariolorúmque ſtudia, ac mulierum mancipiorúmque expiationes luſtrationéſque profitentium; mutationéſque amoris in odium, aut è conuerſo in amorem odij per quaſdam potiones amatorias, & incantamenta idonea; atque his dolis inuncant ſimpliciſſimum quemque, donec in calamitates ingentes pertrahant; vt nonnunquam magnæ familiæ cognationéſque paulatim ſidendo ſine ruinæ ſtrepitu intercidant; ex quo euenit vt *Magi* vox, quæ olim Perſis honori fuit, videlicet quæ Philoſophum, aut etiam ſacerdotem ſignificet, hodie infamis ſit. Certè Orpheus [m] conqueritur quòd homines ſapientiæ ſtudioſi *Magi* appellentur, Ἐπωνυμίαν λαοὶ τεύξουσι Μάγοι.

[a] l. 4.
[b] l. 2. de regno Perſ.
[c] homil. 6. in Matth.
[d] 1. ſtrom.
[e] in Iſ. 49. or. 4. l. 4.
[f] 5. hiſt. 39.
[g] ſerm. 1. in Epiph.
[h] l. 1.
[i] l. 2. de bell. ciuil.
[k] Apolog.
[l] lib. 10.
[m] lib. de Cupid. 6.

2. Itaque Magiam naturalem profeſſi, ideſt, ſcientiam rerum naturalium, & earum virtutum quibus poſſent ad morbos depellendos, aliáque id genus quæ vulgò mirabilia videntur, neque tamen vires naturæ ſuperant, inter *ſapientes* dedicantur in hac Bibliotheca, & referuntur inter fontes ſapientiæ: quandoquidem hos Perſarum Magos ipſos etiam Pythagoras adiiſſe perhibetur beatæ vitæ comparandæ cauſâ; cuius ſtudio ardebat; quod & Empedocli & Democrito, & Platoni contigit, exiliis verius quàm peregrinationibus ad eos ſuſceptis, vt loquitur Plinius [n], & reuerſi quam didicerunt facultatem prædicauere, & in arcanis habuere. Necnon & Apollonius Tyaneus hanc cauſam ſuæ in Perſide commorationis affert σοφίαν. Quamquam valde ſuſpicor, ne ſæpe non fuerint limpidi & illimes iſti Magicæ ſapientiæ fontes, quandoquidem eorum plerique qui fuerunt eò profecti diſcendi gratiâ intra naturæ fines non ſtiterint; ſed ad eam Magiam declinauerint, quæ ope dæmonũ & carminibus inſolita patrat; & hanc longiſſimè ab iſtis ædibus excludimus lib. 2. capite integro. Quæ Magorũ ſcientia ſi incõtaminata ſit & impolluta malis artibus, ſanè expetenda eſt, & adeunda.

Cic. lib. 5. fin.
[n] lib. 30. c. 1. Philoſt. l. 5. de vita Apoll.

3. Quod ad picturam attinet; nullum latet, (opinor) *mitram & ſtolam*

ſtolam fuiſſe Perſarum propria. De ſuſpenſo igne in vaſe fictili tantùm poſſet eſſe aliqua difficultas; non quidem quòd ei conſeruando non præpoſiti fuerint Magi; id enim liquet ex Strabone [a], & Phœnicio Colophonio [b], aliiſque: ſed quòd aſſeruetur in vaſis fictilibus, non autem in focis & altaribus. At morem innuit Valerius Maximus [c], Lilius Gyraldus [d], additque Dempſterus [e] de ſuſpenſione, eóque faciliùs crediderim, quia ille ignis putabatur eſſe origine cœleſtis; nec niſi de cœlo poſtea reaccendebatur, ſi contingeret extingui: ſed hæc ſunt alterius loci propria. Epigraphe verò quid indicat? Mitto ſenſum Apollonij, cuius illa eſt, ac ſolùm dico, Magos iſtos Perſas potuiſſe quidem eſſe præditos illa ſecretiore ſapientia, quæ naturæ ſecreta penetrat; tamen haud omnia eius arcana fuiſſe complexos. Nam noua naturæ miracula, & prorſus incognita æuo ſuperiori, quotidie experientiâ & caſu Magiſtris, patefiunt. In commendationem Perſici ſermonis ac ingenij pulchrè Theodoretus [f]. *Non deſunt*, inquit, *qui Græcæ elocutionis venuſtatem ſuperent argutâ breuitate ſermonis. hoc enim de Perſica natione & antiqui ſcriptores teſtantur, ſi quiſque præterea, vel exercitus Imperator, vel legatus, vel mercimoniæ causâ in eorum fines profectus, cum eis diuerſatus ſit. Aiunt enim illos argutè nimium deprehendere omnes loquendi ſtrophas, dictiſque breuiſſimis colloquentes reuincere, eoſdémque eſſe diſputatores quammaximos; quæque ab aduerſarijs implicentur argumenta, ſolere ab illis citra moram vllámque difficultatem facilè ſolui. Prouerbijs quoque vti eos affirmant ſapientia plenis altiſſimiſque ænigmatis. non quòd Chryſippi labyrinthos Ariſtoteliſque cognouerint, quódve illos genus hoc eruditionis vel Socrates, vel Plato, vel Demoſthenes edocuerint; neque enim Rhetorum ſermonibus Philoſophorúmve intenti fuerunt; ſed naturâ duntaxat Magiſtra vſi ſunt. Ipſos autem Indos multo quàm Perſæ ſunt, ſapientiores eſſe teſtantur.* De Indis *cap.* 12.

[a] lib. 15.
[b] apud Athen. l. 12.
[c] l. 4. c. 4. in fine.
[d] Synt. gent. deor. 17.
[e] in c. 12. Roſini antiq. Rom. l. 2.
[f] l. 5. de natura hom.

CAPVT X.

Decimus fons ſapientiæ, Chaldæi.

Pingatur Chaldæus amplâ & talari veſte, promiſſâ barbâ, tiarâ inſignis: alterâ manu ſphæram, alterâ librum gerens, in aperto agro.

INSCRIPTIO.

Ipſe vocat noſtros animos ad ſydera mundus. Manil. l. 4. ſub finem.

1. HOc habitu quo ferè Orientales vſi ſunt, his ſymbolis Chaldæum exprimimus. In tiara ſolùm poſſit eſſe nónihil dubitationis, cùm ſemper exiſtimata ſit Perſarum propria, vt apud Claudianum [g],

Te linguis variæ gentes, miſſique rogatum

[g] l. de Honor. conſ.

V *Fœdera*

Fœdera Perſarum proceres cum patre ſedentem
Hac quondam videre domo, poſitáque tiarâ
Submiſere genu.

[a] Carm. 2. v. 251. & Sidonius [a],

Interea te Suſa tremunt, ac ſupplice vultu
Flectit Achemenius lunatam Perſa tiaram:

[b] in cap. 5. Dan. Tamen D. Hieronymus [b] me docuit hoc ornamenti genus Chaldæos quoque geſtare conſueuiſſe. Tiara (inquit) eſt genus pileoli quo Perſarum, & Chaldæorum gens vtitur. Adnumeramus Chaldæos inter fontes & principes ſcientiarum, licèt Fauorinus Philoſophus Romæ Græcè diſſerens ampla atque illuſtri oratione (exercendíne, an oſtentandi gratiâ ingenij, an quòd ita ſeriò iudicatóque exiſtimaret, [c] c. 1. l. 14. Gellio [c] non ſatis liquet) contenderit eorum diſciplinam tantæ vetuſtatis non eſſe, quantæ videri volunt; neque eos eius principes auctoréſque eſſe quos ipſi ferunt; ſed id genus præſtigiarum atque offuciarum commentos eſſe homines æruſcatores, & cibum quæſtúmque ex mendacio captantes: tamen Plinius Belum Regem Babyloniæ, [d] l. 6. c. 25. quæ (vt ait [d]) Chaldaicarum gentium caput eſt, inuentorem ſyderalis [e] lib. 7. c. 55. ſcientiæ facit; idémque ex Epigene [e] refert apud Babylonios ſeptingentorum triginta annorum obſeruationes ſyderum coctilibus laterculis inſcriptas: ex quibus ſatis conſtat, quàm antiqua ſit apud Chaldæos Aſtrologia, quandoquidem & à Belo profecta eſt, & iam eo tempore exculta, in quo primùm ſcribi cœptum in laterculis, quâ materiâ nulla prior adhibita eſt excipiendis literis. Vide Ioſephum l. 1. antiq. c. 4.

2. Ita ſiquidem res habet (inquies:) at tu non aduertis non poſſe Chaldæos ſine ſcelere dedicari in hac Bibliotheca, vtpote *vaniſſimæ artis, occupatiſſimæ vanitatis, inutilis atque impoſſibilis, vanæ, falſæ ac ridiculæ,* atque ab Eccleſia proſcriptæ profeſſores: exercitati enim ſyderum ſcientiâ (ait Philo [f]) omnia tribuebant ſtellarum motibus, à quibus credebant diſpenſari mundi potentias, quæ conſtant ex numeris eorúmque proportionibus, &c. Quin & Horatius [g] eos adire vetat: D. Baſil. in hexaëm. D. Ambroſ. D. Chryſoſt. [f] lib. de Abrah. [g] lib. 1. od. 11.

Tu ne quæſieris ſcire (nefas) quem mihi, quem tibi
Finem dij dederint, Leuconoë, nec Babylonios
Tentaris numeros, vt melius, quidquid erit, pati.

Per Babylonios illos numeros, illam diſciplinam intellige, quam Genethliacam appellant, cuius Magiſtri *Babylonij* vocantur à Marco [h] 2. de diu. Tullio [h]. *Nam quod aiunt* (inquit) *quadringenta, aut ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiendíſque pueris quicumque eſſent nati Baby-* [i] lib. 1. *lonios potuiſſe, fallunt.* & alibi [i], *contemnamus etiam Babylonios,* &c. Om- [k] c. 1. lib. 14. nium copioſiſſimè Fauorinus apud Gellium [k], ſummâ facundiæ copiâ & venuſtate, vt caueamus ne iſti ſycophantæ ad faciendam fidem adrepant, quòd videantur interdum quædam vera effutire, aut ſpargere. nam *interdum* (ait) *multa tentando incidunt repentè imprudentes in veritatem,* &c. *Iſta autem quæ aut temerè, aut aſtutè vera dicunt, præ cæteris quæ mentiuntur, pars non eſt milleſima. Denique aut aduerſa euentura dicunt, aut proſpera: ſi dicunt proſpera & fallunt, miſer fies, fruſtrà expectando;*

ſi

ſi aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtrà timendo: ſi verò reſpondent ea quæ ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fiat; ſi felicia promittunt, ea quæ euentura ſunt, tum planè duo erunt incommoda, & expectatio te ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam præflorauerit: nullo igitur pacto eſt vtendum iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus. Ad hæc reſpondeo, verum quidem eſſe Chaldæorum appellatione cenſeri omnes Babyloniorum ſapientium ſectas, vt obſeruat Xiſtus Senenſis [a] ex prophetia Danielis, Ariolos, Magos, Maleficos, Haruſpices & Aſtronomos, ſeu Mathematicos; quatuor primas penitus deteſtandas pronuncio; quintam ea ex parte reprobo, quà iudiciariis & decretoriis illis effatis vtitur, atque (vt loquitur Philo) *prophana opinione creaturam Creatori ſimilem facit*, aſtríſque aſſignat euentus & naſcendi leges. At ſi ſolam cœli inſpectionem obiicis, & motus & menſuras & coniunctiones ſyderum, defectiones Solis & lunæ, & rerum quarundã prædictiones, qua re Chaldæi in paucis præſtantes fuerunt: ego florem hominum doctorum libans, eos pari iure poſſum recenſere inter ſcientiarum parentes, quo Athenienſes Beroſo Aſtrologo ob mirabiles prædictiones publicè in Gymnaſio ſtatuã inauratã linguâ ſtatuerũt. Cæterùm quotquot ſunt inter Chaldæos qui conſilia hominũ, varias voluntates, appetitionéſque & declinationes, & fortuitos repentinóſque in rebus leuiſſimis animorũ impetus receſſúſque moueri agitaríque deſuper è cœlo putant: vt planè homines nõ λόγικα ζῶα, ſed ludicra & ridenda quædã neuroſpaſta eſſe videatur, qui nihil ſua ſponte, nihil arbitratu ſuo faciant, ſed ducentibus ſtellis & aurigantibus; illos faceſſere iubeo ex hoc loco, eorúmque diſciplinam laudabilius ignorari, quàm ſciri pronuncio; niſi fortè diſcatur eâ mente à ſapientibus, qua Daniel eam didicit, & qua Salomon dedit cor ſuum, vt ſciret prudentiam atque doctrinam, eroréſque ac ſtultitiam; quomodo Medici ſalutares affecto corpori ſuccos, ſimúlque venenatos & peſtilentes norunt: *Diſcunt enim iſta* (ait Hieronymus [b],) *non vt ſequantur, ſed vt iudicent & conuincant.*

[a] Bibl. l. 2. Dan. c. 1. v. 4.

Plin. l. 2. c. 7.

Idem l. 7. c. 37.

Fauorinus ibidem.

[b] in Eccl. 1.

CAPVT XI.

Vndecimus fons ſapientiæ, Druidæ.

Senex veſte amictus candidâ auro pictâ, & talari: collum monilibus, brachia & manus armillis ornata, caput querneâ coronâ redimitum, dextrâ falcem auream tenens.

INSCRIPTIO.

Et eſt Rex qui ſapiens eſt.

Horat. l. 1. Sat. 3.

I.

HVius picturæ interpretationem ſuppeditabunt qui de Druidibus fuſiùs diſſerunt, Cæſar [c], Plinius [d] & Tacitus: eos vtrùm in hac

[c] de bello Gall. l. 6.

[d] l. 16. c. 44.

Bibliotheca ponerem inter ſapientes anceps nonnihil fui ; licèt enim eſſent ingenio acri,& non vulgari ſcientia præditi ; quippe qui immunes à militia & tributis, atque in diſciplinam conuenientes multa verſuum millia diſcere conſueuiſſent: tamen quia nefas eſſe apud illos exiſtimatum eſt diſciplinam ſuã libris mandare,ne efferretur in vulgus,néve librorum copia occaſio eſſet negligentiæ in diſcendo:proinde librorum oſores non mihi videbantur digni, qui collocarentur in librorum domicilio,ſeu Bibliothecis. Veruntamen & hi Gallorũ ſapientes quandoquidẽ non malo animo abſtinuerunt à libris,ſed potiùs ſtudio acuẽdæ ſuæ ſedulitatis & induſtriæ ; placuit eorũ quoque facere mentionẽ.

2. De Druidarum ſtudio,& ſapientia hæc habet Strabo [a] ,Belgarum ſapientes referens : apud Belgas vniuerſos ferè tria ſunt hominum genera,quæ in ſingulari honore habentur. Βάρδοι μὲν καὶ Ουάτεις, καὶ Δρυΐδαι. Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ, καὶ ποιηταί. Ουάτεις τε ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι. Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. *Bardi , Vates , & Druidæ. Bardi hymnos canunt,& poëtæ ſunt : Vates ſacrificant , & naturas rerum contemplantur. Druidæ verò præter Philoſophiam,etiam de moribus diſputant.* De horum iuſtitia ſumma eſt omnium opinio; ob quam probitatis , ſtudij, eruditionis,& ſapientiæ famam(inquit Dio Chryſ. [b]) *Celtarum Regibus nihil licitum eſt facere,vel conſulere ſine illis:vt ita ſi quis verum dicat , illi regnent; Reges autem illorum ſententiæ ſint miniſtri & ſerui, licèt in thronis aureis ſedeant,magnáſque domos habitent,& ſumptuosè conuiuentur.*

[a] lib.4.
[b] orat.49.

CAPVT XII.

Duodecimus fons ſapientiæ , Gymnoſophiſtæ.

Senex ſeminudus, altero ſtans pede ſolem intuens.

INSCRIPTIO.

Noſcant ſolem homines , quibus eſt ſol mentis in ipſis.

Manil.l.4. ſub finem.

1. DE hoc hominum genere ſic Tullius [c] ,*Quæ barbaria Indiâ vaſtior, aut agreſtior? in ea tamen gente hi qui ſapientes habentur nudi ætatem agunt. Caucaſi niues hyemalémque vim perferunt ſine dolore; cùm ad flammas ſe applicauerint , ſine gemitu aduruntur.* hoc certè in illis ſtupendum quòd ſtudioſiſſimè à voluptatibus , præſertim venereis , quibus hominum vita atque ingenium corrumpitur,abſtineant. Ab exortu ad occaſum perſtantes ſolem contuentur immobiles , feruentibus arenis , toto die alternis pedibus inſiſtunt. plura de eorum vita & inſtitutis qui volet,adeat Porphyrium & Apuleium : nos, quæ conueniunt noſtro inſtituto,ex iiſdem proferemus.

[c] 3.Tuſc.
S.Aug.l.15. de ciu.
Plin.l.7.c.2.

2. *Gymnoſophiſtæ*,ſiue iſti *Indiarum* ſapientes diuiduntur in Brachmanes & Samoneos ; quorum illi ex vna ſtirpe oriundi,iſti ad ſapientũ Collegium vndecumque adleguntur. σέμνοι eos vocat Clemens Alex. [d] de quibus ſic D.Chryſoſt.*Brachmanes priuatim conueniunt ſtudéntque : aiunt illos*

[d] ſtrom. c.6.
or.35.

illos habere peculiarē vnum FONTEM, *nempe* VERITATIS *omnium optimum & diuiniſſimum, quem nunquā guſtant ij qui repleti ſunt.* Rurſus de ſtudio gymnoſophiſtico & occupationibus homine ſtudioſo dignis, ob quas merētur aliquem inter ſapientes locum, hæc Apuleius[a]. Gens eſt apud Indos præſtabilis, Gymnoſophiſtæ vocantur. hos ergo maximè admiror, quòd homines ſunt periti non propagandæ vitis, non inoculandæ arboris, non proſcindendi ſoli: non illi norunt aruum colere, vel equum domare, vel equum ſubiicere, vel ouem, vel capram tondere, vel paſcere. Quid igitur eſt? vnum pro omnibus norunt, *Sapientiam percolunt, tam magiſtri ſenes, quàm diſcipuli minores.* Nec quidquam apud illos æquè laudo, quàm quòd torporē animi & otij oderunt, &c. Addit & de Brachmanibus Dio Chryſoſtomus quiddā iſtis ſapientiæ profeſſoribus valde honorificum. Indi (inquit) Regibus Aſſeſſores & Principes inſtituerunt Brachmanas continentia iuſtitiáque excellentes, atque erga diuinitatem amicitia: vnde magis futura ſciunt, quàm alij homines ipſis præſentia. Auguſtiorem & venerabiliorem reddebat Brachmanū Philoſophiā modus quo ipſi eos qui ſe tradebant in diſciplinam, probabant; nam (Strabone teſte[b]) iubebant candidatos ſuos vſque ad trigeſimum ſeptimum ætatis annum tacere, carnibus & Venere abſtinere, frugaliter viuere: ſi pati id nollent, eos vt ineptos ad percipiendam philoſophiam reiiciebant. horum Indiæ ſapientium Princeps fuit *Iarchas* ille celebris, qui in aureo ſolio philoſophabatur eo tempore, quo Apollonius ibidem ſtudiorum causâ degebat: vt autem diſcipulos ſuos ad amorem pudicitiæ & honeſtatis inducerent, matrem & altricem bonorum ingeniorum & ſapientiæ, Buddam illum ſuum, quem virtutis & ſublimioris doctrinæ auctorem & velut Deum venerabantur, prodiiſſe in auras aiebant præter humanum naſcendi morem ex virginis latere, vt Mineruam ſapientiæ præſidem ex capite Iouis Laudabile in ea gente fuit, quòd multi & aſſidui erant in iuuentutis educatione, eáque imò & parentibus ad omne officij genus inſtituendis: adeóque liberi non tam videbantur parentum eſſe, quàm ipſorum. Ad eos cùm appuliſſet Alexander, & periclitādi gratiâ decem ex illis ſapientibus ad decem interrogata reſpondere coēgiſſet, cumulatè ſibi ſatisfactum teſtatus eſt: &, quod Egeſippus refert[c], quàm illuſtre? Cùm moriendi affectum induebant (hoc eſt, morti proximi) velle ſe diſcedere proteſtabantur. quaſi Philoſophorum ſit mortem non timere, ſed ſponte velle ex hac vita migrare.

[a] l.1. florid.
[b] l.15.
Euſeb l.5. contra Hieroclem.
Clem. Alex. ſtrom.
Strabo l.17.
Ioan. Bohemus l.2. de morib gentium c.8.
Clem Alex. l.6. ſtrom.
[c] l.5.c.53.

SECTIO VI.

Præcepta emblematica, ſeu emblemata præceptiua pingenda in cælo Muſei.

COELVM Bibliothecæ ſi erit extructum, vti ſuprà illud deſignauimus, videlicet emblematis excipiendis areâ idoneâ, hunc 1.

in modum pingi poterit.Totũ in plures paucioréſve areolas pro maiori, vel minori amplitudine,opere topiario,quadro hexagono,vel rotundo deſcribes.opere topiario (inquã,) quia virides toruli inter ſingulos puluinulos intergerini grati erũt oculis;eaque deſignatio opportuna eſt,& apprimè conueniens Bibliothecis,quæ ſunt conſiti quidã horti floribus bonorum ingeniorum, ſicut ſuprà dictum eſt.Res autem erit belliſſima ſi tota deſcriptio fiet ex buxo conciſa,vel tonſa , myrto, aut alia perenni viriditate,cuius artificium ingenio pictoris relinquimus : noſtrarum partium erit illi ſuppeditare,& ſtylo delineare quædam emblemata,quę in paratis areis venuſtè exprimat; ídque efficere , vt ea non ſolùm ſint ornamento , verùm etiam documento omnibus ſtudioſis ad ſtudia literarum condignè & decorè tractanda : quæ proinde appellare placuit *Præcepta emblematica, ſeu Emblemata præceptiua.* Non oberit præceptum emblemati,neque emblema præcepto ; quin potiùs à ſe inuicem vim & elegantiam accerſent.Erunt emblemata inſtar amenti , quo haſtæ præceptorum contorquebantur fortiùs: erunt præcepta emblemati , quod mel eſt ceræ , quo nihil ſalutarius. Erunt ſibi inuicem quod gemma in aureo anuli vmbilico ; iſta ſuo nitore illius ſplendorem, iſte ſuo ſplendore illius nitorem excitabit,addéntque ſibi inuicem maius pretium.

CAPVT I.

Tempus vtiliter impendendum.

EMBLEMA I.

Clepſydram alatam liber ſupra cubum poſitus alligatam retinens.

Nulla difficilior ſcientia.

MOnitum eſt omnibus ſtudiòſis perquam ſalutare. *Mirum* (inquit Seneca [a] ,)*re omnium pretioſiſſima luditur, vix eſt qui tempus æſtimet.* quæ culpa in omnibus quidem reprehendenda eſt ; at in hominibus qui nullo non momento meliores effici poſſunt,eſt prorſus intolerabilis.*Vtimur tempore ſegniùs, & cuilibet illud petenti damus , quaſi nihil demus, cùm tamen hoc vnum ſit , quod ne gratus quidem poſſit reddere.* Profuſionis cauſa hæc ſola eſt, quia rei fluxæ iactura videtur leuis. Num fallor?imò quia ipſi animo fluxiore ſumus & remiſſo ; & piget iniecta manu velociſſimæ rei moram facere. Nihil ſciet vnquam, qui huius rei ſcientiam non erit conſecutus:longè plurima ſciet,qui continuò illam profitebitur. Quam velim trium verborum meminerimus quotquot demus operam ſtudiis literarum , *Præteruolat , arripe, ſerua.* huius rei poſſeſſio noſtra eſt,& auaritia laudabilis. Non memini me videre hominem inſigniter doctum,qui temporis non fuerit parciſſimus. Aldus Manutius ſenior,vt occupationibus ſuis conſuleret,atque amicorum importunas licèt officioſas ſalutationes & confabulationes ſummoueret, Muſei ſui oſtio

1. a de breu. vitæ.

oſtio hæc inſcripſit, *Quiſquis es, rogat te Aldus etiam atque etiam, vt ſi quid eſt quod à ſe velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas: niſi tanquam Hercu-* Vol.10.l. 3. *les defeſſo Athlante veneris ſuppoſiturus humeros: ſemper enim erit quod & tu* theat. vit. *agas, & quotquot huc attulerunt pedes.* Sic tempus æſtimabat Criticus ſuæ hum. ætatis doctiſſimus, & laborioſiſſimus in emendandis veterum exemplaribus, Græcis præſertim, atque in ſcribendis ad amicos eruditis epiſtolis aſſiduus.

Capvt II.

In publicis Muſeis quò plures ſtudij gratiâ conueniunt, minimè confabulandum.

Emblema II.

Harpocrates, ſiue Sigalion.

Vt loqui diſcas.

Mvtorum Magiſtrorum (ſic Gellius [a] libros nominat) diſcipulos 1. eſſe volo *σιωπηλοτέρους τῶν Πυθαγόρᾳ τελεσθέντων, taciturniores quàm qui* [a] l.14.c.2. *Pythagoræ ſunt initiati*: neque ſolùm illis quinquennij *ἐχεμυθίαν* præſcribo; ſed quandiu in Bibliotheca fuerint, perpetuam. Tibi ſi ſolus es in priuato Muſeo, haud erit difficile tacere, niſi cum laruis ſermonem miſceas: at cùm in publica Bibliotheca ſtudes, in quam plurimi conueniant, Harpocrati ſacra religioſè facito, memor te non eſſe in tonſtrina, vbi loquaces & importuni anſeres, Architæ crepitacula, & vocales citeriæ perpetuò blaterant: ſed in eo loco vbi muti diſcunt tam altè vocem attollere, vt eos vniuerſus orbis exauditurus ſit. Itaque ne importuniùs obſtrepito aliis in hoc literario ſacrario operãtibus, ſed quietè & ſilentio cum iiſdem Mineruæ facito. Neu velis eſſe inferior pica, Pierius l. cæteroqui moleſtæ loquacitatis. Contigit Romæ vt quædam auditis hierog.23. c.17. ęneatoribus penitus cõticuerit, atque aliquot dies meditabũda ſummo Plut.lib.de ſilentio, quaſi muta & elinguis permanſerit, repentè velut expergefa- anim. pructa tubarum clangorem, ſonum, numerós, ſummâ omnium admiratione dentia. reddidit in officina tonſoris ad Græcoſtaſim: vides quid præſtet tempeſtiuum ſilentium, & quantopere feriò meditantes adiuuet; & hoc præceptum diſce ex Harpocrate puero, quem modeſtè ſedentem, & os digito prementem tibi exhibuimus, qui, quàm luculentum ſymbolum ſit adoleſcentis literarum candidati, eius ortus ex Iſide, id eſt, Mineruâ, ſatis indicat; vt & appictus arcus, pharetra, gallus, noctua, ſerpens circumplicatus in crinibus, Luna corniculata in ſumma fronte, patula auris in Gorop. Becertice, olim Cadmi diſcipulos *ἀφ' οὗ χάρταν Ἑλλὰς ἔχει στολίδα, à quo libro-* canus l.4. *rum ſcribendorum Græcia vſum habet*, conſueuiſſe collocare hoc ſymbo- hierogl. refert, & explilum in ſuarum ſcholarum primo veſtibulo, vt admoneret intrò ſubeuntes, liberalium artium ſtudioſis legem ſilentij eſſe debere antiquiſſimã, cat eius iconem.

non

non ſolùm (ait D. Bernardus) vt tacentes loqui diſcant; verùm etiam ne alios ſimul ſtudentes interpellent. dum enim ſuis linguis fauebunt in Bibliotheca, alienis quoque auribus & linguis fauebunt. Meminerint inſuper quod ſcitè Plato dixit Antiſtheni in diatriba longam orationem habenti, ὅτι τοῦ λόγου μέτρον ἐστὶν, οὐχ ὁ λέγων, ἀλλ' ὁ ἀκούων, *loquendi modum non eſſe penes loquentem, ſed penes audientes*, quos ſi in Bibliotheca interpellas, inurbanè facis, meritóque dicere tibi poſſim quod iuueni quidam in Academia de ineptis & intempeſtiuis quibuſdam rebus loquenti dixit Zeno, γλῶσσαν εἰς νοῦν ἀποβρέξας διάλεγε, *linguâ in mentem intinctâ diſſere*; & caue cenſearis inter eos quos idem dicebat λογοφίλους, μὴ δὲ φιλολόγους, *loquendi, non autem ſciendi ſtudioſos*. Inſcribe animo Solonis præceptum, & cùm pedem in Bibliotheca poſueris, replica illud σφράγιζε τοὺς μὲν λόγους σιγῇ, τὴν δὲ σιγὴν, καιρῷ. *ſermonem obſigna ſilentio, ſilentium verò occaſione*, addo καὶ τόπῳ, & loco.

Stobæus ſerm. 3.

CAPVT III.

Paulatim acquirendam ſcientiam.

EMBLEMA III.

Manus ex vrnâ aurea aquam inſtillans, & replens vas cryſtallinum: altera manus in vas ſimile aquam vbertim effundens, nec replens.

Inſtillo, repleo: infundo, effundo.

I. OCcaſionem huic emblemati dedit Fabius Quintilianus monens Magiſtros ne onerare velint infirmitatem diſcentium, ſed temperare vires ſuas, & ad intellectum audientis deſcendere: nam, *vt vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillatis complentur; ſic animi quantum accipere poſſint, videndum eſt*. Documentum iſtud etiam ad prouectiores pertinet, qui niſi meminerint inſtillari non infundi eruditionem, tempus & operam perdent. *Vitioſum eſt vbique quod nimium eſt*, nimiis imbribus

Sen. ep. 41.

Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota iacent, longíque perit labor irritus anni,
Sit perennis vnda, non torrens.

Solem velociſſimum omnium eſſe ſcimus, nemo tamen noſtrûm videt moueri, nec ire crederemus, niſi appareret iſſe. Mundum præcipiti celeritate labentem, & ortus occaſúſque intra momentum temporis reuoluentem nemo noſtrûm ſentit procedere: ita in ſtudiis prius nos profeciſſe ſentimus, quàm proficere; & licèt citato feramur greſſu, ſi tamen profectum noſtrum cernere oculis, & digito tangere volumus, fallimur. Feſtinandum, ſed lentè; neque ad propoſitum locum peruenitur vnquam, niſi priùs decurſo illo ſpatio quod intermedium eſt. *Vites arboribus*

arboribus applicita inferiores priùs apprehendendo ramos in cacumina ſenſim Quintil. 1.
euadunt. Veriſſimè olim Coryna apud Pindarum, τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, instit. c. 3.
ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ, *manu ſerendum eſſe, non toto ſacco.*

CAPVT IV.

Futilibus ſtudiis abſtinendum, in leuibus non immorandum.

EMBLEMA IV.

Orator in ſuggeſtu, pumilionis ſpecie, in ſolo ſterili inter raras, humiles, & propè aridas lauros: idē Gigantis ſtaturâ inter altas viridéſque, & perpulchras in optimo ſolo conſitas.

Hic me ipſo maior: hic me ipſo minor.

PRonunciatum eſt inter oratoria palmare, eligendum eſſe oratori argumentum cum quo non colluctetur, ſed quod naturâ ferax ſit & ſucci plenum: macra enim & exigua ſola cùm diu multúmque illa exercueris, deſeruntur à cultoribus laboris impatientiâ. Præclarè Manilius [a], ——*facile eſt ventis dare vela ſecundis,* 1. [a] l. 3.

Fœcundúmque ſolum varias agitare per artes,
Auróque atque ebori decus addere, cùm rudis ipſa
Materies niteat, &c.
At mihi per numeros, ignotaque nomina rerum
Temporáque & varios caſus, momentaque mundi
Luctandum eſt, &c.

De pinguibus & ſuapte ſponte nitentibus fundis, vix vnquam malum nuntium audias; vix eſt vt labori fructus non reſpondeat: *difficile eſt in paruis rebus magnum eſſe.* Id cauſæ affertur à Cicerone Gallico Guillelmo du Vair, quamobrem eloquentia forenſis multum obſoleuerit; quia grandiores & illuſtriores erant cauſæ in Athenienſi & Romano foro, quàm hac ætate ſint apud nos; videlicet defenſiones & accuſationes virorum illuſtrium; conſultationes de grauiſſimis rebus, de bello gerendo, conſtituenda pace, mittendis, vel admittendis legationibus, & eius generis permulta quæ fiebant ab oratoribus: non enim ſolus auditor ſtudium oratoris excitat, ſed etiam argumenti maieſtas. Quid tandem aſſequeris vbi copioſè dixeris de culice? quos motus excitabis, quas admirationes?

Me haud quidem latet dictum eſſe à Tullio, *nihil eſſe tam horridum, & tam incultum quod non ſplendeſcat oratione & excolatur*; verùm ea oratio vix peragrat per animos Auditorum; ſenſus duntaxat leniter pertentat, euolátque tam celeriter, vt vim quidem & incitationem quandam aſpicias, veſtigia prorſus poſtquam orator dicere deſierit, non videas. Eſto; parua illa & humilia argumenta grandioris ſtyli ſublimita- 2.

te & viribus, collocentur in altiſſimo faſtigio; nihilominus tamen Sen. ſemper parua erunt, *vt eos nequaquam dixeris magnos eſſe & diuites, quibus ſceptrum & chlamydem in ſcena fabulæ aſſignant, & qui præſente populo elati & cothurnati incedunt; nam ſimul ac exierunt, ad ſtaturam redeunt.* Amplum & magnificum argumentum infantiam per ſeſe eloquentem facit; per quam oratori difficile eſt in ſumma rerum pulcherrimarum copia inopem eſſe & ieiunum. Apage puerilia crepundia ab ore oratoris: apage leuia quædam choragia fabellarum & nugarum, quibus ornandis religio ſit addibere artium reginam Eloquentiam. Nam ſicut excelſis mentibus natura metari ſolet digna corporum domicilia; ſic auguſta hæc heroina non immoratur in tricis quibuſdam, & rebus nihili: res eius generis Horatius [a] vocat

[a] l. de arte.

——*verſus inopes rerum, nugáſque canoras.*

Certè præpoſterè facere mihi videntur illi, & prorſus naturæ repugnare, qui adulteratam aliquam gemmam, vel rudem & impolitam cryſtallum delicato annulo aureo includunt: peccant quotquot lutulentas & compitalitias aquas in aureis, in Arabicis, in murrhinis cantharis aſſeruãt; nunquã enim tinctura vel ſubiecta bractea cryſtallũ mutabit in adamantem; nunquam vaſis elegantia & pretium lutũ mutabit in balſamũ.

3. Ridiculum eſt aliquid multo fucatum verborum lenocinio ponere in prima commendatione apud auditores, qui ſciant illud eſſe vile & contemptum. Turpe eſt difficiles habere nugas; & ſtultus labor eſt ineptiarum. Tranſlucent illæ laudes, támque tenues ſunt, vt per inuolucra illa & fucum, næui & notæ earum rerum, quæ laudantur, appareant. Vetulæ quædam ſunt edentulæ, vietę, exſuccę, pendentibus genis, bucculẽtæ, ſuffuſis tetro ſanguine oculorum orbibus, madidíque infantiâ naſi, rugis exaratæ, aduſtæ, retorridæ, quæ tamẽ ita lomento, ceruſsâ, minióque lacunas frontis genarúmque replent, ita pigmentis excitant vultus colorem qui iam prorſus expirauit, ita ſe muliebri choragio decorant, vt præbeant ſe liberaliter deridendas illis, qui vultum earum ſine perſona laruáque conſpexerunt: norunt enim adſcititiam illam venuſtatem vehementiore afflatu vaneſcere, lacrymulæ riuulo, aut diductiore riſu ſolui inductam cuti cruſtam, & deformitatem omnem prodi. Haud ſecus euenit quando orator res paruas conatur grandes verbis efficere; nam cùm Auditoribus explorata ſit earumdem rerum exilitas, nullo modo perſuadetur; ſed nugiuenduli circulatoris plenam vanitatis loquacitatem ridet. Poëtarum potiùs ſunt, culicum, pſittacorum laudationes, ranarum & murium certamina: vel certè eorum hominum ſtudia, qui videri ſolùm volunt diſerti, elegantes & feſtiui; vera autem & germana eloquentia vix in iſtiuſmodi argumentis occupatur, ſicut ἀετὸς οὐ θηρεύει τὰς μύιας, *aquila non capit muſcas.*

Mart. l. 3. epigr. 66.

4. Eligatur itaque argumentum quod animum alliciat, & ſcribentem iuuet. & in quo orator ſe ipſo maior ſit. Si tale argumentum habuerit aliquid laboris, labor ipſe amabitur.

Mart. l. 2. epigr. 93.

In ſteriles campos nolunt iuga ferre iuuenci,
Pingue ſolum laſſat, ſed iuuat ipſe labor.

CAPVT

CAPUT V.

In illud præſertim ſcientiæ genus incumbendum, ad quod quiſque fuerit naturâ propenſior atque aptior.

EMBLEMA V.

Canis leporarius leporem, moloſſus ceruum inſequens.

Ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι. Pindar. Olym. hym. 1.

DIcere ſolebat Seuerus Caſſius maxima ingenia vix pluſquam in vno opere eminere; Virgilium illa felicitas ingenij in oratione ſoluta reliquit; Ciceronem eloquentia in carminibus deſtituit. Orationes Salluſtij in honorem hiſtoriarum leguntur: eloquentiſſimi viri Platonis oratio quæ pro Socrate ſcripta eſt, nec patrono, nec reo digna eſt: hoc non ſolùm ingeniis, ſed etiam corporibus videmus accidere, quorum vires non ad omnia quæ viribus aguntur, aptæ ſunt: illi nemo luctando par eſt; ille ad tollendam magni ponderis ſarcinam præualet, ille quidquid apprehendit non remittit; ſed in procliue vehentibus vehiculis moraturas manus iniicit. Ad animalia venio; alij canes ad leporem, alij ad aprum, alij ad ceruum faciunt: equorum non omnium quamuis celerrimi ſint, idonea curriculis velocitas eſt. Quidam equitem meliùs patiuntur, quidam iugum; Pylades in comœdia, Batyllus in tragœdia multùm à ſe aberant, Numenio cùm velocitas pedum non concedatur tantùm, ſed obiiciatur, lentiores manus ſunt. Quidam cum Oplomachis, quidam cum Threcibus optimè pugnant; quidam cum ſcæua componi cupiunt, &c. 1. Sen contr. l. 3. contr. 1.

2. Ingeniorum haud melior conditio: neſcio cui tantum natura indulſit, vt in duplici facultate omnino excelleret. Sciebat vincere Annibal, vti victoria neſciebat, quia non omnia eidem Dij dederunt; τέχναι τ' ἑτέρων ἑτέραι, *Artes aliis aliæ*, dixit Pindarus, & Homerus [a]

[a] in Numeia.

———δ' ἄρα πῶς ἦν

Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

Hactenus non contingit vt vnus idémque omnibus in rebus emineret. Proinde cuilibet homini, præſertim verè ſtudioſo tenendum præceptum Pindari, ἐν τι γὰρ ἄλλαι ὁδῶν ὁδοὶ φερταίτεραι, μία δ' ἅπαντας ἄμμε θρέψει μελέτα. *Aliæ viæ aliis ſunt conducibiliores, nec omnes idem alet ſtudium.* Quiſque igitur exploret Genium ſuum & ingenium, atque ad illud adhæreſcat, ad quod ſe magis aptum eſſe animaduertet.

———*Non omnis fert omnia tellus.*

non eſt noſtrarum virium euadere in verticem rerum omnium ſublimium; multum eſt, ſi in vnius. *Qui vbique eſt, nuſquam eſt.* Nunquam mihi placuerunt ardeliones, qui tum maximè inſcitiam ſuam prædicant, cùm profitentur omnia ſe ſcire: dubius color, decolor eſt. Satius

ſit vno penitus imbui, quàm multis leuiter aſpergi. Malim eſſe bonus Auletes, quàm malus Citharœdus. Canis tamen, moloſſus ceruum ſequitur, vt aſſequatur & capiat. *Metiri ſe quemque decet*, & vbi cognouerit,

Quid valeant humeri quid ferre recuſent,

a 1.off. illud arripere, cui par erit. Itaque (ait Tullius [a]) ſtudia noſtra naturæ regulà metiamur; nec enim attinet quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas.

CAPVT VI.

Literarum amanti ſeceſſus literarius amandus.

EMBLEMA VI.

Paſſer ſolitarius in rupibus; atque haud procul Caſa limine laureato in amœno loco, poëtici ſeceſſus indicium.

Nullibi ſuauiùs.

1. NOtum auiculæ ingenium, & ſolitudinis amor, vnde & *ſolitarius paſſer* vulgò dicta; ſolet enim nidificare in deſertis rupibus. Eius formam exhibet Aldroandus, qui aſſerere nec dubitat canorum eſſe ob magnum pretium quo emitur in Italia. Camerarius in ſymbolis omnino aſſerit; Bellonius verò refert Franciſco Gallorum Regi adeò placuiſſe huius auis cantum, vt reliquos ferè reſpueret: eſt enim ſuauiſſimus, & diu noctúque perpetuus, maximè verò ad lumen candelæ. Aptiſſimum hominis ſtudioſi ſymbolum, qui apud animum ſuum ſtatuere debet nunquam ſe canturum ſibi & orbi ſuauius quàm cùm ſolus erit in ſeceſſu, & tacitæ per amica ſilentia noctis in Muſeo ad lucernam. Ob id Muſæ Parnaſſi montis iuga delegerunt ad habitandum; & Palladem antiquitas μυνίαν appellauit. Emblema iſtud conuenire ſtudioſis hominibus, indicatur *ſolitaria domo*, cuius limen laureatum poëtæ alicuius domicilium eſſe innuit.

Ornith. l. 16. c. 7. 8. 9.

ibidem c. 9.

CAPVT VII.

Quotidie operæ literariæ nonnihil à ſe exigendum.

EMBLEMA VII.

Pictor vultu ſubtriſti, inclinato iam die iuxta abacum, ſiue tabulam putam.

Diem perdidi.

1. NOta eſt Imperatoris beneficentiſſimi vox, diem ſe perdidiſſe arbitrantis ſi nulli benignè feciſſet. *Amici diem perdidi.* Idem à nobili pictore

Suet. in Tito.

pictore dictum memorant, quòd vno die nihil pinxiſſet. Transferamus hoc ad rem noſtram; & dictum meminerimus omnibus literarum, & ſtyli candidatis, ſi erunt ſui profectus ſtudioſi.

Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit. Ouid.

Veriſſimè dixit Erycius Puteanus & eleganter. *Stylus* profectò *niſi manum exarantis quotidie tabellámque literarum impleuerit ſulcis, eniteſcere non poteſt. Scribendum eſt vt ſcribas, & iugi exercitatione opus, vt fructum ingenij colligas. Debes pertinaci cultu quicquid ſperas vrgere.*

CAPVT VIII.

Ætate, vel dignitate prouectis, de nouo aliquid diſcere nequaquam erubeſcendum.

EMBLEMA VIII.

Crater Ægyptiorum factus in modum vberis.

Grandes hanc ſugere mammam neu pudeat.

POculum iſtud quod apponimus non eſt ille calix ex electro quem Helena Mineruæ ſacrauit, mammæ ſuæ menſurâ, de quo Plinius [a]; ſed *patera eruditionis* propinantis lac ſuis candidatis, quem morem fuiſſe apud Ægyptios teſtatur Apuleius, vt myſtæ hauſto tali poculo ſapientiæ initiarentur. Eò alluſiſſe facilè crediderim Iſaiam [b] his verbis, *quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus*; vt idem ſit *ſugere* atque *addiſcere.* Idem perſuadet Chaldæus interpres ſic locutus [c]: *ſugemus tecum ſententias legis, ſicut ſugit infans vbera matris ſuæ*, qua de re Pineda noſter [d]. 1.

Non ſum neſcius Canopum ideo fuiſſe figuratum ab Ægyptiis in modum poculi reticulati *; hauddubiè vt indicarent elementario puero maturè proponendam eſſe eruditionem quantum ferre ætas poteſt. Tamen mammoſam illam pateram ſapientium ſugere, non eſt quòd etiam prouectiores pudeat: quia quo plura didicerint, eò liquidiùs intelligent plura ſupereſſe quæ diſcant. Obiter hîc admonendi quotquot lac eruditionis & ſapientiæ ab aliis ſuxerunt, neu velint in magiſtros ſuos ingrati ipſorum mammas mordere, vel vngue lancinare. Noluit Deus (inquit Philo) [e] infantes cum dentibus naſci, *Ne fontes vberum per quos alimenta deriuantur, vexarent inter ſugendum.* Qui genuinum figunt, in doctrina ſuorum Magiſtrorum & canino proſcindunt eos, quos velut quædam numina venerari deberent, illi tanquam viperinus partus vterum parentis lacerant; digni quibus par iniuria ab aliis poſtea inferatur. 2.

[a] l 33. c. 4.

[b] c. 28.

[c] Cant 8.

[d] c. 28. de reb. Salom.

* cum exhibet Gorop. Becanus lib. 7. hierogl. pag. 110.

Vgo Carenſis in c. 1. Prou.

[e] lib. de ſpecialib. legibus.

CAPVT IX.

Præmiis & honoribus ſtudia literarum alenda.

EMBLEMA IX.

Myrothecium Darij, Homerothecium.

Tibul. *Pieridem heroes doctos & amate Poetas.*

1\. Curr. DArio Perſarum Rege profligato captóque, & aureis catenis vincto, miles Macedo obtulit Alexandro victori ſcriniolum quoddam, quod ex direpta hoſtis gaza ſibi obtigerat, materia & artificio tam elegans & magnificum, vt nulla pars prædæ ei conferenda eſſet. Munus illud cùm diutiùs Alexandri oculos & mentem tenuiſſet, petiit Rex à purpuratis ſuis, ecquid Darius aſſeruare in eo conſueuerat? Regia vnguenta (inquiunt.) Tum Alexander; mihi verò erit deinceps non μυροθέσιον, ſed Ὁμηροθέσιον. Profectò Alexander vel ob ſolum iſtud factum dictúmque digniſſimus eſt poëtarum omnium commendatione; vt viciſſim poëtæ ac viri docti digniſſimi ſunt Principum fauore & gratiâ.

2\. Alexandri ſi plures ſint, omnino plures quoque ſint Homeri.

Mart. lib. 10.
Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliúmque tibi vel tua rura dabunt.

Intereſt ſanè non ſolùm Poëtarum, verùm etiam Mæcenatum, ſuos eſſe Muſarum cultoribus honores & præmia, vt & illi ſtudioſiùs canant, & iſti canantur ſublimiùs. hoc admonet emblematis inſcriptio ex Tibullo petita,

Tibul. in Eleg.
Pieridem heroes doctos & amate Poëtas,
Aurea nec ſuperent munera Pieridas.
Carmine purpurea eſt niſi coma; carmina ni ſint
Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur, &c.

Artemiſia heroina inuictiſſima atque haud paucis Regibus ſuperior quà belli, quà pacis artibus, epotis Mauſoli viri ſui cineribus amoris vehementiâ, atque effecta viuum ſpiránſque eius ſepulchrum, cùm Mauſoleum dedicaret ἀγῶνα, ſiue certamen laudibus mortui dicundis fecit, poſuítque præmia pecuniæ, aliarúmque rerum bonarum ampliſſima. Id cauſæ fuit cur ad eas laudes decertandas venerint viri nobiles ingenio atque lingua præſtabili, Theopompus, &c. imò & ipſe Iſocrates cum iis certaſſe dicitur. Quis non expectet opera perfecta ingenio, & induſtriæ viribus elaborata, tantorum præmiorum ſpe, & laudis cupiditate ſcriptores ſtimulantibus. Celebris eſt in Cæſareis conſtitutionibus ea quà Fridericus Imperator [a] plurimas eáſque eximias immunitates, & prærogatiuas adoleſcentibus degentibus in Academiis ſtudij gratiâ, conceſſit, multas atque grauiſſimas dati illius diplomatis cauſas afferens literarum profeſſioni perhonorificas.

Valer. Max. l. 4. c. 6.

Gell. l. 10. c. 18.

[a] auth. habita C. ne fil. pro patre. Horatius Lucius Callienſis tract. de priuilegiis ſtudentium.

CAPVT

CAPVT X.

Quæ ſcribuntur, ſollicitiùs ſunt elaboranda.

EMBLEMA X.

Liber cubo impoſitus.

Ratum & perenne.

QVidquid mandatur chartis, ideo perfectum ingenio, elaboratum induſtria, conſentaneum veritati, *ratum* atque haud pœnitendum eſſe debet, quia *perenne* eſt, & iudicium oculorum grauius eſt, quàm aurium, ſique tibi aliquid exciderit, poſſit tecum agi prolatis tabulis. Ideo M. Antonius orator rogatus quid cauſæ eſſet cur nullam orationem literis committeret? quia *nullam* (inquit) *legi volo.* Sed enimuero cur? quandoquidem ea polles dicendi facultate vt omnia veniant tibi in mentem, eaque ſuo quæque loco vbi plurimum proficere & valere poſſunt, atque vt ab Imperatore equites, pedites, leuis armatura, ſic à te in maximè opportunis orationis partibus collocantur, vel ipſo teſte Tullio; quid igitur non ſcribis edenda in lucem? *Ne ſi ego* (reſpondet) *quidpiam vel oſcitabundus, vel iratus, vel imprudens, vel aliter affectus ſcripſero, reuocare illud & inficiari non poſſim.* Sanè præpoſterum (verbo abſit inuidia) mihi videtur eſſe hac in parte tuum iudicium Marce Antoni. potiùs ne quid pœnitendum dicas, ſcribendum eſſet. Nihil eſt enim procliuius dicenti extempore atque imparato, qualem te ſemper fuiſſe Tullius [a] ſcribit, quàm labi verbo, & in æſtu dicendi multa dicere, quæ ſedatior indicta velles. Antonio ſapientiores fuerunt Senatores & Legati quotquot ſentẽtias, vel ſuæ legationis formulam recitabant, vt ratum eſſet quod dicerent, & ne lingua mentem occuparet. De Auguſto ſcribit Suetonius [b], neque in Senatu, neque ad populum, neque ad milites locutum eſſe vnquam niſi meditata & compoſita oratione; ſermones quoque cum ſingulis, atque etiam cum Liuia ſua grauiores, non niſi in ſcriptis atque è libello habuiſſe. Verbum illud quod calamo loquimur & libris committimus conſueuiſſe ideo bonum eſſe quòd ſcribatur, aut ſcribi, quia bonum eſt, purpuratus Vates innuit [c], *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi; lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* ediſſerat nobis hanc entheati Regis orationem Auguſtinus. *Quæro* (inquit) *quare linguam calamum dixit eſſe ſcribæ velociter ſcribentis? mihi videtur quantum audet humana intelligentia & hoc poſſe accipi ex perſona Patris dictum: Lingua mea calamus ſcribæ; quia quod lingua dicitur, ſonat & tranſit; & quod ſcribitur, manet: cùm ergo dicat Deus verbum, & verbum quod dicat non ſonet, & tranſeat, ſed vt dicatur & maneat, ſcriptis hoc maluit Deus comparare quàm ſonis.* Nos itaque vt rerum ſcriptarum perennitatem & conſtantiam ſignificaremus, poſuimus *librum in cubo*, cum hac epigraphe, *Ratum & perenne*, & magnopere auctores fumus, 1.

[a] in Bruto. Vide Langlæum l. 6. c. 5. otij ſemest.

[b] in Aug. c. 84.

[c] Pſ 44.

mus, vt vix quidquam quod tantuli ſit momenti dicamus, quin priùs ſcribatur. Nam vſus docet breuem illam in ſcribendo moram efficere, vt rata habeamus quæ diximus, nec nos pudeat ea eſſe perennia. In multis rebus religio planè ſit parcere labori ſcribendi ea quæ dicturus
[a] l. 12. c. 9. ſis. De patrono hæc Quintilianus [a], digna quæ grandi charactere in omnibus foris & ſacris pulpitis ſcribantur. *Afferet ad dicendum curæ ſemper quantum plurimum poterit, neque enim ſolùm negligentis, ſed & mali & in ſuſcepta cauſa perfidi ac proditoris eſt, peius agere quàm poſſit. Ideòque ne ſuſcipiendæ quidem cauſæ plures, quàm quibus ſe ſuffecturum ſciat. dicet ſcripta quàm res patitur plurima, &, vt Demoſthenes ait, ſi continget, & ſculpta.*

Capvt XI.

Honeſta æmulatio ad profectum perutilis.

Emblema XI.

Sidentes in arboribus luſciniæ, & cantum amicâ æmulatione alternantes.

Ouid. *Qui velit ingenio cedere rarus erit.*

I. [b] lib. 10. c. 29. LVſciniam audire tibi videberis ſi Plinij [b] elegantiam deſcribentis garritum laſciniarum inter ſe de præſtantia cantus certantium audies. *Luſciniis* (inquit) *diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus ſine intermiſſu cantus denſante frondium germine, non in nouiſſimum digna miratu aue: primùm tanta vox in tam paruulo corpuſculo, tam pertinax ſpiritus: deinde in vna perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuſcatur ex inopinato, interdum & ſecum ipſe murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi viſum eſt vibrans, ſummus, medius, imus; breuiter omnia tam paruulis in faucibus quot tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit: ac ne quis dubitet artis eſſe, plures ſingulis cantus nec iidem omnibus, ſed ſui cuique. Certant inter ſe, palámque animoſa contentio eſt: victa morte finit ſæpe vitam, ſpiritu priùs deficit antequam cantu. Meditantur aliæ iuniores, verſúſque quos imitentur, accipiunt: audit diſcipula intentione magna & reddit, vicibúſque reticent. intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehenſio: viſum iam ſæpe iuſſas canere cœpiſſe, & cum ſymphonia alternaſſe; ſicut homines repertos qui ſonum earum additâ in tranſuerſas arundines aquâ foramen inſpirantes linguæve paruâ aliquâ appoſitâ morâ indiſcretâ redderent ſimilitudine. Sed eæ tantæ támque artifices induſtriæ à quindecim diebus paulatim deſinunt, nec vt fatigatas poſſis dicere, aut ſatiatas.* Hæc Plinius, vnde emblematis ſumpſimus argumentum, vt indicaremus vix eſſe inter homines ſtudioſos qui alteri velit cedere ingenio; & mirum in modum acui diligentiam in ſtudiis æmulatione & concertationibus academicis.

Aptè

Aptè oratores & poëtas per luſcinias ſignificari vna omnium ſcri- 2.
ptorum conſenſio eſt. Plinius [a] ait, *non dubium eſſe ſuauitatem poëſeos præmonſtratam efficaci auſpicio, cùm luſcinia in ore Steſuari cecinit infantis; quem validum fuiſſe ingenio, materiæ quoque oſtendunt, maxima bella & clariſſimos canentem duces, & Epici carminis onera lyrâ ſuſtinentem: reddit enim perſonis in agendo ſimul & loquendo debitam dignitatem, ac ſi tenuiſſet modum, videtur æmulari proximus Homerum potuiſſe.* Cyneſiæ poëtæ apud Ariſtophanem [b] ſumma votorum eſt fieri luſciniam, ſic inquit,

[a] ibid.

Quintil. l. 10. c. 1.

[b] in auibus.

> Ὄρνις γένεσθαι βούλομαι
> Λιγύμφωνος ἀηδών.

Auis fieri volo canora luſcinia. Et chorus apud Euripidem [c] Græcis exprobrans nullius criminis reum Palamedem dolo Vlyſſis cæſum, *luſciniam* eumdem Palamedem vocat, quòd eſſet inſignis Aſtrologus, Philoſophus, ac poëſim etiam calleret.

[c] in Palamede.

> Ἐκτάνετ᾽, ἐκτάνετε τὰν πάνσοφον ὦ Δαναοὶ
> Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα Μουσᾶν.

Occidiſtis, occidiſtis ô Danai innoxiam Muſarum luſciniam. Vanus Kiranides ait cor luſciniæ adhuc palpitantis ſi quis cum melle glutierit, & aliud cor eiuſdem auis cum lingua portauerit; orationis & canoræ vocis ſuauitatem atque fauentes Auditores habiturum. Nugæ.

Apud Cauſ. lib. 6. de ſymb.

Nec ſolùm poëtas luſcinias appellari reperio, ſed & quoſlibet *eruditos libros*, quorum perpetuâ modulatione & cantu, nullâ temporum 3.
diuturnitate intermorituro orbis vniuerſus reſonat, vt dicere poſſis *Bibliothecas eſſe quoddam Muſarum auiarium, vbi vocales paginæ canoro ſilentio modulantur.* ita Callimachus [d],

> Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων
> Ἁρπάκτης Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.
>
> *Luſciniæ vſque tuæ viuent, quibus inuida natum*
> *Omne vorans nunquam Parca manum iniiciet.*

[d] Epigrãmate in Heraclium Elegiacum ſcriptorem.

De iiſdem Academicis contentionibus & conflictu diſputationum iterum ſequenti capite. Hoc loco ſolùm monendus es, nos per literariam hanc contentionem quam commendamus, non intelligere vel puerorum inter ſe rixantium iurgia & clamores cum æqualibus, vel maleuolam aliquam mentem & inuidiam & virulentiam, quæ præſtantiſſimos quoſque inſectatur; ſed honeſtam motionem & agitationem animi quæ generoſas indoles acuit, perficítque, vt æquare ſe velint aliis, atque in omni laude & induſtria pares eſſe. Ex eo concurſu ingeniorum emicant elaboratiſſima opera, cùm ſeſe totæ vires exerunt & connituntur vehementiùs laceſſitæ & quaſi irritatæ alienis ſtudiis & laudibus, & æmulorum conatibus retardatæ: tum enim præſtantia ingenia, quaſi perruptis, vel ſuperatis aggeribus ac obicibus fluuij, feruntur rapidiùs; non pigebit hîc obſeruare Syros & Babylonios à concertatione quæ veritatis indagandæ gratiâ inſtituitur, Academias ſuas vocare conſueuiſſe *Cuniecbiam.*

Iacob. Mi- kndorp. l. 1. c. 7.

CAPVT XII.

Ex liberali ingeniorum conflictu veritas purior, & eruditio probatior.

EMBLEMA XII.

Duo galli gallinacei depugnantes in arena Mineruâ ſpectante.

Marcet ſine aduerſario virtus.

1. TImon ſolitâ dicacitate Alexandrinum Muſeum appellauit *caueam vimineam*, irridens Philoſophos, qui in eo alebantur velut aues pretioſæ, τὸ Μουσεῖον τάλαρόν που φησὶν, ἐπισκώπτων τοὺς ἐν αὐτῷ τρεφομένους φιλοσόφους· ὅτι ὥσπερ ἐν πανάργῳ τινὶ σιτεῦνται, καθάπερ οἱ πολυτιμότατοι ὄρνιθες, Multi paſcuntur in Ægypto populoſa pugnantes libris, & ſemper digladiantes Muſarum in cauea. Nonnus [a] acrem diſputatorem qui omnium argumentorum vim facili negotio infringat, ſic deſcribit :

Athenæus l.1.interpretat. [a] in Dionyſ. l.13.

Ἔγχος ἔχων στόμα θοῦρον, ἔπος ξίφος, ἀσπίδα φωνήν.

Pro haſta habet os promptum, ſermonem pro gladio, pro clypeo vocem, vt Sidonius dixit,

Doctus ſoluere vincla quæſtionum,
Et verbi gladio ſecare ſectas.

2. Sed redeamus ad caueam auiariam. Genus illud auium cui Timon confert literarios iſtos gladiatores, videntur eſſe galli, de quorum pugnaci natura ſic Plinius [b], *Imperitant ſuo generi, & regnum in quacumque ſunt domo, exercent. Dimicatione paratur hoc quoque inter ipſos, veluti ideo tela agnata iuribus ſuis intelligentes, nec finis ſæpe niſi commorientibus. Quòd ſi palma contingit, ſtatim in victoria canunt, ſéque ipſi principes teſtantur; victus occultatur, ſilens ægérque ſilentium patitur. Et plebs tamen æquè ſuperba graditur ardua ceruice criſtis celſa, cœlúmque ſola volucrum aſpicit crebrò, in ſublime quoque caudam falatam erigens: itaque terrori ſunt etiam leonibus ferarum generoſiſſimis.* Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publicè editur, ceu gladiatorum: id quoque exhibitum Athenis à Themiſtocle Perſis ſuperatis Ælianus refert. Et Philo [c] hæc habet. *Miltiades Imperator Athenienſium quando Rex Perſarum excito Aſiæ robore tam multa millia traiecit in Europam, quaſi ad primum clamorem oppreſſurus Græciam conuocatis in Panathenaicum conuentum ſociis, pugnantes oſtendit gallos gallinaceos, ratus hoc ſpectaculum maiorem vim habiturum ad eos permouendos, quàm orationem. Nec eum ſua fefellit opinio, ſpectatâ enim in brutis patientiâ pertinacíque contentione vſque ad necem pugnantibus, inuicto pectore correptis armis eam expeditionem ſuſceperunt, quaſi debellaturi cum ingenti ſtrage hoſtium, contemptis mortibus & vulneribus, vt ſaltem inſepelirentur libero ſolo patriæ. Nihil enim æquè ad rem grauiter gerendam excitat, ac deteriorum*

[b] lib.10.c.21.

Idem ibidem.

[c] lib. quòd omnis probus liber.

riorum victoria maior quàm ſperari poterat. Solennis gallorum gallinaceorum certaminis etiam Ion Poëta Tragicus meminit his verbis.

Nec iam corpore vtroque & ocello
Ictibus obtuſo, ille fatiſcit
Robore, ſed latenter gemiſcit,
Et viuus ſeruire recuſat.

Et putamus viros ſapientes non libentiſſimè ſeruituti prælaturos interitum; aut æquum cenſemus iuuentutem magnanimam in virtutis certamine cedere gallinaceis, vt vix ſecundum gradum obtineat? Nec gallos ſolùm, ſed & cothurnices ibidem componi ad certamina ſcripſit Lucianus [a], idémque factitatum ab Seueri filiis Herodianus eſt auctor. Quin & hac ipſa ætate mos eſt in multis Grammaticorum ſcholis gallos committere ad certamen; aptiſſimum ſymbolum literariæ æmulationis, & earum diſputationum, quæ inſtitui ſolent inter Symmiſtas, imò etiam inter eruditionis Antiſtites: quà diſſenſione condiuntur mutuæ voluntatum conſenſiones, vt loquitur D. Auguſtinus; diſſentit enim etiam homo interdum à ſeipſo, & ex hoc ingeniorum atque opinionum conflictu veritas elicitur tanquam ex lapidum conflictu ignis. Philo Iudæus [b] laudat Moſem quòd cùm Aſſyriorum literas, Chaldæorum & Ægyptiorum ſyderalem ſcientiam diſceret, intactus à contentionibus, veritatem quærebat: quippe qui nihil præter eam admittebat; longè aliter quàm quidem pèruicaces, qui accepta ſemel qualiacumque dogmata obſtinatè defendunt, ſiue probata, ſiue improba, more cauſidicorum mercenariorum ius & æquum negligentiũ. Apponamus hìc iudiciũ Ioannis Pici Mirandulani de his concertationibus ita ſtatuentis. Proſunt diſputationes quę placido animo ad veſtigandam veritatẽ priuatis in locis exercentur, at illæ obſunt plurimum, quæ in propatulo ſine ordine fiunt ad captandam populi auram atque imperitorum applauſum, víxque poteſt fieri vt honoris cupidini quâ *fronti vagi* illi diſputatores exagitantur inſeparabili vinculo annexum non ſit illius cum quo diſputatur, deſiderium infamiæ confuſioníſque, lethale vulnus animæ, venenúmque charitatis mortiferum. hæc ille ex Ioanne Franciſco Mirand. Quæ tamen mihi pronunciata videntur ſeueriuſculè. Si quid enim in publicis diſputationibus eſt vitij, quorumdam glorioſulorum eſt & famam doctrinæ captantium, non autem publicæ concertationis: imò publicam eam eſſe neceſſe eſt, vt acriùs veritas perquiratur.

[a] in Anacharſi ſiue de Gymnaſiis.

[b] in vita Moſis.

Adoleſcentibus verò iſta exercitatio in primis ad profectum peropportuna eſt: quæ cauſa eſt cur Fabio Quintiliano, atque iis à quibus clariſſimarum ciuitatum mores ſunt inſtituti, & eminentiſſimis Doctoribus viſum ſit, vtilius eſſe tradere puerum frequentiæ ſcholarum, & publicis præceptoribus, quàm intra priuatos parietes ſtudentem continere. Nam futurus orator aſſueſcit à tenero non reformidare homines, neque illa ſolitaria & velut vmbratili vita palleſcere, cui in maxima celebritate, & in media Reip. luce viuendum eſt. Exercitatur mens & attollitur ſemper, quæ in eiuſmodi ſecretis aut langueſcit, & 3.

quemdam velut in opaco ſitum ducit; aut contrà tumeſcit inani perſuaſione: neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat, qui ſe nemini comparat. Deinde cùm proferenda ſunt ſtudia, caligat in ſole, & omnia noua offendit, vt qui ſolus didicerit, quod inter multos faciendum eſt. Adde quòd domi ea ſola diſcere poteſt, quæ ſibi præcipientur, in ſchola etiam quæ aliis: audiet multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgata deſidia, proderit laudata induſtria ipſi: euitabitur laude æmulationis; turpe decet cedere pari, pulchrum ſuperaſſe maiores. a lib. 1. inſt. cap. 3. hæc Fabius [a]; qui & addit non inutilem ſeruatum eſſe à Præceptoribus ſuis morem, qui cùm pueros in claſſes diſtrubuerant, ordinem dicendi ſecundùm vires ingenij dabant, & ita ſuperiore loco quiſque declamabat, vt procedere profectu videbatur: huius rei iudicia præbebantur, ea nobis ingens palmæ contentio: nec de hoc ſemel decretum erat; trigeſimus dies præbebat victo certaminis poteſtatem: ira nec ſuperior, ſucceſſu curam remittebat, & dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat: id nobis (inquit) acriores ad ſtudia dicendi faces ſubdidiſſe, quàm exhortationes docentium, pædagogorum cuſtodiam, vota parentum, quantum animi mei coniectura colligere poſſum, contenderim; ſed ſicut firmiores in literis proceſſus alit æmulatio, &c. Tum, *cap. ſequenti*, in quo de dignoſcendis ingeniis diſputat, hæc ait. *Mihi ille detur puer quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat, in hoc deſidiam nunquam verebor.* Referre hæc placuit ex laudatiſſimo diſcendi, dicendíque ac morum Magiſtro, vt omnes intelligant, quanti momenti ſit in iſto concertatorio ſtudio ad profectum. quod genus liberalis gladiaturæ bene exprimunt dimicantes galli, nimirum auis Pauſan. ſacra Mineruæ armorum ſimul ac literarum præſidi, vnde & ἐργάνη cognominata eſt, & eius galea in Eleorum arce gallo criſtata.

4. Diu eſt cùm Lugduni in Gallia habui ſuper hoc argumento præfatiunculam allegoricam ludum Grammaticæ aperiens in ſolemni ſtudiorum renouatione, inde primùm orſus mea dicere in publico. Occaſionem dedit huic proluſioni Gymnaſium in quo docturus eram tribus ſubſelliorum ordinibus præcinctum in formam Amphitheatri, ſeu caueæ gladiatoriæ; parietes elegantibus honorum titulis inſcripti, cœlũ labaris, & coronis pendulis inſtructum, vti fieri mos eſt in noſtris ſcholis ad honeſtam diſcipulorum æmulationem & concertationes, qua exercitatione nihil eſt ad profectum vtilius. & quia paratus eſt fauor illi ætati in qua tunc dicere incipiebam, placuit Auditori meus iuueniliter exultantis oratoris primulus fructus: mihi quoque etiamnum (ita me amo) haud prorſus diſplicuit, cùm ego è re nata illius memor, repertum inter meas chartulas reguſtaui. Nec ingratus erit fortaſſe tibi, ſi illum, ſicut ex nouella arbore primùm decerptus eſt, hîc appoſuero; idem enim ſtylo quod quibuſdam pomis euenit, quæ acidulo ſapore iucunda ſunt. Argumentum eſt, vt monui,

AMPHI

AMPHITHEATRVM LITERARIVM.

Præfatio auſpicalis in ſchola Grammaticæ.

AMphitheatrum videre mihi videor (Aud.) triplicem ſubſelliorum ordinem,

Diſpoſitóſque gradus, & cliuos lenè iacentes
Intueor.

Quid enim excipiendis omnium ordinum ſpectatoribus ſedes, quid honoratior illa Senatorum & Magiſtratuum orcheſtra; hæc equitum equeſtria, illa abiectioris plebeculæ popularia, quid vomitoria & præcinctiones aliud quàm amphitheatri formam referunt; quid occultæ caueæ ipſaque imis & mediis in gradibus area, quàm illum carnificinæ locum effingunt, in quo aut emiſſam è ſpecubus feram ſicarius laceſſit, atque agitatam venabulo tranſuerberat; aut ipſe à beſtia diſcerpitur. Quid? ego laniſta comparatum ad mutuam cædem par aliquod gladiatorum componam conſeſſum hunc nefario ſcelere cruentaturus: ego ſuggeſtum hunc tanquam podium & editoris tribunal conſcendero, luctuoſum aliquod ſpectaculum daturus? Vos huc conueneritis, hîc conſideatis viſuri homines, (ſi modò homines ſunt) ex turba & omnium ſcelerum colluuie natos impunè ſtricto ferro manus cõſerentes; hunc graui vulnere à forti aduerſario examinatum raptari vnco; alterũ perlitum crudelitate ſanguinis ex alterius cæde palàm triumphantem? Quid hoc ſpectaculo immanius, quid crudelius, quid à veſtra humanitate magis alienum? Quid ſi reſeratis caueis in medium prodeant efferati leones, cæteræque immanes beſtiæ in arena volitent? peſſimè ſanè conſultum erit vobis; vbi enim rara illa retia quæ ſpectationi non officiant, & crebris nodis diſtincta, quæ ferarum inſultus arceant? vbi volubiles trunci contra earumdem aſcenſum, vbi ferrea contra grandiores belluas repagula? At hi ſunt theatrorum ludi; hæc arenæ ſpectacula, hæ ſunt caueæ oblectationes, vt natet beſtiarum & hominum ſanguine; vt homo, ſacra res, homo per luſum & iocum trucidetur, & quem inſtitui ad accipienda inferendaque vulnera nefas erat, is iam obiiciatur feris, is confectus ſexcẽtis plagis miſerabiliter in cruore volutetur. Conſidete ſecuri, Aud. nihil huiuſmodi vobis ab hac arena noſtra metuendum, nihil vobis ab hac cauea periculi. Neque enim vrſos emittemus, aut leones, non meridianos, non Dimachæros, aut Laguearios dabimus, non componemus Samnitem cum Prouocatore, cum Secutore Retiarium, Mirmillonem cum Threce, non Poſtulatitios, aut Catheruatrios dabimus, non è curru pugnantes eſſedarij aut expediti in equo contectis oculis Adabatæ, non educti è ſeruorum familia viliſſimorum hominum greges contaminabunt aream noſtram. Prodibit in aciem flos populi delibatus, prodibunt ingenui & lectiſſimi adoleſcentes, atque ad omne officij genus liberaliſſimè inſtituti: congre-

dientur, compungent ſeſe, non ſicarum acuminibus, ſed ingenij; non confiſi celeritate corporis & firmitate membrorum, ſed ingenij, non ſanguineam intendentin omnes partes aciem oculorum, ſed ingenij; nihil eſt opus iniecta arenâ ne labantur pugiles noſtri, ſed ingenij perſpicacitate & celeritate mentis: laudantur in hoc theatrali noſtro lyceo, non qui ſtillantem aduerſarij ſanguine præ ſe pugionem ferunt, ſed qui lepore quodam & varia eruditione bene comparati, celeritate reſpondendi, & laceſſendi ſubtili venuſtate excellunt, ij cum maximo clamore & plauſu collocantur in primis ſubſelliis commilitones ſuos in eâdem arenâ poſtea depugnaturos ex honoratiore loco ſpectaturi. Spectabitis eoſdem cùm libuerit Aud. nunc dum arenam aperio, dum ego ludi huius Magiſter ludum inſtituo, cùm de hoc certandi modo habeo occaſionem attendite, res erit, mihi credite, plena oblectationis.

Neſcio quomodo ita inhæret in mentibus noſtris ſtudium laudis, vt ipſi opifices nobilitari velint, perfecti homines & maximis ingeniis præditi excitentur ſpe gloriæ, víxque inueniatur qui laboribus ſuſceptis non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam: ea ſi temeraria eſt, ſi adumbrata, ſi collecta ex inanibus ſplendoris inſignibus, ſi ex ſimulatione honeſtatis, ſi ex vitiorum laudatrice fama populari, contemnenda eſt; ſi eſt laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium, ſi rectè factorum comes eſt; non eſt bonis viris repudianda. Honos alit artes, omnéſque incendimur ad ſtudia gloriâ: quod cùm omnibus comparatum ſit à natura, multò tamen maximè adoleſcentibus & pueris, efferuntur lætitia cùm vicerint, & pudet victos; accuſari nolunt, laudari cupiunt, nullos labores non perferunt, vt æqualium principes ſint, & ſi quid magnum conati ſunt, efflagitant mercedem gloriæ. hoc cùm eſſet obſeruatum ab huius ætatis moderatoribus, ita prouiſum eſt ab iis, ne hæc deeſſent ſtudij & laboris incitamenta, vt formam Reip. optimis temperatæ inſtitutis & legibus in Gymnaſiis eſſe voluerint, in quibus omnium ordinum quorum deſignatione totius Reip. moderatio continetur ſapienter conſtituta deſcriptio. Inter hos primum locum tenet ſenatorius, proximus eſt huic dignitati Ordo equeſter, infimus plebeius. hîc vt ſummis & ampliſſimis honoribus Magiſtratus abundant, ita fidei ſuæ commiſſa meminerunt; hîc morum magiſter cenſor cenſoriâ animaduerſione inertes & deſidioſos notat; hîc ſumma amplitudo & dignitas conſulum; hîc Ædilitatum ſplendor, hîc Quæſtores cæteríque Magiſtratus in ſua quique procuratione & muneribus egregij. Inter hos eminet in ſolio ſumma poteſtate Imperator, non per vim, non gratia, non affectatione quotidiana cuiuſque generis & ordinis, non ſalutatorum, deductorum, ſuffragatorum nomenclatione, & blanditiis in tanto honoris gradu collocatus, ſed ſolertiâ, quæ quidem ſi degeneraret in ignauiam, exturbaretur confeſtim è ſolio, & eiiceretur de gradu dignitatis: vt verò quiſque præſtantiſſimus eſt & maximè ſtrenuus, ita prima in hoc noſtro Amphitheatro occupat ſubſellia; neque enim, (vt in illo gladiatorio)

pretio

pretio diſtribuuntur loca ; non tenuiores excluduntur ab his gradibus deſignatoris voce, aut locarij ; nunquam auditur illud, *Æs pro capite dent, ſi id facere non queunt, domum abeant.* Patet omnibus hoc lyceum, digniſſimis & in literaria laude maximè conſpicuis, ſupremi attribuuntur ſubſelliorum gradus. Quid ſentitis de hac Rep. literaria, Aud? quod eſt veſtrum de Academica noſtra gubernatione iudicium? Profectò quia rectè & cum Platone ſentitis beatam hanc Remp. omnes prædicatis, quam ſapientiæ & doctrinæ ſtudioſi capeſſunt. Et hæc ſunt quæ puerorum impetus corruunt incitamenta. hi ſunt honoris gradus ad quos vt efferantur auidi gloriæ adoleſcentes, in ſtudia feruntur inexhauſta diſcendi auiditate; hæc ſubſellia & inſignia laudis, quæ vt adipiſcantur tam graues contentiones inſtituunt, tam animoſè digladiantur inter ſe in hac arena literaria pugiles noſtri. At dixerit fortaſſe acutulus quiſpiam, in quo vetere amphitheatro ea quæ proponis præmia? vbi nam gentium attributa gladiatoribus huiuſmodi honorum inſignia? Quis neſcit victores in caueis donatos rude, pileo, pecuniâ, authoramento, armis? Quid obſtrepis auribus meis argutule? quid me interpellas? enimuero ſubtiliter, ſcilicet; dentur ingenuis adoleſcentibus viliſſimorum mancipiorum præmia; non ſanguinaria eſt, non ſeruilis arena hæc noſtra, ſed literaria, ſed liberalis.

Placet par aliquod vocare in medium, vt quoniam locus hic theatralis ſpectaculorum eſt, ſit etiam conſeſſus hic ſpectatorum. Adeſte igitur bellatores egregij, deſcendite in arenam, bini cum binis, terni cum ternis, aut, ſi libet, ſocius cum commilitone ſingulari certamine depugnet; adeſte, procedite, tot adſunt fautores laudis veſtræ, tot virtutis prædicatores, tot victoriæ buccinatores, quot ſedent ſpectatores: macti virtute exerite ingenij aculeos, agitur de conſulatu, de corona, de imperio; ſpectabo vos interea & conticeſcam. Non proditis? deferbuit impetus veſter? refrixit ille ardor mentis veſtræ ad gloriam? laureatos faſces contemnitis? diadema, imperium repudiatis? video (Aud.) intelligo quid cauſæ ſit cur ſedeant, cur conticeſcant; neque reſtincta vincendi cupiditas, aut imperandi deſiderium; interpellare me dicentem nolunt, etiam propoſito præmio, optimè educati adoleſcentes; præconem nec eſſe ſuarum laudum & huius bellicæ exercitationis ſe capere nutu ſignificant: colunt etiam vos & obſeruant vehementer; Andabatarum more obductis galeâ luminibus, aut ſicut de plebeia fece beſtiarij temerè in tanto conſeſſu arenæ ſeſe committere ſapienter volunt; & quia modeſtè & cum ratione renuunt eoſdem vobis in arena concertantes, hac occaſione mea ſubiicio.

Decernendum igitur de conſulatu, de corona, de imperio. Ad tantæ ſplendorem dignitatis excitantur omnium ordinum præſtantiſſimi quique, víxque ſe ſuſtinent quin proſiliant omnes in medium. Vnus duntaxat ex ordine ſenatorio, aut magiſtratibus eligitur (neque enim plebeium fieri derepentè Dictatorem conceſſum eſt, gradatim ad hos honores accendetur,) vbi deſignatus eſt qui adoriatur Imperatorem; en vt in arenam ſtatim inuolat, vt Imperator ſollicitus eſt tuendæ cum

honore

honore dignitatis; vt oculi ardent vtriuſque, vt exultant, vt geſtiunt, quàm varia omnium ordinum in alterutrum ſtudia, quàm multa fiunt ante congreſſionem, quàm dicuntur multa, vt aduerſarium ſuum quiſque terreat, & eius præſtringat aciem ingenij. Suas habent ante pugnam venditationes oplomachi, multa faciunt non ad vulnus, ſed ad ſpeciem; vibrant haſtas, fulgore armorum; gloriantur, gloriantur equis Andabatæ; pectus, humeros, lacertos athletæ oſtentant; gladios ventilant Mirmillones; cur non etiam ſuas habeant ante congreſſum proluſiones gladiatores noſtri? generosè in certamen veniunt, ſe probè ad pugnandum comparatos, nutu, verbis, hilaritate vultus iactant; tum verò vbi dati arbitri qui de victoria referant, ſeriò agitur, vtrimque egregiè commouentur cornua diſputationis, decertatur ſtrenuè, torquentur ingenij larcertis & viribus amentatæ quæſtionum haſtæ, inſtat qui laceſſit, vrget, accedunt Græci ſi Latini retunduntur aculei: retardat incurſiones & impetus æmuli, qui prouocatur, ſin minus, plagam accipit: ipſe etiam ſuo ordine bene comparatus ſimili conatu alterum petit, premit verbo, pari telorum coniectione deiicere aduerſarium nititur; quid iucundius, quod certamen cum hac pugna literaria conferendum? quid his gladiatoribus nobilius, qui & vitando cautè & premendo vehementer, omnia faciunt vtiliter ad pugnam, & ad aſpectum venuſtè? Deus immortalis! quàm varij ſunt huius belli exitus, quàm læti, quàm luctuoſi, fortunæ grauiſſimo vulnere percuſſum ſe gemit qui deiicitur de gradu; incedit omnibus lætitiis, triumphat gaudio qui vicit, totius ſibi videtur orbis imperium aſſecutus. Sin verò puſio aliquis felici memoriâ, acri ingenio, linguâ celeri & exercitatâ, grandiorem aliquem, hæſitantem linguâ, memoriâ vacillantem, ſimilem ceruorum quibus ingentia cornua, ſed animus deeſt, in ſuperioribus ſubſelliis deprehenderit, hunc aggreditur, hunc laceſſit; ſi tergiuerſatur, ſi detrectat pugnam, excipitur omnium ſibilis; ſi congreditur, humunculi iſtius terretur ferocitate, obruitur verbis, geſtu ipſo & motu corporis percellitur. En vt exultat, vt aduerſarium non ætate tironem ſe viciſſe prædicat; barbatum, & inclamando bene robuſtum ſe deieciſſe dictitat, ſe gigantem protriuiſſe gloriatur, & meritò gloriatur, hoc enim victoriæ genus tam glorioſum eſt quàm ſingulare; tam nobile quàm arduum; tam dignum ingenuo adoleſcente quàm liberale. Multos beſtiarios, machærophoros multos reperies, qui in furente circo, in arenæ crudelitate, in gladiatorio certamine emineant; qui ſanguinolentam palmam conſectentur, qui aduerſarium ſtricto mucrone viriliter petant, acriter repetant, qui cum laude ictus corpore declinent, qui cum magna totius corporis firmitate ſtent in veſtigio; qui cæſtibus contuſi ne ingemiſcant quidem, qui nihil malint quàm domino ſatisfacere, vel populo; qui mittant etiam vulneribus confecti ad dominos ſe velle decedere ſi ſatisfactum ſit eis; qui cùm decubuerint ferrum recipere iuſſi collum non contrahant, multos (inquam) ex ipſa ſellulariorum fece huiuſmodi reperies: trecentos cum auratis chlamidibus in arenam mittet Hadrianus; plures alet Domitianus; bene magnas

gnas eiuſmodi barbarorum cateruas Nero dabit, dabit Titus confertiſſimas; qui autem in hac arena literario certamine excellant, ſunt inter multos pauciſſimi; qui tamen ad hanc palmam omni ſtudio contendant, ſunt plurimi; & vt in hac palæſtra deſudent adoleſcentes, maximopere eſt connitendum.

Magnum eſt enim quod dicturus ſum (Aud.) magnum eſt, ídque tamen veriſſimum, vix, aut ne vix quidem abſolutum oratorem quenquam futurum, qui ſe in hoc noſtro amphitheatro, his quas dixi concertationibus diligenter non exercuerit. Date mihi hominem qui acute excogitata, artificioſè diſtributa, conficta ingenioſè memoriâ non complectatur: qui ruſticè, hiulcè, vaſtè loquatur oris & linguæ vitio; qui is ſit, vt modico ſtrepitu perturbetur, tam puſillo animo vt fremitus murmurantis plebeculæ pertimeſcat, vehementer loqui, & (ſi opus eſt) iracundè neſciat; hunc oratorem vocabitis? Minimè verò, at vbi accuratiùs excolitur, & confirmatur, quàm in hoc lyceo memoria; in quo qui pronuncians hæſitet, moneatur ſtatim ab æmulo; ſi ſæpiùs hęſerit, de ſenatore eques fiat: ſi duriùs, ſi preſſiùs, ſi molliùs, ſi balbutiens pronunciarit; ridetur, arguitur ab aduerſario cum periculo dignitatis: animoſè & vehementer hîc dicere aſſueſcunt, vt gradum & extimationem ſuſtineant. Quàm multos obſeruauimus qui cùm primùm iuſſi ſunt in hanc dimicationem venire, tremunt voce & animo, ſimiles nouis quibuſdam & molli cultu parietum aſſuetis militibus, qui inſtructis vtrimque ad conflictum copiis ferream fiſtulam ſulphurato puluere & plumbeis ſuffertam glandibus diſplodere metuunt, aut in alueolum puluerarium ignitâ reſte armatum roſtrum demittere, ne fortè lethalis plumbi globo hoſtem vulnerent: ſi exploſerint & viderint tranſuerberatum cadere exanimem; cadunt & ipſi feminecces, qui vt aſſueuerunt frequentibus internecionibus, ipſi tum cæterorum principes & generoſiores facti, quod antea metuebant confirmato animo congrediuntur, depugnant, moriuntur; hiſcere non audent prima velitatione milites noſtri: loqui contentiùs erubeſcunt, exercitati aduerſarij ferociâ terrentur: at vbi ſæpiùs venerunt in arenam, ſumunt animos, loquuntur vehementiùs, æmuli minis non commouentur; ipſi vltrò laceſſunt, tantáque in hoc certamen feruntur animi contentione, vt ne non tantùm verba, ſed etiam manus conſerant, limites circumſcribi neceſſe ſit, quos qui tranſilierit, de ſtatione iudicetur deceſſiſſe turpiter.

Arenam hanc literariam gladiatoriæ anteponitis, vt ſatis perſpicio, Aud. Pœnitet me tamen contuliſſe Ephebeum noſtrum, cum illa immani impuriſſimorum hominum carnificina; pœnitet me probos adoleſcentes comparaſſe cum perditis hominibus & barbaris; ingenuos cum abiectiſſimis ſeruorum gregibus; nobiles cum laniis, Gymnaſia noſtra cum illis caueis; nam vereor ne quid de noſtri lycei & diſcipulorum laude detraxerim: ea eſt enim huius arenæ dignitas vt nullæ caueæ, nulla antiqua theatra ſint cum iſtis ludis conferenda. Neque mihi quiſquam oſtentet inſanas illas ſubſtructionum moles, & altiores

Z quàm

quàm vt earum faſtigium humi ſtrati ſuſpicere poſſint; non Titianas ex lapide Tiburtino, non ad arcendum ſolem ſerica Cæſaris Dictatoris vela in amphitheatro; non purpurea Neronis, in quibus ipſe acu pictus, ſtellis aureis circumſeptus curtum agitat; non ſubiectos Senatoribus Caligulæ puluillos, non ſuauitates odorum qui efflātur è latentibus vnguentis per occultas fiſtulas, non croceum illum expreſſum è ſtatuis ſudorem; non conſtratam minio, chryſocolla, & aureis ramentis arenam, aut ſimiles Imperatorum profuſiones caueæ illæ beſtiarum ſunt & beſtiariorum, ephebea noſtra nobilium adoleſcentum, arenæ illæ barbarorum ſunt qui ſanguine aluntur, qui in omni crudelitate ſic exultant, vt vix hominum acerbis funeribus ſatientur, hæ puerorum, qui ad ſummam eruditionem ſummo ſtudio contendunt; in illis crudeliſſimæ voluptatis ſpectacula, in iſtis liberaliſſimæ; in illis furoris & amentiæ oſtentatio, in iſtis ſpecimen induſtriæ. His veſtris gradibus ADOLESCENTES, & ſubſelliis ad ſummos honores aſcenditur: in hac acie & exercitatione quaſi ludicra res magnas perdiſcitis. Pergite, pergite vt ſoletis in hoc agone contendere; nihil hac pugna nobilius, nihil vobis dignius, nihil eſt in quo eluceat magis induſtriæ veſtræ acumen & ingenij. Et quoniam arbitrum me & quaſi Agonothetam voluiſtis, ſua non deerunt victoribus præmia: *pileum* quidem non dabimus, quia eſtis ingenij; *rude* vos non donabimus, neque enim vacationem poſtulatis ab hac pugna; non *authoramentum*, quia operam veſtram huic arenæ pretio non locatis; non *pecuniam*, quia non egetis: victrices & lemniſcatas palmas dabimus, imò maiora dabimus, aurum coronarium, imperia proponimus, & ſi quid his maius eſt, tanquam corollarium adiiciemus. Appendet victor arma non ad Herculis, ſed ad Phœbi, neque enim hoc amphitheatrum Ioui Stygio, aut Saturno, vel Dianæ conſecratum eſt; ſed Muſis, ſed Mineruæ, ſed Apollini. Et quandoquidem Magiſtrum me huius ludi cupitis; diligentem mihi nauate operam, prolixè vobis de mea voluntate promitto. DIXI.

CAPVT XIII.

Ingenuè ſine inuidia & ſordibus quod didiceris communicandum.

EMBLEMA XIII.

Tantali ſtatua phialam propinans cœleſti rore in eam influente.

Σοφὸς ἄλλος ἐπ' ἄλλου.

Sapiens alius ab alio edocetur.

I. POëtæ indignati ſunt Tantalo, (verùm id quidem minùs ingenuè & liberaliter) quòd nectar hominibus bibendum dediſſet, id eſt, quòd dicendi

dicendi vim & copiam, quâ plurimum pollebat, cum omnibus illis
communicaſſet, qui ſe in eius diſciplinam contuliſſent. & hoc ſignifi-
cat Tantali ſtatua (qualem deſcribit Philoſtratus [a]) *ſubſcriptione notata,* [a] lib. 5 de vi-
ſimilis propinanti phialam, quæ plena abundè potum ſufficeret cuilibet ſitienti, ta Apoll. c. 7.
in quam ingis quidam humor qui phialæ menſuram nunquam excedat, influit.
Eiuſmodi potionem non tam amicitiæ vulgaris, quàm mutui inter ſa-
pientes conſenſus firmandi gratiâ apud Indos inuentam eſſe monet
idem Philoſtratus [b]: ex quibus intelligo quid velit D. Hieronymus [b] c. 10.
Paulino ſcribens Apollonium de Tantali fonte potaſſe.

Allatrent inuidi quantum voluerint tuum iſtud in communicanda 2.
eruditione prolixum ſtudium Tantale; ego vel eo nomine te amo.
Apage Aſpendios Cithariſtas qui ſibi ſolis canunt. Quid Poëtæ, vel
Philoſopho deperit, ſi alij philoſophantur, & numen concipiunt? Ar-
gumentum eſt acceptæ diuinitus ſapientiæ vox illa Salomonis, *Sapien-* Sap. 7.
tiam ſine fictione didici, ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſ-
condo; infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti
ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendati. Themiſtius Sophiſtas
à Philoſophia & humanitate faceſſere iubet, eo quòd φθόνος & βασκανία
labes ſit alieniſſima ab Muſarum concordia & ſapientum conſociatio-
ne. Nam Muſæ quidem cùm nouem ſint (inquit) nulla tamen aduersùs
cæteras commouetur, quòd neque ſola ſapiens ſit, neque ſola à Poëtis
imploretur. Quin neque Calliope citharam ſibi, nec Thalia tibias, nec
lyram Terpſichore; ſed vnaquæque quod ſuum eſt in communem
chorum amat contribuere, canúntque ſeſe inuicem excipientes, ait
Poëta, nuſquam impedientes ſymphoniam, nuſquam inuidentes. Non
ſic adulterini iſti falſóque nomine dicti Philoſophi.

Profundit ſeſe ſapientiæ flumen; nec vllis obicibus ita coërceri po- 3.
teſt, quin erumpat, & omnia colluſtret; nec patitur quemquam eſſe in
tenebris, niſi qui ſponte cæcus eſſe voluerit. Ipſa quoque miſcuit vi-
num, & propoſuit menſam ſuam, & velut ſtatum opum prodiga inui-
tat ad ſe per nuncios, quotquot ſitim explere cupiunt, veniant ad ar-
cem & ad mœnia illius ciuitatis, vbi fons doctrinæ inexhauſtus omni-
bus patet. Et certè (quod de Hiarcha D. Hieronymus dixit [c], valde ap- [c] Ep. ad
poſitè ad noſtrum emblema, dicamus de Salomone; *Quos ad contempla-* Paul.
tionem ſui Hieruſalem non adduxerat, vnius hominis ſapientiæ fama produxit,
habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis celebrandúmque miraculum, vt
tantam vrbem ingreſſi aliud extra vrbem quærerent, & Salomonem Hierar-
cham potius quàm Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte po-
tantem inter innumeros diſcipulos de natura, de motibus ſyderum, déque rebus
diuinis audirent docentem, vt propinatam ſibi eruditionem aliis poſtea porri-
gerent.

Hinc vetus illud vſurpatum à D Cyrillo Alex. [d] σοφὸς ἄλλος ἐκ ἄλλου, 4.
ſapiens ab alio edocetur. Hinc à Zenodoto dictum, Ἀνεῳγμέναι Μουσῶν θύραι, [d] in Iulian.
apertæ Muſarum ianuæ, quaſi diceret, eruditionem Muſarum munus l. 1.
candidè & citra inuidiam impertiendam eſſe, quaſi alteri lumen de tuo
lumine, vel aquam de tuo fonte ſuppedites. Venit mihi in mentem

[a] c.21.Gen.

quod eſt apud Lipomanum [a] de Abrahamo Patriarcha.Ferunt diuiniſſimum illum virum habuiſſe quemdam hortum, ſeu potiùs pomarium eleganter deſcriptum, exquiſitis arboribus conſitum,& eximiis fructibus abundans, in quod deducere conſueuerat peregrè Hieroſolymam aduentantes, quos humaniſſimè exceptos tractatóſque, atque in vera religione egregiè eruditos ad vitæ melioris frugem conuerſos dimittebat; vnam rem duntaxat pro mineruali poſtulans, vt rerum omnium ſatorem & conditorem Deum Opt. Max. impensè venerarentur & colerent, eíque religiosè obſequerentur. O animum verè magnum, qui hoc docendi munus non proſtituebat ſordidè, nec vili mercedula, nec propria laude metiebatur, ſed ſolo diſcentium bono & ſupremi numinis gloria: ſecus ac feciſſe Themiſtium [b], & quoſdam alios ſophos ſcribunt, quorum alij laudis & famæ ſtudio ſuppeditato paſſim frumento auditores ad ſua gymnaſia aduocabant: alij è contrario nummorum auidi quoſdam illiberalis ſui quæſtus conſortes, velut canes venaticos & exploratores (quos ſcitè D.Gregorius Naz. [c] nominat σοφιστομανοῦντας, & Eunapius εἰς διδασκαλεῖον μεμηνότας in varias vrbis Athenienſis ſtationes & portus, vt diſcipulos ad ſe adducerent, veriſſimi caupones ſcientiarum, Magiſtri qui tam ſtudiosè ſibi conquirebant προσαγωγοὺς τῶν λημμάτων. Priorum ex ſtudio gloriæ captantium diſcipulos vanitatem, his verbis ſuggillat Tacitus [d], *Colligunt diſcipulos non ſeueritate diſciplinæ, nec ingenij experimento, ſed ambitione ſalutantium, & illecebris adulationis*. Poſteriorum ſordes & vænalem animum qui mercedulis & pecuniis ſuorum diſcipulorum inhiant notat Athenæus [e] eos aiens μειράκια σχολαστικὰ θηρεύειν, *adoleſcentulos ſcholaſticos venari*. Non reprehendo innatum præceptoribus deſiderium amplæ celebritatis, quandoquidem (vt monuit Quintilianus [f]) *optimus quiſque frequentiâ gaudet, ac ſe theatro dignum putat: at ferè minores ex conſcientia ſuæ infirmitatis hærere ſingulis, & officio fungi quodammodo pædagogorum non dedignantur*; ſed quærere numerum diſcipulorum (quod dixit Dio Chryſoſtomus [g]) vt quaſi pauo gloriabundus volites, ſeu vt plus nummorum corradas, aio eſſe putidam oſtentationem, & planè illiberalem animum ac ſordes.

[b] orat. 4. labem hanc conatur diluere.

[c] orat. 20. in Procres.

[d] auctor. dial. de orat.

[e] l. 5. plura Creſol. l. 4. c. 10. theatri vet. rhet.

[f] l. 1. inſt. c. 3

[g] Orat 12.

5. Eos verò quo nomine appellabimus, qui hominum generi inſcitiam & errorem pro ſapientia cupiunt? Certè mihi videntur eſſe omnino ſimiles illi diuiti, in cuius ampliſſimos hortos cùm apes pauperis vicini inuolarent, aliquid matutini roris de floribus lecturæ, liniuit flores maleficis ſuccis, & in venenum mella conuertit; ſic lethali illo hauſtu interiere omnes.

Quin. declam 13.

6. Inter Pythagoræ ſymbola eſt & apud Braſſicanum μολόχην ἐπιφύτευε, μὴ ἔσθιε δέ, *maluam ſere, ne tamen edas*. Proprium eſt huic herbæ quod Heleotropio, cum ſole circumagi; hinc Columella [h],

Et malache prono ſequitur quæ vertice ſolem.

Quo ſymbolo admonemur diligenter quidem rimanda eſſe rerum naturalium ſecreta, & circumferendos oculos animúmque in contemplationem vniuerſi orbis; non tamen occultandum quod obſeruauerimus;

Theophr. de cauſis plantarum l. 2. c. 26.

[h] in hortulo.

mus; ſed quod hortulani ſolent, transplantatione tempeſtiuâ aliò profetendum, ac inſitione propagandum, μὴ ἴσθιε, id eſt, μὴ ἀφάνιζε τὰς τοιαύτης παρατηρήσεις, ἀλλὰ καὶ αὔξαι καὶ πληθοποιεῖν δίκην μεταφυτευθέντος, & ſiteris mandandum, quod fieri olim ſolebat in maluarum foliis, quæ proinde Pythagoreis ſanctiſſima erant, vt teſtatur Ælianus [a]. hinc illi verſus C. Heluij Cinnæ apud Iſidorum, [a] lib. 4 c. 17.

Hæc tibi Arateis multum inuigilata lucernis
Carmina, queis ignes nouimus æthereos.
Leuis in aridulo maluæ deſcripta libello,
Pruſiaca vexi munera nauicula.

Propinemus igitur libenter aliis tum voce, tum ſcripto quod didicimus; & fontes etiam ipſos, ſi poſſumus, in totius orbis commodum aperiamus.

7. Themiſtocles vir bono publico natus Hydrophoræ Nymphæ imaginem dedicauit ex multatitia pecunia eorum qui aquam diſtinebant, ne in publicam vtilitatem proflueret. Vtinam ſic mulctetur omnes, qui illiberali & ſordidâ tenacitate ſcientiam, ingens & gratuitum Dei donum detinent in iniuſtitia. Euſebius [b] apud Stobæum ait, Ἀνὴρ πολλὰ ἴχων χρηστὰ μαθήματα, ἔπειτα γνώμῃ πονηρῇ διαχρεόμενος, καὶ μὴ βουλόμενος τοῖς μεταποιευμένοις ὑπὸ φθόνου μεταδιδόναι, ἔοικεν ἀγγείῳ πονηρῷ, πολλὰ καὶ χρηστὰ ἔχοντι ἐν αὐτῷ ἀποκείμενα, καὶ τὰ ἐνέοντα πρὶν φανῆναι διαφθείρεσι. *Vir multis quidem ſcientiis eruditus, ſed ob animi malitiam inuidiámque nolens aliis deſiderantibus communicare, ſimilis eſt malo vaſi, quod in ſe multa & bona recondit, ſed antequam vſum ſui præbeant, corrumpit.* Palmare eſt atque huius loci quod ſcribit Seneca ad Lucilium [c]. *Ego cupio in te omnia transfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam; nec me vlla res delectabit, licèt eximia ſit & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſum: ſi cum hac exceptione detur ſapientia, vt illam incluſam teneam, nec annunciem, reijciam. Nullius boni ſine ſocio iucunda poſſeſſio eſt.* Magnam vocem, in qua licèt ſit aliquid quod extenues, nihil tamen ſit quod attollas. Lipſius Senecæ ſecutus exemplum, adeóque pro innata generoſæ indoli & Chriſtianæ charitati voluntate ſui communicandi, ita ſe toti orbi dedicauit, vt nulli vnquam eius pectus & domicilium clauſum fuerit; ſed patuit ſemper auguſtum illud eruditionis ſacrarium, non ſolùm Antiſtitibus Muſarum, verùm etiam myſtis ipſis & adoleſcentulis, quos ad ſe tanquam ad perennem fontem ingenij & doctrinæ vndique venientes ſicut excipiebat beneuolentiſſimè, ita nunquam è ſuis laribus & Muſeo eos emittebat niſi doctiores & ſapientiores; binas circiter horas à meridie tribuere ſolitus priuatis diſſertationibus ſine vlla exceptione vel occupationum, vel laboris, vel temporis. & (quod magis mirere) cùm auctus perpetuo cenſu ſatis luculento, plenus gloria, & exhauſtus ſtudiis deſiſtere à docendo, & vicarium ſubſtituere potuiſſet, nihilo proinde futurus pauperior, Alberto Archiduce id concedente glorioſis meritis viri emeriti; tamen vſque ad extremum ſpiritum perſtitit docere in Academia, ratus (quod apud Tacitum [d] legerat) *profeſſione publicâ dignitatem omnem ornari, non deſtitui*; ac memor Libanium docendi munus maluiſſe

Plut. in Themiſt.

[b] Serm 38. de inuidia.

Sen. ep. 6.

[c] Epiſt. 6.

[d] Ann. 3.

Pauſan. in Att.

Tull 3. de orat. & in Bruto.

Clem. Alex. l 5 ſtrom.

[a] in vita Apoll. l. 6.

quàm præturam; Iſocratem octo & nonaginta annos natum nunquam à docendo ceſſaſſe, *nunquam diſcipulos habere deſiiſſe, eiúſque domum cunctæ Græciæ quaſi ludum patuiſſe:* atque apud animum ſuum ſtatuens haud poſſe quemquam ſiue honeſtius, ſiue fructuoſius, quàm in literario puluere, & in inſtituenda iuuentute emori; præſertim verò ſi qui εὔχεσθαι ταῖς πηγαῖς votis fontes ſapientiæ dignantur; in quibus plus eſt diuinitatis, quàm in illis de quibus Philoſtratus [a]; ſanè genus quoddam eſt ſacrilegij eorum ſacraria non omnino recludere. Nam ſi (teſte Auguſtino) *omnis res quæ dando non deficit, dum habetur, & non datur, non habetur, quomodo habenda eſt*; vt ſi de tuo lumine alterius facem nolueris accendere; malignæ poſſeſſionis reum omnis æquus rerum æſtimator te ſtatim iudicabit.

Philo apud Creſol. l. 1. c. 12. ſect. 3. myſt.

[b] 5. ſtrom.

[c] 1. ſtrom.

8. Non grauatur ſapientia ſitientibus ἄφθονον ἐπαντλεῖν aperire doctrinarum latices: ſi tamen qui accedunt petulantes ſint, & non bonæ candidæque mentis, vel marceſcant otio, túque eos erudiendo non plus proficias, quàm ſi aquam iniicias in dolium Danaidum, ἀπόκλειε τὴν ζῶσαν ἐν βάθει πηγήν, *vinum illum & profundum fontem occlude*, ait Alexādrinus [b], apud quem [c] eſt etiam illud Platonis præceptum, quo tota hæc res bene illuſtratur, admonentúrque tum doctores, tum Auditores quomodo in tradenda & excipienda eruditione ſe gerere debeant. *Plato itaque, qui ex Hebræis Philoſophus eſt, iubet agricolas non irrigare, néque ab aliis aquam ſumere, niſi prius apud ſe, nimirum in proprio fundo vſque ad terram, quæ virginalis dicitur, effoderint, & terram aridam & aquæ expertem inuenerint; inopiæ enim non ſuccurrere non eſt honeſtum.* hæc allegoricè de diſciplinis interpretatur Stromatéus. At diuus Chryſoſtomus longè glorioſiùs ſenſit de hac perennitate fontium doctrinæ, ratus nec eſſe inhibendum eorum curſum, licèt de illis nemo hauriat, nemo fundum ſuum irriget.

D. Chryſ.

Quòd ſi poſt noſtram etiam admonitionem (inquit) *in iiſdem vitiis perſeuerauerıtis, nec ſi quidem nos deſiſtemus apud vos quod rectum eſt conſulere, quandoquidem & aquarum venæ, etiamſi nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes quamuis hauriat nemo, tamen ſcatebras emittunt; & amnes etiamſi nemo bibat, nihilominus fluunt: ſic oportet illum qui concionatur, quamuis nullus auſcultet, tamen doctrinam ſuam ſemper effundere.* Et prudenter quidem effunditur doctrina, hac enim maximè ratione augetur magis etiam in eo qui profundit, *ſicut viſibiliter panis in deſerto incredibili ratione dum frangitur, dum diuiditur, dum editur, ſine vlla diſpendij comprehenſione cumulatur: edentibus populis creſcunt ſuis fragmenta diſpendiis, & de quinque panibus maiores reliquiæ, quàm quæ ſumma eſt, colliguntur.* Ac proinde doctorum virorum *menſa extra velum ſit, nullíque inuidioſè abſcondatur, ſed cunctos ſatiet, qui ad illam cum gratiarum actione deſiderant accedere:* & meminerimus (inquit Vgo Carenſis [d]) *ſcientiam & amorem, ampliùs diſtributa, ampliùs augeri:* imò intereſt hominis eruditi cum aliis communicare ſuam ſcientiam; ne ſi quæ collegit nemini appoſuerit, ſibíque ea voluerit habere ſolus, & ipſe pereat, ait D. Bernardus [e], præeunte in hanc ſententiam D. Chryſoſtomo [f]. *Sicut ſtomachus ſi cibum ſolus continuerit, ſe & corpus reliquum corrumpit fame, & ſe ipſum ſuâ inexplebili improbitate perdit,*

S. Ambr. c. 6. in Luc. c. 9.

Bruno l. allegoriarum ſuper Exodum.

[d] in c. 11. Prou.

[e] ſerm. 50. in Cant.

[f] de habenda cura ſalutis proximi.

perdit; ita & tu nunc, ſi ea quæ à nobis audis, detinueris, aliiſque non communicaueris, & illum incommodabis, & te ipſum iam corrupiſti; quia ignauiæ, & inuidiæ grauiſſimos morbos foues: contrà ſi cura inuidiam, & ad alios tranſmiſeris alimoniam, tibi ipſi & aliis profuturus es. Quo gladio potuit melius iugulari literaria inuidia, quàm his Chryſoſtomi verbis? eſt enim hoc vſquequaque veriſſimum, ſcientiam clauſam ac reconditam extenuari & euaneſcere; prolatam verò augeri & perennare: ſicut *quædam ſeruando ſeruari non poſſunt* (inquit Vgo Carenſis[a]) *vt fons ſi affluere ceſſauerit, eo ipſo areſcit; ſic ſcientia.*

[a] in cap. 1. Prou.

Capvt XIV.

Diſcipulorum erga Magiſtros obſeruantia.

EMBLEMA XIV.

Ara.

Ariſtoteles Platoni.

1. Habes in hoc emblemate monumentum Ariſtotelicæ pietatis erga Platonem Magiſtrum, ſimúlque documentum omnibus diſcipulis, quanto honore, & gratæ mentis ſtudio eos deceat proſequi ſuos præceptores. Nam maximo Philoſopho (qui & diuini cognomine audiit,) haud impar diſcipulus *aram* cum hac inſcriptione dicauit, *Platonem eum eſſe, quem probi omnes meritò & imitari & commendare debeant.* Vel hoc ſolùm nomine fuit Ariſtoteles dignus Platone Magiſtro, atque Alexandro diſcipulo.

2. Tantum abeſt vt ob ingenuam Magiſtri obſeruantiam, & cultum decedat aliquid de fama & exiſtimatione diſcipuli; quin potiùs ei plurimum laudis & gloriæ accedit: ac ſapienter dictum à D. Chryſoſtomo[b], τὸ αἰδέσιμον εἶναι τὸν διδάσκαλον μαθητῆς ὠφέλιμα, *diſcipulis vtile magiſtros ſuos coli & obſeruari.* Apage viperinum quoddam diſcipulorum genus, quos vbi ſtudioſiſſimè in tuo ſinu foueris, vbi in docendo laborem & tædium diutiſſimè tuleris; ac præter ea, quæ in commune dicuntur, multa etiam inſtillaueris priuatim, & tradideris, hortando indolem erexeris, laudibus animum feceris, admonitionibus diſcuſſeris deſidiam, ingenium latens & pigrum velut iniectâ manu traxeris, quæ ſciebas non malignè illis deſpenſaueris vt diutiùs eſſes neceſſarius; ſed cupieris in eos vniuerſa transfundere: túque cùm hæc omnia atque his maiora feceris; poſtea tamen genuinum tibi infigunt & lacerant factorem fictorémque ſuum, eà vt plurimum mente, vt videantur (ſi Superis placet) αὐτοδίδακτοι. Si factum Ariſtotelis imitari detrectant (quod honoris nec nos etiam requirimus) at ſaltem huic ſapientiſſimo eiuſdem monito quod ſubiicio aures ne occludant. *Non iis modò* (inquit) *quorum ſententiæ accedimus, ſed & iis, qui veritatem non omnino attigerunt,*

[b] hom. 11. in ep. ad Coloſ.

Ariſtot. in Metaph.

teſtari

teſtari gratias decet: nã & hi aliquid contulerunt, nos ſiquidem excitarunt, acuerúntque. O dignam vocem Philoſophorum Principe! Alia omnia dicent quidam ſcioli, qui tetro liuore ſuffuſi, & conſcij ſuæ tenuitatis metuunt; ne ſi fatebuntur ſe aliorum opera profeciſſe, tota laus profectus (quia res perexigua eſt) ad alium pertineat, magna ingenia non committent vnquam vt hoc faciant: magnitudinem enim ſuam & amplas opes norunt, putántque ſibi ſemper affatim laudis & gloriæ ſuperfuturum, licèt alios in eius ſocietatem vocauerint.

3. Audiuimus acroama Philoſophorum Principis in hanc ſententiam: auſcultemus Theologorum Coryphæo Gregorio Nazianzeno, is profeſſores quamuis Ethnicos, quibus Athenis operam dedit, nominat κοινὺς πατέρας τῶν λόγων, *communes patres eloquentiæ.* Senecæ viſum eſt patris beneficia vna re tantùm vinci poſſe à filiis beneficio, *ſi ſapientiam conſecuti, illã patri reddiderint.* Solùm enim acceperint à patre vitã, patri verò vitam beatam reddiderint. Tantùm autem erunt in rependendo ſuperiores, quanto melius eſt benè viuere, quàm viuere. Quantâ (Deus immortalis!) quantâ beneficiorum magnitudine Magiſtri diſcipulos ſuos ſuperabunt, à quibus nec hauſerunt vt filij à patribus vitam hanc communem quam ducimus, ſed eos conſortes effecerunt eius vitę, quæ tanto communem hominum vitam ſuperat, quanto homines beſtiis antecellunt.

4. Longè honeſtiſſima & pulcherrima ſit inter præceptores & diſcipulos contentio, dederíntne maiora, an receperint: & ſicut haud facilè ſtatui poteſt, fueritne optabilius quibuſdam patribus tales habuiſſe filios, aut filiis tales patres ſortitos eſſe, cùm mutua viciſſim commendatione & virtutibus eniteant: ita licèt multo maxima Tertullianus Cypriano præſtiterit, Baſilius Nyſſeno Gregorio, Troilus Sophiſta, atque doctiſſima Hypatia Syneſio: tamen incredibiliter iucundum eſſe debuit Baſilio ſe nominari πατέρα καὶ διδάσκαλον, ac Troilo πατέρα γνησιώτατον, & Hypatiæ μητέρα: fuiſſétque honoris penè diuini Tertulliano appellari à D. Cypriano *Magiſtrum*, vt Socrati longè glorioſiſſimũ fuit à Platone in dialogis tertio quoque verbo ſic appellari. Vnde nec ſatis inducere in animum meum poſſum, quod dicere ſolebat Socrates apud Athenæum [a], ſibi dormienti viſum eſſe à Platone in cornicem mutato glabram caluam roſtro peruicaciter pungi. Quòd ſi iuſta eſt & vera Socratis de Platone expoſtulatio; multatus ſanè fuit in Philiſto hiſtorico talionis lege, quem Platonis magiſtri ſui acerrimum aduerſarium fuiſſe auctor eſt Volaterranus [b].

Greg. Naz. in Hexaem.
Syn. ep. 123.
[a] lib. 11.
[b] lib. 18.

5. Lepidum eſt quod congruenter ad rem præſentem referunt Aulus Gellius, Apuleius [c], & Ariſtophanes [d]. Eualthlus adoleſcens diues eloquentiæ forenſi diſcendę cupidus, ſe in diſciplinam Prothagoræ dedit, pactus grandem pecuniam, cuius dimidium repræſentatione perſoluit, reliquum numeraturus quo die cauſam apud iudices oraſſet ac viciſſet. Proficit in eloquentiæ ſtudio Eualthlus, & plurimùm quidem, verùm nolle omnino, vel certè differre vincere in foro videbatur eã ſolùm mente, ne reliquam mercedem daret. Tantæ moræ impatiens Prothagoras

Aulus Gell.
[c] in flor.
[d] in Furiæ.

goras diſcipulum in ius vocat, dicam impingit. ipſe pro ſe orat ſic exorſus. *Diſce ſtultiſſime adoleſcens, vtroque id modo fore vt reddas quod peto, ſiue contra te pronunciatum erit, ſiue pro te. Nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debetur, quia ego vicero; ſi verò ſecundùm te indicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris.* Ad hæc Eualthlus: Potui huic tuæ tam ancipiti captioni iſſe obuiam, ſi verba non ipſe facerem, ſed alio patrono vterer: ſed magis mihi in iſta victoria proludium eſt, cùm te non in cauſa tantùm, ſed in argumento quoque iſto vinco. *Diſce igitur tu quoque Magiſter ſapientiſſime, vtroque modo fieri vti non reddam quod petis, ſiue contra me pronunciatum fuerit, ſiue pro me. Nam ſi iudices pro mea cauſa ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero; ſin contra me pronunciauerint, nihil tibi ex pacto debeo, quia ego non vicero.* Primæ huius diſceptationis hic exitus fuit. Iudices rem iniudicatam reliquerunt, & in longum tempus diſtulerunt, ne ſententia vtramcumque in partem dicta eſſet, ipſa ſe reſcinderet. Quidquid ſit de iure, equidem doli mali & ingratæ mentis excuſari haud poteſt diſcipulus. Simile quiddam refert Alexander Sardus [a] de Corace magiſtro, & Tiſia diſcipulo, cuius iniquam vafriciem & fraudem cùm perſpexiſſent iudices, ſucclamarunt, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Tractaſti tuos Magiſtros nobiliùs & auguſtiùs Marce Aureli, qui tantum illis honoris detuliſti, vt imagines eorum aureas in larario haberes, & ſepulchra additis hoſtiis, & floribus ſemper ornares.

[a] lib. I. de moribus gentium. Capitol. in vita M. Aurelij.

Amo tuam grati animi virtutem Alexander Macedo, qui dicere in ſermonibus ſolebas, *te plus Ariſtotelis præceptori debere, quàm Philippo patri; ab hoc enim te habere corpus, ab illo mentem.*

CAPVT XV.

Caput cœnæ hominis ſtudioſi; lectio, vel ſermo eruditus.

EMBLEMA XV.

Menſa philoſophica, in qua nihil aliud ſit, præter poculum Homericum oleâ coronatum, & fauum mellis.

Ingenio, non Genio.

COEnâ philoſophicâ, cœnâ Platonicâ, cœnâ Pythagoricâ nihil no- 1.
tius. Plinius ſcribit [b], Athenis comeſſabundos iuuenes ante meridiem conuentus ſapientium frequentaſſe doctrinæ causâ. Addit Athenæus [c] legatam à Theophraſto pecuniam, non vt in eo congreſſu laſciuè & imprudenter proteruirent, ſed vt quos haberent in conuiuio ſermones temperanter & doctè proſequerentur: eránque leges quædam conuiuales in iſtis iuuenum cœtibus, quas & Xenocrates in Academia ſua, & Ariſtoteles in lyceo tulerunt, συμποτικοί τινες νόμοι [d], & συμποτικοὶ λόγοι [e], ζητήματα κυλίκεια [f], & μνημόνια [g], ſermones conuiuales

[b] lib. 21. c. 3.
[c] l. 5.
[d] Athen. ibid.
[e] Athen. l. 1.
[f] Pollux l. 6. c. 18.
[g] Theodectes.

& memoriâ commendandi. In eadem vrbe inſtituebantur feſtis diebus
Doctorum conuiuia,in quibus inſtituebantur quædam de moribus, de
artibus,de natura quæſtiones,quas qui minùs aptè explicaſſet, conferebat ſymbolam ; qui bene & ſubtiliter, aliorum ære conuiuabatur. hinc
Cœl. Rhod. l.27.c.24. (puto) orta Cteſibi reſponſio interroganti cuidam quid ſibi è philoſophia ſupereſſet, *ἀσυμβόλως δείπνειν,ſine ſymbolo cœnare.* Nam cùm afflueret
multa vrbanitate & acutè dictis,quæ philoſophiæ cognitio illi pepererat,nihil conferre in cœnam conſueuerat, præter ingenium. Conſule
Laurentij Ramires de Prado caput vndecimum, vbi de iſtius generis
cœnis eruditè.

2. Vſum ænigmatum fuiſſe in conuiuiis celebrem diſces ex Athenæo [a],
[a] lib.10. [b] in Symp. & Plutarcho [b].Explicanti,*carnis portio,* hauddubiè cœnæ caput; hæſitanti,*muria.*Platonis menſa erat parabilis,nec tam ciborum copia qui-
Sen.ep.15. bus ſubtilitas animi impeditur, quàm philoſophicarum quæſtionum,
quibus tamen ſuum apparatum lautiſſimum reddebat. Nemo in conuiuio Pomponij Attici,ait Probus,aliud acroama audiuit,quàm *Anagnoſtem*;quod nos quidem iucundiſſimum arbitramur, neque vnquam ſine
aliqua lectione apud eum cœnatum eſt,vt non minus animo quàm ventre delectarentur; namque eos vocabat,quorum mores à ſuis non ab-
Ioſephus lib. 5.antiq. c.5. horrebant.Salomon Tyriorum Regis ænigmata inter epulas proponit.
Cæſar Tiberius ex lectione quotidiana ſepoſuit quæſtiones diſcutiendas in conuiuiis. Carolus Magnus libros D. Auguſtini de ciuitate Dei,
atque hiſtorias iubebat ſibi legi ſuper menſam. idem à Plinio ſecundo
[c] lib. 9. ep. 36. differt. 12. factitatum, idem à iuniore [c] : negat maximus Tyrius ſufficere inter
conuiuas,muſicos concentus;conſentaneè Platonis monito dicentis [d],
[d] in Protagora. hoc ſolùm licere in hominum imperitorum & plebeiorum menſis ob
ſermonis inopiam qua laborant. Alexander Seuerus conuiuales illos
ſermones quibus mirificè paſcebatur, appellare ſolebat *literatas fabulas*;
fabulas,inquam,hoc eſt, aptas remittendis & oblectandis animis con-
[e] diſſert. 12. fabulationes literarias; hiſtorias ad id maximè eſſe idoneas docet ma-
[f] Orat. .. ximus Tyrius [e], inde enim dum reficitur corpus neceſſariis alimentis,
animus quoque paſcitur *εὐωχίᾳ* (vt loquitur Themiſtius [f]) *lauto conuiuio,*
[g] Or.4. & incredibili ciborum varietate admodum ſalutari, & *eſca mirabilis*
[h] lib.6.c.13. *ſuauitatis*, vt dixit Dio Chryſoſtomus [g].hæ ſunt illæ ſapientium menſæ,de quibus Gellius dixit [h], *coniectari ad cœnulam non cupedias ciborum,*
ſed argutias quæſtionum.

3. Sæpe ſolent Principes adhibere ſibi ſuper menſam viros doctos, ex
quorum eruditis ſermonibus proficiant, vt fecere permulti. Feſtiuum
eſt quod de Gallo quodam Dynaſta narratur. Franciſcus Primus Francorum Rex, qui meritò parens literarum audiit, oblatâ ſibi quædam
Epigrammata legebat ipſe inter epulas, ſimúlque de appoſito neſcio
quo obſonio iucundè eſitabat,ad quod ferculum cùm manum inter legendum admoueret,dicerétque identidem altâ voce,*O bonum Epigramma,ô acumen egregium,ô bellè ſalſum!* Dynaſta quidam linguarum Græcæ
& Latinæ penitus rudis,exiſtimauit genus illud condimenti quo libenter veſcebatur Rex, appellari *Epigramma.* itaque domum reuerſus co-
quum

quum ſuum aduocat, interrogat ecquod ſit illud genus edulij quod *Epigramma* vocant. Negauit coquus ſe vnquam de tali cibo audiuiſſe quidquam. Dynaſta ſubiratus, coquum ſuum ignarum & imperitum vocitare, ac dicere paulo antè viſum à ſe Regem, qui inter cæteras dapes illum in prima commendatione poſuerat, cúmque *Epigramma* ſæpiùs nominauerat. Mirari coquus ac ſæpiùs *Epigramma, Epigramma* repetere. Ego, (inquit) nec regiorum coquorum principi in artis meæ ſcientia conceſſerim; nunquam tamen genus iſtud cibi triginta minimùm annis quibus coquinariam & Principum culinas tracto, noui. verumtamen priuſquam nox ſit, reſciam ab ipſo regio coquo ecquid tandem ſit iſtud, quod *Epigramma* vocant. poſt prandium adit ad regium coquum, interrogat quod ſit illud genus vel cibi, vel condimenti, quod hoc ipſo die Regi appoſitum eſt, cui nomen *Epigramma*. *Epigramma, Epigramma* (inquit coquus regius,) ne per ſomnium quidem menſæ regiæ quidquam eiuſmodi illatum eſt. At hoc affirmat herus meus, (reſpondit alter) iratus inſuper mihi, quòd ne de nomine quidem hoc genus ferculi nouerim, nedum ei vnquam apparauerim. Dic amabo, ſi quid eſt exotici cibi, vel noui condimenti, ne me illud celes; gratiam locabis apud memorem amicum. iurare regius coquus & fere ſtomachari quaſi rideretur. Enimuerò non dico iſta per iocum, (inquit alter) ego huc eâ ſolùm mente veni, vt hoc reſcirem abs te. Propè dixi (inquit coquus regius) herus tuus vigilans ſomniat. At verò vigilat, (ait iſte) ſed & cordatè atque ex animi ſui ſententia loquitur: prandenti Regi adſtitit: quod dico, vidit, audiuit, appetit, poſcit, indulge hoc amicitiæ noſtræ, ſi quid noui eſt, participem me facito, referam cùm potero gratiam. hic Archimagirus omni aſſeueratione iterum ac ſæpiùs negare, lares omnes & focaria numina ſibi infenſa precari, ſi mentitur. Credidit iurato alter, ac domum reuerſus herum adit, de re tota certiorem facit, quid ſibi regius Archimagirus reſponderit, refert. Dynaſta ſuſpicatus non ſolùm figulos figulis inuidere, ſed etiam coquos coquis, atque ob id celari ſecretum ab altero: animum obſtinat; & ratus fore plus vrbanitatis in Præfecto menſæ regiæ quem familiariter nouerat. mittit ad eum qui de re tota interroget, rogétque ſuo nomine ne diſſimulare velit, gratum ſibi eſſe facturum. Præpoſitus regiæ menſæ ſubodoratus id quod erat, riſit minimè quidem malam, ſed tamen paulo pinguiorem Dynaſtæ hallucinationem, & interpretationem vocis *Epigramma*. Reſponſurum ſe coràm dixit, & Dynaſtæ facturum cumulatè ſatis. Interea verò Archimagiri rem paſſim narrantis ſermo *adipatum epigramma*, ſeu *ferculum epigrammaticum*, ita iam diuulgauerat, vt appoſitum ſit, ipſius Regis auribus ab Aulicis, qua re mirificè delectatus, magnopere hoc condonandum eſſe ait in homine militari, *qui non didiciſſet latinè, & gracè loqui in Academicis vmbraculis, ſed in ſole & puluere Martio facere fortiter.* Hoc è re natâ de ſympoſiaca lectione & conuiualibus eruditorum ſermonibus, quos neſcio quis vetus poëta dixit eſſe in menſa pro bellariis,

——*τράγημα δὲ ὁ παρεισιὼν τοῖς φιλικοῖς λόγοις.*

3. Ammianus Marcellinus [a] epularum luxum reprehendens eum morem innuit de quo diſputamus. *Pro philoſopho cantor,& in locum oratoris, artium Doctor ludicrarum accitur, & Bibliothecis ſepulchrorum ritu clauſis in perpetuum, organa fabricantur hydraulica & lyræ ad ſpeciem carpentorum ingentes,tibiæque & hiſtrionici geſtus inſtrumenta non leuia.* Longè conſultiùs fecerunt Auguſtus & Cato Vticenſis ita corpori reficiendo intenti, vt ſuas interea animo epulas, nimirum confabulationes eruditas, & philoſophicas diſputationes adhiberent, quod eſt (vt loquitur Heliodorus [b]) τ̓ Ἑρμῆν τῷ Διονύσῳ συγκαθιδρύειν, καὶ λόγων ἥδισμα τῷ πότῳ συναναχέειν, *Mercurium Baccho adiungere,& cum potu miſcere orationis ſuauitatem.*

[a] lib. 14.

Philo de leg. ad Caium. Plut. in Caton. Vtic.

[b] l. 5. Æthiop.

4. Vir quidam in paucis doctus ſolebat dicere, duo eſſe in noſtra Societate, quibus ſi frui poſſet, ſperaret non mediocriter ſe adiutum iri in omni facultate penitus diſcenda: alterum eſt perpetua conſuetudo & familiaritas cum viris doctis, quorum plerique ſunt veluti animata Muſea: alterum lectio ſuper menſam quæ multum temporis nobis in lucro ponit. De primo dicemus ſeorſim. Nunc nobis dicendum de menſa philoſophica quã hîc appoſuimus inſtructam vnico poculo Homerico & fauo mellis: qua dape & potu indicamus menſas hominum doctorum debere eſſe vndequaque eruditas, in primis diuinas literas melle ſignificari, præter oraculum Dauidicum, *eloquia Dei dulciora eſſe ſuper mel & fauum* aſſerentis. Inſigne eſt D. Chryſoſtomi dictum de mellis delitiis quæ percipiuntur è ſacris codicibus: ſic loquitur de Monachorum lectione [c], *Non brutorum animalium decoctas ſibi carnes, vt alantur, aſſumunt; ſed Dei verba melle atque fauo iucundiora. hoc mel non ſylueſtres è floribus apes collegerunt, nec rorem concoctum ſuis aluearibus immiſerunt; ſed ſpiritus gratia pro fauis & aluearibus in animis Sanctorum impoſuit: apes igitur monachi imitantes ſacrorum fauis librorum circumuolitant, magnam inde voluptatem carpentes.* Memoriale (ait D. Anſelmus [d]) mentis ingenium eodem modo ſicut apis per florulenta Scripturarum arua latè vagans bibula curioſitate diſcurrens. D. Auguſtinus [e] has delicias ſimiliter dixit eſſe *de melle cœleſti melleas,& de Dei lumine luminoſas.* Theodoretus [f] eâdem vſus eſt allegoria, de ſacris Codicibus, & eorum ſcriptoribus diſputans, *Apes mellis & ceræ effectrices per Spiritus ſancti prata volitantes, & diuinarum Scripturarum conſtruentes cellas, eáſque doctrinæ & mellis nectare diſtendentes ad nos tranſmiſerunt. litera enim ſimilis eſt ceræ, melli verò ſenſus in ea reconditus.* hanc ſacri mellis ſuauitatem quiſquis guſtauerit, faſtidiet illico reliquas delectationes quæ ex prophanis ſcientiis hauriuntur; quod ſibi contigiſſe teſtatur D. Gregorius Nazianzenus [g]: *Sacrarum literarum lectio* (inquit) *hoc mihi præſtitit, vt amaram prophanorum librorum qui antea fucatâ pulchritudine animum meum demulcebant, ſalſuginem expuerem.* In hunc ſenſum reſcripſit aliquando S. Honorato D. Eucherius Lugdunenſis. *Mel ſuum ceris reddidiſti*, id eſt, tabellas cerâ illitas miſiſti exaratas epiſtolâ plenâ ſuauiſſimæ humanitatis: ſumptâ metaphora à priſco illo ſcribendi genere, quod fuit olim in vſu, tantóque in honore, vt illo ſolo ſcriberetur ad Imperatores, qui qualéſve honores illis eſſent decreti pro triumpho, vnde,

Pſ. 18.

[c] hom. 69. in Matt. ſub finem.

[d] cap. 2. de Virg.

[e] lib. 9. conf. c. 4.

[f] catena c. 5. Cant.

[g] Orat. de ſuo in Quadrageſima ſilentio.

vnde iſte verſiculus Martialis [a], [a] Epigr. 4. l. 14.

Quintuplici cerâ cum datur altus honos.

Itaque eximium aliquod opus literarium, & excellentem librum *mel* rectè appellari poſſe, *& propitiarum Muſarum fauos*, monet Philoſtratus iunior [b]. & Ariſton apud Stobæum [c], cum melle philoſophiam comparat, eo quòd quemadmodum exulcerata mordet, contrà bene affectis placet, ita Philoſophia, ὥσπερ τὸ μέλι τὰ ἐξηλκωμένα δάκνει, τοῖς δὲ κατὰ φύσιν ἡδὺ ἐστιν, οὕτω καὶ οἱ ἐκ φιλοσοφίας λόγοι. hæc de melleis ſacrarum literarum, atque etiam prophanarum ferculis. [b] in iconib. [c] Serm. 13.

5. Præter mel addidimus *poculum Homericum* in menſa philoſophica, vt quemadmodum obſcœni quidam bibere conſueuerant per cupidines, ſiue per cælata cupidinibus vaſa, ita & literarum amans per literas bibat, cuiuſmodi fuerunt illa pocula quæ *Homerica* dicebantur, ob cælatos in iis Homericos verſus. Eius generis fuit ille ſcyphus, quem Nero vltimis ſuis rebus ſolo illiſit, vt Tranquillus eſt auctor. Sed de Enallo duce eſt celeberrimum quod habet Athenæus [d], vt hauſtam fluctibus virginem ſeruaret, in mare deſiliit, verùm vterque demerſus eſt. Tamen cùm aliquo pòſt tempore emerſiſſet, mirantibus cunctis, narrauit ſe vrinando euaſiſſe cum ſympluuo aureis characteribus per ambitum exarato duabus hiſce vocibus, Διὸς σωτῆρος, *Iouis ſeruatoris*. fuit aliud Mineruæ ſacrum Capuæ ex Homericis concinnatum carminibus. Sacros calices, in quibus Chriſti ſanguis ore ſacerdotum ſacroſancto conficitur, iam ab ipſis Eccleſiæ incunabilis conſueuiſſe ornari eiuſmodi emblematis, & inſcriptionibus, teſtis eſt Tertullianus [e], & S. Rhemigius teſtamento, vbi vas neſcio quod argenteum quod à Clodoueo Rege dono acceperat, legat ſuæ Eccleſiæ ad faciendum thuribulum, & *imaginatum calicem*, inquit, addítque, & *epigrammata quæ ipſe Lauduni in argento dictaui, in hoc quoque inſcribi volo, quod per me faciam, ſi habuero ſpatium vitæ.* Cyathum iſtum Homericum coronauimus, memores priſci moris, cuius frequens quidem eſt mentio apud multos auctores, ſed apud Maronem luculenta, [d] l. 11. Cæl. Rhod. l. 7. c. 31. [e] l. de pudicit.

Et pater Æneas magnum cratera corona Induit. Virg. 3. Æn.

præſertim cùm non dubitauerint ſancti Eccleſiæ Patres conuiualem illum morem metaphoricè traducere ad diuinæ ſcientiæ ſtudium. Sic S. Iſidorus Peluſiota [f] *ſermonum craterem* (ait) *vir diſcendi cupidiſſime, hoc eſt, diuinas Scripturas Dei ſapientia miſcuit; craterem, inquam, non melle, aut lacte, aut vino, ſed doctrina & philoſophia plenum, & diuinis gratiis coronatum, qui eos à quibus adhibetur, ad virtutem ac pietatem hortatur; id nimirum efficiens, vt res terrenas negligant, atque in cœleſtes ſeſe inſinuent.* Eodem ſenſu Prudentius [g] ſapientibus coronam attribuit, [f] l. 2. ep. 3. [g] l. 1. contr. Symm.

Eſt ne ille è numero paucorum, qui diadema
Sortiti, æthereæ coluerunt dona ſophiæ.

Sic D. Hieronymus [h] Fabiolæ aptat *coronam ſcientiæ Dei.* Porrò licèt meminerimus *hederas doctarum eſſe præmia frontium*, vt Flaccus cecinit, & *Poëtarum imagines lambere ſequaces hederas*, vt Perſius aliíque paſſim; tamen poculum iſtud non coronauimus hedera, quod genus herbæ [h] Ep. ad Fabiolam de veſt. ſacerd.

A a 3 Baccho

Velleius Paterc. de Antonio. l. 1. Anthol. epigr. Græci. Homerus hymno de Bacchο.

Baccho & bacchantibus addictum ſit, à quorum intemperantia & inſania alieniſſimus eſſe debet Chriſtianus Muſarum cultor, ſicut Emblemate vigeſimo quarto docebimus: placuit etiam auſcultare eidem Prudentio ſic monenti,

Sperne Camœna leues hederas,
Cingere tempora queis ſolita es,
Sertaque myſtica dactylico
Pexere docta, liga ſtrophio
Laude Dei redimita comas.

Igitur genus coronæ qua poculum iſtud Homericum ornauimus, eſt *olea, quæ eſt arbor ſapientiæ*; quemadmodum alibi oſtendimus. Diſcat ergo ex hoc emblemate literarum ſtudioſus, ne à menſa quidem & refectione corporis excludendum eſſe paſcendæ mentis ſtudium; & rerum exquiſitarum ſcientiam ac erudita colloquia.

CAPVT XVI.

Conſueſcendum cum ſtudia eadem profitentibus.

EMBLEMA XVI.

Liricen teſtudinem pulſans; alia intacta reſonans.

Teſtudo teſtudinis Echo.

1. SI ſonus exprimi coloribus poſſet, fortè experiteris quod vulgò dici conſueuit, duas teſtudines eodem inter ſe tono temperatas ita affici, vt altera reſonet, dum fidicen alterâ canit; quæ res adſcriptâ epigraphe ſatis innuitur. Habes ſimile emblema Alcibiadis Lucarini concordiæ ſymbolum apud Camillum Camilli in Italicis ſuis diſſertationibus *pag.* 1. vbi de barbitis ait hoc ipſum quod de teſtitudinibus diximus, citátque in hanc ſententiam Gellium & Suetonium. hinc habes ſymbolum (opinor) non abſurdum illius commodi quod nobis obuenit cum viris doctis, quod tantum eſt, vt vix quidquam ſit fructuoſius; túque plura ſæpe diſcas vnâ ambulatione cum homine erudito qui ſit ἄγαλμα φιλοσοφίας ἁπάσης, *ſpirans effigies omnis philoſophiæ*, vt de Antiſtitibus dixit Iſidorus Peluſ.[a] & παιδείας ζῶσα, *viuens eruditio*, quàm ſi fueris multos dies in Muſeo tuo aſſiduus.

[a] ad Theod. paræn. 1.

2. Quod attinet ad illam philoſophiam quæ mores informat, in confeſſo eſt contubernium plus prodeſſe quàm ſcholam, plus conuictum & ſermonem familiarem ex æquo, quàm è ſuggeſtu meditatum. Zenonem Cleantes non expreſſiſſet, niſi vitæ eius interfuiſſet, ſecreta perſpexiſſet, obſeruaſſet illum an ex formula ſua viueret. Audi Ariſtidem ingenuè profitentem ſe ex aſpectu & contactu Socratis vtilitatem magnam percipere ſolitum. *Ego* (inquit) *ô Socrates vix à te quidquam didici, vt ipſe non ignoras: proficiebam autem quoties tecum vnà eram, etiamſi tantùm*

Sen. ep. 6.

vna

vna in domo eſſemus, quamquam non in eodem cubiculo ; magis tamen ſi quando in eodem etiam cubiculo : & tum quoque magis ſi in te dicentem intuerer, quàm ſi oculos aliam vllam in partem dirigerem : multo autem maximè ac plurimum proficiebam, ſi quando proximè te ſederem, tangerémque te , & hærerem tibi. Sic vertit Muret.

Aliarum quoque artium , vel ſcientiarum, quæ in contemplatione, vel vſu dicendi poſitæ ſunt, acquiſitio facilis eſt & expedita, ſi ſit copia hominum in illis facultatibus excellentium , quibus vtaris familiariter; adeò vt præceptum ſit Fabij Quintiliani [a], vt ne vitioſus ſermo ſit nutricibus puerorum , qui ſunt futuri aliquando oratores ; non ſolùm quia tenaciſſimi ſunt eorum, quæ rudibus annis perceperint , nec lanarum colores quibus ſimplex ille candor mutatus ſit elui poſſint , ſed etiam continua cum illis conſuetudo, & vſus cum parentibus, (in quibus multum eruditionis optat) haud parum momenti habeat ad erudiendam prolem ; quemadmodum Gracchorum eloquentiæ multum contuliſſe Corneliam matrem proditum eſt ; & Lælij filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam dicitur : & Q. Hortenſij filiæ oratio apud Triumuiros habita legitur non tantùm in ſexus honorem. Quæ omnia bona conſtat fructum eſſe bonæ & doctæ conuerſationis. 3.

[a] lib. inſtit. c. 1.

Facit ad rem præſentem quod Pauſanias tradit Megaris ſe vidiſſe lapidem qui calculo percuſſus dulcem & modulatum ſonum redderet, vt pulſæ fides ſolent. huius rei cauſam affert Ouidius [b], 4.

[b] lib. 8. Metam.

Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Laconia fertur
Expoſuiſſe lyram. ſaxo ſonus eius adhæſit.

Quid ſi nos adhæſerimus viris doctis, nunquid non docti ; ſi eloquentibus , nunquid non eloquentes ; ſi Poëtis , nunquid non vates euademus ? niſi magis lapides ſimus , quàm ille lapis, qui ſolo contactu lyræ Apollinis factus eſt ſonorus. Sanè eximium eſt quod Serapion [c] refert enatas ſuper Sibyllæ ſepulchrum herbas quarumcumque carpentium beſtiarum extis certam futurorũ præſagitionẽ indidiſſe. Herodotus [d] ait Dodonæum oraculum fuiſſe eiuſmodi. Plures pelues, ſeu lebetes ita collocati circa fanum Iouis , vt ſi quis vel leui ictu vnum contingeret, cæteri protinus perpetuâ complosione longum tinnirent : erant autem inter ſe contigui. Vides quid vicinitas faciat ; hoc efficit in conſuetudine cum viris doctis & eloquentibus ad comparandam ſcientiam & eruditionem; quod Dæmonis ars faciebat in iſtis lebetibus , vt ſimiles ederent ſonos.

[c] l. de Pythia p. 8.
[d] l. 2.

Vtor libenter teſtudine pro ſymbolo eruditionis , eloquentiæ & poëſeos; quia reperio apud Ariſtophanem eâ hominem indicatum qui Gratiis omnibus & Muſis (quarum inſigne eſt) ornatus ſit. Pleni ſunt Philologi iſtarum rerum : vnus pro multis mihi erit Euripides [e], qui & *canere* pro *ſtudere*, & *citharam* pro *libris*, & *ſonum* pro *lectione* venuſtiſſimè dixit. 5.

Pierius l. 47. c. 5.
[e] in Eretheo.

Ἀρκείτω μοι μίτον ἀμφιπλέκειν ἀράχναις,
Μετὰ δ' ἡσυχίας πολιῷ γήρᾳ συνοικοίην,

Ἀείδοιμι

Ἀείδοιμι δὲ στεφάνοις κάρα πολιὸν στεφανώσας
Θρηΐκιον ποντίῳ πρὸς Ἀθωᾶν
Περὶ κίοσιν ἐγκρεμάσας θαλάμοις
Δέλτων τ' ἀναπλήσσοιμι γῆρυν, ἅν σοφοὶ κλέων).

Satis mihi fuerit filum contexere aranea, modò cum tranquillitate canâ ſenectâ fruar, & cantem ſertis redimitus canum caput Threicij exemplo poëta citharâ in thalami columnis ſuſpensâ, librorúmque ſonos euoluam, quos ſapientes celebrauerint. Habeto & iſtud ſancti martyris Ignatij. Is Philadelphorum Epiſcopum laudans, non ſolùm ob ipſius ſilentium multorum grandiloquentiâ potentius, ſed etiam ob ſacri oris concentus ſuauiſſimos velut teſtudinis bene temperatæ hæc ait, τοῖς ἐντολαῖς κυρίου καὶ δικαιώμασιν, ὡς χόρδαι τῇ κιθάρᾳ, *ſic temperantur eius dicta ad diuinam legem, vt fides cithara.* Petamus & propoſitæ rei firmamentum ex eodem Pauſania, apud quem non ſolùm reperio contactu citharæ canoros effici lapides, verùm etiam lapidis contactu, imò etiam vicinitate ſolâ luſcinias argutiores fieri. *Thraces perhibent* (inquit) *luſcinias qua nidificant iuxta Orphei ſepulchrum ſuauiùs canere, velut ſi ſentiant animata illa cithara inſpirari ſibi diuini Vatis ſpiritus, vel ſi lapides à cithara vocales facti referre gratiam velint philomelis, vtpote animatis citharis.* non eſt igitur quòd anſer, vel graculus deſperet de conſequenda eloquentia, vel eruditione, ſi (iuxta prouerbium) frequenter inter cygnos & Muſas verſabitur.

CAPVT XVII.

Labor literarius identidem intermittendus.

EMBLEMA XVII.

Arcus ex contenſo fractus; alter remiſſus, & integer.

Vt diu tendas, ne diu tendito.

I. PAſſim obuium eſt corpus huius emblematis, haud proinde tamen minùs aptum admonendis iis, qui animum ad ſtudia literarum *intendunt*, vt identidem eum *remittere* velint; ne non ſolùm debilitetur, verùm etiam frangatur. Tanta verò eſt ſimilitudo inter arcum & animum, ſiue ingenium, vt eædem vtrique conueniant affectiones, iiſdem vocibus exprimantur. Nam & Cicero [a] ait Appium Clodium *animum intentum tanquam arcum* habuiſſe: & [b], *quæro non quibus intendam rebus animum, ſed quibus relaxem.* Ouidius [c],

Ingenium fregere meum mala.

Diſplicet autem Gellius cùm ait, aliud eſſe animum remittere, & laxare animum iucundis ſermonibus, deceptus auctoritate Muſonij. *Saturnalia*, inquit [d], *Athenis agitabamus hilarè prorſum ac modeſtè; non, vt dicitur, remittentes animum; non remittere, inquit Muſonius, quaſi amittere eſt, ſed demulcentes eum paulum atque laxantes iucundis honeſtiſque ſermonum illecta*

[a] de ſenect.
[b] in Hortenſio.
[c] l. 3. Triſt. el. vlt.
[d] l. 18. c. 2.

illectationibus. hæc ille, ſed meo quidem iudicio perperam, & magis credo Ciceroni, Senecæ & aliis, de *animi remiſſione* in bonam partem loquentibus, quàm Muſonio, vel Gellio contrà ſentientibus. Proinde tempeſtiuas animi remiſſiones ſuadeo, ſolutionem diſſuadeo. *Nam remittas animum, an ſoluas, multum intereſt,* ait Seneca [a]: illud laudi, hoc vitio vertitur; illud moderationem, iſtud immoderationem ſignificat, vnde D. Ambroſius [b], *Caueamus,* inquit, *nedum laxare animum volumus, ſoluamus omnem harmoniam quaſi concentum quemdam bonorum operum.*

a de tranq. c.15.

b l.1.off.

Inſcriptio huius emblematis haud abſimilis eſt illi prouerbio quod in Italia paſſim teri refert Ludouicus Cornarus in aureolo tractatu de vitæ ſobriæ commodis, *Qui multum vult comedere, comedat parum:* nimirum, quia parum comedendo diutiùs comeditur, cùm per temperantiam vita diutiùs protrahitur. Cui dicto annectit & alterum, *Sæpe plus iuuat cibus qui ſupereſt comedenti, quàm qui ab illo comeſtus eſt.* Qua parœmia indicatur ſæpenumero plus eſſe commodi ex relicto cibo, quàm ex aſſumpto. Transfero iſta ad animum, & aio, *Animum vt diu tendas, ne diu tendito.* vt diu ſtudeas, immoderatiùs ne ſtudeto. Duas præſertim ob cauſas documentum iſtud antiquiſſimum eſſe debet ſtudio literarum deditis hominibus: tum ne literarum tractatio, res ſcilicet ſuauiſſima, nauſeam pariat: *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne ſatiatus euomas illud.* periculum huius ſatietatis & faſtidij eò maius eſt in ſtudiis, quàm in melle, quòd ſtudiorum ſuauitas laborioſa ſit: *Laboris autem condimentum eſt intermiſſio. quæ ſi adhibita fuerit, acrior fiet ad ſtudia reditus.* Altera cauſa eſt, valetudinis ac virium corporis & animi conſeruatio; quæ (vt monuit Lucianus [c], vegetiores robuſtioréſque erunt, ſi athletarum more aliquid laxamenti ſumatur. *Danda eſt aliqua remiſſio,* inquit Fabius [d], *non ſolum quia nulla res eſt quæ perferre poſſit continuum laborem, atque ea quoque quæ ſpiritu & anima carent, vt ſeruare vim ſuam poſſint velut quiete alternâ retinentur; ſed quia diſcendi ſtudium, voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat: itaque plus virium afferunt ad diſcendum renouati ac recentes, & acriorem animum qui ferè neceſſitatibus repugnat.* 2.

Prou. 25.26.

c lib. 1. veræ hiſt.

d Quint. l. 1. c.4.

Bene eſt (inquies,) pueris indulgendum eſt aliquid remiſſionis & luſus; & hoc ſapienter Quintilianus præcepit moderatoribus tenerioris ætatis, dummodo ſit in remiſſionibus modus, ne vel odium ſtudiorum faciant negatæ; vel otij conſuetudinem nimiæ: at in viris quis hæc temporis diſpendia æquo animo ferat? Corpora motu & exercitatione ingraueſcunt; animi exercendo leuantur. Et diuinè Theophraſtus dixit, ῥήγνυσθαι σοφίας τόξον ἀνιέμενον, *ſapientiæ rumpi arcum ſi relaxetur.* Quiſquis iſta mihi obiicis, næ admodum auſterus es, ſi ex animi tui ſententia loqueris; ipſóque Socrate, Scipione, Seneca, ac vniuerſæ Stoæ moroſiſſimis difficilior, nedum Lycei grauiſſimis. Audi quid ſuper hac re Princeps peripateticorum referat ex Anacharſi, probétque, παῖζε ὅπως σπουδάζῃς, *Inde vt deinde rebus ſeriis intentus ſis.* accipe quod Seneca ſtatuit [e], *nec in eadem intentione ſemper retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda: cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat, Scipio triumphale illud & militare corpus mouit ad numeros non molliter ſe infringens, vt nunc* 3.

Cic de ſen.

Laert. in Theophr.

e de tranq.

mos eſt, etiam inceſſu ipſo vltra muliebrem mollitiem fluentibus; ſed vt illi antiqui viri ſolebant inter luſum & feſta tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamſi à ſuis hoſtibus ſpectarentur. Danda eſt remiſſio animis, meliores acrioréſque requieti ſurgent: vt fertilibus agris non eſt imperandum; citò enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas; ita animorum impetus aſſiduus labor frangit: vires recipient paulatim reſoluti, & remiſſi; naſcitur ex aſſiduitate laborum hebetatio quædam & languor. Legum conditores feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem publicè homines cogerentur, tanquam neceſſarium laboribus interpretantes temperamentum. & magni quidam viri ſibi menſtruas certis diebus ferias dabant, quidam nullum non diem inter otium & curas diuidebant, qualem Pollionem Aſinium oratorem magnum meminimus, quem nulla res vltra decimam retinuit: ne epiſtolas quidem poſt eam horam legebat, ne quid noua cura naſceretur; ſed totius diei laſſitudinem duabus illis horis ponebat. quidam medio die interiunxerunt. Dandum ſubinde otium quod alimenti & virium loco ſit, & in ambulationibus apertis vacandum, vt cœlo libero, & multo ſpiritu augeat, attollátque ſe animus. Hæc Seneca. Qui dum ait quoſdam medio die interiunxiſſe, non ſolùm intelligendus eſt de ſomno meridiano quo breuiſſimè vtebatur, ſícque (quemadmodum ipſe & Horatius [a] loquuntur) partem ſolido demebat de die, vt etiam facere conſueuerat C. Plinius ſecundus, qui (iuniore teſte [b]) ſumpto meridiano cibo dormiebat minimum; mox verò quaſi altero die ſtudebat vſque ad cœnæ tempus: verùm etiam explicandus eſt Seneca de remiſſione & otio aliquo moderato, & ceſſatione à ſtudiis; petitâ metaphorâ ab equis iugalibus, qui ſub meridiem ſoluebantur, vt paululum interquieſcerent. hinc Martialis [c], *hora laſſos interiungit equos meridiana.* Iſocrates [d] Demonicum admonet vt etiam *deſinat laborare dum adhuc laborare poteſt:* conſentaneè monito medicorum præcipientium, vt qui tueri valetudinem volet, nunquam ad ſatietatem veſcatur. Bembus [e] continens ſtudium & aſſiduitatem filij ſui, qui ſolidos quatuordecim menſes nullâ interpoſitâ ceſſatione Græcis literis diſcendis impenderat, *ſuperſtitioſam* appellauit. Inconſulta iſta in ſtudiis pertinacitas ſeriùs ociùs luitur, & grauiter quidem. Quapropter ſicut frequentior luſus & vſus iocorum omne animi pondus omnémque vim eripit: nam & ſomnus refectioni neceſſarius eſt; hunc tamen ſi per diem noctémque continues, mors erit; ita quia ἀδύνατόν μὲν συνεχῶς πονεῖν fieri non poteſt, vt in continuo labore verſemur, ſi nobis adhibebimus recreationem φαρμακείας χάριν, & velut ἰατρείαν medicamenti loco, ac opportunam prorſuſque neceſſariam curationem, & ἄριστον πόνων ἰατρὸν, vt loquitur Pindarus.

[a] l. 1. od. 1.
[b] l. 3. ep. 5.
[c] l. 3. ep. 66.
[d] ad Demõ.
[e] dialogo de Ætna.

4. Itaque licebit etiam profitentibus religioſam & ſeueriorem vitam, exemplo D. Gregorij Nazianzeni aliorúmque ſanctiſſimorum hominum τοὺς πόνους διαλύειν ἀνέσει, *honeſtis obectamentis labores diluere*; dummodo iſta remiſſio, iſte ludus, iſta ambulatio ἔργα non ſint, ſed πάρεργα, neque hactenus vllus eruditorum & ſapientium literarias ferias certis diebus & ſtatas intermiſſiones damnauit, aut minimè neceſſarias eſſe duxit. Si quod hominum genus illas reprehendit, illi profectò nunquam

quam

quam experti ſunt defatigationem mentis non minorem eſſe quàm corporis, ſit licet occultior; ac fieri prorſus non poſſe, quin vires tum corporis, tum ingenij penitus opprimantur, niſi per certa temporum interualla omnino contentionem intermittant, ac ſeſe velut recentis auræ reſpiratione reficiant: οὐ παίζουσι μανθάνοντες, (credite inexperti) ἀλλὰ μετ᾽ λύπης ἡ μάθησις. *Res eſt minimè ludicra ſtudium, ſed cum dolore iuncta omnis diſciplina ſiue perceptio, ſiue traditio.* Pauci ſunt ex eorum numero qui diutiùs occupantur in ſtudiis qui dicere cum D. Auguſtino [a] non poſſint, *Literario labori nimio pulmo meus cedit, & difficulter trahit ſuſpiria, doloribúſque teſtatur ſe ſaucium, vocémque clariorem & productiorem recuſat.* Ipſi quoque è literionum grege minimi, non abnuent dictum iſtud, quod tanto plus habet virium, quanto altiùs trahitur & torquetur ex intimis penetralibus Philoſophiæ ſeuerioris. *Omnibus prodeſt animum relaxare: excitatur enim otio vigor, & omnis triſtitia quæ continuatione pertinacis ſtudij obducitur, feriarum hilaritate diſcutitur.* Quæ cauſa eſt cur Academiarum moderatores ſapienter inſtituerint ſtatis anni temporibus vacationes, imò etiam hebdomadarias ferias, & tempeſtiuas ruſticationes, nimirum id experti quod Plinius iunior monuit, *Animum agitatione corporis motúque excitari, & vegetari cœli purioris reſpiratione.* Denique vt poſtrema cum primis bellè conſentiant, infero tibi lector ambroſiam ex promptuario D. Ambroſij ſic loquentis [b], *Quod velis prolixè facere, aliquando ne feceris.* Præclarè monet Valerius Maximus [c] duplex eſſe otium; alterum quo euaneſcit virtus, alterum, quo recreatur, ſtrenui enim & induſtrij, tempeſtiua laboris intermiſſione fiunt ad laborandum vegetiores. Scæuola grauis ICtus in ſeriis rebus Scæuolam agebat; in luſibus, hominem, quem rerum natura continui laboris patientem eſſe non ſinit.

Ariſt. l. 1. polit. c. 5.

[a] l. 4. conf. c. 2.

Sen. in procem. contr.

Creſol. vacat. l. 1. c. 2. & 3.

[b] l. 3. de Virgin. habet aliquid affine S. Hier. in Epith. Paulæ cp. 27.

[c] l. 8. c. 8.

Capvt XVIII.

Ex Auctorum libris quomodo proficiendum.

EMBLEMA XVIII.

Apes ex aluearibus in flores, & ex floribus in aluearia.

Floriferis vt apes in ſaltibus. Lucr.

Si velim ſingula documenta perſequi quę homines cupidi literarum accipere poſſunt ex apibus, ſolis ex omni genere inſectorum (ſi Plinio fides eſt [d]) hominum cauſâ genitis, Ariſtomachi, vel Philiſci labore & tempore opus ſit. Eſt quòd in tantulo animali miremur non laborem modò, ſed etiam ingenium, quæ duæ res hominem ſtudioſum perficiunt: inter cætera verò hoc obſeruandum, quòd neque ſunt manſueti generis, neque feri; quæ virtus homini addicto literarum ſtudiis apprimè conuenit, vt cùm ſtudendum nec manſuetus ſit, & ſin- 1.

[d] l. 11. c. 5.

gulorum iuris; nec ferus, cùm ceſſandum.

2. Mirabile eſt quod mortuis ne floribus quidem non modò corporibus inſidunt, nec ex iis ad quos acceſſerint omnia comprehendere,ſed ſolùm neceſſaria conſueuerint; quo munditiæ & temperantiæ ſtudio vinci ſe à tam exiguo animali pati haud deberent qui legendo ſcribendóque occupantur; ſed longè miſerabiliſſimum quod de opere & labore ſcriptores & naturæ earum obſeruatores paſſim memorant,quæ ſtudioſis hominibus eſſe poſſint vel ſtudij exempla,vel ſymbola. Senecæ hoc maximè placuit imitari in apibus. *Ne ſtudentes aliud quàm de quo agitur abducat nos,quacumque ex diuerſa lectione congeſſimus ſeparanda ſunt, quia meliùs diſtincta ſeruantur.* Deinde adhibitâ ingenij noſtri curâ & facultate, in vnum ſaporem varia illa libamenta confundenda ſunt, vt etiamſi apparuerit vnde ſumptum ſit, aliud tamen quàm vnde ſumpptum eſt,appareat.

Plin. l.16. c.8.

D. Baſil. hom.24.

3. Aſſentiamur illis fideliter,& noſtra faciamus, vt vnum quiddam fiat ex multis; quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra facere naturam. Alimenta quæ accepimus quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt: at cùm ex eo quod erant,mutata ſunt; tum demum in vires,& ſanguinem tranſeunt.Idem in his quibus aluntur ingenia præſtemus, vt quæcumque hauſimus,nòn patiamur integra eſſe ne aliena ſint; ſed concoquamus illa, alioqui in memoriam ibunt, non in ingenium. Nam & hoc egregiè faciunt apes quæ rorem, vel ſuccum illum, quem paſſim ex tenerrimis virentium florentiúmque opportunâ conditurâ & diſpoſitione in mel vertunt, non ſine quodam (vt ita dicam) fermento, quo in vnum diuerſa coaleſcunt.

4. Quicumque tenebit hunc in ſtudendo modum, rectè cognominari mihi videbitur poſſe vt Sophocles *μέλιττα καὶ νέα σειρήν, apis & noua Siren*, & (quemadmodum Ariſtophanes viros doctos appellat) *μέλιττα Μούσης, Χαρίτων τρύφημα, Muſarum apis,& Charitum deliciæ.*

5. Cæterùm duo ſunt, ob quæ ſuum eſſe in noſtra Bibliotheca apibus locum voluerimus inter emblemata,*Grati animi virtus*, & *documentum.* Gratiis ipſis ingrati ſimus, niſi meminerimus, apes tam ſtudioſè eruditis hominibus gratificatas, vt in Platonis, Pindari, & D.Ambroſij ore conſidentes,limen illud *domicilij Gratiarum exoſculatæ ſint.* Non prætercundum quod refert Theocriti Scholiaſtes, vnde Cauſſinus noſter ſymboli ſumpſit argumentum. Paſtor fuit in Sicilia nomine *Comates*, qui inconſulto hero ſuo prædiuite libabat interdum Muſis aliquid lactis:cuius rei certior factus dominus,ſeruo ſeueriùs ſuccenſet.Comates nihil eſſe quod tantopere increpetur ait, à Muſis redditum iri cum fœnore quod abſtuliſſet.& obtuliſſet:implacatior in ſeruum herus & durior factus hoc molli reſponſo miſerum includit in excauatam arborem, vt ibi fame tabeſceret, & abit. Anno exacto redit viſurus quid eo factum ſit;virúmque ſpirantem ac valentem reperit,iuxtáque fauorum affatim vnde victitauerat; Muſarum beneficium quæ apum miniſterio per arboris rimas cultorem ſuum ſuauiter aluerant.

Bibl. Cagn. l.1.narrat.

CAPVT

CAPVT XIX.

Studioſis hominibus tranquilla commoratio deligenda procul à bellorum ſtrepitu.

EMBLEMA XIX.

Oliuetum egregiè ſeptum ac munitum turribus; in oleis frequentes cicadæ; ſub iis diſputantes Philoſophi; fores ſic inſcriptæ,

Muſarum ſecuritati.

MOnet Plato in Phædro non decere virum Muſarum ſtudioſum ignarum eſſe eius rei, quam ſum dicturus. Aiunt cicadas olim homines fuiſſe ante Muſas: natis deinde Muſis & canere edoctis, nonnullos ex eo cœtu ſuauitate cantus delinitos ita illi vni voluptati indulſiſſe, vt cibi potúſque immemores & pertæſi imprudenter inedia deficerent; vnde ortum cicadarum genus Muſarum beneficio, haud ampliùs vllius alimoniæ indigum, ne quid cantum interpellet. inſuper & hoc ei munus demandatum, vt ſingulis Muſis renunciet à quo ſtudioſorum quæque præcipuè colatur. quod & ſtudioſiſſimè faciunt, & maximopere delectantur, ac certatim canunt ſuper capita eorum, qui per æſtiuos calores diſputant in pomariis; hos autem qui proiecti viridi in herba otio diffluunt, ac ſomnolenti oſcitanter diſpandiculantur irrident vt ignaua mancipia ac pecudes ſub vmbra ſecus fontem meridiãtes. Iam vides eſſe aliquid commune cicadis cum Muſarum cœtu & ſtudioſorum conuentibus. Vis modulantibus adiutrices & aſſonantes demus? hoc habe ex Conone [a]. Certabat canendi gloria Eunomius Locrius cum Regino delphis in frequentiſſimo theatro, cui mirificè placebat. interea accidit vt vnâ è fidibus fractâ aduolans cicada, atque citharæ iugo inſidens ruptæ ſonum expleuerit. O fortunatam infelicitatem, ô felix infortunium, & hoc ad plauſum requirebatur, vt eſſet omni ex parte inſolitus. 1.

[a] apud Photium in Ep. ad Ioannem Patricium.

Solenne eſt etiam Philologis cicadas pro poëtis ſumere. inde illa parœmia quam Demetrius Phalereus Dionyſio, Ariſtoteles autem Steſicoro attribuit, ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι ὅπως μὴ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν, *Non oportere cuiquam poëtarum iniurium eſſe, ne cicadæ ex humo canant.* Licèt enim quidam Poëtarum ſint ita humiles vt è terra geniti & è puluere excitati videantur; haud tamen Plato cenſuit eſſe irritandos, quia ſty- lum tenent ſicâ formidabiliorem, ſúntque voce adeò acutâ, vt ater ... ais, an ruber, tota poſteritas ſcitura ſit. Theocritus [b] Thyrſim commen- dans à carminis ſuauitate, eum cum cicadis contulit. Eſt hoc inſuper cicadis ingenium (auctore Ariſtotele [c]) vt ibi numeroſiores ſint, vbi multæ ſunt arbores, ac præſertim *oleæ*, ſymbolum pacis quà maximè ... nt ac 2.

[b] in Daphnide.

[c] lib 3. de anim c 30.

 pro

promouentur ſtudia literarum.ideo domus ſapientiæ, ſiue doctrinæ à Salomone inſtituta,ædificata erat in ciuitate Dauid intra primum vetuſtiſſimum ac tutiſſimum murum, in qua erat ſecunda ciuitas, loco, naturâ & opere adeò munita,vt *arx Sion* vocatus ſit, inuitentúrque inſipientes & paruuli *ad arcem* daturi operam literis & ſapientiæ.

3. Eamdem ob cauſam ſepſimus hoc oliuetum philoſophicum,in quo diſputant ſapientes & canunt cicadæ, prææalto muro & turribus, vbi minimum eſſe queant à bello periculi. non enim tantùm ſilent inter arma leges,ſed etiam literæ,quia ſereno animo (vt par eſt) ſolutóque ac libero coli non poſſunt, niſi ſtudentes ſecuri ſint vt bene ſtudeant; vt autem ſecuri ſint,debent eſſe tuti.Experiuntur qui dant operam literis, *quantum bello potior ſit pax hominibus, quæ primùm Muſis eſt gratiſſima, vt dixit Euripides* [a],

[a] apud Stob. ſerm.53.

Ὅσω τὲ πολέμυ κρεῖττον εἰρήνη βροτοῖς

Η πρῶτα μὲν μόυσαισι προσφιλεστάτη.

Et in bellorum tempeſtate tum literæ tenent portum, cùm perferunt arma naufragium,dixit Sidonius : ob id à Veſpaſiano fuit erectum *templum pacis* magnificentiſſimum, in quod qui de rationalibus diſciplinis diſputabant,conueniſſe obſeruat ex Galeno Mercurialis : ideo locum hunc inſcribere placuit, *Muſarum ſecuritati.* Si tamen muro hoc ſymbolicè Philoſophiam ſignificari poſſe dixeris, neutiquam repugnabo : quin placitum illud tuum dicto Senecæ [b] adſtruam. *Multa extrà ſunt quæ circumeunt nos,quæ aut fallant,aut vrgeant: multa intus quæ etiam in media ſolitudine exæſtuant. Philoſophia circundata eſt, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum tranſit..*

[b] Ep.82.

CAPVT XX.

Scripturo captandum ſcribendi deſiderium, & ſatagendum, vt animus afficiatur atque incaleſcat.

EMBLEMA XX.

Cygnus Fauonio adſpirante ſuauiter canens.

Agitante caleſcimus illo.

1. REfert Aldroandus olores tum ſuauiſſimè canere cùm afflat Zephyrus.Celebre eſt illud Ouidij,

——*laudataque virtus*
Creſcit,& immenſum gloria calcar habet,

vſque adeò verum vt ipſi artifices afflati aliquâ aurâ commendationis nihil non moliantur & perficiant. Et literatis hominibus ita inhæret ſtudium laudis,vt ingenuè faſſus ſit Demoſthenes ſe delectatum ſuſurro aquam ferentis mulierculæ alteri in aurem dicentis, *hic eſt.*

Cic.Tuſc.3.

2. Poëtas nihil magis prouehit quàm iſte Fauonius, nunquam ſtudioſius

ſius canunt, quàm cùm ſentiunt.

> Ἀνίσαται γὰρ πτερύγων ἡ πυκνότης
> Νεύρων τάσιν γ' ἔντεχνον ἐκμιμουμένη,
> Καὶ πλῆκτρον εὐθὺς ὁ Ζέφυρος ὑφηγεῖται.

Erigitur enim alarum ſeges, fidium neruos temperatos referens, & plectrum ſtatim Zephyrus ſuggerit.

Sed per *cygnos* viros doctos, præſertim verò poëtas ſignificari diſce ex Horatio, qui Pindarum *Dircæum cygnum* appellat; & de ſe ipſo hæc ait, 3. Philo apud Cauſ. ſymb. l. 1.

> *Non vſitatâ nec tenui ferar*
> *Pennâ album mutatus in alitem.*

Similiter Virgilius,

> *Cantantes ſublime ferent ad ſydera cygni.*

Aues ſunt non ſine cauſa Apollini dicatæ, ait Tullius [a], quòd ab Apolline diuinationem habere videantur: prouidentes enim quid in morte boni ſit, cum voluptate & cantu moriuntur: à Theocrito dicuntur Μουσῶν ὄρνιθες.

[a] 1. Tuſc. ex Platon.

Alia huius Emblematis interpretatio eſſe poteſt, tum maximè ſuauiter poëtas canere, cùm afflantur interiùs; & viros doctos in iis ſtudiis feliciter prouehi, quibus naturæ propenſione delectantur.

CAPVT XXI.

A præcocibus & prææmaturis ingeniis plena opera non exigenda.

EMBLEMA XXI.

Puer mortuus cano capite ſolſtitialem herbam tenens, in pomario, vbi matura poma decidunt, alia immatura arbori inhærent.

Proximi caſus indicium, maturitas.

1. FAbio Quintiliano [b] vſquequaque non placet duplex adagium traductum ad ingeniorum commendationem, quòd ipſius ętate decātari ſolebat. Alterum eſt, *magnorum fluminum fontes eſſe nauigabiles:* alterum, *generoſioris arboris plantam ſtatim cum fructu eſſe.* Licèt enim in rebus naturalibus ita ſe interdum res habeat, vt quædam præſtantiſſima ſe illico proferant ac perficiant; tamen in plurimis animaduerſum eſt neceſſariam eſſe moram & tempus; neque continuò exoriri, neque exorta repentinis incrementis ad ſummam perfectionem euadere: vel, ſi illico oriuntur, momento occidunt, nec (vt contingit quibuſdam vinis) ætatem ferunt. Ita illud ingeniorum velut præcox genus vix vnquam peruenit ad frugem. Summo ſolo ſparſa ſemina celeriùs quidem ſe

[b] 8. Inſtit.

ſe effundunt, verùm quia penitus immiſſis radicibus non nituntur imitatæ ſpicas herbulæ inanibus ariſtis coloni ſpem fallunt. Placent annis perfecta ingenia quæ magis ſequuntur, quàm præcurrunt; nam & diuturniora ſunt, & ſolidiora.

2\. Habes huius rei documentum in cano adoleſcente mortuo, cuius dextra ſolſtitialem herbam inſeruimus appictâ iſtâ inſcriptione, *Proximi caſus indicium maturitas.* Quod etiam ſignificant ea poma, quorum alia matureſcentia inhærent in arbore, alia præcocia decidunt. Hinc ſeni adoleſcentulo quem pinximus ſimilem fuiſſe Hermogenem Tarſenſem ſophiſtam, Antiochus & ipſe Sophiſtes dixit, Ἑρμογένης ὁ ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς. *Senex inter pueros, inter ſenes puer.* nam vix natus annos quindecim fama ſuæ eruditionis & acuminis in diſſerendo M. Antoninum ad ſe audiendum acciuit, cuius extant hæc verba apud Philoſtratum. Venio ad te Imperator Pædagogo indigens Rhetor, quem etiamnum ætas moratur: recedens à Principe egregiè muneratus eſt. Circa annum duodeuigeſimum librum edidit de artis Rhetoricæ præceptiōnibus, qui ponitur in prima commendatione ab eruditis. Haud ita multo pòſt vix dum expletâ adoleſcentiâ ita à Mercurio degenerauit (quemadmodum Cratillus luſit in eius nomine) vt ne quidem vmbram paternæ eloquentiæ retinuerit, omnibúſque ludibrio fuerit ob ſtuporem obortum: ſic repentè floruit, ſic repentè defloruit herba ſolſtitialis Hermogenes; ſic ingenia quò illuſtriora, eò breuiora eſſe dixit Seneca [a]: *Nam vbi cremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt.* Vidit aliquando Roma puerum ſtaturâ ingentis viri, ſed hic citò deceſſit, & moriturum breui nemo non prudens dixit, *non poterat enim ad illam ætatem peruenire, quam præceperat.* ita eſt indicium imminentis exitij maturitas, & appetit finis vbi incrementa conſumpta ſunt. In floribus qui ſpectatiſſimè florent, ij celerrimè marceſcunt. hoc ſæpenumero animaduerſum eſt non poſſe in illis vitam eſſe diuturnam, qui maturitatem gloriæ & ingenij citò aſſequuntur,

> *Oſtendunt terris hos tantùm fata, nec vltrà*
> *Eſſe ſinunt.*

Viues de tradendis diſc. l. 2.

Hermogenes i. filius ſeu proles Mercurij.

[a] conſol. ad Martiam.

3\. Ingenij & naturæ miraculum. Picus Comes Mirandulæ morte præproperâ ſublatus eſt nondum per ætatem vir factus. Is pauculis annis eò doctrinæ peruenerat, quò Neſtoreos annos potuiſſet conſecrare: non potuit non illico ad exitum properare qui momento ad ſummum euaſerat, tum propria virtute & induſtria, tum mutorum Magiſtrorum (ſic libros, ſi bene memini, appellabat) adiumento. Eripit ſe auféttque ex oculis perfecta virtus, nec vltimum tempus expectant quæ in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, citiùs extinguitur, εὔδρομοι, καὶ εὐπαθεῖς, καὶ ἀνδρόπαιδες, (vt Græci iſtos vocant) citò moriuntur; quia natura eos eruditione, non annis æſtimat. Interuenit etiam interdum (vt ita dicam) mortis quaſi quidam error, & imprudentia,

> *Quæ iuuenes iſtos indicat eſſe ſenes.*

At verò quid faciendum, (inquies.) Quid conſilij dabis iſtis præmaturis

turis ingeniis vt diutiùs viuant, & vegetent? Ego omnino iſtis auctor ſim ne omnia velint quæ poſſunt: ac præceptoribus, ne ab eis plenam exigant operam.

CAPVT XXII.

Neceſſitas & paupertas ſæpenumero ingenium acuunt.

EMBLEMA XXII.

Coruus ſitiens lapillos congerit in ſitulam monumenti, vbi aqua pluuia durauerat, ſed quæ attingi non poſſet: ita deſcendere pauens, expreſſit tali congerie quantum potu-ro ſufficeret.

Χρεία διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ σοφόν.

EMblematis corpus ſumpſimus ex Plinio [a], animam ex Charchedonio apud Suidam. 1.
Plinio conſentanea refert Plutarchus [b], addens — a l. 10. c. 43.
de cane qui in naui abſentibus nautis lapillos in amphoram oleo non — b lib. de ſo-
repletā iniecit. De coruis Libycis eadem Ælianus [c]. quamuis autem lycei — lertia anim.
Princeps neget fieri poſſe, aut certè difficile eſſe, vt is res agat præcla- — c 1. polit. c.
ras, cui facultates deſunt: vnde Iuuenalis, — 8. in fine.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat — Idem Inno-
Res anguſta domi: — cent. III. in

tamen plerumque verum eſt. Lemmati emblematico affinis eſt iſte ſe- — cap. quia non
narius Euripidis in Theleſto apud Stobæum [d], — nullis, de mag. Æl. l.

χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν. — 11. de anim.

Neceſſitas etiamſi rudis fueris te doctum & ſapientem efficiet. Quodquàm ve- — c. XLVIII.
rum ſit quotidiano vſu comprobatur. Animaduertimus enim plures — d Serm. 29.
iuuari ad profectum in literis ipsà inopiâ rerum neceſſariarum, quàm — de aſſiduitate.
omnium commoditatum affluentiâ, ac veriſſimum eſſe illud Arceſilai [e],
πενίαν λυπρὰν μὲν εἶναι, ὥσπερ καὶ τὴν Ἰθάκην, ἀλλὰ καθόλου γυμνάσιον ἀρετῆς ἔμ- — e apud Stob.
πρακτον. *Paupertatem aſperam quidem eſſe velut Ithacam, ſed in vniuerſum* — Serm. 93.
efficax virtutis gymnaſium. Quod putas propter abundantiam potius quàm ob inopiam prohiberi à ſtudio literarum dixit Teles apud Stobæum [f]. ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅτι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οἱ πτωχότατοι φιλοσοφοῦσιν. *An non vi-* — f ibid.
des pauperrimos vt plurimum philoſophari? certè [g] — g ibid. Theognis.

Πολλῷ τοι πλεῖους λιμοῦ, κόρος ὤλεσεν ἄνδρας.
Multo plures ſatietate quàm fame perierunt.

Nemini non notus eſt Scazon Perſij [h], — h in prol.

Magiſter artis, ingeniique largitor
Venter.

Eadem neceſſitas, ſeu paupertas apud Ariſtophanem, *ſe artium inuentricē prædicat.* Eamdem Diogenes [i] aiebat eſſe αὐτοδίδακτον ἐπιχείρημα πρὸς — i Serm 93. Stob.

 φιλοσοφίαν,

φιλοσοφίαν, adiumentum quod ſuapte ſponte nos in philoſophia erudit. Illæ ipſæ incommoditates quæ ſunt paupertatis comites aſſiduæ, ignauiam acuunt, & proſunt ſtudentibus, iuxta dictum Euripidis, *πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ δύστυχες, Paupertas Philoſophiam acuit & infortunia.* Itaque quid mirum ſi neceſſitas ingenium præſtat hominibus, quæ vel ipſas beſtias ita erudit, vt coruus intellexerit grauioribus immiſſis ſurſum leuiora ferri, & duo corpora vno eodémque non capi loco. Denique *χρεὼ πάντ' ἐδίδαξε, omnia docuit neceſſitas.* Achantis auis in ſpinis viuens, florens tamen ſumma cantus amœnitate *φθέγγεται τ' ἀμελὲς καὶ εὔμουσον, & gerens perpetuas cum aſiuo inimicitias*, præbuit Cauſſino noſtro occaſionem pulchri emblematis, vt hoc ipſum quod agimus, indicaret, nimirum multis ſtudioſis parcè & durè victitantibus ſuam inopiam profuiſſe ad eloquentiam. Animaduertendum tamen eſſe ait Horatius Lutius[a], quòd *in ſtudio non viuitur vento*, vt dicitur *in l. fin. C. de alim. pup. præſtandis*; & prouidendum ne ſcholares laborent egeſtate, vt eſt text. *in d. l. fin. in fine.*

Plut. l. 1. de diuin.

[a] tract. de priuil ſtudent. priuil. 16.

CAPVT XXIII.

Quæ cauſa præfigendi, quæve ſupprimendi ſui nominis in literariis operibus.

EMBLEMA XXIII.

Illuſtris, concinna, & ſumptuoſa frons ædificij, è cuius ſupero limine exeat per fracti marmorei iecoris rimas caprificus circumplicata volumine præferente hoc Epigramma,

Rarum operi ſine nomine nomen.

1. HVius emblematis intellectus facilis eſt, & capite ſecundo huius libri primi velut anticipatione repræſentatus. Magna quidem eſt muralis herbæ, aut radicum parietariarum vis, ſed

——murali concita nunquam
Tormento ſic ſaxa fremunt, (Virg. 12. Æn.)

ſicut ſtudium laudis & famæ ſollicitat & rumpit doctorum hominum mentes, in quibus altiuſculè inſederit; adeò vt iidem ipſi Auctores qui de contemnenda gloria ſcripſerunt, ſuum nomen ſuis operibus inſcripſerint, inquit Tullius. Supprimendum igitur omnino erit ſuum auctori nomen? inquies. Reſpondeo. Verum quidem eſſe plurimas eáſque laudabiles cauſas afferri à viris magnis, *cur in titulo libellorum non ſit nomen Auctoris*, vt Salonio Epiſcopo reſpondit Saluianus presbyter Maſſilienſis interrogatus cur ſuppreſſo proprio nomine, ſuis ad vniuerſam Eccleſiam libris Timothei nomen præfixiſſet. Prima cauſa (inquit) venit à mandato Dei, quo præcipimur vitare omnibus modis terreſtris gloriæ vanitatem, ne, dum humanæ laudis aurulam quærimus, præmium

mium cœleſte perdamus; ſicut nulla ſit maior fidei deuotio, quàm quæ conſcientiam vitat hominum, Deo teſte, qui videt in abſcondito contenta: & ideo ſcriptori ad ſubtrahendum titulo ſuum nomen ſufficere hæc tantummodo cauſa poteſt, vt quod in honorem domini ſui facit, diuinæ tantùm ſcientiæ reſeruet. Altera cauſa celandi ſui nominis adeóque proprios libros nomine grauis & ſpectatæ alicuius perſonæ inſcribendi, eſt deſiderium & cupiditas alienæ vtilitatis & commodi. omnia enim (quemadmodum animaduertit idem Saluianus) admodum dicta tanti exiſtimantur, quantus eſt ipſe qui dixit: ſiquidem tam imbecilla ſunt iudicia huius temporis, ac penè tam nulla, vt hi qui legunt non tam conſiderent, quid legant, quàm cuius legant: nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem. Similem ob cauſam Auctor libri de virtutibus Cardinalibus Chriſti dixit, *Si quid aliquando ſcribimus, indignum titulo iudicamus; ne fortè nobilis materia, cuius explanationi ſtudium adhibemus, decoloratam ſe potius, quàm ornatam noſtra præſumptione queratur.* Eodem conſilio qui præfigere ſuum nomen conſueuerat cæteris ſuis Epiſtolis D. Paulus, in ea quam ſcripſit ad Hebræos, *propter inuidiam ſui apud eos nominis, titulum ſalutationis in principio amputauit.* D. Hier. in Cat.

2. D Gregorium Nazianzenum alia ratio mouit ſuum vt opus de fide vulgaret tacito proprio nomine: ne videlicet libertatem iudicij & cenſuræ viris doctis & prudentibus qui illud legerent, eriperet: ſed velut alter Apelles poſt tabulam latens, & vitia quæ notarentur auſcultans ipſe poſtea emendaret. Nemo eſt enim (inquiebat) qui ſibi tam arroganter ſummam doctrinæ cœleſtis aſſumat, vt putet ſe liquidò omnia myſteria comprehenſa retinere. Accedit alia non contemnenda cauſa diſſimulandi ſui nominis, videlicet periculum & damnum, quod ſibi, vel ſuis creari poſſe ſuſpicatur auctor ex ſcripto cæterùm vtiliſſimo & neceſſario. Licèt enim potiùs parendum ſit Eccleſiæ, quæ nunc iubet Auctoris nomen libris adhiberi, quàm illi mentis demiſſioni, quæ *humilitas* à Chriſtianis appellatur; cuius hoc eſt tanquam teſſerarium ſymbolum; *Ego quidem nec à me ipſo, nec ab alio quæro nomen, neque aliquid me eſſe exiſtimo cùm nihil ſim*; tamen adeò graue eſſe poteſt damnum, aut periculum quod ex vtili aliquo ſcripto, vel paræneſi obuenire poſſet, vt lex illa de apponendo nomine minimè obliget, locúſque ſit τῇ ἐπιεικείᾳ, legum humanarum interpreti. Plin. l. 35. c. 10. Auctor de virtutib. Card. Greſſ. l. 2. de iure prohib. c. 4.

3. De hoc ſtudio conſecrandi ſui nominis & famæ, qui videtur eſſe multorum ſcopus in ſcribendis libris, ſi plura eaque admodum pia deſideras, adi Ioannem Franciſcum Picum Mirandulanum lib. 2. de ſtudio diuinæ & humanæ philoſophiæ cap. 6. vbi ſub finem animaduertit, eos qui gloriam ex literis, celebrémque apud homines de ſe exiſtimationem quærunt, non ſolùm haud voti compotes fieri; quin ſæpe ob ea ipſa inuenta quibus gloriabantur impenſiſſimè, à multis caſtigationem & flagella pati. Crediderim (ait) diuinâ id prouidentiâ permiſſum, vt id vitium in quod facillimus eſt lapſus multis cauillatoribus tanquam latratoribus moloſſis ſtiparetur; qui in diſpiciendis ipſorum næuis

acutiores fierent, & ſeueriores in reprehendendis. Secus ac obuenire ſolet modeſtis ſcriptoribus, qui ſuâ illâ modeſtiâ velut vmbrâ & receſſu, eminentiam ſuis ſcriptis excitant & ſplendorem. Singularis modeſtia principis poëtarum ac bonorum ingeniorum fontis Homeri, qui tam longo & eximio operi ſuum nuſquam nomen inſcripſit, digna eſt Dione Chryſoſtomo laudatore. *Sunt quidam* (ait) *qui Homeri vitam laudauerunt multo magis quàm poëſim: in paupertate enim & peregrinationibus vixiſſe, & tantum ex poëmatibus acquiſiuiſſe, vt ſuppeteret victus, admirandæ cuiuſdam fortitudinis & magni animi eſt: præterea nuſquam ſcriptum eſſe illius nomen, neque in ſua ipſum meminiſſe poëſi, tametſi alij omnes qui vim aliquam habere exiſtimati ſunt, aut poëſim, aut ſolutam orationem ſcribentes, & primum, & vltimum ſuum ipſorum nomen inſcripſerint. multi quoque in ipſo contextu & poëmatibus ſicut Hecatæus, & Herodotus, & Thucydides. hic enim non tantùm ſemel in hiſtoriæ principio, ſed ſæpiùs teſtificatus eſt per ſingulas hyemes & æſtates quòd hac ſcripſerit Thucydides. is autem ita ingenuus erat & magnanimus, vt nuſquam appareat in poëſi, ſui meminiſſe; ſed reuera quemadmodum Prophetæ ex obſcuro & adyto aliunde vocem miſerit.* hæc ille [a], quo eodem loco contrarij vitij Phocylidem inſimulat.

[a] Orat. 36.

Capvt XXIV.

Ingenij peſtes gula & impudicitia opprimendæ.

Emblema XXIV.

Minerua Cererem, Bacchum, & Cupidinem pedibus obterens & iugulans.

Sanæ menti, & Muſis.

1. TRiplex hæc victima niſi cadat armis maſculæ & heroicæ ſapientiæ, non eſt quòd quiſquam ſanam mentem & Muſarum conſortium fauorémve ſperet. Minitatur Muſis apud Platonem Venus niſi ſacra venerea colant, ſe contra illas filium ſuum armaturam: at Muſæ præciſè hoc abnuentes reſpondent, *Talia Marti minitare ô Venus, tuus enim inter nos cupido non volat.* Ne tamen documentum iſtud emblematicum ſolùm fabulis adſtruere videamur, rogemus ſententiam viros graues & fide dignos. Quid cauſæ eſt (amabo) cur Hippocrates Medicorum Genius iudicauit venereas voluptates ſimiles eſſe morbo comitiali, niſi quia mentem, quæ ſacra eſt, percellant, labefactant ſtomachum, atque præcordia exhauriunt? ſpiritus præſertim ſubtiliores, cerebrúmque debilitant; adeóque (ſi Auicennæ inſigni Medico credimus) vna intemperans libido plus damni valetudini creat, quàm ſi quadragies tantumdem ſanguinis effluxerit: quæ incommoda valde ingenio nocent, vt obſeruat Marſilius Ficinus [b]. Salomoni mortalium doctiſſimo ſapientiſſimóque quantum (Deus immortalis!) ex hac peſte decremen

[b] cap. 7. de tuenda ſtudioſ. valetud.

decrementum ſapientiæ obuenit,meritò indignatæ habitare in corpore tam fœdis peccatis ſubdito? *Sapientiam quam amore ſpirituali adeptus erat, amore carnali amiſit*, inquit D. Auguſtinus. Amore deprauatus fœmineo acceptam ſapientiam perdidit, ait D. Iſidorus; imò & ſtupidus ac plumbeus fieri viſus eſt,atque ita à ſe ipſo deſciſcere, vt in libidinoſo Salomone vix vllum veſtigium ſuperfuerit illius eruditionis & ſapientiæ,quæ in caſto & pudico fuerat,ſucceſſerítque inſipidi ſalis deſipientia; (vt loquitur D. Hieronymus,)ſapientiâ mentem tam ſuperiorum vitiorum cœno coinquinatam in infinitam longitudinem, & in immenſam profunditatem (quemadmodũ dixit D. Gregorius Thaum.) meritò fugiente. Qua pœna non ſolùm iuſto conſilio diuini numinis afficiuntur impuri; verùm etiamſi nihil aliud ſit, ipſamet *inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum*,& ſenſus tangendi longiſſimè ab intelligentia natura ſegregauit. Sap. 14. 12. Cur putas Philomuſe cupidinem, petulantem illum Gnathonem, omnis mulieris virum,omníſque viri mulieré cæcum nobis in fabulis exhiberi? an quia corporeis oculis maximopere nocent illæ voluptates ad quas incitat? & hoc non abnuo, habeóque huius dicti Auctores Ariſtotelem [a] & Galenum: verùm enimuero cæcitatem mentis potiùs hoc ſymbolo ſignificari monet Plato [b], aiens adeò intelligentiæ lumine deſtitui, adeò repueraſcere & fieri mentis impotes eos, qui circa iſtis æſtibus aguntur tranſuerſi, vt illis peierantibus Dij facilè ignoſcant, tanquam pueris nondum ſapere incipientibus, vel mente captis.huic ingeniorum peſti Seneca [c] attribuit illud eloquentiæ decrementum quod ſua ætate contigerat. *Torpent ecce ingenia deſidioſæ iuuentutis* (inquit) *nec in vllius honeſtæ rei labore vigilatur; ſomnus langórque, & ſomno & langore turpior malarum rerum induſtria inuaſit animos: cantandi ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent,& capillum frangere,& ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cũ fœminis & immundiſſimis ſe excolere munditiis noſtrorũ adoleſcentium ſpecimen eſt. Quis æqualium veſtrorum,quid dicã ſatis ingenioſus,ſatis ſtudioſus imo ſatis vir eſt?emolliti eneruéſque,quòd nati ſunt inuiti manẽt,expugnatores alienæ pudicitiæ,negligentes ſuæ,in hos nec Dij tãtùm mali permittant,vt cadat eloquentia,quã non mirarer,niſi animos in quos ſe conferret eligeret; erratis optimi iuuenes niſi illam vocem non M. Catonis, ſed oraculi creditis. Orator eſt vir bonus dicendi peritus. Ite nunc, & in iſtis vulſis atque expolitis, & nuſquam niſi in libidine viris, quærite orationem: meritò talia habent exempla, qualia ingenia. Nihil eſt tam mortiferum ingeniis, quàm luxuria* hæc Seneca, quibus non ſolùm admoneri Chriſtiani queunt,ſed & plurimis poteſt conuicium fieri Quæ de eloquentia verè ab eo dicta ſunt, de cæteris quoque diſciplinis haud minori iure dici debent. Magnus Ennodius [d] grauiter in eum inuehitur, qui ſtatuam Mineruæ in lupanari locauit.Res ſummo digna ſpectaculo (inquit) miſcere diſcordantia: neque enim Pallas cum Venere conſortium vllum habere, vt nec ratio conſiſtere in imperio libidinis poteſt. Quæ ſi de quolibet genere diſciplinarum vera ſunt, Cic. l. de ſen. quanto veriora ſint de ſacrarum literarũ ſtudio ex Oleaſtro [e] diſces.Prohibitũ erat apud Hebræos (inquit) *vi*

[a] 4. prob. q. 2. l. 4. de locis c 8.

[b] in Philebo.

[c] l. 1. contr. in præf.

[d] contr. 7.

[e] in cap. 13. Exodi.

re venerea in domo in qua ſunt Thephilim,(id eſt,liber legis) donec ea extrahat, aut ponat ſub vaſe aliquo,ita vt vas vaſe alio recondat. Deſideras ſcire quanta ſit inter profeſſionem literarum,præſertim ſacrarum & libidinem antipathia? ex DD.Hieronymo, & Hildeberto accipe.Ille [a] ad Ruſticum ſic, *Ama licentiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Iſte [b] quandam virginem ſic admonet,*Diuinarum ſtillicidiis ſcripturarum pudicitiæ lilium irrigare memineris ne marceſcat.* Itaque diuinos codices,adeóque etiam quoſlibet bonos libros rectè vocare poſſis *Cizici fontem,* qui,vt auctor eſt Iſidorus Hiſpalenſis [c],amorem Veneris tollit.

[a] Ep.4.
[b] Ep.36.
[c] 13. orig. c.13.

2. Porrò ſicut *indiuidua comes cupidinis eſt cæcitas mentis; ita Bacchi hebetudo.* atque haud ſcio an venerea magis aduerſentur ſanæ menti & Muſis,quàm ſatietas & vinolentia.Si tamen fieri poteſt vt ex intemperantia & ingluuie, laſciuia & finitimæ abdomini voluptates non ſcaturiant: *Monſtrum haberetur libido ſine gula, cùm duo hæc tam vnita & concreta ſint, vt ſi diſiungi omnino potuiſſent, ipſi priùs ventri pudenda non adhærerent;* inquit Tertullianus [d]. *Prior venter, & ſtatim cætera ſagina ſubſtructa laſciuia eſt, per edacitatem ſalacitas tranſit:* vnde ſi quid ſtuporis infertur menti ab impura libidine, vix eſt vt à gula non proueniat. Veruntamen non tantùm intemperantia inimica eſt ſanæ menti & Muſis, filiæ vitio; ſed plurimum etiam proprio: immoderato enim potu ac paſtu onuſti quàm perturbata cogitant, quàm confuſa intelligunt, quàm fuliginoſæ exhalationes αἰθαλώδεις ἀναθυμιάσεις, ſedem intelligentiæ cerebrum occupant? Quàm ordinarium eſt ac propè neceſſarium mentem cum carne pingueſcere, ac tantumdem decreſcere ingenium,quantum creſcit & extenditur aqualiculus πολὺ ἐσθίειν, ἀσυνεσίας argumentum eſt, dixit Epictetus: nec fieri poteſt vt in corpore cibis & potione referto mens habitet ἐποπτικὴ, vt loquitur Clemens Alex.[e], hoc eſt, mens perſpicax, ſubtilium rerum contemplationi & comprehenſioni diuinorum myſteriorum idonea. Vt *lux ſicca,* (inquit apud Muſonium Heraclitus [f]) *ſic anima ſapientiſſima optimaque.* Grauedinem creare capiti ſolent vapores & halitus illi craſſi, quibus interdum cœlum obducitur, & ſol nobis ſubducitur: ita intelligentiæ lumen appulſu vaporum qui exhalantur ex diſtento cibis ventre obſcuratur. Quiſquis Siculas cupedias ligurit,quiſquis Sibariticis menſis inhiat,mentem ſuam in ventre infodit, τὸν νοῦν ἐγκατορύξας τῇ κοιλίᾳ, ſimilis illi piſci qui Græcis ὄνος, ideſt, aſinus dicitur, quem ſolum ex animalibus cor habere in ventre Ariſtoteles dicit. Tales Clementi Alexandrino [g] videntur illi homines, qui in ventrem crediderunt, τοιοῦτοι τῶν ἀνθρώπων οἱ εἰς γαστέρα πεπιστευκότες, ὧν θεὸς ἡ κοιλία, quorum Deus venter eſt; vt nihil aliud expectare ab illis debeas præter eam de qua loquitur S.Auguſtinus [h],ἀλογίαν, quæ,eodem interprete,nihil aliud ſignificat, quàm immoderatum conuiuium, in quo ingurgitatione veſcendi & bibendi quodammodo mens obruitur. Id ne ſibi contingeret Pythagoræi ſtudioſè cauebant ſuâ illâ à carnibus & vino abſtinentiâ. Id ſanè ſapientiſſimis quibuſque & cognoſcendæ veritatis ſtudioſiſſimis ſolenne fuit, vt quàm minimum cum ſuo corpore commercium haberent,

[d] contra Pſychicos c.1. Vide D.Hieron. ep 147. & Phil. l. de agir.
D.Baſil.in c. 1.Iſ.
Gell. l. 4. noct. Attic. c.19.
[e] l. 2. pæd. c.2.
[f] lib.de alimentis.
Bart ICtus ad pondus comedebat ſtudij cauſâ. Horat. Lutius tract de priuileg.ſtudent.
[g] 2. pæd. c.1.
[h] Ep. 86.

rent,quia cùm nos opplet amoribus, cupiditatibus, omníſque generis ſimulacris & vanitate,euenit nobis ὡς ἀληθῶς φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίνεται οὐδέποτε οὐδέν, nos nihil vnquam ſapere poſſe.idque extremum eſt,quod etiam nactos aliquid otij & ad conſiderandam veritatem conuerſos vbique corpus interpellat,turbáſque dat & percellit, obſtátque quo minùs veritatem cernamus.Proinde ſi aliquando volumus aliquid purè cognoſcere, corpus exuendum eſt,ipſoque per ſe animo res intuendæ; ita demum conſequemur quam expetimus, & cuius nos amatores profitemur,ſapientiam; eam autem ratio docet non viuentibus, ſed mortuis, & à corporis contagione ſecretis adfuturam. Tamen dum viuimus quàm fieri poteſt proximè ad ſcientiam accedemus, ſi nihil rationis habeamus cum corpore, quatenus omnino licet; neque cum eo quidquam niſi ſumma vrgente neceſſitate communicemus, ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. hæc Plato apud Plutarchum, ex quibus rectè infertur,quantum impedimenti ad parandam ſcientiam naſci putauerit ex iis voluptatibus, quas Ariſtoteles [a] *ferinas*, ſiue *belluinas* vocat,eo quòd ſint brutorum potius quàm hominum propriæ, nó que à veri contemplatione & rationis vſu auocent. Idem lycei præſes meritò *venerem amentiæ præfectam* vocat [b]:meritò Comicus de libidinoſis hominibus ait,

Plato apud Pluc. lib. de conſol. ad Apoll.

[a] 3. Eth. c. 10 & probl. q. 7.

[b] l. 2. rhet. c. 24 Terent. Heaut. act. 4. ſcen. 1.

Neque ius,neque bonum,aut æquum ſciunt,
Melius,peius,proſit,obſit,nihil vident,
Niſi quod libido ſuggerit.

Quid autẽ cœnum & cloaca ſuggerere poteſt, quàm informes formas, quæ vel ipſos ſe intuentium oculos corrumpunt? Luxuries prædulce malum,quæ dedita ſemper

Corporis arbitriis hebetat caligine ſenſus, Claud.

Quapropter ſi quis Philomuſum ſe profitetur,ſimúlque ſaginæ operam dat & Apicio, bene curandæ cutis, & nitoris athletici ſollicitus, nunquam à me euincet vt propoſitum emblema expungam. imò ſemper aſſentio D.Leoni Magno [c], cuius eſt effatum iſtud vſquequaque veriſſimum, *Potiu ſatietate acies mentis obtunditur*; *ciborum nimietate vigor cordis hebetatur.* Quid cauſæ eſſe putas (inquit Plutarchus [d],) cur ſacerdotes Iſiaci,id eſt,Antiſtites ſcientię& eruditionis,Api boui quem colebant,potum dare conſueuerant ex peculiari quodam puteo,non ex Nilo? *non quòd Nili aquam prophanam arbitrarentur, Crocodili causâ (vt quorundam ſententia fuit,) nihil enim eſt apud Ægyptios magis in honore quam Nilus: ſed quia eius aqua pota creditur pinguedinem, magnámque carnis efficere ſaginam: nolunt autem Apim pinguem eſſe & obeſum, vt nec ſe ipſos quidem, ſed animis volunt leuia atque gracilia circumdata eſſe corpora,ne diuina pars à mortali prematur.* Aureum eſt ſimúlque ſacrum quod ex B. Petro Damiano [e] promptum attexo. *Pueri Hebrai* (inquit) *qui ſe Regis epulis decreuerunt abſtinere, omnium librorum ſapientiam & ſcientiam grata meruerunt talione recipere.Danieli quoque,quia cenſura huius auctor extiterat, hoc eſt inſuper additum,vt viſionum omnium, atque ſomniorum notitiam percepiſſet. digno videlicet retributionis diuina commercio,vt qui ſe à carnalis edulij voluptate reprimerent,ad ſpirituales intelligentia dapes mentis ora laxarent.*

3.

[c] ſerm. 8 de ieiu. dec. menſ.

[d] l. de Iſid & Oſir.

[e] Opuſc. 49. c. 8.

Areſcat

Areſcat igitur caro, vt mens ſaginata pingueſcat. Eſt itaque ſobrietas & temperantia humanum iuxtà ac diuinum ad comparandam ſcientiam præſidium. Sen. ep. 88. *Et quorum corpora in ſagina, eorum animi in macie & veterno ſunt.* Contra nutriculam bonorum ingeniorum & liberalium artium ſobrietatem perperam opponitur vetus illud quod Suidas refert, ὕδωρ δὲ πίνων καλὸν οὐ τέκοις ἔπος, *Aquam bibens pulchram non facies orationem*; non ſunt vulgò abſtemij, qui œnopoſiam ſuadent in ſtudia literarum incumbentibus hoc Marij Victorini dicto[a]. Apud veteres plerique poëtarum & oratorum ad excitandum calorem animi vino hauſto velut incentiuo, torpentis in ſe naturæ, ſeu ſenioris ingenij, cùm id ſibi pulchrè prouenisse experti didiciſſent, ſcripturam propoſiti operis aggrediebantur. Et illo Plutarchi[b]. Nonnulli ingenio ad inueniendum apto, ſed dum ſobrij ſunt minus audaci & concreto, quando ad pocula ventum eſt, ὥσπερ λιβανωτὸς ὑπὸ θερμότητα ἀναθυμιῶνται, *inſtar thuris à calore correpti exhalauerunt*: vel hiſtrionicâ iſtâ cauillatione, ex ranarum domicilio nihil grande prodire, nihil diuinum. Eſto, profuerit aliquando mero pluſculum incaluiſſe ad eliciendum vigorem ingenij; at id quàm rarum eſt, ne dicam parum liberale; contrà verò ex aquæ potu non ſolùm σώματος ὑγίειαν, ſed etiam ψυχῆς ὀξύτητα περιγίνεσθαι, ingenij acumen prouenire Pythagoras apud Laërtium[c] docet, & exemplo ſuo vt εὑρετικοὶ ſimus, hoc eſt, acuti ad res inueniendas, hortatus eſt. *Mentis oculum* fieri aquæ potu perſpicaciorem egregiè defendit S. Cyrillus[d] contra Iulianum neſcio quid de Chriſtianorum cibis obiicientem: idem apud Athenæum Diocles & Pythagoras confirmant, ὕδωρ ὀξυδερκὲς καὶ ἥκιστα καρηβαρικὸν, καὶ κινητικὸν ψυχῆς καὶ σώματος, aqua acuit videndi aciem, caput minimè onerat, atque animi & corporis motum facilem ac promptum reddit; quemadmodum vinum certa mentis hebetudo eſt & interitus διανοίας νέκρωσις. In quam ſententiam pluribus diſputat noſter Creſolius[e]. id prorſus experirentur plerique ingenio ad literas tardiore, ſi νήφοντα θεὸν, ſobrium numen (ſic aquam Plato appellat) colerent, eſſéntque ſimiles nobili illi *Crateti*, cui cùm Demetrius Phalereus panes & vinum miſiſſet, conuicium ſibi fieri ratus ait, εἴθε γὰρ κρῆναι καὶ ἄρτους ἔφερον. *Vtinam & fontes panes ferrent.*

[a] l. 4. art. Gramm.
[b] l. 7. ſympoſ. q. 10. Idem Plato apud Macr. l. 2. ſat. c. 8.
[c] l. 8.
[d] l. 7. in Iul.
S. Greg. Nyſſen.
[e] l. 2. de geſtu orat. ſect. 7.
Laert. l. 6.

CAPVT XXV.

Peregrinatio ſtudij prætextu ſæpe inquieta inertia, ſæpe fatalis curioſitas eſt.

EMBLEMA XXV.

Plinius ſecundus ſtudioſo animo ad cognoſcendam quandam nubem ortam ex monte Veſuuino, naui recto curſu propiùs delatus, innixus duobus ſeruis, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſóque ſtomacho exanimis.

Damnoſa peritia.

1. HOc emblema documentum ſimul & exemplum continet. Notus eſt C. Plinij ſecundi interitus ex epiſtola iunioris Plinij ad Tacitum:

tum: Vixiſſet ille diutiùs ingenti omnium diſciplinatum bono, niſi ignorare aliquid, mortem putaſſet. Non damno hoc emblemate eas peregrinationes, quæ interdum ſuſcipiuntur ab hominibus diſcendi cupidis: ſcio ſuſcepta eiuſmodi itinera non tantùm ad ſcientiam comparandam, verùm etiam ad prudentiam conferre. Nam quod Vlyſſes ſuis illis erroribus cognomen πολύτροπος conſecutus ſit, hoc eſt, multo rerum atque hominum vſu doctus, & proponatur tanquam prudentiæ exemplar

Strabo l. 1.

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

quod Horatius ſic vertit: *Multorum prouidus vrbes & mores hominum inſpexit*, neminem qui vel emiſſitio oculo Homericam Odyſſeam aſpexerit, latet. Scio dictum ab Epicteto, hominem vtique ſicut plantas ſolo non affixum decere identidem peregrinari. Non me fugit Platonem & Pythagoram (vt ſileam alios philoſophos, de quibus Plutarchus) varias prouincias obiiſſe non ſine ſapientiæ quæſtu. *Tanta enim vis, tanta copia literarum vndique colligenda erat, vt inuicem per totum terrarum orbem diſpergi poſſet.* Memini DD. Hieronymum & Thomam peregrè profectos diſcendi ſtudio: tamen quemadmodum paucis peregrinari profuit ad excutienda vitia, & ad adquirendas virtutes, ac plerumque in irritum ceſſit iſta iactatio, imò inconſtantiam mentis ſæpe laceſſiuit leuioremque reddidit; ſicut nihil ſolet eſſe deterius ægro quàm concuti, ita admodum tatus eſt, qui ſapientiam rerum omnium maximam in itinere collegerit; nulla enim ars loco diſcitur. Circumſationes iſtæ errores ſunt, atque vtplurimum *inquieta inertia*. Phædrus apud Platonem [a] Socratem ſic affatur: O admirabilis vir, abſurdiſſimus quidam videris, nunquam ſcilicet fines noſtros egreſſus. Cui Socrates: Ignoſce optime Phædre, nam diſcendi cupidus ſum; agri verò & arbores nihil me docere poſſunt, ſed homines qui in vrbe verſantur. Proh quantum otij lucratur qui non videt, quæ videre non magnopere intereſt, & qui propoſitam lineam recto, non vago curſu tenet, inquiebat Antoninus [b]. Sperant multi ſe in eiuſmodi peregrinationibus cognituros mores gentium, nouáſque montium formas, inuſitata ſpatia camporum, vt Nilus æſtiuo incremento tumet, vt Tygris eripitur ex oculis, & acto per occulta curſu, integræ magnitudini redditur; vt Mæander poëtarum omnium exercitatio & ludus implicatur crebris anfractibus, & ſæpè in vicinum alueo ſuo admotus antequam ſibi influat flectitur: Ægypti ſitus qualis, qualia Nili oſtia, quanta pyramidum moles, quæ aues peregrinæ, qualia Troiana ſepulcra, quales Atticæ aues, & Thebanæ fabulæ, quo loco celebre Alphei & Arethuſæ amnium connubium, aliaque infinita generis eiuſdem, quæ propriis oculis optare contemplari laudabile quidem eſt, dummodo talis curioſitas maiori bono non officiat: tamen periculum eſt frequenter, ne (vt loquitur D. Bernardus) *damnoſa* ſit iſta *peritia*, imò & lethalis, qualis Plinij fuit; aut ſanè magnam partem infructuoſa, quales fuere Vlyſſei errores: quid enim aliud tandem Vlyſſes luſtrauit præter Thracas, barbaróſque Ciconas, aut obſcuros Cimmerios, aut mactatorem hominum Cyclopa, aut veneficam, aut Scyllam Charybdémque, aut Eumæi ſtabulum? Vidimus ipſi

Val. Max. l. 8. cap. 7. apud Arian. l. 3. c. 24.

Plutarch. in Solone.

a l. de tranq. an. c. 12.

b l. 4 n. 13.

Themiſt. diſſert. 6. n. 40.

plurimos ſtudioſiores atque doctiores multis erronibus, qui nullibi fuere, dum vbique fuere, & qui ad nauſeam audientium ſua itinera, & res abs ſe viſas replicant. Quid Thelemacho Vlyſſis filio profuit fuiſſe peregrinatum? omnino nihil; iam enim degenerauerat à paterna virtute ſub matris imperio educatus. iudicio opus eſt, & eo quidem ſummo, vt quis in patriam redeat melior, quàm exiuit. Quid Vlyſſis ſociis peregrinationis vſum ignorantibus? omnes Circæis veneficiis in varia monſtra conuerſi ſunt. Maneat igitur, non omnium eſſe peregrinari; quemadmodum tranſlatæ plantæ non omnes viuunt, aliàs faſtidio, aliàs contumaciâ, ſæpiùs imbecillitate; aliàs cœlo inuidente, aliàs ſolo repugnante: faſtidit balſamum alibi naſci.

2. Nihilominus nequaquam improbauerim iuuenem boni iudicij vnum & alterum annum, adeóque plures extra patriam ſuam commorari, moribus & linguis aliarum gentium noſcendis, & detergendæ rudi & ineptæ ſimplicitati, quæ ferè congenita eſſe cõſueuit iis, qui è natali ſolo nunquam extulere pedem. Sic magnam laudem meretur Plutarchi iter ad Lacedæmonas ſtudio videndi antiquiſſimos ſcriptores rerum Laconicarum ad maiorem veritatem hiſtoriæ: ſuâ commendatione non caret Leo Philoſophus Imp. qui ſcientiarum rudimentis à Michaele Pſello inſtructus cumulatioris eruditionis deſiderio incenſus plurima monaſteria obiit, reconditos in iis libros ſagaciter perueſtigans, quâ diligentiâ ſummam doctrinam adeptus eſt. Libri epidemiorum Hippocratis fructus ſunt luſtratorum longè latéque templorum, in quibus eſcripſit morborum hiſtorias, prout in appenſis votiuis tabellis deſcribebantur. Galenus non pepercit laboribus itinerum Palæſtini opobalſami videndi gratiâ, bituminis Iudaici, Lemniæ terræ, Cypriorum metallorum, vini Phœnicij, & aliarum rerum ad communem vtilitatem & ſalutem. Idem diſcendi & certiora ſcribendi conſilium pro commeatu & viatico fuit nobilibus hiſtoricis, & Philologis ac Geographis Herodoto, Dionyſio Siculo, Saluſtio, Pauſaniæ, Ptolemæo, aliíſque, in longis & diuturnis profectionibus, quibus non ſine labore defuncti ſunt. Seuerus Sophiſta Romanus ſub Anthemio, Arabiâ, Syriâ, Palæſtina, & Ægypto peragratis, arcanos omnes libros quoſcumque reperit, ſuſtulit, ex omnibus adytis, atque Alexandri monumento incluſit, vt nemo deinceps quæ in iis inſcripta eſſent perlegeret. Verùm hoc fortaſſe ad illiberalem inuidiam. Multo liberaliùs & fructuoſiùs Antonius Poſſeuinus noſter, qui ex libris celeberiorum Europæ Bibliothecarum abs ſe luſtratarum in variis illis itineribus, quæ iuſſu Summi Pontificis confecit, nobis condidit apparatum ſacræ ſuæ Bibliothecæ, vel potiùs inſignem luculento apparatu & inſtructu Bibliothecam vniuerſo Orbi excitàuit: ſi cui eſt eadem mens tantúmque maturitatis, atque in agendo peregrinandóque ſolertiæ, nobilia Muſea inuiſat; per me licet, & in ſingulis accuratè recognoſcẽdis aliquãdiu immoretur: ſi ſe cõtulerit in hęc Mercurij antra (ſic Zezes libros vocat, ſic nos Bibliothecas poſſumus appellare) atque in iis ſolicitè inuigilauerit, ſpiritúſq; inde miſſos exceperit, hauddubiè inde euadet doctior, experietúrque id quod de ſubeũribus infortunatã Hermetis ſpeluncã cecinit Orpheus[a],

Cedren.

Vide Horatium Latium Callienſem, tract. de priuilegiis ſtudentium.

a in lithiacis, opere de gemmis.

Or

Ὃν δέ κεν ἀνθρώπων πεπνυμένον ἦτορ ἀνώγει
Ἐς πολυήρατον ἄντρον ἐπελθέμεν Ἑρμείαο,
Ἔνθ' ὅγε παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον·
Αἶψα κεν ἀμφοτέρῃσιν ὀνείματα πολλὰ κομίζων,
Οἴκαδ' ἀποστείχοι πεφυγὼν πολύδακρυν ὀϊζύν.

Prudenti perſuaſum ſit ſubire inamœnum antrum facundi Mercurij, in quo bonorum omnium cumulum aſſeruat; inde vtrâque manu domum luculenta refert commoda, ditiórque & beatior prodibit. Si minùs prudens fuerit & cautus, refert ex ſuis peregrinationibus incommoda, ſtultiórque & deterior domum redibit, quàm exiuerat; ſi tamen domum redibit. paucis enim imprudentibus contigit impunè peregrinari, & proprios Lares reuiſere. Plena eſt humanitatis Federici Imperatoris commiſeratio, atque prolixiſſima erga adoleſcentes qui relictis patriæ finibus & dulcibus aruis degunt in Academiis ſtudij causâ. *Quis eorum non miſereatur* (ait) *qui amore ſcientiæ exules facti ſunt?* &c. quæ fuit vna ex cauſis cur multis ac luculentis prærogatiuis eos auxerit. Inter calamitates voluntarij illius exilij Horatius Lucius [a] hanc recenſet Anaxagoræ obueniſſe, vt Valerius Maximus refert [b], Eum quali ſtudio flagraſſe credimus, inquit? qui cum poſt diutinam peregrinationem patriam repetiſſet, poſſeſſionéſque deſertas vidiſſet. Non eſſem (inquit) ego ſaluus, niſi iſtæ periiſſent. Vocem petitæ ſapientiæ compotem. Nam ſi prædiorum potius, quàm ingenij curæ vacaſſet, dominus rei familiaris intra Penates manſiſſet, nec tantus Anaxagoras ad eos rediiſſet.

a de priuileg. ſtudent.
b l. 7. c. 7.

CAPVT XXVI.

Obeſt diſcere dediſcenda, nec prodeſt diſcere non profutura.

EMBLEMA XXVI.

Aſtrologus præceps delapſus in foueam inconſideratiùs contemplans aſtra.

Sapere ad ſobrietatem.

PRæludat huius emblematis interpretationi D. Auguſtinus [c]. *Laudabilior eſt animus* (inquit) *cui nota eſt vel infirmitas ſua, quàm qui eâ non reſpectâ, rerum terreſtrium cœleſtiúmque tenet ſcientiam, vias ſyderum etiam cogniturus, aut qui iam cognitas tenet, ignorans ipſe quâ viâ ingrediatur ad ſalutem ac firmitatem ſuam.* Quis verò neget *intemperantiæ quoddam genus eſſe plus velle ſcire, quàm ſatis ſit?* ait Seneca. Conſentaneè inſcriptioni, quam ex diuiniore morum & ſanctitatis magiſtro D. Paulo mutuatam appinximus celebri illi pſeudo-Aſtrologo, qui mente & oculis inconſideratiùs in aſtra defixis, fœdè in foueam decidit. Pſeudo-Aſtrologum illum nominaui, quia præceps ille lapſus ſatis arguit hominis ad hæc Aſtrologiæ ſtudia ineptitudinem; qui dum altiora faſtigio ſuo ſectatur, ordine ſtudendi præpoſtero non videt, quod ante pedes iacet,

1.
c l. de Trin. c. 2.

βέλτιον ἀγνοεῖν καλῶς ἢ εἰδέναι κακῶς. Longè ſatius eſt, & melius bene ignorare quàm turpiter ſcire, inquit Chryſoſtomus.

2. Duo ſunt mortalium ordines (ſicut diſco ex magno Baſilio[a]) quibus hoc documentum occinendum eſt. Alter eorum, qui aliis præſunt; alter eorum, qui obſequi & parere debent: pro varietate chariſmatum arbitror priores debere omnia ſcire, vt quoſuis placita Dei doceant, cuique oſtendentes quæ ſibi conueniunt, parati ſemper ad ſatisfactionem de ea, quæ in nobis eſt, fide, reddendam: alij verò meminerint Apoſtoli dicentis, *non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*, & quæ ipſorum ſunt diligenter diſcant, & ſapiant, nihil amplius per curioſitatem inueſtigantes, vt digni videantur voce Domini[b], *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Tacitus[c] in Iulio Agricola inordinatam diſcendi cupiditatem notat, *Solebat narrare Agricola* (inquit) *ſe in prima iuuenta ſtudium philoſophiæ vltra quàm conceſſum Romano, ac Senatori hauſiſſe, ni prudentia matris incenſum ac flagrantem animum coërcuiſſet: ſcilicet ſublime & erectum ingenium, pulchritudinem & ſpeciem excelſæ magnæque gloriæ vehementius, quàm cautè appetebat: mox mitigauit ratio, ætas, retinuitque quod eſt difficillimum, ex ſapientia modum habere.* Quòd hæc auiditas diſcendi manifeſta in multis intemperantia ſit, liquet. Quod enim tandem plerumque illius pretium eſt operæ, quæ in diſcendis rebus à noſtra profeſſione & vitæ inſtituto alienis impenditur? Equidem aliud ferè nihil inde referimus, præter decantatam manticam Æſopi fabulatoris, in cuius antica parte reponimus quod alienum eſt, in poſticam reiicimus quod proprium; noſtróque geſtantium aſpectui ſubducimus; quibus proinde Horatianum illud[d] rectè conuenit,

Cùm tua peruideas oculis malè lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Hoc eſt, primum genus intemperantis deſiderij ſciendi multa, de quo videtur loqui Apoſtolus[e], & cuius vitij coërcitio & refrænatio *magnum temperantiæ munus eſt*, inquit D. Auguſtinus[f]: præcipuè in illis ſcientiis, quæ ad bene beatéque viuendum minùs vtiles ſunt, inter quas Iſidorus Peluſiota[g] Aſtrologiam, & alias mathematicas diſciplinas recenſet. *Cœlum aut ſphæræ, aut dimidiatæ ſphæræ ſpeciem affirmare, atque item celerrimum Solis curſum, ac Lunæ incrementa, & decrementa, ſyderúmque ſitum curioſè indagare, ac præterea de terra quærere, cylindri an coni ſpeciem teneat, mundique centrum ſit, ac denique Solis & Lunæ interualla cognita & explorata habere, quid ad bene beatéque viuendum vtilitatis afferat, equidem non video: at verò iuſtitiam & prudentiam ac temperantiam, & ſi quid his affine eſt, ſcire, & exequi, hoc video eos, qui id callent, ad beatitudinis arcem euehit. Quocirca faciendum eſt, vt ab his, ex quibus nihil commodi oritur, abſtineamus; ea autem ex quibus emolumentum percipitur, amplectamur.* Quæ Iſidori verba licèt haud ita accipienda ſint, vt prorſus reſpui velit eam ſcientiam, quæ ex propria ratione in ſola contemplatione occupatur; tamen hoc euincunt, vt præcipuè illarum diſciplinarum ſtudium cautius ſit: néve inordinatiùs in earum appetitione, & ſiti mens noſtra efferatur, ſumantúrque

a in reg. breu. q. 215.
b Matth. 25. v. 21.
c in vita Iul. Agric.
d Serm. 1. Sat. 2.
e Rom. 12. v. 3.
f l. de mor. Eccl. c. 21.
g Ep. 273.

túrque non tanquam caput cœnæ, & princeps ferculum; ſed velut condimentum duntaxat & embamma adhibitum ad ſolidiores cibos faciliùs in ſtomachum animi noſtri traiiciendos; ſempérque memores ſimus moniti Ariſtippi apud Laërtium,

> Ο χρήσιμ' εἰδὼς οὐχ' ὁ πόλλ' εἰδὼς σοφός.
> *Qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.*

& Martialis in Apophoretis,

> *Quiſquis plus æquo non ſapit, ille ſapit.*

At venatores imitemur, qui temerè aberrare non ſinunt canes, nec quemlibet odorem perſequi, ſed loris reuocant, vt puro integróque olfactu acriùs inhæreant ferarum veſtigiis. Imitemur item id quod ſponte naturæ leones & aquilæ faciunt, qui dum ambulant, vngues vertunt introrſus, ne aciem illorum & cuſpidem deterant: ita nobis prouidendum eſt, ne ſciendi cupiditatem & deſiderium conſumamus, hebetemúſque in rebus ſuperfluis: ſecus enim facere, gallinarum proprium eſt, quæ frequenter prætermiſſo copioſo cibo qui apponitur, angulos quærunt, atque in fimo ſcalpunt, ſi vel vnicum granum apparuerit. Plut. l. de curioſ.

Nonnulli licèt intra legitimi ſui ſtudij terminos ardent nimio ſciendi æſtu, atque auidiùs appetunt ea, quæ alioqui diſcere laudabile eſt; nec animaduertunt, parum intereſſe, vtrùm proprio, vel alieno vino caput & mentem ſuam obruant. Quapropter minimè ad ſobrietatem ſapiunt, qui intempeſtiuè, qui diutius quàm par eſt, qui ſolicitiùs in ſtudia incumbunt. & hi incredibile eſt quantum hac heluatione ſibi noceant. *Si enim pro viribus ſuis alatur infans* (ait D. Auguſtinus [a]) *fiet, vt creſcendo plus capiat: ſi autem vires ſuæ capacitatis excedat, deficiet, antequam creſcat.* Omnium autem intemperantiſſimi ſunt, qui malis artibus veſanam ſuam ſciendi famem & βουλιμίαν explere non dubitant; de qua mortifera intemperantia alius erit dicendi locus inferiùs. 3.

a 12. de ciuit. c. 15.

At enimuerò vſque adeò ſemper viſa eſt comes excellentis ſcientiæ & ingenij aliquantula intemperantia & inſania, vt D. Paulo cœleſtem doctrinam è vinculis tradenti Feſtus Præſes magnâ voce dixerit [b], *Inſanis Paule, multæ literæ te ad inſaniam conuertunt.* quam contumeliam impauidè depulit, vt debebat, Apoſtolus, *Non inſanio, optime Feſte* (reſpondit,) *ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor.* Ab vulgari hac perſuaſione minimè abhorruerunt tres philoſophorum principes; Platoni quidem [c] viſum eſt, fruſtrà quemquam ſui compotem poëticas fores pepuliſſe: Ariſtoteli [d], nullum magnum ingenium extitiſſe, ſine mixtura dementiæ; ipsúmque Platonem, Socratem, Empedoclem & heroas atra bile, ſiue melancholiâ laboraſſe; nonnullos etiam maniâ & furore: Senecæ verò, neminem poſſe grande aliquid & ſupra cæteros loqui, niſi motâ mente. Cùm vulgaria & ſolita contempſit, inſtinctúque ſacro ſurrexit excelſior, tum demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quidquam & in arduo poſitum contingere, quandiu apud ſe eſt: deſciſcat oportet à ſolito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat ſuum, eóque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere. 4.

b Act. 26 25.
c in Phædro.
d in probl.

5. Quod ſpectat ad eos, qui dicebantur ἐγγαστρίμυθοι, ſiue ἐγγαστρῖται, aut εὐρυκλεῖται, ſiue στερνομάντιδες, hoc eſt, *præcordiales vates & ventriloqui*, ſatis conſtat vix vnquam futura prædixiſſe, niſi (quemadmodum Plinius [a] dixit) *exhalatione temulentos:* ideóque (vt cum Arnobio [b] loquar) *pectoris ſequeſtrabant ſanitatem*; & furorem ſuperſtitioſè captabant, vel è radicibus helicacabi bibendo, vel geſtando lapillos quoſdam atque herbas, ligando nodos ſacros, iterúmque eos ſoluendo, imò (vti ex Platone Iambolicus [c] animaduertit) antiqui vaticinium vocabant *μανίαν*, id eſt, *furorem*, tum deinde adiectis duabus literulis *μαντείαν*; dicebántque, Sacerdotes, diuinos ac Sibyllas, quando prudentes erant, nihil aut perparum præſagiſſe; cùm verò dementia correpti, plurima. Et hic celebris & decantatus *Enthuſiaſmus*, ſiue in melius reductio. quibus verbis vtique honeſtioribus plerique vſi ſunt, *ne furorem* dicerent, *& inſaniam*. huius abalienationis cauſam Plato [d] hanc affert. *Deus dum illis mentem eripit, his vtitur miniſtris oraculorum nuntijs, & diuinis vatibus, vt nos qui audimus intelligamus, eos ipſos minimè eſſe qui huiuſmodi res tanti momenti dicant; eos (inquam) qui mente ſunt capti, ſed Deum eſſe qui illa dicat, & eorum hominum miniſterio nos alloquatur.* Hinc illud Virgilij Sibylla [e],

Bacchatur vates totum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum, non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ;

& apud Ammianum [f] Sibyllæ crebrò ſe dicunt vi flammarum torreri; & σιβυλλιᾶν ſæpe ſumptum pro *furere*. Quæ cauſa fuit (inquit Iuſtinus) vt non omnia Sibyllina carmina legitimis numeris conſtent; nimirum quòd immemores eorum quæ per furorem dixerant, ea poſtea emendare & expolire nō potuerint. At vtrùm ſancti Vates experirentur eiuſmodi concitationem, & de poteſtate mentis deiicerentur inter vaticinandum (quemadmodum Philo Moſem excidium Ægyptiorum prænunciantem inducit) præclarè diſputat & meritò negat Raynaudus [g]. Hæc dicta ſunto occaſione inſcriptionis propoſiti emblematis, *ſapere ad ſobrietatem*, quibus ſi addas non ſolùm quod Tatianus ridet, aiens [h], *eſt quæ potu aquæ inſanit, & hanc tu vaticinari dicis.* Sed etiam quæ Macrobius [i] refert, in Thracia apud Ligyreos adytum fuiſſe Libero conſecratum, in quo vaticinaturi plurimo mero ſumpto oracula fundebant. obſeruatio erit haud prorſus ab inſtitutâ diſputatione aliena. Nos Chriſti diſcipuli oremus cum Paulo Emiſſeno apud Cyrillum Alexandrinum [k], *oremus iam Patrem, vt conſuetam nobis menſam pretioſaque & varia Spiritus ſancti eſculenta paret, & nos ebrietate ſobrietatis matre inebriet*; & pro conuiuali corona, rutilet in noſtra fronte aurea illa lamina ſacerdotalis, de qua S. Hieronymus ad Fabiolam, *Nihil enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi ſcientia Dei coronemur*: hac ſobrietatis & pietatis coronâ magnus Sophiæ crater induendus eſt, ne noceat.

In decreto Gratian. Comment. Ariſtoph. in Veſpis Sophocles.
a l. 2.
b l. 1. n. 15.
c de myſter. §. 29.
S. Gregor. Naz orat. 3. n. 20. Iambl. §. 25.
d Dial. 30.
e 6. Æneid.
f l. 21.
g diſt. 4. Theol. nat. n. 70.
h or. cont. Græc. n. 33.
i 1. Sat. c. 18.
k de incarn. Chr. hom. 7.
Exod. 18.

CAPVT

Capvt XXVII.

Tumida ſapientia & literatorum famam doctrinæ captantium ineptiæ meritò deſpuendæ.

Emblema XXVII.

Philoſophum & Grammaticum ſimul inambulantes pallio & barba promiſſis, ſupercilio elato, genis turgentibus, incenſo vultu, pueri poſticâ ſannâ irrident.

Vult dicier hic eſt.

Talis fuit Creſcens ille, cui S. Iuſtinus Martyr Apologia ad Senatum obiicit, quòd οὐ φιλόσοφος, ἀλλὰ ὁ φιλόκομπος καὶ φιλόδοξος ſit. Tales plerique Philoſophorum Gentilium, qui licèt multa ad ſpeciem fecerint, quæ profeſſioni & nomini Sapientiæ ſatis conuenire viderentur; tamen ſi diſcutiatur quo ea fine fecerint, digni ſunt quibus pueri à tergo tantum linguæ per ludibrium exerant, quantum canis Apula ſitiens extra dentium ſepta proiicit. Nam quod ad virtutes attinet, 1.

Primum ſecuti rem bonam non ſunt bene, D.Gregor.
Mage nam mouebat gloria hos, quàm amor boni. Nazian.

quæ ſumma peruerſitas eſt, & valde præpoſterus ordo, cùm inani gloriæ honeſtas ancillatur. Adi Theophilum Raynaudum [a] copiosè iſtud argumentum tractantem, vbi quid ſentiendum de Socratis, Diogenis, Catonis, Senecæ, Epicteti virtutibus, fusè docet. Vnum in præſentia ſufficiet quo D. Paulus talium hominum putidam vanitatem & inductam corruptæ menti laruam virtutis notat his verbis [b], *dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* De fictitia eorum virtute hîc non diſputo; ſolùm ſuggillo tumorem ex ſcientia & literariis inſignibus conceptum, & eam quam Eunapius vocat *auream inſaniam.* qualis erat illius apud Arianum [c], quem Epictetus ſic loquentem inducit, *Quando inanis fuero & vacans curis, præſertim in conuiuio, admiratione ſuſpenſos habeo conuiuas præſentes dum enumero ſcriptores. De his rebus mira ſcripſit in primo* περὶ δυνατῶν *Chryſippus, & Cleantes ſeparatim de his librum edidit, necnon & Archedemus; quin & Antipater, nec ſolùm in libris* περὶ δυνατῶν, *ſed peculiariter quoque in libris* περὶ κυριεύοντος; *commentarium non legiſti? non legi; lege igitur.* Tum de thraſonica illa iactantia ſubdit Epictetus: Et quid vtilitatis inde capiet. Nugacior & ineptior erit, quàm antea fuerit, eum tu cùm legiſti, nulla re alia magis profeceris. Nihilominus hæc oſtentatio non erat omnino inanis, tametſi eſſet putida; erat enim hominis re ipſa eruditi, qui variam ſuam lectionem intolerantiùs iactabat: at eorum vanitas qui multos & grandes libros ſe legiſſe mentiuntur, quorum ſumma capita vix percurrerunt; imò qui & eos interdum

a l.1. de virt. & vitiis.

b Rom. 1. 22.

c l.2.c.19.

terdum auctores citant, qui nunquam extiterunt; qui ob aditas Athenas perinde gloriantur, ac ſi omnem Atticam eloquentiam & eruditionem domum reportaſſent, quàm impudens eſt (per Deum immortalem) quàm ſtulta, quàm ridicula, quàm Themiſtio caſtigatore [a], &
a or.19. init.
Syneſio [b] irriſore digna. Qui ſe præterea literariũ aliquẽ gradum pretio
b ep.54.
(vt ſæpe fit) in aliqua Academia ſibi comparauerint, & (vt loquitur Sidonius [c]) ſophiſtica inſignia in veſtibus, in digitis, in capite geſtauerint; tam ſolent plerumque eſſe bardi & inſulſi, vt nouum doctrinæ & ſapientiæ incrementum ſibi gratulentur. O felix noſtra ætas (fas mihi ſit cum Petrarcha [d] pauxillum hîc labra diducere, & in re tam lepida innocenter iocare) *felix noſtra ætas, quâ non vnum duóſve, aut ſeptem; ſed in ſingulis ceu pecudum greges numerat ſapientum: nec mirum ſanè multos eſſe, qui tam facilè fiant. Venit ſtultus iuuenis ad templum; præceptores illum ſui prædicant, celebrant ſeu amore, ſeu errore: tumet ille, vulgus ſtupet, plaudunt affines & amici: ipſe iuſſus in cathedram ſcandit, cuncta iam ex a.. o deſpiciens, & neſcio quid confuſum murmurans: tunc maiores certatim ceu diuina locutum laudibus in cœlum tollunt, tinniunt interim campanæ, ſtrepunt tubæ, volant annuli, figuntur oſcula; vertici rotundus & niger pannus imprimitur: his peractis deſcendit ſapiens qui ſtultus aſcenderat. Mira prorſus transformatio, nec Naſoni cognita: ſic fiunt hodie ſapientes. Verus ſapiens fit aliter.* Equidem doctores iſti, quorum repentinam è machina ſapientiam Petrarcha tam altè commendat, feliciores ſunt glorioſulo illo literione Epicteti, cui magno impendio laboris & ſtudij conſtat hæc laudario. *O hominem literatum!* iſti enim tanto digniores ſunt quorum perſonata doctrina, ſibilis poſticâ ſannâ, pinſente à tergo ciconia, & mobili manu albas auriculas imitante prodatur. Dignus centeno fuſte aſellus, ſi ſe religioſo cultu dignum credat, eo quòd Iſidis, hoc eſt, ſapientiæ portet myſteria; quandoquidem ipſimet viri re ipſa docti, at nimij doctrinæ ſuæ & ingenij oſtentatores paſſim ridiculi ſint, & vulgi fabula, meritò hunc in modum à D. Laurentio Iuſtiniano [e] perſtricti. *O elata præſumptio, ô tumens humana exiſtimatio, indocta ſcientia, & neſcia doctrina! quid inflaris, quid extolleris: cur terminos excedis tuos? cur erecta ceruice, extento collo, ductis ſuperciliјs graderis? & quaſi de ſingulari inflaris ſcientia?* Philoſopho Grammaticum adiunximus memores Palæmonis illius de quo dicetur inferiùs [f].

c l.9.ep.9. — d Dial. 12. l. 1. de remed. vtr. fort. — Sen ep. 88. Perſ. Sat. 1. — e de caſto connubio c.14. — f l.2.c.21.

Capvt XXVIII.

Contra teredinem ſcientiæ vanam gloriam ſalutares quidam paſtilli & alexipharmaca.

EMBLEMA XXVIII.

Triclinium Monachorum accumbentium, è quorum cœtu vnus deſignatus à cœnobiarcha, lectori pulpitum conſcenſuro benedictionem flexis de more genibus petenti hunc in modum apprecatur:

Auferat

Auferat à te Deus ſpiritum elationis.

MOrem hunc in priſcorum Cœnobitarum menſis celebratum auctor eſt B. Petrus Damianus [a], nimirum, *vt imminenti forſitan arrogantiæ iam in ipſo lectionis exordio humilitas opponatur, rectè tanta ſubiectionis arte benedictio petitur, vt lecturo non Sacerdos, ſed cui ipſe iuſſerit, benedicat; hinc eſt quòd menſæ lectoribus ex more dicitur: Auferat à te Deus ſpiritum elationis; nam lectoribus nonnullis vitium arrogantiæ familiare eſt, præſertim ſi cui lepor eloquentiæ ſuppetit, dum patentes Scripturæ campos effrænis lingua percurrit, populari fauori cor deditum ſpiritus elationis inuadit, & dum alios per recti itineris tramitem dirigit, ipſe diuerticulum erroneæ confuſionis incurrit.* Proh quàm metuenda eſt iactantia homini docto, ac res proprias è ſuperiore loco aliis tradenti, vel eas ſcriptis mandanti; quandoquidem ne ipſi quidem Anagnoſtæ, qui res alienas ſolùm recitant, ab hoc peſtilente ſpiritu elationis ſunt tuti, etiam in Religioſorum cœtibus. Quàm potiore iure ſolemnis illa formula & apprecatio occentari deberet omnibus qui dant operam diſcendis, vel docendis ſcientiis, ne concipiant intra præcordia inteſtinum illum flatum, & tumorem arrogantiæ, quem adeò noxium & capitalem eſſe cenſuit D. Hieronymus [b], vt hæc pronuntiauerit, *Nec ruſticus & ſanctus frater ideo ſe ſanctum putet, ſi nihil nouerit: nec peritus & eloquens linguâ æſtimet ſanctitatem; multóque melius eſt è duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.* Vis ſcire quantam labem inferat animæ arrogans ſcientia; quàm fœdè ſuccutiat & ſubruat virtutum ædem impotens iſte halitus? Audi Magnum Gregorium, & ex ipſomet ſacrarum literarum ſtudio, cùm ei ſe elationis ſpiritus inſinuauerit, coniice quid in aliis doctrinis efficiat, quæ creet exitia. *Dum aliquis de ſacræ legis ſcientia gloriatur,* (inquit [c]) *pretium ſibi conuertit in veneni poculum, & inde reprobus moritur, vnde ad vitam erudiri videbatur, & in doctrina ſua mortem inuenit, quia in verbis vitæ vitam minimè quæſiuit.* Quapropter longè ſatius ſit margitem eſſe, & literarum penitus rudem ac plumbeum, quàm ſuperbè doctum; cui tamen malo incredibile eſt quantopere obnoxia ſit ſcientia, vt non facilius aperta Auſtro & peſtilentibus aſpirationibus Bibliothecâ libri tineis & blattis corrumpantur, quàm eruditus, niſi diligenter cauerit, ex ſcientia inſoleſcat, & tumorem concipiat. *Quid* ergo (interrogat S. Auguſtinus [d],) *ſcientiam fugere debetis? electuri eſtis nihil ſcire potius, quàm inflari? Vt quid vobis loquimur, ſi melior eſt ignorantia, quàm ſcientia? vt quid vobis diſputamus? vt quid vobis diſtinguimus? vt quid quod noſtis, admonemus? quod non noſtis inferimus? ſcientia cauenda eſt ne inflet? ergo amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem: ſcientia ſi ſola ſit inflat; quia verò charitas ædificat, non permittit ſcientiam inflare: ibi ergo inflat ſcientia, vbi charitas non ædificat; vbi autem ædificat, ſolidata eſt.*

I.

a opuſc. 11. c. 18.

b ep. 2. ad Nepot. tom. 2.

c D. Greg. l. 15. mor. c. 16.

d Serm. 35. de verb. Dom.

CAPVT XXIX.

Moderata vitæ aſperitas ingenuo alacritatem præſtat.

EMBLEMA XXIX.

Turtur, vel columba plumis exutæ, paratæ offerri in holocauſtum, confractis priùs aſcellis; ſicut 1. *Leu.* præcipitur.

Confractis altiùs alis efferimur.

1. INgenioſè Plato [a], vt ſolet, *aues ſcientias* vocat; *auiarium* verò *animam hominis eruditi.* Eius verba ſunt hæc: *Quemadmodum in animis neſcio quod figmentum cereum machinati ſumus, ita & in qualibet anima auiarium quoddam omnis generis auium fabricemus, quarum aliæ ſeorſim ab alijs diſcretis gregibus peruagentur; aliæ numero paucæ, nonnullæ ſolæ paſſim quocumque contigerit, volitent. hanc caueam in pueris vacuam eſſe dicamus, loco verò auium ſcientias intelligamus; & quiſquis ſcientiam nactus hoc coërcuit ambitu, hunc inueniſſe didiciſséque rem ipſam, cuius ſcientia eſt, & hoc ipſum eſt ſcire: deinde rurſus quamcumque velit ſcientiam aucupari, captámque habere, iterúmque dimittere, ac interdum in hoc aucupio aucupem falli, & capere pro columba palumbem, cùm pro internis ſcientijs alias prætervolantes apprehendit*, &c. Hinc eleganter Boëtius [b],

a in Theæteto.

b de conſ. metro 1. l. 4.

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celſa conſcendant poli.
Quas ſibi cùm velox mens induit,
Terras peroſa deſpicit:
Aëris immenſi ſuperat globum,
Nubéſque poſt tergum videt.
Quíque agili motu calet ætheris
Tranſcendit ignis verticem,
Donec in aſtriferas ſurgat domos,
Phœbóque coniungat vias.

2. Beatus Petrus Damianus hortatur nos, vt more ſpiritualium volucrum ad contemplanda cœleſtia nos erigamus, noſtraque conuerſatio in cælis ſit, quemadmodum D. Pauli ſydereæ aquilæ & ad volandum nos ſuo exemplo prouocantis fuit. Euolemus ad ſublimia, in arduis commoremur, defigamus oculos mentis noſtræ in res diuinas, conſecremus intelligentiæ noſtræ alas Deo, hoc enim *holocauſtum eſt oblatio ſuauiſſimi odoris Domino.*

Leuit. c. 1.

3. At vt hoc quoque munus diuino Numini acceptius ſit, Guillelmus Abbas [c] ſic nos admonet. *Iacta cogitatus implumes & infirmos in Domino*; ſed & ipſi Deo parendum eſt, ac plumæ eruditionis & ingenij prope altare proiiciendæ, adeóque aſcellæ confringendæ ſunt. hoc eſt, (Radulpho interprete) ita reprimenda omnis præſumptio, vt nobis non

c Serm. 2. in Cant.

non tribuamus virtutem contemplandi, ſed ſupremo omnis ſapientiæ fonti eam referamus acceptam. Igitur nemo acumen ſuum iactantiùs venditet, *ſed ſub diuino munere humiliter propriam infirmitatem cogitet.* hoc eſt detrahere plumas, & aſcellas confringere auibus Deo offerendis: noſſe nimirum quàm ſit nobis curta ſupellex, & profiteri quod Plato dixit [a], quantumlibet ſapientes ſimus, tamen nos ſimios tantùm eſſe præ Deo; denique quod Apoſtolus [b], nos non eſſe ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed omnem ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe; ne ſi fuerimus ſimiles antiquis philoſophis arroganter de ſe ſentientibus, qui cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum, & auctorem omnis intelligentiæ & ſcientiæ glorificauerunt, aut gratias egerunt, dicentes ſe eſſe ſapientes, ne (inquam) ſi euanuerimus in noſtris cogitationibus, noſtris viribus præfidentes, atque (vt Seneca loquitur [c]) in artibus ſubtilitate multa ſublimiter, & elatè laſciuientes, fiamus & nos cum illis ſtulti, & Icario lapſu luamus temeritatem noſtram. Porrò aſcellas ingenij confringimus tantùm, non reſecamus, neque enim modeſtia, ſiue Chriſtiana humilitas obſtat, quo minus grandia moliamur, dummodo non ſint altiora noſtro faſtigio. imò hæc demiſſio ſolius generoſi animi propria eſt, ſi tamen non ipſa magnanimitas eſt, videlicet cordata & prudens erectio animi ad eam honeſtatem & laudem, quæ citra immoderationem & indebiti honoris ſtudium apprehendi generoſo conniſu poteſt. Quæ ſtudioſa affectio humilitatis licèt ſit receſſus quidam à Deo, eiúſque maieſtate in propriam tenuitatem & nihilum; haud ita tamen reſilit, vt abiectè deliteſcat, & quaſi alis penitus mutilata eò non euolet, quò magnanimus impetus, & recta ratio eam mouet.

a in Hippia maiore.
b Rom. 12.
c ep. 105.

Aliter Petrus Bleſenſis [d] ſymbolicam hanc aſcellarum confractionem interpretatur, quæ quia præclarum documentum continet, & perutile hominibus ſtudio literarum intentis, ideo paucis illud euoluere operæ pretium viſum eſt fore; eſt quidem verum, nimiâ corporis curâ & delitiis vim intelligendi hebeſcere, & (vt grauiter Tertullianus [e]) *animum concepto corporis obſtrui & obſcurari, & infecari concretione carneâ; vnde illi velut per corneum ſpeculare obſoletior lux rerum eſt; qui cum mortis vi exprimitur de concretione carnis, & ipſa expreſſione colatur, de oppanſo corporis erumpit in apertum, ad meram & ſuam lucem.* Ac proinde quantum fieri poteſt etiam in hac vita *exuenda eſt hæc veſtis quam circumferimus* (ait Triſmegiſtus in Pimandro [f]) *indumentum inſcitiæ, velamen opacum, vmbraculum inimicum, quod aciem interiorum ſenſuum hebetat & obtundit, & abominabili faſtidioſáque ebriat voluptate, ne audiamus vnquam, néve perſpiciamus ea, quæ iure audienda ſunt, & inprimis inſpicienda.* Tu verò (vt iterum cum eodem Triſmegiſto loquar) mentem prorſus conſequèris, vbi tuum corpus oderis; hanc denique nactus ſcientiam è veſtigio nanciſceris. Veruntamen quamuis corpus domeſticum hoſtem bonæ mentis, & intelligentiæ domare & contundere fas ſit, perimere tamen non licet: ſic foueatur ne inſoleſcat, ſed ſolùm vt labori ſufficiat, qui in otio literario ſolet eſſe maximus: ſic alæ confringendæ ſunt, vt nequaquam omnino præcidantur. De hac re ſatis. Relinquamus hanc diſputationem Aſceticis Doctoribus, Caſſiano, D. Baſilio, & aliis.

4.
d l. de confeſſ. ſacram.
e l. de anim. c. 53.
f c. 7.

CAPVT XXX.

Prudens cautio in librorum lectione commendatur.

EMBLEMA XXX.

Virgilius è cœno gemmas laureâ virgulâ eximens.

Lucret. *Omnia ſic itidem decerpſimus aurea dicta.*

1. NOn eſt exiguæ induſtriæ manibus illæſis decerpere è ſpinis roſas, vel incontaminatis gemmas è luto legere: verùm longè periculoſioris operæ verſari in lectione omnium promiſcuè auctorum illibatis moribus, ſtylo incorrupto, doctrinâ impollutâ; vt proinde omnibus variæ eruditioni comparandæ, & librorum lectioni intentis ſummopere ad cautionem neceſſaria ſint magnorum virorum monita & exempla. *Quiſquis de magnis dictis arrogantium ſumere ſcientiam nititur, prouidere ſolerter debet, ne hoc quod eorum ſcientia altũ tumet, imitetur,* (inquit Magnus Gregorius [a]) *ne cum virtutum flore morum vitia colligat, & in eo quo loquendi notitiam aſſequitur, viuendi ſe imperitia transfigat: hos namque cùm fortia dicere audimus, ſed tamen de dictis fortibus tumere conſpicimus, quaſi doctrinæ hortum ingreſſi de ſpinis roſas attingimus: diſcreta ergo nobis ſolicitudine opus eſt, & capere quod redolet, & cauere quod pungit; ne ſi fortaſſe improuidè dictorum flos legitur, incautis legentibus manus morum laceretur.* Caſſiodorus [b] eleganti ſimilitudine monitum iſtud illuſtrat, & velut in pellucenti cyatho, librorum lectionem auidè ſitientibus propinat. *Origenem quidam non immeritò more anethi habendum eſſe dixerunt, qui dum ſacrarum condiat pulmenta literarum, ipſe tamen decoctus exſucceatúſque proiicitur, de quo concluſiuè dictum eſt: Vbi bene, nemo meliùs; vbi malè, nemo peiùs: & ideo cautè ſapientérque legendus eſt, vt ſic inde ſuccos ſaluberrimos aſſumamus, ne pariter eius venena perfidiæ vitæ noſtræ contraria ſorbeamus.* Igitur ſiue tu medicinam, ſiue epulas in libris quæris, illos tanquam anethum tibi adhibe; & caue ne adeò infeliciter illos tractes, vt (quod dixerunt Hebræi de variis diſcipulorũ generibus diſputantes) inſtar ſpongiæ attrahas bona pariter & mala; vel (quod longè deterrimum eſt) inſtar ſacci vinarij, qui ſincerum purúmque liquorem tranſmittit, ſolas verò feces retinet: vel fias eorum ſimilis, qui contempto tritico, ononim, & neglectâ pulpâ echinos appetunt; Vlpiani denique, quem ſolas ex ſermonibus ſpinas relictis roſis collegiſſe Athenæus ait [c].

a l.27. mor. c.1.

b l.de diu. lect.c.2.

Plin.l.19.c.8.

In Pirke Auoth apud Nouarinum l. 1. ſacr. elect.n. 325.

c l.6. gymnoſ.

2. Solicitudinis in legendo cautæ, & ſolicitæ in colligendo cautionis in Marone exemplum eſto. Is enim dum incultum & obſoletum Ennium haberet in manibus, eúmque euolueret, quid ageret interrogatus, reſpondit, ſe aurum ex Ennij luto colligere. Atque ita omnino fecit, vti ſe facere reſpōdit. Nam ex vetere illo poëta ſic ſententiarum dignitatem & gemmas exemit, vt nihil ipſi de quiſquiliis, illuuie, & fecibus Enniani ſtyli adhæſerit. Ex Epicurei ſuilis alueis gemmas identidem legens Seneca, eáſque ſuis epiſtolis inſerens, ſic factum ſuum probat:

Hæ

Has voces non eſt quòd Epicuri eſſe iudices, publicæ ſunt. Quod fieri in Senatu Sen.ep.21.
ſolet, faciendum quoque in philoſophia cenſeo. cùm cenſuit aliquid quod ex parte
mihi placet; iubeo illum ſententiam diuidere, & ſequor. Eo libentiùs Epicuri
egregia dicta commemoro, vt iſtis qui ad illa confugiunt ſpe malâ inducti, qui
velamentum ſe ipſos ſuorum vitiorum ſe habituros eſſe exiſtimant, probem quo-
cumque ierint, honeſtè eſſe viuendum. Et alio loco, *Quod verum eſt meum eſt,* Ep.12.
perſeuerabo Epicurum tibi ingerere; vt iſti qui in verba iurant, nec quid dica-
tur æſtimant, ſed à quo, ſciant quæ optima ſunt eſſe communia.

CAPVT XXXI.

Literarum ſuauitatem haud percipi ab illis, qui perfunctoriè ſtudent, ſed ab iis qui ſtrenuè & conſtanter.

EMBLEMA XXXI.

Minerua poculum lauro coronatum propinans.

Vt placeat, ebibe.

VOluptatem inſtar fibulæ Deus animæ noſtræ inſeruit, vt diuturnam in 1.
corpore manſionem ſuſtineret, interea dum æternas delitias ſibi comparat
huius vitæ laboribus. Quidpiam tale mihi videtur eſſe in ſcientiis, quæ
ſua etiam non carent ſuauitate, dum in earum acquiſitionem multo la-
bore & ſtudio incumbitur. Nihilominus vt poculum, in quo ſapientia
propinatur, perfectè placeat, ebibendum eſt; in imo enim ſubſidit liqui-
dior voluptas, ſecus ac euenire in pleriſque aliis rebus ſolet. Radix qui-
dem ſcientiæ paulo amarior eſt, non inficior; at eius fructus enimuero
ſunt dulciſſimi, & *quo quæritur difficiliùs, eo dulciùs inuenitur,* ipſáque diffi- D. Auguſt.
cultate velut conditur. In ſacris libris (ait D. Hieronymus[a]) totum quod conc.2. in Pſ.103.
legimus nitet quidem, & fulget etiam in cortice, ſed dulcius in medulla a ep. 13. ad
eſt. idcóque D. Gregorius[b] putat diuinum Numen circumfudiſſe tene- Paulin. de
bras, & impediuiſſe locis quibuſdam obſcurioribus ſacram Scriptu- inſtit. Monach.
ram, non ſolùm ne vileſceret, ſi aperta cunctis foret; ſed etiam vt tanto b in Ezech.
maiore dulcedine inuenta reficiat, quanto maiore labore fatigat ani- hom.6.
mum quæſita. Aliter contingit *in corporeis voluptatibus, quibus minimùm*
fruuntur, qui ſolicitiùs ſeruiunt: at verò in ſtudio ſapientiæ, tum maxi- in Ecl. phy-
mè eius delitiæ percipiuntur, cùm impenſiùs & laborioſiùs inueſti- ſicis.
gantur.

Quamobrem neu deſipiamus cum ſtultis qui aliquantulâ difficulta- 2.
te deterriti ſapientiam atque doctrinam (vt Salomon ait[c]) deſpiciunt. c Prou.1.
Illita eſt ora huius Palladij poculi nonnullâ laboris amaritudine, tan-
quam ſtillâ abſinthij, fateor; at tam pura in imo voluptas reſidet, vt ni-
hil ſit hac in vita ſuauius, nihil optatius; nullum quàm inde maius cor-
porearum voluptatum faſtidium: vt propterea verè Dacrianus Abbas[d] d in ſpeculo
dixerit, *Si ad lectionis ſacræ ſtudium promptus & diligens eſſe volueris, iucun-* Monachorũ.
daberis plurimum: & tibi dulceſcere incipient quæuis ſpiritalia, fietque vt ſan-

ctis delitiis aſſuefactus omnes delitias carnales facilè contemnas. plena quippe ſunt omnia ſacra volumina myſteriis, (inquit D.Bernardus[a]) *ac cœleſti ſingula dulcedine redundantia, ſi tamen diligentem habebunt inſpectorem, qui nouerit ſugere mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo.* Suam quoque ineſſe aliis libris & ſtudiis maximam & honeſtiſſimam voluptatem, ſuperiùs non ſemel oſtendimus, probátque M. Tullius in Catone maiore illuſtribus exemplis. ſoli inexperti has delitias deſpiciunt. nemo eas expertus in iis immori non deſiderat.

a hom. 1. ſuper Miſſus eſt.

CAPVT XXXII.

Non ſolùm linguâ, ſed præcipuè moribus philoſophandum.

EMBLEMA XXXII.

Perſea arbor, cuius folia linguæ figuram referunt, fructus cordis.

In Deo laudabo verbum.

1. NOn inuenerunt Ægyptij cui conuenientius hanc arborem dedicarent, quàm Numini ſermonum, qui de diuinis rebus inſtituuntur, præfecto; vt innuerent cor Theologi pariter ac linguam famulari debere Deo, hoc eſt, omne ipſius vitæ inſtitutum debere cum ſublimibus de Deo diſputationibus conſentire: quo hieroglyphico monito quid verius, quid ſanctius Chriſtiana philoſophia dicere poſſit, non video. Viſus eſt Deus eiuſdem documenti ſymbolum conſtituiſſe in Paradiſo terreſtri, quando lignum ſcientiæ proximè ligno vitæ plantauit; quod cùm animaduertiſſet Iuſtinus Martyr, hæc ad Diogenem ſcripſit. *Neque vita ſine cognitione, neque cognitio tuta ſine vera vita eſt; ideo in propinquo vtrumque plantatum fuit, quam facultatem cùm perſpexiſſet Apoſtolus reprehendens cognitionem quæ ſine veritate mandati in vita exercetur, dicit: Scientia inflat, charitas ædificat.* Qui ſecus facit, arbor deterrima eſt, quantumlibet vernet ac floreat. Tales arbores eſſe in Sodomitico agro refert Solinus[b], quæ ſi quid pomorum ferunt, & quantumuis ea ſpeciem maturitatis præferant, haud tamen veſca ſunt, leui enim compreſſa tactu illico fatiſcunt in fauillas & cineres: ſepulcra dealbata hoc Doctorum genus qui dicunt & non faciunt. Et planè *delicatus eſt*, nedum ridiculus, *magiſter qui pleno ventre de ieiuniis diſputat; accuſare auaritiam & latro poteſt: Sacerdotis os, mens & manus concordent. obſtrepera pica, garruli pſittaci, loquaces citeriæ; voces*, prætereaque nihil. *Cùm tamen longè ſatius ſit, vitam bonam, quæ etiamſine doctrina gratiam habet poſſidere, quàm doctrinam ſine vita, quæ integritatem non habet.* Quis non malit nummum, quantumuis inconcinnè cuſum, ſed iuſti & legitimi ponderis, ac puri metalli; quàm affabrè monetali ſigno percuſſum, at inſyncerum & iuſto leuiorem? Quorſum hoc pertineat intelliges ex ſimili dicto Zenonis: dicebat eruditorum ſermones & imperfectos, τοὺς τῶν ἀπολοίκων λόγους

b c. 36.

D. Hier. ep. 2. ad Nepot.

D. Ambroſ. in Pſ. 118.

μὴ ἀπηρτισμένους, Alexandrinæ pecuniæ ſimiles. Nam gratos quidem oculis, & pictos monetæ inſtar, nihilo tamen eſſe meliores. Eos verò qui ſecus, temerè quidem & ruſticè inciſis, ſed qui pictam orationem ſuperare poſſint. Is porrò omne punctum tulit, éſtque arbor digna quæ ſupremo Numini conſecretur, quiſquis in foliis linguam, in pomis cor ſuum exprimit; hoc eſt, iuxta Chriſti Domini monitum, *qui fecerit, & docuerit*; neque ſit ex eorum numero, quibus exprobratum eſt iſtud, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Laërt. l. 1. in Zenone. Matth. 15. Marc. 7.

2. Rurſus videamus ecquod inter cor & linguam commercium intercedat, quandoquidem ſymbolicæ huius arboris folia & fructus anſam huic quæſtioni præbent. Aulus Gellius [a] refert dici conſueuiſſe, linguam debere vinculis de pectore, imò ac de corde aptis moueri, & quaſi gubernari; quod ſanctus Columbanus pulchrè verſu complexus eſt,

Lingua ſuos habeat frænos in corde ligatos.

Idem B. Petrus Damianus [b], in mentis ſtatera ſingula verba appendenda eſſe aiens. Idipſum regius Pſaltes innuit, meditationem, quæ cordis munus eſt & officium, linguæ tribuens: *lingua mea meditabitur iuſtitiam.* Sed in primis diuinum eſt illud Seruatoris noſtri Chriſti in hanc ſententiam, *Ex abundantia cordis os loquitur.* Ex quibus colligo non ſolùm intercedere aliquam rationem, & veluti fœdus inter cor & linguam, ſed etiam debere eſſe talem inter ea conſenſum, vt ſicut arborum folia fructibus, ſic lingua ſeruiat cordi. Quòd ſi alterutro carendum eſt, longè ſatius eſſe & glorioſius *Philoſophum eſſe factis, quàm verbis, virtutum conſcientiam, quàm iactantiam noſſe.*

a l. 1. c. 15.
b Opuſc. 16.
Pſalm. 74.
Mat. 12. 34.
D. Cypr. de bono patient. ſerm. 3. initio.

SECTIO VII.

Emblemata ſtudiorum commendatitia,

ſiue

Commendationes ſtudiorum emblematicæ.

NON ſum ita cóſecratus præceptis, vt ſolùm præceptiuus audire velim, & reſpuam, ac reiiciam ex hac Bibliotheca omnia illa emblemata, quæ documentum aliquod non contineant. Pinge (per me licet, imò & tibi auctor ſum) pinge etiam in cœlo tui Muſei alia emblemata; non erunt aliena ab hoc loco, dummodo ad literarum commendationem, & ſtudia bonarum artium pertineant: cuiuſmodi ſunt ſena hæc, quæ exempli gratiâ tibi affero; & quibus quinquagenarius ille emblematum numerus, quem promiſi, abſoluitur. 1.

CAPVT

CAPVT I.

Studia literarum geniales ingenij epulæ.

EMBLEMA I.

Æthiopica Solis menſa.

Μαθήματα τῆς ψυχῆς βρώματα.

1. a lib.3. MEmorabilis eſt Æthiopica illa menſa de qua ſic Pomponius Mela [a] de ſitu orbis. Eſt locus apud Æthiopas apparatis epulis ſemper refertus, & quia vt libet veſci volentibus licet, ἡλίου τράπεζαν appellant,& quæ paſſim appoſita ſunt, affirmant naſci ſubinde diuinitus. Herodotus à quo fluxit hæc hiſtoria, ait pratum eſſe omnium quadrupedum carne refertiſſimum, quam magiſtratus illic per noctem ponere conſueuerat, vt cùm illuxiſſet, fas eſſet omnibus indigenis eò accedere,& gratis epulari :ad quam etiam inſpiciendam Cambiſes Legatos in Æthiopiam miſit; erat enim (vt loquitur D. Hieronymus) famoſiſſima. Ego non reperio elegantius Bibliothecarum ſymbolum, quàm hanc menſam. Nam in Bibliothecis Apollo Muſarum præſes lautiſſima & perpetua noſtris mentibus conuiuia inſtruit μαθήματα τῆς ψυχῆς βρώματα. Diſciplinas cibos mentis noſtræ, Apollinem verò ſolem eſſe, cùm tu diſcere poſſis ex variis eius poteſtatibus, de quibus Macrobius; tum præſertim ex aureis iſtis verſibus nectarei Claudiani de ſole oriente,

Vide Solinum in Polyh.

Greg.Nyſſ. hom 7. in Cant.

Inualidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce grauem,nec pubeſcentibus annis
Criſtatum radijs, primo clementior æuo
Fingitur, & tenerum vagitu deſpuit ignem.

2. b 9.reip. Studia literarum pabulum eſſe & epulas animorum noſtrorum,ſi auctoritate euincendum eſt, habeo Platonem [b], qui hoc cibo refici animi vires dixit, ἑστιάσας λόγων καλῶν καὶ σκέψεων. *Reficiens animum pulchris diſputationibus, & commentationibus.* habeo eundem *in Phædro*, τῶν λόγων ὑμᾶς Λυσίας ἑστία. habeo Syneſium, ἑστία Κυρηναίοις τῷ λόγῳ. habeo Gregorium Naz. [c] τοῖς ματαίοις πλασμοῖς ἑστίαν διάνοιαν. habeo Baſilium [d],qui libros ſacros appellat θεόπεμπτα δῶρα καὶ τροφὴν ψυχῶν. *dona diuinitus miſſa, & cibum animorum.* In promptu ſunt è Latinis Tullius [e], qui *ſaturatam bonarum cogitationum epulis animam* dixit; idémque alibi pabulum ad animum tranſtulit: ſed *quoniam* (inquit [f]) *auidum hominem ad has dicendi epulas recipi, ſic accipiam*, &c. Symmachus [g], *quotidiana pabula ingenij.* Ammianus [h], *Eruditionem & Philoſophiam* vocat *pabula.* Plautus Comicum ſalem ſuæ orationi aſpergens, *Libenter edi ſermonem tuum*, inquit Seneca [i]. *In paſcuum emiſſus ſum, cibum meum repetiui, incipio toto animo ſtudere*; & ſexcenta id genus,quæ ſi vacet & libeat,enumerare poſſim. Quin & ipſe Salomon ſimilis Metaphoræ inuolucris, menſam & vina & paſtum corporis ad ſtudia literarum,quibus animus reficitur,

Idem Syneſ. c Or.5. d in Pſ 59. e 1.de diu. f l.1. ep. 53. g lib.16. h in Aulul. i Ep.104.

reficitur, traduxit, inuitans promiſcuè omnes diſcendi cupidos ad illud Gymnaſium, quod Hieroſolymis erexerat, tamquam ad geniales epulas.

Caput huius ſolaris cœnæ, ſeu bibliothecalis conuiuij, hauddubiè ſunt ſacra volumina & Scripturæ, quarum tractatione (inquit D. Damaſcenus [a]) nihil puto in hac luce iucundius, quo animæ pabulo omnia mella ſuperentur. Beda omnino eleganter ſacros Codices eſſe ait menſam illam de lignis ſethim, quam Deus fieri iuſſit in Exodo, ſic interpretatur. *Menſa de lignis ſethim facta, Scriptura eſt ſacra de fortibus ſanctorum Patrum verbis actibúſque compacta, quæ dum nobis quæ ſint æternæ præmia beatitudinis, & quomodo ad hæc perueniatur oſtendit, cibum profectò nobis ſalutis ac vitæ ſuggerit. hæc habet longitudinem cum perſeuerantia nobis cœptæ religionis, latitudinem cum amplitudine charitatis, altitudinem cum ſpe remunerationis perpetuæ inſinuat: hæc menſa inauratur, quia Scriptura ſancta ſapientiæ cœleſtis ſenſu clara refulget, & ipſi qui eam condidere Prophetæ præclari vitâ ac ſermone fuerunt: labium autem aureum fit menſæ per circuitum, quia doctrina ſacri eloquij per mundiſſima nobis prædicatorum fidelium ora miniſtratur. Quatuor autem pedes habet menſa, quia quadriformi ratione omnis diuinorum eloquiorum ſeries diſtinguitur. In libris namque omnibus ſanctis intueri oportet quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur. Item habet quatuor pedes, quia verba cœleſtis oraculi vel hiſtorico intellectu, vel allegorico, vel tropologico, id eſt, morali, vel anagogico ſolent accipi.* pulchrè, ſubtiliter, verè. Origenes mortiferam illam menſam, quam Regius Vates impiis in Chriſtum Iudæis imprecatur, his verbis, *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum*; ſic in rem præſentem interpretatur. *Omnes ſcripturæ* (inquit) *quæ ante aduentum Domini erant apud Iſraël, primis enim illis traditâ ſunt eloquia Dei, & omne quod appellatur vetus Teſtamentum menſa eſt Iſraël; in qua menſa, ſi quis volebat edere verbum Dei, appoſitis ſibi legis & Prophetarum ſermonibus paſcebatur; fit eis in laqueum Scriptura diuina, cùm legunt ea quæ de Chriſto prophetata ſunt, & dicunt non eſſe ſub Ieſu completa: fit hæc menſa illis in ſcandalum, quia ex Scripturis didicerant quod Ieſus manet in æternum: Ieſum autem videntes mortuum & crucifixum, ſcandalizantur.* 3.

a Epiſt. 124. ad Hieron.

Exodi 25.

Pſal. 68. 23.

Rom. 3. 8.

Hanc Scripturarum menſam putauit Rupertus [b] rectè indicari illo conuiuio, in quo ſecus pedes Domini famoſa mulier etiam non vocata recubuit. *Gentilitas enim* (inquit) *ad diuitias Iudæorum, ex quibus ſalus eſt, veniens, & ad magnum Scripturarum conuiuium iniuſſa prorumpens, quæ fuerat meretrix, id eſt, pluribus Dijs quaſi pluribus proſtituta viris, retrò ſecus pedes Domini recubuit.* Quibus epulis ita ſe refici ſenſit, ac tanta animum ſuum dulcedine compleri, licèt analecta duntaxat huius menſę collegiſſe videri poſſit; vt etiã domi ſuę cùm Chriſtum Dominum conuiuam haberet, ſuarum tamen partium oblita, nec tantùm nihil ſategit, vt eum lautè exciperet, ſed reguſtans priores illas delitias, quibus paſta fuerat, tanta ſuauitate tenebatur; quæ profectò maior eſt mentis, quàm corporis, vt ſuperueniens & velut diuino ſuperfuſa huic condimento acerbior increpatio à Martha ſorore, indulgentem ſanctiſſimis 4.

b lib. 10. in Ioan.

Luc. 7. 36.

In Ioan. c. 12.

S. Aug. ſerm. 27. de verb. Dom.

Ff

mis epulis Mariam vel ad tantillum tempus reuocare non potuerit. Habent quidem nonnihil delectationis tum fercula, tum pocula quæ miniſtrantur à prophanis Doctoribus: ſed enimuerò præ meraca illa ſapientia, quæ propinatur ab artifice omnis ſuauitatis Deo Opt. Max. in ſacris codicibus, eſt inſulſa. Itáque viſum eſt D. Bernardo [a] de vera

a in Cant. ſerm.85. & ſapida ſcientia diſputanti. *Fortè* (ait) *ſapientia à ſapore denominatur, quòd virtuti accedens quoddam velut condimentum ſapidam reddat, quæ per ſe inſulſa quodammodo & aſpera ſentiebatur.*

5. Igitur ſacri codices ſunt menſarum apparatus opipari. Quid ſi præterea dixero eos *Soles* eſſe longè ſplendidiſſimos, nunquid fatendum erit *Solis menſam* re vera eſſe in Chriſtianorum Bibliothecis, in quibus princeps locus diuinis volumibus attribuitur? Non ero hac in parte longior; neque dicam ſacra illa diuini Verbi monumenta eſſe paruum illum fontem, qui creuit in Fluuium, & in lucem *ſolémque* con-

Eſth.10.6. uerſus eſt. Non dicam Scripturam ſacram eſſe ſpecioſiorem ſole; &

Mendoça in procœm.lib. Reg ſect.3. ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, & luci comparatam priorem inueniri, quemadmodum vir in primis doctus myſticè accommoda-

b ep ad Euſtoch. de cuſtodia virginitatis. uit; vnus audiatur Hieronymus [b] ſuam deflens cæcitatem, qui certo tempore fulgentiſſimi huius Solis lumen non viderit. *Miſer* (inquit) *ego lecturus Tullium ieiunabam, & poſt crebras vigilias Plato ſumebatur in manibus: ſi quando in memetipſum conuerſus Prophetas legere voluiſſem, ſermo horrebat incultus, & quia cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed Solis.*

6. Sat eſt: habemus in noſtris Bibliothecis inſtructiſſima conuiuia. Præbent ſacri libri humanis mentibus exquiſitas delitias, & ſciunt *filij tui quos dilexiſti Domine, quoniam non natiuitatis fructus paſcunt homines,*

Sap.16. *ſed ſermo tuus hos, qui in te crediderint, conſeruat.* Quot habeo in Muſeo libros, tot habeo parata fercula, niſi potiùs ſinguli libri ſunt ſplendidæ menſæ, & lautiſſima conuiuia, quæ vel auidiſſimis ingeniis ſaturandis ſufficiunt, quantumlibet expetere poteſt inexhauſta ſciendi auiditas. huius menſæ caput ſunt ea fercula, quæ Deus ſua ipſius manu parauit, ac per ſe ipſum intulit: reliqua quæ recta ratio ac naturæ lumen condiuit, poſſunt habere locum inter leuiuſcula bellaria, aut ſaltem inter analecta, quæ tamen etiam venerationi eſſe debent, vt Damis

b in vita Apollon. apud Philoſtratum [b] rectè dicit cuidam ſibi exprobranti, quòd ſuis operibus inſereret res minutiſſimas, quæ velut cœnanti Apollonio excidiſſent, ὑπολαβὼν Δάμις, εἰ δαῖτες ἐςὶ θεῶν εἰσι καὶ σιτοῦνται θεοὶ πάντως που καὶ θεράποντες αὐτοῖς εἰσιν, οἷς μέλει τοῦ μηδὲ τὰ πίπτοντα τῆς ἀμβροσίας ἀπόλλυσθαι. *Bene admones, (ait Damis:) ſed hæc menſa Deorum eſt, ipſique etiam Dij conuiuæ. ſatagere verò debent famuli, ne vel minima particula ambroſiæ pereat.* Et quoniam mentio facta eſt menſæ Deorum: agè, videamus

c l.10. recognit. quàm bellè Clemens Romanus [c] illam allegoriam interpretetur, & ad præſens argumentum appoſitè. *Cœnæ Deorum cauſa hoc modo ſe habet,* (inquit) *conuiuium mundum tradunt: diſcumbendi ordinem Deorum, ſtellarum poſitionem, quos Heſiodus cœli & terræ filios nominat, in quibus ſex mares, & ſex fœminas ad duodecim ſignorum numerum referunt, quæ vniuerſum circumeunt mundum: dapes autem conuiuij, rationes eſſe & cauſas rerum tradunt,*

dulces

dulces & concupiſcibiles, quæ qualiter regatur & gubernetur hic mundus, ex ſignorum poſitione & aſtrorum curſibus colliguntur. Ad libertatis tamen conuiuij modum dicunt iſta conſtare, pro eo quòd poteſtatem habeat vniuſcuiuſque ſenſus, ſi velit deguſtare aliquid ex eiuſmodi ſcientia, aut ſi nolit: & ſicut in conuiuio nemo cogitur, ſed veſcendi libertas penes vnumquemque eſt; ita & philoſophandi ratio pendet in voluntatis arbitrio. Diſcordiam, concupiſcentiam carnis dicunt, quæ inſurgit aduerſum propoſitum mentis, & philoſophandi impedit ſtudium. Ideo denique, & tempus illud eſſe aiunt, in quo de nuptiis agitur. Peleum verò & Thetidem Nympham, aridum & humidum ponunt elementum, ex quorum admixtione ſubſtantia corporum conſtat: Mercurium, verbum eſſe tradunt, per quod ſenſui doctrina confertur: Iunonem, pudicitiam: Mineruam, fortitudinem: Venerem, libidinem dicunt: Paridem, ſenſum. Si ergo, aiunt, accidat in homine barbarum eſſe, & imperitum ſenſum, & rectum iudicium neſcientem, ſpretâ pudicitiâ & virtute, libidini palmam, quod eſt malum, dabit, per quod non ſolùm ſibi, ſed & ciuibus, & vniuerſæ genti ſubuerſio, & pernicies aderit. Hæc ergo licet illis componere ex qualibet materia viſum ſit, tamen aptari ad omnem hominem poſſunt, quia ſi quis paſtoralem ac ruſticum, atque imperitum habeat ſenſum, nec velit erudiri, vbi corporis calor de libidinis ſuauitate ſuccreuerit, continuò ſpretis ſtudiorum virtutibus, & ſcientiæ bonis ad voluptates corporum animum confert. Et hinc eſt, vnde impacata bella conſurgunt, vrbes ruũt, patriæ concidunt, ſicut & Paris raptâ Helenâ ad mutuum Græcos & Barbaros armauit exitium. Hæc mythologia, de qua Petrus qui eo loco à Clemente inducitur loquens & expoſitionem laudans ait: *Multas, vt video, ingenioſi homines ex iis quæ legunt veriſimilitudines capiunt*, &c. Eſt igitur tam lauta & exquiſita humanæ mentis menſa, *Eruditio*; tam lauti & adipales cibi ſunt, ſermones docti; vt eiuſmodi conuiuia digna viſa ſint accubatione epulari Deorum.

Capvt II.

Studia literarum ad animi tranquillitatem quantopere iuuent.

Emblema II.

Nauis fluctibus iactata ad portum contendens, in cuius inertia & faucibus ſtat ingens Coloſſus Phœbi, ſtatua, ſiniſtrâ manu Nepenthes tenens, dexterâ librum, cui pro titulo illud Ouidij,

Animi medicina quiéſque nulla niſi in ſtudio eſt.

IN hoc emblematico portu audire mihi videor rediuiuum Boetium[a] iactatos vitiorum, aut curarum æſtibus huc aduocantem. 1.

Huc omnes pariter venite capti,

a metro 10. l. 3.

Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas hebetans libido mentes;
Hîc erit vobis requies laborum,
Hîc portus placidâ manens quiete,
Hoc vnum miſeris patens aſylum.
Non quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi, &c.

In hoc Phœbi portu fit cum magna animi tranquillitate, quòd ſe facturum ſperabat magnum iter ad doctas profectus Athenas Propertius [a],

a lib. 3. eleg. ad Cynth.

Inde vbi Piræi capient me littora portus,
Scandam ego Theſeæ brachia longa viæ.
Illic vel ſtudiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis.
Perſequar aut ſtudium linguæ Demoſthenis arma;
Librorúmque tuos docte Menandre ſales.

Optima & benefida ſtatio ſtudium literarum in tantis, & tam continuis moleſtiarum procellis, quibus miſeri iactamur. Ampliùs dico: mens ſtudioſi hominis, & ad hunc portum feliciter appulſi,

———eſt velut altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos, hyeméſque relinquit,
Perpetuum nullâ temeratus nube ſerenum:
Celſior exurgit pluuiis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

2. Primo libro diximus quantopere ſtudia literarum conferant ad perturbationes animi ſedandas, & reprimenda vitia: remedium hoc ſolum reperit Propertius amori illi compeſcendo, quo perditè ſolicitabatur: in curis verò & moleſtiis, atque animi ægri iactationibus nullus portus tutior eſt ſtudio literarum, Stoico teſte: Ferox eſt (ait) atque aduersùs omne remedium contumax ille affectus, qui ex dolore naſcitur, licèt nitatur obruere & deuorare gemitus ſuos; per ipſum tamen compoſitum fictúmque vultum lacrymæ profunduntur: ludis interim & gladiatoribus illum occupamus; at illum inter ipſa quibus auocatur ſpectacula, leuis aliqua deſiderij nota ſubibit; ideo melius eſt illum vincere quã fal ere. Nã qui aut deluſus voluptatibus, aut occupationibus abductus eſt, reſurgit, & ipsâ quiete impetũ ad ſæuiendum colligit: at qui rationi ceſſit, in perpetuum cõponitur. Nõ ſum itaque mõſtraturus illa, quibus multos vſos eſſe ſcio, vt peregrinatione te vel longâ detineas, vel amœna delectes, vt rationum accipiendarum diligentiâ, patrimonij adminiſtratione multum occupes temporis, vt ſemper nouo te aliquo negotio implices; omnia iſta ad exiguum momentum proſunt, nec remedia doloris, ſed impedimenta ſunt; ego autem malo illum deſinere quàm decipi: *Itaque illò te duco quò omnibus qui fortunam fugiunt, confugiendum eſt,* AD LIBERALIA STVDIA, *alia ſanabunt vulnus tuum, alia omnem triſtitiam tibi euellent; hinc parandum tibi contra fortunam auxilium, hinc proferendum.* Tutam te præſtabunt illa, conſolabuntur illa, delectabunt illa; ſi

ſi bona fide animum tuum intrauerint, nunquam ampliùs intrabit dolor, nunquam ſolicitudo, nunquam afflictionis irritæ ſuperuacanea vexatio, nulli horum patebit pectus tuum; lætus & alacer eſt velut optimi rebus, quiſquis ad hanc tranquillá quietámque vitam ſe recipit: quídn verò ſint optima, cùm animus omnis cogitationis expers operibus ſuis vacat, & modò ſe leuioribus ſtudiis oblectat, modò ad conſiderandam ſuam vniuerſique naturam, veri auidus inſurgit. Hæc ferè Seneca[a], non enim poteſt animum licèt piè dolentem à ſolicitudine auocare, niſi ratio, aut honeſta occupatio; quæ vtraque, ſecundùm Deum, perfectè in ſtudio literarum reperitur. Nullum in ſuis malis leuamen, nullum in exilio ſolatium Ouidius[b] ſe reperiſſe ait niſi in ſtudiis.

[a] in conſol. ad Heluiam c.16. & 17.

[b] l.5. inſt. el.1.

Felix qui patitur quæ numerare poteſt.
Quot fruticis ſylua, quot flauas Tibris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet:
Tot mala pertulimus, quorum medicina quiéſque
Nulla niſi in ſtudio eſt, Pieridúmque mora.

Hoc portus ſymbolicus ſignificat, hoc liber, hoc Nepenthe, hoc præſes medicinæ & Muſarum Phœbus; & ſi nihil aliud commodi ſtudia literarum afferant, quàm quòd auocent animum à moleſtiis, haud parum ſit: ſic idem Ouidius[c],

[c] Eleg.6.l.1. de Ponto.

Cùm bene quæſieris, quid agam, magis vtile nil eſt
Artibus his, quæ nil vtilitatis habent.
Conſequor ex illis caſus obliuia noſtri:
Hanc meſſem ſatis eſt ſi modò reddat ager.

Eleganter. Extremum tamen edulium quod hîc tibi appono, volo eſſe particulam ambroſiæ quæ ſuaui ſenſu palato blandiatur. *Certè ſi quis in fidelis ratis vitia perſpexerit, tanquam frequenti librorum portu abiectum, aurium vela deponat, lectionis anchoram figat, non videtur deſeruiſſe curſum, ſi deſcendit portum.*

S Ambroſ. l.4. in Luc.

CAPVT III.

Mentis eruditæ immenſa capacitas, & indefeſſa agitatio.

EMBLEMA III.

Caput Philoſophi præferens in fronte ſolem.

INSCRIPTIO GEMINA.

Supernè, *Nulla quies.* Infrà, Ἐγὼ ἓν καὶ πάντα.

1\. STudioſis omnibus vnus eſt viuendi, & aliquid literarium animo agitandi, finis; &, (quod de Delphino Plutarchus[d] dixit) *non prius mouendi, quàm viuendi finem facit, vtque etiam inter ſomnum haud quietus.* Ipſe Apoſtolus cùm iam Timotheum de proxima ſua morte certiorem feciſſet, *ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*; ab eo tamen petit libros, *veniens affer tecum & libros.* nimirum inquit Hugo Carenſis,

[d] l. de ſolertia.

2.Tim.4. v.6. & 13.

 vt

vt eſſent ei ſolatio in tribulatione, & vt aliis daret exemplum ſtudendi. Et eſt argumentum pro ſtudio, aut enim volebat ſtudere non obſtante morte imminente: vel aliis ſtudium commendare. Vix tu reperies hominem conſecratum literis, quem mors non occupet aliquid edere in publicum molientem. Soles ingeniorum ſunt huiuſmodi homines, quibus nulla quies eſt, niſi in perpetuo motu, & luſtrando orbe. Quod de ſuo Imperatore dixit Pacatus [a], idem dictum eſto de viris inſigniter doctis & ingenioſis. *Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt, vt indefeſſa vertigo cœlum rotat, vt maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit; ita tu Imperator continuatis negotiis, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es.* De philoſophici ingenij perpetuo motu, atque agitatione hæc per pulchrè Maximus Tyrius. *Scis*(inquit)*cui maximè arbitror ſimile Philoſophi ſpectaculum? inſomnio nimirum manifeſto liquidóque ac volitanti circumquaque, cuius integro corpore manente, in terram tamen vniuerſam excurrat animus, è terra in cœlum efferatur, vniuerſum tranſmittat mare, aërem peruolitet totum, cum Sole terram ambiat, cum Luna circumferatur, cæterorum aſtrorum iungatur in choro, minimúmque abſit quin vnà cum Ioue omnia diſtribuat. O peregrinationem beatam! ô ſpectacula pulchra! ô inſomnia veriſſima.* Hominis eruditi *animus inquies*(aiebat Domitius)*opere paſcitur. Magnanimos nos natura produxit, deditque nobis glorioſum, excelſum, mundóque ſimillimum ſpiritum; quem quantum paſſibus licet, ſequitur æmulatúrque.*

a in Paneg.

Sen ep. 103.

2. Aliâ re Sol & eruditi hominis caput conſentiunt. Nimirum, quòd ſicut virtute & poteſtate Sol res omnes, quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, continet, vtpote qui illis producendis interueniat; ita viri docti mens, cuius domicilium præcipuè in capite eſt, omnia intelligendo, omnia ſibi commiſcet, & (ſi ita loqui fas eſt) ſibi identificat.

3. Auguſtæ pietatis monumentum fuit ſacra illa menſa, quam æternæ ſapientiæ dedicauit Iuſtinianus Imp. conflata (vt auctor eſt Cedrenus) ex auro, argento, lapidibus, lignis, metallis, rebúſque omnibus quæ vſpiam inueniri potuerunt. Neque vlli conuenientiùs conſecrari potuit totius Orbis vniuerſitas in exiguum coacta, quàm tibi qui,

Boëtius.

——pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente geris, ſimilique ab imagine formas.

4. Ego licèt non ignorem in quolibet homine mundum vniuerſum contineri, ac eſſe μικρόκοσμον, in quo vno omnia reperturus ſis, quæ ſunt per rerum vniuerſitatem ſparſa: licèt ingentis ſpiritus res ſit cùm Oriētem, & Occidentem luſtraueris animo, tantámque rerum copiam quas natura beatiſſimè fundit aſpexeris, emittere hanc Dei vocem, *hæc omnia mea ſunt*; tamen noſſe ſuas opes, & cognitas nobiliore quodam modo, quàm quo in ſe ipſis ſunt, intelligentiâ comprehendere, eſt ſolius eruditi & ſapientis, cuius mens ita coaluit, & velut conflata eſt ex rerum omnium cognitione, vt intra ſe nihil non poſſideat, ac Dei ipſius æmulus dicere poſſit, ἐγὼ ἓν καὶ πάντα, *Ego vnum & omnia.* De Philoſophia hæc Stoicus. *Totum huc conuerte mentem, huic aſſide, hanc cole. Ingens interuallum inter te, & cæteros fiat: omnes mortales multò antecedes, non multò te Dij antecedent. Quid inter illos, & te interfuturum ſit quæris? diutiùs*

Sen. de beneſi. l. 7.

Sen ep 53.

diutius erunt. At me Hercule magni artificis eſt clauſiſſe totum in exiguo.

CAPVT IV.

Nulla ſpectacula honeſtiora, iucundiora, vtiliora librorum lectione.

EMBLEMA IV.

M. Antoninus Philoſophus Imp. in mediis ludis circenſibus librum legens.

Exigua immenſus ſapienti pagina circus.

Notior eſt Emblematis ſenſus ex lemmate, quàm vt explicatione indigeat.

DEſignator Bibliothecæ formam circi maximi hunc in modum pictori deſcribet, vt eum rectè & ordine pingat, prout eum nobis 1.
exhibent, Tertullianus [a], Caſſiodorus [b], Iſidorus, Mariana, Bulengerus, aliique. Pingatur immenſa moles ædificij, & fabrica ipſis etiam (vt Caſſiodorus [c] loquitur) miranda Romanis, duobus montibus firmiter præcincta, longitudine ſtadiorum trium, latitudine vnius, in oue formam deſinens, quam proinde Dion. Halic. vocat *ἀμφιθέατρον ἱππόδρομον*. Et Apollonius [d], *εὐρέα κύκλον ἀγῶνος. Latum circulum certaminis*, & Corippus [e],

——teretem longis anfractibus orbem.

In ambitu erit porticus capiens centum quinquaginta hominum millia: gradus maiori latitudine quàm altitudine, ad ſpectantium commoditatem, vt ſuperiorum pedes in inferiorum ſedibus & ſubſelliis quieſcant. Ad Aquilonem ianuæ duodecim turritis pinnis ornatæ inſtar oppidi, prope ianuas; carceres cum repagulis, ſeptis, valuis, & alba linea. Supernè, Principis, ludorum editoris & procerum ſuggeſtus ad mappæ miſſionem, & alia ſigna, metæ faſtigiatæ ouis in honorem caſtorum. In medio obeliſcus altus centum triginta pedes cum ſua baſi inciſus literis Ægyptiis, terminatus pyropo ignes vomente ex auro & ære. Alter obeliſcus lunæ ſacer, vt prior Soli. Ante primas metas ſacellum Murciæ Veneris, Ara Conſi & aliorum numinum, vt Neptuni, magnæ Deûm matris. Inter primas & vltimas metas ſpina circi, id eſt, murus quatuor pedes altus, latus duodecim, quadrigarios tanquam obiecto obice diuidens, relicto aliquantulo ſpatio flectendis metis ſeptenâ decurſione non ſine periculo frequentis naufragij in illis anguſtiis. Euripus, hoc eſt, lacuna aquarum inertium circo circumducta, ne ſi interdum venatio detur, feræ erumpant. Ad eius oram effictæ imagines Delphinorum, vel (ſi mauis cum Caſſiodoro) viui in ea eſſe poterunt. Plurima inſuper ornamenta ſtatuarum, columnarum, aliarúmque rerum, adeò vt (quemadmodum dixit Nazarius in panegyrico Conſtan

a l. de ſpectac.
b l. 3. var. ep 51.
c cap. 3. de ſpectac. de ludis Circenſ.
d l. 4. Argon.
e l. 1.

Conſtantini) illuc non minus cupidè conueniatur loci gratiâ, quàm ſpectandi voluptate. Deinde quatuor quadrigæ emittentur in curriculum quaternis diſtinctæ factionum coloribus, praſino, veneto, albo, ruſſeo; aurigis, quibus nec mora, nec requies, vel in verbera pendentibus, vel in ſublime elatis, vel prono pectore iuga tangentibus, & ſolùm de cita, tuta & interiore metarum flexione ſolicitis. Vnius naufragium dabitur qui ſiniſteriùs ad metas, vel dexteriùs ad ſpinam deterſis rotis reſupino curru, perfracto axe, excuſſus obtritúſque & exanimis, equis interea ad diuerſa tendentibus, ac populo contrariis ſtudiis efferueſcente, æſtuante, fremente, hîc ſuis exiliente ſedibus, illic minas intentante imperitis agitatoribus, adeóque conuitia iactante in ſuperos, illic vultu, geſtu, clamoribus hortante, vt tenore eatur, & non diſcedatur ab orbita, hîc ſibi plaudente, illic inſultante propinquis. Alia eius generis ad Circenſes ludos pertinentia eruditus Muſei præfectus pictori ſuppeditabit, vt picturam eruditio commendet, & viciſſim pictura eruditionem.

2. At verò quamuis nullum ſpectaculum fuerit ſplendidius, vel ab immanitate alienius, vel nobilius, vel ſignificantius, nihil (quod præcipuè ad præſens inſtitutum ſpectat) magis ſymbolicum, nihil recondita eruditione & ſcientia magis plenum, quàm Circenſis decurſio, vtpote quòd vel ipſi Hermulę, qui duodecim oſtia carcerum ad ineundum curſum aperiebant, docerent nihil hîc niſi conſilio & ratione geri, atque hîc ſymbolicè exprimi quidquid in hac rerum vniuerſitate fit. Quatuor factionum coloribus, tempeſtates anni quadripartitas, vel quaternarium elementorum numerum; praſino quidem virens ver & terram; albo hyemem & aërem; roſeo æſtatem flammeam & ignem; veneto pruinoſum autumnum & mare, vt quaſi per duodecim ſigna digrediens annus ſignaretur; ſícque factum, vt naturæ miniſteria ſpectaculorum compoſita imaginatione luderentur. Biga quaſi lunæ, quadriga Solis imitatione reperta eſt: equi deſultorij per quos Circenſium miniſtri miſſus denuntiant exituros; Luciferi præcurſorias velocitates imitantur: ſeptem metis certamen omne peragitur in ſimilitudinem hebdomadis reciprocæ. Ipſæ verò metæ ſecundùm Zodiacos decanos ternas obtinent ſummitates, quas ad inſtar Solis, quadrigæ celeres peruagantur. Rotæ Orientis & Occidentis terminos deſignant: Euripus maris vitrei reddit imaginem, vnde illuc æquorei Delphini aquas interfluunt: obeliſcorum quoque prolixitates ad cœli altitudinem eleuantur, ſed potior Soli, inferior lunæ dicatus eſt, vbi ſacra priſcorum Chaldaicis ſignis quaſi literis indicantur. Spina infelicium captiuorum ſortem deſignat, vbi duces Romanorum ſuper dorſa hoſtium ambulantes laborum ſuorum gaudia perceperunt. Nec vacat quòd viginti quatuor miſſibus conditio huius certaminis expeditur, vt diei noctíſque horæ tali numero clauderentur. Cætera circi Romani longum eſt ſermone decurrere, dum omnia videntur ad cauſas ſingulas pertinere. Hæc ferè Caſſiodorus: ex quibus conficio nullum fuiſſe ludicri genus dignius ſpectatore liberali & erudito, quàm circum; præſertim ſi non eſſet clamoſus, vt Alexandriæ, ſed quietus & bene moratus, vt Rhodi.

Caſſiod. l. 3. var. ep 51.

Tamen

Tamen vt quiſque virtutis & literarum ac veræ philoſophiæ ſtudio-ſiſſimus fuit, ita etiam ab eiuſmodi ſpectaculis maximè abhorruit. Nam ſicut obſcœnitas propria fuit theatrorum, & crudelitas cauearum; ita circorum, inſania; quod præter Tertullianum [a] teſtatur S. Cyrillus [b], πομπὴ δὲ διαβόλου ἐστὶ θεατρομανίαι καὶ ἱπποδρομίας. *Pompa eſt diaboli theatri inſania & circi curſus.* &, φεῦγε καὶ τὰς ἱπποδρομίας τὸ ἐμμανὲς θέαμα καὶ ψυχὰς ἐκτραχηλίζον. *Fuge equorum curricula ſpectaculum furioſorum, quod animas ruptis ceruicibus perdit.* Quam enim partem ſanæ mentis habere illi poſſunt, qui (vt notat Ammianus [c]) exoptato die equeſtrium ludorum illuceſcente nondum puro Solis iubare adeò feſtinant præcipites, vt velocitate curſus ipſos antecedant certaturos: ſuper quorum euentu diſciſſis votorum ſtudiis anxij plurimi peruigiles agunt noctes. Quis ſanos ſuíque compotes putet eos ſpectatores, qui exilientes, furentes, cædentes inuicem, fanda & infanda dicentes ore opico, & numen ipſum ſæpe conuitiis inceſſentes, nudi etiam interdum è circo exeunt; quam amentiam D. Chryſoſtomus Alexandrinus exprobrabat. Quis non credat obnoxios eſſe lunaribus affectibus eos ſpectatores, qui licèt agitator, quem vincere cupiunt, nihil prætermittat artis, & diligentiæ; inquietis tamen oculis proſpicientes clamant, hortantur, atque incitare, & efficere ſe putant, vt velociùs equi præteruolent; huc atque illuc vnà cum equis flectuntur, & manum quaſi flagellum in ipſos extendunt & incutiunt. Quoties depoſita omni animi grauitate feruor animorum in illis ſpectaculis rapitur? tranſit praſinus, pars populi mœret; præcedit venetus, & potior turba ciuitatis affligitur; nihil proficientes feruenter inſultant, nihil patientes grauiter vulnerantur; & ad inanes contentiones ſic deſcenditur, tanquam de ſtatu patriæ laboretur. *Gaudent qui currentes ſpectant ex his alios tranſiri pronos, & cernuos ruere cum curribus, reſupinos vehi, trahi alios debiles, & cruribus claudicare perfractis.* Ex illis exemplis quæ paulò pòſt afferemus, ſatis ſupérque probabitur, vſquequaque verum eſſe quod Lactantius dixit [d], *Circenſium ludorum rationem nihil aliud habere niſi leuitatem, vanitatem, inſaniam; tanto namque impetu curritur, vt iam plus ſpectaculi exhibeant qui ſpectandi gratiâ veniunt, cùm exclamare & efferri & exilire cœperint: ideoque vitanda eſſe ſpectacula omnia ne quid vitiorum pectoribus inſideat, quæ ſedata & pacifica eſſe debent*, &c. Nihilo mitiora D. Auguſtinus [e]. *Quo maiore aduersùs ſe inuicem pugnantes diſcordia furere, qui ſpectant, ſenſerint,* (ait) *eo magis amant & delectantur, & incitati fauent, & fauentes incitant, plus aduersùs ſe ipſos inſanientes ipſi ſpectatores alter pro altero, quàm illi, quorum inſaniam inſani prouocant, & inſaniendo ſpectare deſiderant. Quomodo ergo ſanitatem pacis tenere poteſt animus, qui diſcordiis & certaminibus paſcitur.* 3.

a l. de ſpect. cap. 21.
b Catech. 1.
c l. 28.
Caſſiodor. ibidem.
Arnob. l. 7.
d l. 6. de vero cultu c. 20.
e l. de catech. rudib. c. 16.

Quàm perditè inſanus è circo Caligula prodiit, cùm ita ſe conſecrauit venetæ factioni, vt aſſiduè cœnaret in ipſius ſtabulo & maneret; cuidam equo victori quem *Incitatum* vocabant, & equile marmoreum, præſepe eburneum inſtruxit, eidémque ad prandium inuitato inauratum hordeum appoſuit, & vinum propinauit in aureis poculis, & pollicitus eſt Conſulem ſe renunciaturum. Numquid compos 4.

Sueton. in Calig. c. 55.
Dio pag. 446.

mentis Verus Imperator praſinæ ita addictus, vt *volucri* equo praſino aureum ſimulacrum fecerit? Nunquid Vitellius furorem pluſquam Athamantæum ex Circenſibus certaminibus animo non concepit, Capitol. in Vero. Sueton. in Vitell. quando tam impotenter *venetis* fauit, vt eos qui alias partes fouerent, aut venetis obtrectarent, occidi iuberet? Quàm ridiculè delirauit Heliogabalus in eiuſdem fictionis complexu, vt piſces ſemper quaſi mârina aqua cum ſuo colore coctos cum conditura veneta comederit? Sed quàm infames plurimi Equites, Senatores, proceres Nero Lib. 11. C. tit. 40. l. 4. Imp. qui ludorum illorum amore, publicè aurigatus eſt, quod *viles & inhoneſtæ perſonæ* tantummodo factitabant. Nec ſolùm Romæ Principes facti ſunt quadrigarij, ſed etiam Conſtantinopoli; quódque flaBaron. gitioſiſſimum eſt, repertus eſt Patriarcha, verùm ex aula, qui currus in circo ageret, & rem diuinam ad pullos equæ inuiſendos interrumperet: adeò vt Commodus Imp. licèt illis ludis intemperanter deditus, Xiphil. moderatus præ illo videri poſſit, dum αἰσχυν θεὶς pudore deterritus non audebat aurigari, niſi fortè nocte illuni in circo publico, vel domi intra palatium. Exarſit quoque illa circenſis rabies in tam acerba odia, vt quædam factiones per Orientem ciuile bellum conflauerint, ac ſe mutua cæde interemerint. Quapropter haud immeritò Caſſioa ibidem. dorus [a], *circum irriguum fontem iurgiorum* appellauit *euacuatorem honeſtatis*; *ſpectaculum, grauitatem morum expellens, & quo nequeant Catonis* b Iambico 3. *conuenire.* Eos ludos D. Gregorius Naz. [b] *peſtem animæ* vocat, eo quòd diuellant vrbes, vulgus in partes ſecent, doceántque pugnas, & cieant conuitia, ciues & propinquos dirimant, & ſenibus probrum inferant, furore pectora iuuenum feriant, ac malo nutriant malum, dum ſocij magi aduocantur, vt æmuli vulnera, lapſus ac mortes ferant. Tum addit,

Curſus equeſtris hinc liquet ſpectaculum.

5. Quorſum hæc omnia? eâ mente, vt factum M. Antonini Philoſophi, quem in hoc emblemate pinximus, in Circenſium ſpectaculo legentem, approbaremus: is enim ne indignus cognomine Philoſophi videretur, præſens aberat, & contemptu illius voluptatis in quam cæteri effundebātur, librorum lectionem præclaro exemplo commendabat, dignus ipſe profectò qui ob id ab omnibus ſpectetur ac ſuſpiSimplicius. Sen. de beata vita c. 28. ciatur. *Vita eorum qui theatris gaudent, vulgò theatrica eſt.* Circus magno conſenſu vitia commendat: prætérquam quòd planè illiteratus ſit neceſſe eſt, aut erga Muſas & bonas artes valde iniurioſus, quiſquis contemptâ lectione librorum, & liberalibus *ſpectaculis quæ illis exhibentur,* ad Circenſia ludicra ſe confert, ad arenam, ad theatra, ad palæſtram, ſpectaturus quadrigarios, beſtiarios, hiſtriones, athletas è mancipiorũ, ſellulariorum, machærophororum, furciferorum, ac ſordidiſſimorum hominum grege productos. Quiſquis tam malè de libris meretur, auc l. 9. cp. 6. diat iuniorem Plinium [c], eúmque ne grauetur imitari; *omne hoc tempus inter pugillares & libros iucundiſſima quiete tranſmiſi; Circenſes enim erant, quo genere ſpectaculi ne leuiſſimè quidem teneor: quo magis miror tot millia hominum tam pueriliter cupere currentes equos, inſiſtentes curribus homines videre; & quoſdam graues homines, quos ego cùm recordor in re inani,*

inani, frigida, aſſiduè tam inſatiabiliter deſidere, capio aliquam voluptatem, quòd hac voluptate non capior, ac libentiſſimè per hos dies otium meum in literis colloco, quos alij otioſiſſimis occupationibus perdunt. Si quem non mouet exemplum Plinij, fortaſſis erubeſcet ad monitum quod Iulianus Imp.[a] ſibi à ſuo præceptore frequenter traditum refert. *Præceptor ſæpenumero mihi admodum puero (teſtor Ionem, & Muſas) dicebat: Ne ſinas te à tuorum æqualium multitudine in theatra induci, neque vlla ſpectaculi cupiditate tenearis. Circenſes deſideras? apud Homerum eos elegantiſſimè deſcriptos reperies, cape librum & lege,* &c. a in Miſopog.

6. Quæ ſatis ſupérque eſſe deberent, vt talium ſpectaculorum pigeat ſaltē eos, qui habēt in ſuis Muſeis in quo honeſtiſſimè ac iucundiſſimè occupentur. Quod ſi verum eſt, exiguam pagellam cuiuſlibet boni libri immenſum ſapienti circū eſſe; de ſacris Codicibus eſt longè veriſſimū, *in iis enim magna ſpectacula Deus præbet cordi Christiano, quibus nihil poſſit iucundius inueniri.* Nec ſecus ſentiet quiſquā, aut ſapiet, niſi cui defuerit palatū fidei, & deſipuerit mel Dei, inquit Auguſtinus[b], vt putes æs illud quod deſignatores, ſiue locarij exigunt à ſpectatoribus in ſacro iſto fidei, & Scripturarum curriculo, eſſe ipſammet fidem, vt diuina myſteria, quæ proponuntur in ſacris Codicibus, oculis mentis fructuosè videantur. An non putes D. Epiphanium cœleſtis iſtius Catadromi præconem eſſe, qui feſto triumphalis tubæ clangore Chriſtum Dominum ex huius mortalitatis carceribus, vſque ad cœli Empyrei metas proſequatur. *Hodie in Aſcenſionis feſto vberrimâ voluptate ac lætitiâ cumulata ſunt omnia. Hodie Chriſtus ſydereos micantéſque luce cœlos aperiens, ac ſubtiliſſimum aërem ſibi ad gradum & aſcenſionem ſubſternens, atque hominem è terra concretum ſuper cœli conuexa transferens tum vniuerſis Angelicis naturis immenſum gaudium afferens,* ξένην ἡμῖν θέαν ἐπέδειξε τὴν ἡμετέραν σάρκα ἐπὶ θρόνου βασιλικοῦ ἐπηρμένην. nouum mundo planéque inſolitum ſpectaculum dedit, videlicet carnem noſtram ſupra regium ſolium euectam. ποῦ εἰσιν οἱ περὶ τὰ ἱπποδρομία ἀσχολούμενοι, καὶ ἡνιόχων ἀγαπῶντες ὀξύτητα. δεῦτε ἴδετε παράδοξον ἱπποδρόμιον τὸν τῆς κτίσεως δημιουργὸν ἐν ἀνθρωπίνῳ ἐποχούμενον ἅρματι, οὐκ ἐπὶ τῆς γῆς ἀτάκτως ἐλαύνοντα, καὶ τὸν οὐράνιον καμπτῆρα καταλαμβάνειν ἐπειγόμενον καὶ τὸν παρατρέχοντα Βελίαρ δυνατῶς καταστρέφοντα. *Vbi nunc ſunt qui Circenſibus ludis equorúmque curſibus capiuntur? quos aurigarum celeritas delectat. Agedum, venite, aurigámque per cœlorum ſpatia admirabiliter gradientem cernite. Adeste quæſo, nouúmque & ſtupendum agitatorem ſpectate; nempe creaturæ opificem humanâ naturâ quaſi vehiculo vtentem, qui non currum incompoſitè in terra regat, ſed qui nouo more modóque curſum per cœlos tentet, cœleſtémque metam quamprimum occupare feſtinet, ac præcurrentem Belial potenter excutiat & euertat,* &c. b in Pſ. 96. S. Epiph.

7. En alterum æneatorem S. Proſperum[c], inuitantem ad ſacrorum librorum ſpectacula. *Si ſpectandi voluptas eſt,* (clamat) *habes hic aurigam ſpiritalem Chriſtum, Heliam, qui curru igneo vſque ad metas peruectus eſt cœli, curruſque Pharaonis demerſos in profundo.* Addo tertium qui ſublatâ face, vel miſsâ mappâ ſpectaculum iſtud aperiat, is eſt D. Auguſtinus[d]. Fugite dilectiſſimi ſpectacula, fugite caueas turpiſſimas diaboli, inquit, ne vos vincula teneant maligni: ſed ſi oblectandus eſt animus, & ſpectare c de promiſſionibus, de gloria Sanctorum. d l. 2. de Symbolo c. 2

delectat, exhibet vobis ſancta mater Eccleſia veneranda ac ſalubria ſpectacula, quæ & mentes ſuas oblectent *ſua delectatione, & in vobis non corrumpant, ſed cuſtodiant fidem. Amator eſt quiſpiam circi? quid delectat in circo? aurigas videre certantes, populos inſanâ furiâ anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, aduerſarij ſui equum frangentem; ita eſt omnis delectatio clamare, quia vicit quem diabolus vicit; exultare & inſultare quòd aduerſa pars perdiderit animam. Vide è contra noſtra ſancta, ſana, ſuauiſſima ſpectacula: intuere in libro Actuum Apoſtolorum claudum ex vtero matris nunquam ambulantem, quem Petrus fecit currentem: & ſi in te fulget ratio æquitatis, ac delectatio ſalutis, vide quid debeas expectare, vide vbi debeas exclamare, illic vbi equi ſani franguntur, an hîc vbi homines fracti ſaluantur? ſed ſi te pompa illa delectat, habemus & nos ſpiritalem noſtrum aurigam ſanctum Prophetam Eliã, qui quadrigæ igneæ ſuperpoſitus tantum cucurrit, vt metas prehenderet cœli.* Nunquam finis ſit ſi velim recenſere ſingulos miſſus, quos cum incredibili gaudio & fructu in curriculo ſacrarum Scripturarum ſpectare poteris. *Curſus ſæculi intuere, tempora labentia dinumera, metas conſummationis expecta, ſocietates Eccleſiarum defende, ad ſignum Dei ſuſcitare, ad tubam Angeli erigere, ad Martyrij palmas gloriare. hæ voluptates, hæc ſpectacula Chriſtianorum ſancta, perpetua, gratuita: in his tibi ludos circenſes interpretare.* Sic Tertullianus claudit librum ſuum de ſpectaculis; ſic cum illo nos hoc caput. nam ſi velimus è re nata ire per ſingula genera ſpectaculorũ ſcenica, gladiatoria, palæſtrica, aliáque id genus, in immenſum excreſceret. Plurima eaque pereximia in præſens inſtitutum quod verſamus, S. Auguſtinus [a] ſubminiſtrabit; S. Cyrillus Alex.[b] S. Cyprianus[c], S. Ambroſius[d], Tertullianus[e], cuius auream panæreſim non poſſum omittere. *Si ſcenicæ doctrinæ delectant,* (inquit) *ſatis nobis literarum eſt, ſatis verſuum, ſatis ſententiarum, ſatis canticorum. Vis pugilatus & luctatus? præſtò ſunt non parua, ſed multa. Aſpice impudicitiam deiectam à caſtitate, perfidiam cæſam à fide, ſæuitiam à miſericordia contuſam, petulantiam à modeſtia obumbratam; & tales ſunt apud nos agones, in quibus ipſi coronamur. Vis autem & ſanguinis aliquid? habes Chriſti.* Si necdum tibi factum eſt ſatis, niſi & ipſe certes, probéſque tuas vires & induſtriam. Nec hoc quidem tibi deerit, produco tibi *heroinam* quæ ex aduerſo pugnet, *cœleſtem* dico *ſapientiam*, de cuius ſtudio dixit Sapiens[f], *Colluctata eſt anima mea in illa.* Vis non ſolùm huius certaminis Agonothetam Deum, ſed etiam cum ipſo numine in ſacro iſto curriculo & palæſtra componi? licebit. Audi Rupertum[g]. *Luctatur cum Deo quiſquis ſacræ Scripturæ ſtudiis accinctus incumbit; ſenſúmque verbi Dei fugientem tenere contendit, & ſicut Iacob palmam victoriæ de illo feliciter conſequitur.*

a l. de Symb. c. 2.
b Hom. 8. de feſtis Paſch.
c l. de ſpect.
d in Lucam.
e l. de ſpect. c. 29.
f Eccli. c. 5.
g l. 8. in Gen. c. 9.

CAPVT V.

Incomprehenſa creatis ingeniis, & omnia comprehendens Dei ſapientia.

EMBLEMA V.

Oculus circulo incluſus.

Vnus

Vnus omnia.

QVemadmodum *inter omnes Dei nomenclaturas, nulla magis propria eſt, quàm hac, ὁ ὤν,* inquit D. Damaſcenus [a], *qui eſt; eo quòd Deus nullam non eſſentiam in ſe complectatur, tanquam vaſtum quoddam & immenſum eſſentiæ pelagus.* quæ cauſa eſt, ſi Plotino [b] credimus, cur ipſimet Ethnici philoſophi poſt Parmenidem, Deum *omnia* vocauerint, necnon memorabilis illius εἶ, quod pro foribus Delphici templi inſcriptum erat: ita *omnia* noſſe, *omnia* à fine ad finem immoto obtutu attingere, ſolius eſt *oculi diuini*, quem hoc emblemate, vtcumque poſſumus, omnia videntem adumbramus. De hac vi æternæ illius mentis curioſiùs & ſubtiliùs diſputare non eſt philologici inſtituti; & ſi fors etiam eſſet, liberet priùs præfari à Deo veniam, & imbecillitatem meam profiteri his Auguſtini verbis in illud Pſalmi 49. *Cognoui omnia.* Alia eſt notitia Dei, alia hominis, (inquit) ſicut alia eſt poſſeſſio Dei, alia hominis, &c. apud quē ſūma poteſtas eſt, ſūma eſt & ſecreta cognitio. Et tribuamus hoc laudātes Deum, non audeamus dicere quomodo nouit Deus, niſi fortè hoc à me fratres expectetis, vt explicem vobis, quomodo cognoſcat Deus; hoc ſolùm dico, nō ſic cognoſcit vt homo, nō ſic cognoſcit vt Angelus, & quomodo cognoſcit, dicere non audeo, quoniā & ſcire non poſſum. 1.

a 1. de fide c. 12.

b Enn. 5. l. 1. c. 8.

O mirabilem oculum qui *vnus omnia intuetur, & qui vniuſcuiuſque ex ſingularibus æternam habet cognitionē; quódq; fit in theatris,* (inquit Clemēs Alexandrinus [c]) *& in partibus vniuſcuiuſque inſpiciendo, circumſpiciendo, & conſpiciendo, hoc ſimul facit, & aceruatim: omnia enim & ſingula intuetur vnicâ applicatione.* Dicamus cum Macario [d]: Quotuſquiſque hominum eſt qui ſuas vel vnius tridui cogitationes poſſit numerare? qualem eum eſſe oportet, quem nulla vllius vnquam latuit, nulla in omnem æternitatem latebit; qui *cuncta pariter tempora & temporalia ſempiterno & ſtabili comprehendit intuitu?* inquit S. Proſper [e]; quod aliis verbis eodē ſenſu dixit D. Fulgentius [f]. *Omnium rerum tam præteritarum memoriâ, quàm imminentium ſcientiâ plenus eſt, nec reminiſcens voluitur in præteritum, nec ſperans tenditur in futurum,* vt iam exclamare cum Iobo liceat [g], *Nunquid oculi carnei tibi ſunt, & ſicut videt homo, & tu videbis?* quem locum D. Gregorius [h] interpretatur huic ſymbolico oculo valde appoſitè. *Oculi carnei facta temporum non niſi in tempore agnoſcunt, quia & ipſi ad videndum in tempore prodeunt, cum tempore clauduntur, & humanus viſus quodlibet opus ſequitur, non præcurrit; quia vix exiſtentia aſpicit, & ventura nullo modo agnoſcit. Dies quoque & anni hominis à diebus & annis diſcrepant æternitatis; quia vitam noſtram, quæ tempore incipitur, tempore finitur, dum intra ſinus ſui latitudinem format, æternitas deuorat; cuius nimirum immenſitas, quia vltra citráque ſupra nos tenditur, ſine inchoatione & termino, eius æternum eſſe dilatatur, eique nec tranſacta prætereunt, nec adhuc ventura quaſi quæ non appareant deſunt; quia is qui ſemper eſſe habet, cuncta ſibi præſentia conſpicit, cúmque adſpiciendo pòſt & antè non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.* hæc de oculo magnus Gregorius. 2.

c l. 6. ſtr. c. 8.

d hom. 12.

e 2. de vocatione gentium c. 33.

f l. de prædeſt. & grat.

g Iob 10.

h l. 9 mor. c. 34. & 35.

De circulo etiam B. Petrus Damianus [i] ſic. *Deus vno & ineffabili ſuæ contemplationis ictu ſimul omnia conſpicit, & conſpiciendo diſtinguit; omnia* 3.

i ep. 4. c. 7.

circumdando penetrat,& penetrando circumdat. Enim verò, quia in ſupremo rerum vertice ineffabiliter ſupereminens, quaſi quodam profunditatis æterni conſilij, ſui circulo non modò cuncta temporum ſpatia, ſed & loca, & vniuerſas amplectitur creaturas,& hæc omnia vno contemplationis ictu, ac ſimplici ſemper aſpectat intuitu. Perpulchrè diuinæ mentis immenſitatem,& infinitæ cognitionis tranquilliſſimum ſtatum Marius Victorinus [a] explicat eodem ferè quo nos in hoc emblemate vſi ſumus ſymbolo. *Deus propterea dictus eſt ſedere in centro omniũ quæ ſunt,* (inquit) *vnde vniuerſali oculo, id eſt, lumine ſubſtantiæ ſuæ res creatas, non verſabili aſpectu videt, quia & quies eſt,& à centro ſimul in omnia vnus eſt viſus.* Ex his liquet quàm meritò apud Clementem Alex. [b] Pythagoras apud Cyrillum [c]; Thales, necnon Socrates in Apologia dixerint, *Deum ſolum ſapientem eſſe*, quandoquidem diuinus ille oculus in ſuo illo circulo, ſiue (vt Boëtius loquitur [d],) *Deus in alta ſpecula æternitatis conſtitutus ſtantia habet in conſpectu ſuo tranſeuntia ſæculorum volumina, ſtántque ante eum currentia,& immutabilia immutabiliter durant.* Hinc præterea collige, *quanta nobis impoſita ſit neceſſitas probitatis, Deum omnia videns.*

a l.4. aduerſùs Arrium.
b Strom 4. c.1.
c 1.in Iulian.
d 4.de conſ. proſ.6.
Idem 5. de conſol.

Capvt VI.

In illud D. Auguſtini ad Deum, Nouerim te, nouerim me.

Emblema VI.

Circulus è cuius peripheria exeant lineæ versùs centrum, aliæ à centro ad peripheriam.

Pſal.138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.*

1. Hermeti Triſmegiſto paſſim tribuitur vulgare iſtud, *Deus eſt circulus, cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam*; quo dicto naturam Dei ſpiritalem, & indiuiſam, ſimúlque immenſam & incomprehenſam innuit. Scaligerum [e] aliter hoc effatum citantem, atque ſuperciliosi cenſoris ſeueritate perperam cauillantem Theophilus Raynaudus refutat [f], diſputans de diuina immenſitate. Mihi hoc loco ſat eſt cum Cœlio Rhodigino animaduertere, à prudentioribus centri nomine Deum inſinuari, circulo autem mentem, lineis verò à peripheria ad centrum, & à centro ad peripheriam exeuntibus, hominis ex ſui ipſius cognitione de Deo ſcientiam. Circularem hanc humanæ mentis actionem in contemplatione Dei occupatæ, alio præclaro hieroglyphico Ægyptij ſignificarunt, de quo ſic Iamblicus [g]. Deus inducitur ſedens ſuper loton, aquaticam ſcilicet arborem, vbi ſignificatur ſupremum Numen humanum lutum excedere. Omnia porrò in loto rotunda ſunt tum poma, tum folia, ex quo ſignificatur *circularis* actio mentis, per eadem videlicet,& eodem pacto ſe habens. Felix mentis humanæ circuitus circa *immobile centrum diuinitatis*, (vt D. Bonauentura loquitur) ſicut

e exercit. 163.
f diſt.7.n.82. Theol.nat.
g in myſt.

infelix & miſerabiliter eluſa mens quæ caducorum bonorum deſiderio correpta *ſibi felicitatis imaginem in re præſagit inutili; illa poſt rei deſideratæ obtentum maiori ſe ſentit indigentia laborare, præoptata incipit faſtidire, & denuo in alterius rei ſuccenditur appetitus, non tamen ſatianda, ſed alterius falſæ felicitatis imaginatione fallenda. hic eſt circuitus impiorum; hæc eſt vituperatio multorum commorantium in circuitu; hæc eſt mola Sanſonis, quam deciſis virtutum crinibus, & effoſſis prudentiæ oculis circumuoluit ſequens cupiditatum circuitum; etenim relicto compendio charitatis.* Sic Caſſiodorus. Auertat à nobis ſpiritum illum vertiginis quem Dominus miſcuit in medio Ægypti; atque à nobis arceat Vertumnum dæmonem qui homines *peſtiferæ vagationis morbo exagitatos inſtabiles reddit, & in gyrum erroris* abripit, & *vt turbo quidam animos rotat & inuoluit. Conſidera mortalium vitam, & tota tibi ſpecies iumenti molentis occurrat. Vt ille* (Samſon) *pannis oculos corporis, ſic iſte ſordibus vitæ ſuæ oculos mentis obtutis per errores ſuorum ſenſuum quaſi circa ambages molarum laborioſa miſer ſtatione verſaturus. Etenim homo in errore poſitus, & à iuſtitia relapſus, iuſtè ſapientiæ pariter & gratiæ virtute deſertus cæcitate punitur & mola.* Det nobis Deus (quod Auguſtinus [a] à Deo ſuppliciter petebat) circuire præſenti memoriâ præteritos circuitus errorum noſtrorum, & immolare illi hoſtiam iubilationis.

Caſſiod. tract. de amicit.
Iſai. 19.
B. Petr. Dami. opuſc. 12. cap. 24.
D. Auguſt. in Pſalm. 139.
Sen. de beata vita c. 28.
S. Paulin. ep. 4 ad Seuerum, initio.
a l. 4. conf. c. 1.

2. Cordatorum & ſapientium circuitus circa Deum conficitur: *Colliguntur à circuitu erroris ad centrum veritatis,* (inquit Guillelmus Abbas) *& ad punctum quod ſtabile permanens dat cuncta moueri*; & quo magis circa immobile illud centrum vim intelligentiæ ſuæ ac voluntatis auxerunt, quo magis res diuinas animo & cogitatione verſant, eo verſantur, aut in Deo ſtabiliuntur feliciùs; quo attentiùs eas perſpiciunt, tanto ardentiùs in eas proſpicere deſiderant: de cuius beatiſſimæ atque omnibus bonis cumulatiſſimæ occupationis dignitate atque præſtantia, & ſingularibus commodis quæ ex aſſidua rerum æternarum contemplatione & cognitione Dei nobis proueniunt, non deſunt qui piè & grauiter ſcripſerint, Cyrillus [b], & Clemens Alexandrini [c], Bernardus [d], aliíque. Eius adipiſcendæ optimam rationem hîc ſolùm propono, quam huius emblematis inſcriptio ex Regio Vate petita, D. Baſilio interprete, innuit [e]. *Exacta & diligens tui ipſius conſideratio viam tibi præſtruet ad cognitionem Dei; in te ipſo enim tanquam mundo quodam diſtinctè adornato, licèt exiguo, contemplari licebit eximiam conditoris tui, & incomparabilem ſapientiam, vt ex anima incorporea, Deum eſſe incorporeum nullo circumſcriptum loco, inuiſibilem,* &c. cúmque animæ humanæ vim & corporis ſtructuram fusè expoſuiſſet, ſubdidit, *Per hæc itaque omnia cognoſcere licet imperueſtigabilem eius qui te condidit ſapientiam, adeò vt cum Propheta ipſe tu poſſis dicere* [f], *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Attende itaque tibi vt attendas Deo.* Ἦν ἄρα, ὡς ἔοικε, πάντων μέγιστον μαθημάτων τὸ γνῶναι αὑτόν· ἑαυτὸν γάρ τις ἐὰν γνῷ, θεὸν εἴσεται· θεὸν δὲ εἰδὼς ἐξομοιωθήσεται θεῷ. *Eſt ergo, vt videtur, diſciplinarum omnium pulcherrima ac maxima ſeipſum noſſe; ſi quis enim ſe ipſum norit, Deum cognoſcit; quòd ſi quis Deum cognoſcet, ei aſſimilabitur.* Idem [g] confirmat in quadam epiſtola Magnus Antoninus, aiens proximum gradum ad cognitionem Dei,

b l. 11. Ioan. c. 17.
c 6. & 7. Str.
d Serm. 37. in Cant.
e hom. 3.
f Pſal. 138.
Clem. Alex. l. 3. pæd. c. 1. initio.
g Ep. 6.

Dei, eſſe cognitionem ſui ipſius,& quò proceſſus in hac maiores feceris, eo etiam maiores in illa te facturum: ſicut quo profundiùs alteram ſitulam in puteum demiſeris, eo altiùs alteram extolles; quo vallis eſt depreſſior, eo mons eſt ſublimior. Elegans eſt atque è præſenti prorſus argumento S. Dionyſij Areopagitæ [a], vtpote auis cœli, (quemadmodum eum D. Chryſoſtomus appellat) gyrus in hunc modum, ψυχῆς δὲ κίνησις ἐστὶ κυκλικὴ μὲν, ἡ εἰς ἑαυτὴν εἴσοδος ἀπὸ ἔξω· καὶ τῶν νοερῶν ἑαυτῆς δυνάμεων ἡ ἑνοειδὴς συνέλιξις, ὥσπερ ἔν τινι κύκλῳ τὸ ἀπλανὲς αὐτῇ δωρουμένη, καὶ ἀπὸ τῶν πολλῶν τῶν ἔξωθεν ἑαυτὴν ἐπιστρέφουσα, καὶ συνάγουσα πρῶτον εἰς ἑαυτήν· εἶτα ὡς ἑνοειδῆ γενομένην ἑνοῦσα ἑνιαίως ἡνωμέναις δυνάμεσι, καὶ οὕτως ἐπὶ τὸ καλὸν, καὶ ἀγαθὸν χειραγωγοῦσα, τὸ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα, καὶ ἓν, καὶ τοῦτον, καὶ ἄναρχον, καὶ ἀτελεύτητον· id eſt, *Animæ verò motus circularis quidem eſt ingreſſus in ſe ipſam ab externis, atque intellectualium eius virium glomeratio vniformis velut circulo quodam acta, munus non erraticum ei largiens; eámque à multis extrinſecus circumfuſis diuertens, atque colligens; primò quidem in ſe ipſam; ſecundò tamquam vniformem iam effectam, ſingulariter vnitis poteſtatibus copulans; tertiò hinc ad pulchrum bonúmque perducens: quod ſuper omnia quæ ſunt, eſt vnum atque idem, neque principium habens, neque finem.*

a c.4. de diu. nom.

3. Concludat hoc caput paritérque hunc quinquagenûm Emblematum numerum, quem ad ornatum Bibliothecæ ſuprà polliciti ſumus, hæc D. Cyrilli Hieroſolymitani parænefis [b] ad veræ & fructuoſæ ſcientiæ circuitum. *Vade* (inquit) *ad apem, & diſce quàm laborioſa ſit; quomodo per flores omnis generis oberrans congerit ſibi mel in vſum; vt & tu circuiens diuinas Scripturas tuam ipſius ſalutem apprehendas.* Hoc porrò conſequêre, ſi ad ſolicitam mentis in ſtudia literarum intentionem, tui ipſius ac Dei cognitionem conſectere, atque eâdem pietate & animo quo D. Auguſtinus [c] ſolebat ad Patrem luminum conuerſus, dicas, *Deus ſemper idem, nouerim te, nouerim me.*

b Catech. 9.

c Soliloq. c.1.

SECTIO VIII.

Orthographia generis columnarum pingendis Bibliothecæ parietibus. Plutei, loculamenta, imagines virorum bene meritorum de re literaria, librorum in ſuas claſſes & titulos diſtributio.

MIRVM eſt quantum inſit venuſtatis in apta locorum ex architecturæ legibus deſcriptione: quam quidem ſi vllibi eſſe par eſt, eam certè in Bibliothecis reperiri conuenit, vbi ſedes eſt mentis, & domicilium ingenij. hoc præſtamus iſta ſectione, ſimúlque quæ præfixus titulus innuit.

CAPVT

Capvt I.

Dorica ratio in Muſei & Bibliothecæ deſcriptione eligitur.

NEgauerunt olim quidam Architecti apud Vitruuium [a],dorico ge- 1.
nere ædes ſacras oportere fieri; non quòd inuenuſta eſſet ſpecies, a lib.4.c.5.
& forma diſpliceret; ſed quòd mendoſæ & inconuenientes ſymmetriæ conficerentur. rectè, an perperam ſenſerint, non eſt huius loci diſputare. Conſulendus ſuper ea re Vitruuius qui rem totam ita ſe exponere profitetur,vt ſi quis voluerit iis rationibus quas proponi ingredi, habeat proportiones explicatas, quibus efficere poſſit emendatas & ſine vitiis ædium ſacrarum perfectiones.

Nos in hac Muſarum æde quam molimur, doricam rationem præ- 2.
ſertim adamamus; neque mens eſt præſentem materiam in aliud genus commutare, vt fecit Hermogenes Architectus, qui cùm paratam habuiſſet marmoris copiam in doricæ ædis perfectionem, ex eadem copia eam ionicam Libero patri fecit. hoc ſolùm faciemus: columnas ex dorico,ionico, & corynthio ſtatuemus; quandoquidem compoſitum illud genus iam pridem receptum eſt: verùm coronidem omnino volumus eſſe doricam; quæ tantum abeſt vt proſcribi debeat à templis, vt potiùs templorum ſit maximè propria; cùm plerumque videamus expreſſas in metopis ſacrificiorum patinas, bubula capita,& alia id genus.quæ ad templorum & rei ſacræ procurationem pertinebant:quemadmodum extra templa in doricis ædificiis, eaſdem metopas videmus ſcalpi lituis, galeis, aliiſque bellicis inſtrumentis, quæ omnia relinquuntur Architecti arbitrio, dummodo aliquid ſignificent quod ad rem pertineat. Capitula columnarum non achantis, (vt ferè mos eſt) ſed oleis & palmis veſtiri optauerim, quæ duo arborum genera ſapientiæ & eloquentiæ deſtinata ſunt. nam olea ſuppeditat vnde Philomuſi nocturnis vigiliis, & antelucanis lucubrationibus vacent;& palma inſignium Rhetorum foribus quondam apponebatur, quemadmodum obſeruauit Lucianus [b], *οἱ φοίνικες δὲ ἐπὶ τῇ θύρᾳ χωροὶ ἱσταμένοι.* b in Rhetorum doctore.

Triginta octo intercolumniis tota deſcribitur: quatuordecim hinc inde in longitudinem, quinis in latitudinem. Quæ ad Orientem ſpe- 3.
ctant feneſtris lumen excipiunt, exceptis duobus medio proximis: in quorum altero velim eſſe imaginem *Chriſti crucifixi*, in altero *Beatiſſimæ Virginis*, vti ſuperiùs vtramque deſcripſimus; in medio intercolumnio ad Occidentem erit ingreſſus, ſeu oſtium Bibliothecæ. Quartum & vndecimum intercolumnium ad Septentrionem & Meridiem perforatum erit luminis gratiâ: nec propterea violare nobis videmur eas leges, quas ſuperiùs tulimus, quia hæ quatuor feneſtræ minùs præcipuæ ſunt, ac rariùs aëri ac ventis aperiendæ. Quis enim putet ita intelligendum eſſe Vitruuium, vt in amplis Bibliothecis,in quibus erit dupla latitudini longitudo, ſol oriens ſolùm perforandus ſit? alioqui neceſſe eſt remotiores partes eſſe tenebroſas,conclaue inuenuſtius,

atque oculum offendi, nec ſatis aërem renouari, ſi tantummodò ab vna cœli regione ſubeat & expellatur.

4. Inter ſingula intercolumnia in coronide metopæ quinque triglyphi (pręter eos qui ſingulis columnis reſpõdebunt) quatuor ſunto. loco patinarum & bubulorum capitum in lacunatibus inter triglyphos; icones quorumdam virorum eruditione illuſtrium, velut in numis expreſſæ, quas poſtea ſingulatim indicabimus, depinguntur. In vigintiquinque metopis ſupra quinque intercolumnia ad Occidentem, erunt imagines vigintiquinque perſonarum Eccleſiaſticarum, à quibus inſignes Bibliothecæ conditæ ſunt: in vigintiquinque oppoſitis ad Occidentem, Principum, Regum, Imperatorum icones, qui excitandis Bibliothecis rem literariam auxerunt. In aliis decem metopis quæ imminent duabus feneſtris ad Septentrionem, decem Sibyllarum: in aliis decem ad Meridiem, decem fœminarum eruditione inſignium.

5. In medio Bibliothecæ inter ſeptimum & octauum intercolumnium, intergerinum arcum eſſe volo, cuius paraſtades hinc inde extra parietem binis, vel binis ſeſquipedibus proiiciantur. Huius porrò arcus duo erunt commoda: alterum, quòd duplex velut conclaue conſtituturus ſit, ſícque ſublaturus omnem illam oculorum offenſionem, quam ex nimia longitudine oriri neceſſe eſſet: alterum quod ædificio quoque addat firmitatem; de cuius pictura, quemadmodum de vitreorum ſpecularium imaginibus, dicetur capite ſexto.

CAPVT II.

Quid ſint Bibliothecales plutei, cunei, armaria, foruli, nidi, pegmata: item librorum loculamenta, ſeu repoſitoria, qua ratione fieri placeat.

1. POſtrema cura extruentis Bibliothecam eſſe debent capſæ, ſeu pegmata, ſeu loculamenta reponendis & diſponendis libris idonea; quæ quoniam ſunt diuerſi generis, & diuerſis nominibus appellantur, ideo de ſingulis breuiter dicere egredior. Sidonius Apollinaris villã quandam in agro Nemauſenſi deſcribens, inter ludos & delitias, quibus illa affluebat, animorum literaria oblectamenta & ornamenta non omittit. *Hîc libri* (inquit) *affatim in promptu videre te crederes, aut grammaticales pluteos, aut Athenæi cuneos, aut armaria extructa Bibliopolarum*, &c.

2. *Plutei* ſunt ſectiles rabulæ, quibus vtuntur illi, qui aliquid meditantur & conſcribunt, molliter deuexæ versùs vtentis pectus, commoditatis causâ. vnde hoc Perſij carmen, quod iam abiit in prouerbium,

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit vngues,

ſolent enim qui magnâ diligentiâ aliquod opus literarium elaborant, cùm ſentiunt tarditatem ſtyli, & contentionem adhibent in enitendo lambendóque ingenij fœtu, percutere pluteum velut irati, & arrodere ſuos vngues: & quia diſpoſitos habent neceſſarios libros, atque ad manum in parato pegmate, adeóque interdum in ipſo decliui pluteo in

quo

quo ſcribunt; ob id *Pluteus* ſumitur frequenter pro librorum repoſitorio, præſertim pro eo quod eſt recti inſtar diſpluuiati, hoc eſt, vtrâque parte decliuis, inclinatũ, in quo plures ſimul legendi libri proponũtur. Alias huius vocis notiones nõ attingo, quia nihil ad præſens inſtitutũ.

In *cuneis* reponi dicuntur libri, ſumptâ metaphorâ à gradatis & ſcanſilibus theatrorum cuneis, in modum leniter iacentis cliui, ita vt imus gradus eſſet deuexior ſecundo, ſecundus tertio, atque ita de cæteris, vt ad ſingulorum aures vox ſine obice appelleret, nec alij aliis ſpectantibus officerent. loculamenta librorum in talem formam diſpoſita rectè *cunei* appellari poſſunt. 3.

Armaria ſunt duplicis generis. quædam ſic fiunt. Erectæ duæ, vel plures tabulæ tranſuerſis aliis inter ſe coniunctæ parietibus affiguntur, ac deinde in parte aduerſa ſerâ occluduntur, adeò vt interdum nec conſpiciantur occluſi libri diſpoſiti in tranſuerſariis tabulis: interdum conſpici quidem poſſunt per ferrea, vel ærea reticula, at non tangi: quæ cautio adhibetur libris ab aëre, à puluere, à promiſcua contrectatione & furaci manu conſeruandis. Alterum genus fit ex inteſtino opere, ac intra ipſum parietem inſeritur. Tale in ſuburbano ſuo Laurentino fuiſſe ſcribit iunior Plinius [a]. *Parieti in Bibliothecæ ſpeciem armarium inſertum eſt, quod non legendos libros, ſed lectitandos capit.* Armariorum mentionem facit Vitruuius [b] referens Ariſtophanem coram Rege Ptolemæo in illa celebri diuerſorum ſcriptorum contentione, fretum memoria è certis armariis infinita volumina eduxiſſe. Et ſanctus Eucherius de ſancto Honorato Lirinenſi loquens, *Quis non beatum ſe, beatáque ſcrinia ſua non credidit, in paruo ex ore ipſius munere magna benedictione ditatus? Et ſanè tantum in ſcriptis illius ſalis, tantum dulcedinis erat, vt non ſcrinijs & armarijs, ſed arca pectoris condi mererentur.* Optatus, *Poſtquam peruentum eſt in Bibliothecam, inuenta ſunt ibi armaria inania.* Ex quorum verbis licèt non liqueat vtra armaria intelligantur, an affixa parieti, an inſerta; eorum tamen vſum ac veterem morẽ ſatis probant: ſicut Seneca [c] eorum elegantiam, *Armaria cedro & ebore aptantur* (inquit;) & Vopiſcus, aptam per numeros eorum diſtinctionem habet Bibliotheca Vlpia; *in ſexto armario librum Elephantinum.* 4.

a l.2.ep.17.

b Præfat. 2. ep.17.

c de tranq.

Forulos & *nidos* eodem ſenſu accipio pro illo ſpatio, quod ſinguli libri in *pluteis*, vel *cuneis*, vel *armarijs* occupant. Iuuenalis forulorum meminit, 5.

Hic libros dabit & forulos.

Nidorum Martialis [d],

De primo dabit alteróve NIDO
Raſum pumice, purpuráque cultum
Denarijs tibi quinque Martialem.

d l.1.ep.118.

Et dedicans ſuburbanæ Bibliothecæ Iulij Martialis autographum ſeptem librorum, ſic eum alloquitur [e]:

Hos NIDO *licet inferas vel imo,*
Septem quos tibi miſimus libellos,
Auctoris calamo ſui notatos.

e Ep.16.

Quod pertinet *ad loculamenta*, & *pigmenta*, quibus verbis vſi ſunt

Seneca & Tullius, ego generalius quiddam eſſe puto, & omnes librorum thecas ſine diſcrimine peculiari in quibus libri reponuntur.

7. Iam ſi meum munus ſit digerere publicam Bibliothecam, & volumina ſuis quæque locis aptè diſtribuere; iubeam mihi confici in amplo & proportione alto conclaui (quale ſuprà deſcripſimus) elegantia armaria affixa parieti, ſingula in ſingulis intercolumniis, ac reticulatis, (vti diximus) concellis clauſa; atque in iis ſex circiter, vel pro librorum deſignatorum numero plures paucioréſve tranſuerſarum tabularum ordines excipiendis libris accommodatos. Armarij verò achitectura talis eſto. Duæ columnæ coronidem ſuſtineant tympano & faſtigio deſuper impoſitis, cum tribus supernè baſibus hinc inde vnâ, & tertiâ in medio ſtatuendis hermulis (quos *ſtatuas* appellare libet, & cum Plinio & Tullio, *dimidias*) trium virorum inſignium in ea facultate, cui illud armarium deſtinatur. In coronæ cimatio inſcribatur aureo & ſpectabili charactere titulus communis librorum ibidem reponendorum: v.g. *Biblia ſacra, Scripturæ, interpretes, Philologi*, ſicut poſtea monebimus; in quem titulum intuens ſtatim ſcias cuius facultatis libri recondantur in illo armario, & quales familiæ ingeniorum ibi habitent.

8. Pro armariorum columnis, velim poni certorum hominum de re literaria malè meritorum ſtatuas, quorum alij aperto odio doctrinam proſecuti ſunt; alij ingenio ſuo & eruditione abuſi perpetuam ignominiam & dedecus merentur. Imitamur hac in parte Græcos, qui Caryatibus bello victis, viríſque interfectis, atque vrbe ſolo æquata, matronas in ſeruitutem abductas graui contumelia coëgerunt pœnas pro ciuitate pendere. Nam qui tunc fuere Architecti, ædificiis publicis earum imagines in opere ſtatuerunt oneri ferendo pro columnis, vt etiam poſteris memoria peccati Caryatium memoriæ traderetur. Eamdem ob cauſam Lacones numeroſiſſimo exercitu Perſarum profligato, ac porticu ex manubiis pro triumpho conſtitutâ, collocauerunt ſimulacra captiuorum ſuſtinentia tectum ac epiſtyliis eorúmque ornamentis

a l.1.c.1. tanquã iugo preſſa; vt & hoſtes horreſcerent, (inquit Vitruuius [a]) timore eorum formidinis affecti; & ciues ad exemplum virtutis adſpicientes gloriâ erecti, ad defenſionem libertatis parati eſſent. Haud alia lege admittimus in hanc Bibliothecam oſores literarum, & ſcriptores bonis moribus infenſos, niſi vt ignominioſam ſeruitutem ſeruiant, & veſaniæ ſuæ ac improbitatis pœnas ſub iugum miſſi, & ferendis oneribus deſtinati perſoluant.

9. Vno & altero paſſu à ſingulis armariis, velim ſtatui ſingulos pluteos eiuſdem longitudinis, atque ipſa armaria; verùm humiliores, vtpote lectioni librorum & ſcriptioni aptos. Non ob id tamen deerit menſa in medio Bibliothecæ inſtructa ſupellectile literariâ, de qua infrà *lib.* 3. Pluteos humiliores tabula in longum porrecta diuidet; vt hinc inde ex vtraque parte conſtituantur plura tabulata librorum, ad Meridiem tria, ad Septentrionẽ totidẽ. Atque hunc in modũ erit locus in Muſeo excipiendis libris tanto amplior: quod ſi in Regia Bibliotheca S. Laurentij Eſcurialis prouiſũ fuiſſet, nihil fuiſſet neceſſe addere alterius conclauis appẽdicẽ: qua de re diſſertione peculiari dicemus in calce huius operis.

CAPVT

CAPVT III.

Ritus dedicandarum imaginum viris inſigniter doctis, præſertim in Bibliothecis.

GRatulatus eſt ætati ſuorum temporum iunior Plinius [a] eſſe ad- 1.
huc curæ hominibus fidem & officium, & qui defunctorum quoque amicos agant. huius gratulationis occaſio fuit Titinius Capito, qui ab Imperatore impetrauit, vt ſibi liceret ſtatuam L. Syllani in foro ponere. Pluchrum (inquit) & magna laude dignum amicitia Principis in hoc vti, quantúmque gratia valeas aliorum laudibus experiri. Eſt omnino in vſu Capitoni claros viros colere; mirum eſt qua religione, quo ſtudio imagines Brutorum, Caſſiorum, Catonum, vbi poteſt habeat; idem clariſſimi cuiuſque vitam egregiis carminibus exor-
nat. Scias (ô magnam vocem, eámque veriſſimam!) ſcias ipſum plu- 2.
rimis virtutibus abundare, qui alienas ſic amat. Redditus eſt Syllano debitus honor, cuius immortalitati Capito proſpexit, pariter & ſuæ; neque enim magis decorum & inſigne eſt, ſtatuam in foro Populi Romani habere, quàm ponere. hæc Plinius. Quibus verbis (quia in rem noſtram belliſſimè conueniunt) præludere placuit iis, quæ mox dicturi ſumus de virorum eximiè doctorum Bibliothecalibus ſtatuis.

Plurimos ex iis, qui olim excellebant eloquentiâ, eruditione, ingenio, & aliis animi ornamentis, habuiſſe publicis in locis ſtatuas argumento eſt Leontinus Gorgias, cui nimirum Rhetori in paucis claro vniuerſa Græcia ſtatuam aureã poſuit, aut ſaltem inauratam. Inſigniores Philoſophi eodem honore affecti ſunt, vt refert Tertullianus; Philoſophi (inquit) ſtatuis & ſalariis remunerantur, illis ſtatuas diffunditis, imagines inſcribitis, titulos inciditis in æternitatem quantum de monumentis poteſtis. Sidonius Apollinaris [b] ſatis innuit fuiſſe delatum honorem imaginis viris doctis, cùm gratulatur Ioanni cuidam profeſſori literas poſtliminio in Galliis reſtitutas, quem proinde ſepultarum ſuſcitatorem, fautorem, atque aſſertorem appellat, alterúmque Demoſthenem, alterúmque Tullium; *nunc ſtatuis conſecrandum, nunc ima-*
ginibus. Idem Siagrio in hæc verba*. *Cùm ſis conſulis pronepos, idque per* 3.
virilem ſucceſſionem: cùm ſis è ſemine poëtæ, cui proculdubio ſtatuas dederunt literæ, ſi trabeæ non dediſſent. ex quibus planum eſt non ſolùm conſules, verumetiam viros egregiè doctos fuiſſe honoratos ſtatuis.

Quemadmodum autem loca publica & patentia viſa ſunt olim præcipuè idonea ponendis ſtatuis virorum fortium, & bene meritorum de Rep. quod de roſtris monet Tullius [c]; ita literatorum hominum imaginibus nullus locus videtur eſſe aptior Bibliothecis: nimirum vt vbi magni illi viri reliquerunt ingeniorum ſuorum imagines in librorum monumentis, ibidem etiam corporum non deſint ſimulacra. *Quidni ergo* (inquit Seneca [d]) *magnorum virorum imagines habebant incitamenta animi:* quæ ſi honoris causâ ponuntur in Bibliothecis, quò ſtudioſi homines conuenire ſolent, non eſt dubium quin earum aſpectu multum incen-

a Ep 17. l. 1.

Val. Max. l. 8 c. vlt. Tull. 3. de orat.

b Ep. 2. l. 8.

* Afranij Siagrij Lugdunenſis, in qua etiam vrbe fuit eius ſepulcrũ. Siagriæ gentem *Eccleſiæ theſaurum* appellat Ennodius in Epitaphio. Doctrinam Siagrij, commẽdat Symmachus.

c Ep. 90. & aliis.

Tullius pro Sextio. Ad ſtatuam nullus eſt locus roſtris clarior. & viris fortibus pro roſtris ponuntur imagines.

D. Hieron. tom. 3. ep. ad Marcell.

d ep. 44.

dantur ad ſtadia literarum: quandoquidem huic hominum generi, vtpote ingenuo & liberali, nihil ſit honore antiquius, optimóque iure illis tribui poſſit quod Symmachus[a] ſcribit in hæc verba. *Senatus impatiens diſpendij ſui ſolatium petit de honore virtutis, veſtrúmque numen precatur, vt virum noſtra ætate mirabilem ſtatuarum diuturnitas tradat oculis poſterorum: quia ornamentis bonorum incitatur æmulatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni.*

a ep.25.l.10.

4. His ſtatuarum honoribus velut facibus gloriæ ſuccenſos à Tiberio Principe multorum poëtarum ſpiritus Suetonius[b] prodidit. *Tiberius Cæſar ſtudiis etiam addictus fuit, & artes liberales vtriuſque generis ſtudioſiſſimè coluit,*&c. *Euphoriônem, Rhinianum, & Parthenium imitatus, quibus poëtis admodum delectatus ſcripta eorum & imagines publicis Bibliothecis inter veteres & præcipuos authores dedicauit: & ab hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt.*

b in Tiber. c.70.

5. Sunt igitur *bibliothecales imagines* haud ſegnes ſtimuli generoſarum mentium in literario curriculo, atque eminentioris doctrinæ digniſſima præmia. huius moris auctorem Pollionem fuiſſe reperio, de quo ſic Plinius[c]. *Non eſt prætereundum & nouitium inuentum; ſiquidem non ſolùm ex auro argentóque, aut certè ex ære in Bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iiſdem locis ibi loquuntur; quin etiam quæ non ſunt finguntur, pariúntque deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero euenit, quo maius (vt ego quidem arbitror) nullum eſt felicitatis ſpecimen, quàm ſemper omnes ſcire cupere qualis fuerit aliquis.* Aſinij Pollionis hoc Romæ inuentum qui primus Bibliothecam dicando ingenia hominum rempublicam fecit. Qui mos deinde propagatus eſt ad poſteros. Idem factum fuiſſe à Silio Italico trâdit iunior Plinius[d], qui cùm maculam veteris induſtriæ laudabili otio ablueret in ſuo ex vrbe ſeceſſu, è quo ne aduentu quidem noui Principis commotus eſt, plures in Campania villas poſſidebat, multúmque vbique librorum, multùm ſtatuarum, multùm imaginum, quas non habebat modò, verumetiam venerabatur; Virgilij ante omnes, cuius natalem religioſius quàm ſuum celebrabat. Hauddubiè Silius iſtas imagines doctorum hominum habebat in ſuis Bibliothecis, & *nouitio illo inuento* delectatum fuiſſe credibile eſt; quandoquidem (eodem Plinio teſte) tantopere noua prioribus neglectis adamabat, vt eſſet φιλόκαλος, ſiue, vt ſignificantiùs habent vetuſta exemplaria, καινότιλος vſque ad emacitatis reprehenſionem. Idem Plinius rogatus à doctiſſimo viro Herennio Seuero, qui magni æſtimabat ponere in ſua Bibliotheca eruditorum hominum imagines, rogat Seuerum ſuum per epiſtolam, curet ſibi exſcribi pingíque certos homines, atque pictorem eò diligentiorem adhibeat, quòd cùm arduum ſit (ait) ſimilitudinem fingere ex vero, tum longè difficillima eſt imitationis imitatio: id poſtulat quantum amicitiæ ratio petitur pro ſumma quæ Seuero inerat ſtudiorum reuerentia, & ſummo amore ſtudioſorum.

c l.35 c.2.

d ep.7.l.3.

Claud. minor in comment. ep.7. l.3.

6. Numeriani oratio tantum habuiſſe fertur eloquentiæ (ait Vopiſcus) vt illi ſtatua non quaſi Cæſari, ſed quaſi Rhetori decerneretur ponenda in Bibliotheca Vlpia, cui ſubſcriptum eſt, *Numeriano Cæſari oratori temporibus ſuis potentiſſimo.* Sidonio Apollinari tribui poteſt vetus inſcriptio,

De duplici honore quē

ptio, *Claritate ingenij coronatus eſt inter Poëtas Latinos omnibus ſententiis iudicum.* De ſe ita ipſe ſcribit, — conſecutus eſt *plauſa & ſtatua.*

Vel quòd adhuc populo ſimul & plaudente Senatu,
Ad noſtrum reboat concaua Roma ſophos.
Nil vatum prodeſt adiectum laudibus illud,
Vlpia quod rutilat porticus ære meo.

Idem alio loco[a] licèt expertum ſe dicat *ſiniſtræ ſibila linguæ*, tamen gloriatur, ſe feliciter enauigaſſe, & poſitum fronde geminæ coronæ, — a Ep. l.9. ep.16.

Quam mihi indulſit populus Quirini
Blattifer, vel quam tribuit Senatus,* — * i purpuratus.
Quam peritorum dedit ordo conſors
Iudiciorum.
Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerua Traianus titulis videret,
Inter auteres vtriuſque fixam
Bibliothecæ.

Videtur inde conficere Iuſtus Lipſius Sidonium duas ſtatuas habuiſſe, vnam in Græca Bibliotheca, alteram in Latina: verùm potiùs accedo Sirmundo noſtro, qui ex vltimo pentametro, quod ſuprà retulimus, putat vnicam habuiſſe, quæ tamen eſſet poſita in ea porticu, quæ communis erat vtrique Bibliothecæ.

CAPVT IV.

Quo loco olim poſitæ imagines in Bibliothecis, & in hac ponendæ.

OCcaſionem huic quæſtioni dederunt quædam auctorum loca haud ita clara, quin aliqua luce indigeant. In primis difficultatem facit Seneca[b], cùm ſuggillans ſuorum temporum ſtudioſam luxuriam & inanem librorum apparatum, ait *non eſſe quòd minus ignoſcas nomen ære, aut ebore captanti, quàm inter multa millia librorum oſcitanti, cui voluminum ſuorum frontes maximè placent titulique.* Tum paulò inferiùs, *Nunc iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum in ſpeciem & cultum parietum comparantur.* Quænam ſunt iſta monumenta ingeniorum deſcripta ſuis imaginibus? fuerúntne auctorum ipſorum imagines intùs in voluminum limine expreſſæ, vt etiamnum à multis fieri ſolet? De vltimo dubitauit Iuſtus Lipſius[b], ob ea verba Senecæ quæ retuli; ex quibus tamen non ſatis liquet de imaginibus, licèt de ornatu pluſquam ſatis. Primum probabilius videtur, & facilè crediderim propagatum à veteribus ad hæc tempora morem, qui hac etiam ætate ſeruatur à multis, qui non ſolùm ſuæ mentis & ingenij in ſuis commentationibus ſtylo exaratis, verumetiam corporis ſui figuram penicillo, vel (quod frequentius eſt) ex æreæ formæ prototypo expreſſam poſteritati tradere appetunt. Coniecturæ meæ accedit Plinius hæc de Romanorum doctiſſimo referens. Marcus Varro benigniſſimo inuento inſertis

I.

b de tranq.

c Synt.c.10.

tis voluminum ſuorum fœcunditati non nominibus tantùm ſeptingentorum illuſtrium,ſed etiam aliquo modo imaginibus, non eſt paſſus intercidere figuras, aut vetuſtatem æui contra homines valere; inuentione muneris etiam Diis inuidioſus, quando immortalitatem non ſolùm dedit, verùm etiam in omnes terras miſit, vt præſentés vbique eſſe,& claudi poſſent. Germaniſſimus erit horum verborum intellectus, ſi ſtatuamus,vultus virorum illuſtrium reipsà depictos calamo, vel penicillo,vel ex inciſa ærea lumina poſteritati exhibitos in Marci Varronis libris.

2. Secundus locus deſtinatus iſtis imaginibus mihi videtur eſſe ſpatium illud quod erat inter cœlum Bibliothecæ,& librorum loculamenta, vt nimirum auctorum imagines imminerent ſuis operibus, eaque quaſi ſupernè tegerent:idque ita factum coniicio,quia & hoc etiam hodie video fieri,& quia talis collocatio commoda eſt,& venuſta. Accedit Tullij auctoritas ſcribentis malle ſe in ſedicula, quam Atticus habebat in Bibliotheca ſub imagine Ariſtotelis,ſedere,quàm in ſella curuli. Sedere autem non poterat Cicero ſub imagine, niſi fuiſſet altiore loco collocata, nec collocari conuenientiore loco ab Attico potuit, quàm ſupra ipſius auctoris immortalia monumenta. Eodem atque imagines loco, id eſt, ſupra pluteos poſita fuiſſe eorumdem auctorum ſigna, innuunt idem Tullius & Iuuenalis: ille cùm ſigillorum plutealium facit mentionem [a]; iſte cùm ait [b],

a 1.l.ad Att. ep.
b 8 Sat.82.

Et iubet Archetypos pluteum ſeruare Cleantas,

hoc eſt, abſolutiſſimas philoſophorum è pluteis ſua opera quaſi deſpectantium imagines, quæ eſſe poſſint pictoribus exemplaria è quibus ſimilitudinem exprimant.

3. Denique integras ſtatuas poſitas in porticibus Bibliothecarum monuit nos Sidonius cap.præcedenti,

Vlpia quod rutilat porticus ære meo.

Porrò ex iis quæ diximus de Hermis & Bibliothecalibus ſtatuis, facilè eſt colligere quænam fuerit materia omnium ſtatuarum quæ admittebantur in Bibliothecas,nimirum promiſcua, aurum, argentum, æs, lignum, marmor, pro cuiuſque facultate & opibus; gypſum quoque. Iuuenalis [c],

c Sat.2. l.7. c.30.

——Plena omnia gypſo
Chryſippi inuenias.

4. Animaduerto præterea ex Plinio Pollionem, in ea Bibliotheca quæ primùm in vrbe publicata eſt, vnius M. Varronis viuentis imaginem poſuiſſe; ſapienti ſanè inſtituto,ne quiſquam è viuentibus queri poſſet obtrectari ſuæ eruditioni, ſi non dedicaretur & ipſe in Muſarum æde: quæ cauſa fuiſſet (accedente præſertim adulatione)cur haud pauciores oportuiſſet collocari ſtatuas, quàm libros, potiúſque extitiſſet Pinacotheca,quàm Bibliotheca,ac illico populus ſtatuarum. Deinde longè incorruptius eſt iudicium de fato functis,quàm de viuentibus,monétque vetus parœmia,neminem conſecrandum ante mortem. Sed cur M. Varroni tributum,vt viuus dedicaretur in Bibliotheca? Certè hoc debebatur eximiæ eruditioni eius hominis, quam nec inuidia leuiter perſtringere

gere potuit; fuit enim & vulgò habitus eſt *vir Romanorum eruditiſſimus:* cuius eſt apud Quintilianum [a] breue quidem verbis, ſed ſenſu valde diffuſum iſtud elegium, *Quàm multa, imò penè omnia tradidit Varro?* Non eadem cauſa fuit cur M. Tullius, qui conſtituerat neminem eorum qui viuerent, includere in dialogos, mutato conſilio M. Varronem in libros Academicos induxerit: hoc fecit potius Attici literis commotus, qui ſcripſerat Varronem hoc deſiderare, & id magni æſtimaturum, quàm ne videretur φιλένδοξος, id eſt, virorum illuſtrium amator; ſcripſerat enim Atticus largiendum eſſe aliquid viris minùs illuſtribus, ac præſertim Varroni id honoris expetenti: ſecus, ſermonem daturũ multis ſi ſolos Lælios, Lucullos, Catulos, Africanos in ore haberet: hoc enim ex ambitione profectum, atque ex aliorum contemptu exiſtimari poſſe. Iam intelligis quàm multis neceſſe fuiſſet collocare imaginem in Bibliothecis, ſi mos fuiſſet poni viuis, quandoquidem Marcus Tullius indulſerit M. Varronis ambitioni, aut amicitiæ, vt ei ſermonem tribueret in Academicis ſuis quæſtionibus. Quis iſtorum qui extruunt Bibliothecas, non amat hominem aliquem literatum? Imò iſti homines profiteri ſolent, vel fingere, ſe omnium eruditorum eſſe amiciſſimos, cóſque familiariter noſſe. Nos Pollionis exemplum ſecuti, nullum ex illis ſcriptoribus qui adhuc ſuperſtites ſunt, referemus inter illos indigetes, quibus vel hermeticas, ſiue pectorales ſtatuas, vel imagines pictas ponemus. Nullum, inquam, qui adhuc ſit inter viuos, hîc pingemus, ne ipſum quidem noſtræ ætatis Varronem. Quis enim is ſit, admodum difficile foret ſtatuere, in tanto excellentium auctorum numero, quorum feraciſſimum eſt ſæculum iſtud. In ſolo Collegio Imperiali Madritano, in quo degimus, poſſem nominare duodecim primæ notæ Scriptores in variis facultatibus, qui hoc genere apotheoſeos digniſſimi ſunt, ob edita immortalia monumenta ſuæ eruditionis & ingenij; multóſque alios, quorum opera prodibunt, Deo bene iuuante, & Remp. literariam illuſtrabunt.

a l. 11. inſt. c. 1. Idem l. 12 c. 11.

Venio ad collocationẽ imaginum in hoc noſtro Muſeo: lateraria inter columnia in eo ſunt omnino viginti octo, vti primo capite monuimus: ad Meridiem quatuordecim, ad Aquilonem totidem, præter arcum in medio tranſuerſum: tum alia quinque ad Ortum, ad Occaſum totidem. In decem intercolumniis ex vniuerſo illo numero, nullum eſt armarium, nec abacus, quemadmodum ſingula paulo pòſt percurrentes indicabimus: ac proinde nullæ erunt hermeticæ ſtatuæ, licèt non defuturæ ſint imagines in metopis. Quo autem ordine in proximè ſequenti intercolumnio à me recenſebuntur ſtatuæ & imagines Scriptorum Canonicorum, & captiui Telamones; eadem erit collocatio in aliis; vbi proinde ſolummodo nominabo auctores, ne ſi ſingulis (ſicut in primo intercolumnio) velim ſuum ſingillatim in metopis, vel armarij podiolis locum indicare, eadem ſæpe iterans moleſtus ſim. Res ſic habet.

IN I. LATERARIO INTERCOLVMNIO ad Occidentem.

BIBLIA SACRA.

Media & ſublimior ſtatua erit MOSIS; dextra DAVIDIS; ſiniſtra S. PAVLI.

De quinque metopis intercolumnij media SALOMONEM pictum dabit; dextra huic vicinior S. MATTHÆVM; ſiniſtra S. MARCVM; dextra remotior S. LVCAM; ſiniſtra S. IOANNEM.

CAPTIVI TELAMONES.

Ad dextram

ANTIOCHVS EPIPHANES, qui aſtu occupatis Hieroſolymis inter cætera crudelia facinora, etiam libros legis quoſcumque reperit cremauit, eóſque morte damnauit, apud quos reperti ſunt. 1. *Mach.* 1.

Ad læuam.

DIOCLETIANVS Imp. qui edictum tulit de omnibus Chriſtianorum ſcripturis igni tradendis. Euſeb. 8. *hiſt.* 3.

IN II.

PATRES LATINI.

S. Gregorius Magnus.
S. Ambroſius.
S. Auguſtinus.
S. Hieronymus.
S. Hilarius Pictauienſis.
S. Leo Magnus.
S. Cyprianus.
S. Bernardus.

CAPTIVI TELAMONES.

CERINTHVS, } hæreſiarchæ.
EBION

Vt vtrumque refelleret S. Ioannes, ſuum ſcripſit Euangelium. S. Epiph. *hær.* 51.

IN III.

PATRES GRÆCI.

S. Athanaſius.
S. Baſilius.
S. Gregorius Nazianz.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
S. Irenæus.
S. Dionyſius Areopagita.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Cyrillus Alexandr.

Captivi Telamones.

Marcion hæreſiarcha, vocatus à S. Polycarpo primogenitus Satanæ.

Aetivs hæreſiarcha, Atheus, ſiue Impius cognominatus, ex aurifice Philoſophus, ob perplexitates argutiarum ab ipſiſmet Arianis, quibus primùm adhærebat, pulſus, inſolentiſſimè ſe ſupra Prophetas & Apoſtolos extulit.

IN IV.

Feneſtra.

In metopis.

QVINQVE SIBYLLÆ.

Perſica.
Libyca.
Delphica.
Cumæa.
Erythræa.

IN V.

SCRIPTVRÆ SACRÆ INTERPRETES.

Beda Venerabilis.
Dionyſius Carthuſianus.
Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis.

Rupertus Abbas Tuitenſis.

Hugo de S. Caro Cardinalis, qui præter commentarios in vniuerſam Scripturam iuxta quadruplicem ſenſum, ſcholaſtico, id eſt, breui ſermone, abſque fuco ſæcularis eloquentiæ fecit Concordantias Bibliorum, laborioſiſſimum opus (vt ait Sixtus Senenſis) & immenſi tædij ac temporis, ſed ſacrorum voluminum ſtudioſis magnopere neceſſarium; in quo ſingulas diuinæ Scripturæ declinabiles dictiones ſecundùm conſequentiam literarum accuratiſſima diligentia digeſſit, annotatis non ſolùm libris, ſed etiam librorum capitibus, & capitum lineis, in quibus vnaquæque deſiderata dictio contineretur. Sunt qui exiſtiment hoc immenſum opus ob immenſi temporis laboríſque diſpendium, cuius vnius hominis vita vix ſatis eſſe poterat, hortatu Hugonis iniunctum fuiſſe quingentis ſtudioſis Patribus (Dominicanis) diuerſorum Cœnobiorum, ea ratione vt ſinguli ſingulas dictiones in alphabeticas claſſes redigerent: ſícque breui tempore, multorum ſedulitate perfectum fuiſſe opus, quod poſtea tam Græci, quàm Hebræi ſunt imitati. Rabbi enim Iſaac, Nathan Iudæus, & Eutalius Rhodius Monachus, ille Hebraicas Bibliorum Concordantias, hic Græcas collegit, quas quidem Romæ Sixtus Senenſis vidit in antiquis membranis Græca manu deſcriptas: illas verò typis Iuſtiniani Venetiis cuſas. Ant. Poſſeu. *in appar.*

Alphonſus Salmeron.

Franciſcus Titelmannus.

Ioannes Maldonatus.

Captivi Telamones.

Arivs hæreſiarcha & funeſtiſſima fax Orbis; de cuius impiis & laſciuis ſcriptis, eorúmque condemnatione & exuſtione, ac conſtitutâ in occultatores pœnâ capitis à Conſtantino Magno, conſulendus eſt Sozomenus *l* 1.*cap*.20. & Socrates *l*.1.*cap*.6. Illud quidem memoriâ dignum accidiſſe D. Athanaſius eſt auctor[a], vt cùm ex conſuetudine ſcripta Arij de hæreſi quam protulerat legerentur in Concilio Nicæno, omnes quotquot aderant Epiſcopo, adeò exhorruerint blaſphemiam, vt mox ſuas aures obſtruxerint, quemadmodum & cùm lectæ pariter eſſent literæ Euſebij Nicomedienſis, totius Satanicæ molitio

[a] or. 1. contra Arian.

molitionis præcipui architecti, eas in omnium conſpectu diſcerptas eſſe teſtis eſt Euſtathius Antiochenus[a]. [a apud Theodo. l. 1. c. 8.]

APOLLINARIS IVNIOR hæreſiarcha, parentis item impugnatoris Catholicæ religionis filius. Is ex Ariete quem Orthodoxi velut ducem gregis ſequebantur tãquam magnũ aliquando in Eccleſia agoniſtã, vnúmq; ex præcipuis ſcriptoribus hæreſum oppugnatoribus, vt obſeruat Vincentius Lirinenſis; deinde nimia ſui ipſius ſapientiæ præſumptione (vt D. Cyrillus Alexandrinus[b] loquitur) ita excidit, vt eum deinceps Catholici tanquam lupum fugerint. Patrem eum eloquentiæ prædicauit Philoſtorgius, ſed quæ eſſet verboſa potius quàm neruoſa. De ludibrio verò quod aliquando paſſus eſt in ſuis ſcriptis glutino compactis à ſancto Ephrem, Gregorius Nyſſenus[c] elegantem hiſtoriam recitat. Eamdem tibi exhibemus *ſect. 3. c. 3.* huius libri. [Baro an. 325. n. 21.] [b ep. 5. ad Acac.] [c de S. Ephré.]

IN VI.

CONTROVERSIARVM DE FIDE DISCEPTATORES.

S. Epiphanius.

Staniſlaus Hoſius Cardinalis, vitæ ſanctiſſimæ, eruditionis & eloquentiæ gloriâ celeberrimus, Catholicæ fidei acerrimus propugnator, atque in Concilio Tridentino Pontificius Legatus, non ſemel à Pio V. *religionis columna* appellatus, & illuſtribus multorum ſcriptorum elogiis Florimundi Raymundi, Franciſci Sacchini, Antonij Poſſeuini, Cardinalis Bellarmini clarus. Ei contigit, quod haud ſcio an vnquam vlli, vt ipſius libri bis & trigeſies Latina, Germanica, Gallica, Flandrica lingua ipſo ſuperſtite typis cuſi fuerint, quemadmodum Staniſlaus Reſcius in eius vita refert. Sed nec omittendum nonnullos putaſſe ſanctiſſimam Dei Matrem Hoſio ſcribenti dictaſſe libros.

Robertus Cardinalis Bellarminus.

Ioannes Ekius.

Franciſcus Turrianus.

Thomas Bozius Eugubinus.

Petrus Caniſius.

Iacobus Gretſerus.

CAPTIVI TELAMONES.

NESTORIVS hæreſiarcha in B. Virginem Mariam, quam Dei-

param eſſe negauit impius; linguâ vermibus exeſâ, & toto corpore computreſcente miſerrimè mortuus eſt. Eius ſcripta vbique promulgata combuſta ſunt, atque reprobata ab eadem ſanctiſſima Dei Matre in quadam apparitione Cyriaco Abbati Preſbytero Lauræ Calamonis, quam ipſe narrat *c.46. prat.ſpiritualis*, & ego hîc in eiuſdem B.Virginis honorem tibi refero. *Die quadam vidi per ſomnium mulierem honeſta facie, purpura indutam, & cum ea viros duos, & ipſos venerando habitu & aſpectu præclaro. Arbitratus autem ſum mulierem illam eſſe Dominam noſtram ſanctam Dei genitricem, eóſque qui cum illa erant duos viros ſanctum Ioannem Baptiſtam, & ſanctum Ioannem Theologum, & Euangeliſtam. Egreſſúſque de cellula orabam illam, vt ingrederetur, quæ non conſenſit; permanſi igitur diutius* Pſ.73. *orans & obſecrans, & dicens: Ne quæſo auertatur humilis factus confuſus, & alia plurima eiuſmodi. Illa igitur vt me vidit inſtare precibus, eamdémque poſtulationem iterare, ſeueriùs mihi reſpondit, dicens: Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis vt ingrediar, & his dictis abſceſſit. Euigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam, num aliquod in mente peccatum contra illam admiſiſſem, neque enim erat alius aliquis in cella mea, niſi ego ſolus. Diutiùs igitur meipſum diſcutiens nihil inueni, quod in illam peccaſſem. Cùm verò vidiſſem me nimio mœrore abſorberi, ſurgens accepi librum vt legerem, quòd per eiuſmodi lectionem dolorem vnà cogitationéſque repellerem. Librum autem ipſum acceperam mutuo à beato Iſychio Preſbytero Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, euoluénſque librum inueni duos impij Neſtorij libros in fine voluminis ſcriptos; móxque agnoui hunc eſſe ſanctæ Dominæ noſtræ Dei genitricis, ſempérque virginis inimicum: tunc ſurgens abij, librúmque illi qui mihi eum accōmodauerat reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum frater, neque enim ex eo tantum vtilitatis cepi, quantum detrimenti. Cùm verò ille detrimenti ipſius cauſam ſciſcitaretur, omnem illi rei ordinem retuli, qui zelo Dei ſuccenſus protinus duos illos Neſtorij libros ex volumine præſcidit, eóſque igni tradidit, dicens: Non manebit in cella mea Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis ſempérque Virginis Mariæ inimicus.*

EVTYCHES hæreſiarcha, inconſiderato odio aduersùs Neſtorium abreptus, infelici audacia nouus veritatis Catholicæ impugnator euaſit, negans duas in Chriſto eſſe naturas: & deinde varians aſſeruit ante Liber breuiar.c.11. adunationem duas in Chriſto fuiſſe naturas; poſt adunationem, vnicam factam eſſe. Quidquam eum ſcripſiſſe non reperio: quia tamen fuit Cathedraticus (vt ſic loquar) peſtilentiæ, placuit illum ad infamem cippum ignominioſè religare, eúmque & Neſtorium communi iugo ſubdere, rabidè tamen à ſe inuicem vultibus auerſis.

IN VII.
CONCIONATORES SACRI.

S. Petrus Chryſologus.
S. Vincentius Ferrerius.
S. Bernardinus Senenſis.
Thomas à Villanoua, Arch. Valentinus, vir ſanctiſſimus.

Cornelius

Cornelius Muſus, Epiſcopus Bitontinus.
Cæſar Calderarius.
Sebaſtianus Barradius.
Ioannes Oſorius.

Captivi Telamones.

Manes hæreſiarcha, monſtrum ex Gnoſticorum turpitudine, & Montani deliriis, atque nouis deformitatibus compoſitum ſui horrore vniuerſum obſtupefecit orbem, & fuligine obduxit, & ad certius exitium ſimpliciorum ſpecioſum Apoſtoli Chriſti nomen ſibi induxit, vt ex D. Auguſtino conſtat, & ex ea epiſtolarum ipſius inſcriptione quas ad Marcellum ſcripſit, vt eum ad ſuam impietatem pertraheret. Variis ſcriptis ſuam hæreſim promulgauit. Cùm verò homo impiè fatuus, ſuóque dignus nomine Paracletum ſe eſſe iactaret, ægrotante filio Regis Perſarum remouit Medicos, pollicitus eum per orationem ſe ſanaturum: quod tamen ſecus euenit ac promiſerat: mortuo paruulo, qui opera Medicorum poterat ſanari, coniectus eſt in carcerem, vnde aufugiens in Meſopotamiam profectus eſt: comprehenſo tamen ab ſatellitibus regiis, & ad Regem ducto pellis detracta eſt, & tanquam vter ante portas ſuſpenſa, corpus traditum beſtiis deuorandum. Quàm ſæpe Manichæorum libri cremati ſint, diſces ex Iacobo Gaulterio *in Chron.*

Mahometes pſeudodropheta, Bayræ & Sergij pſeudomonachi teterrimorum hæreticorum diſcipulus, & Iudæorum impuris & infelicibus præceptionibus vſus opus ſtygium, (vt Iacobus Gaulterius loquitur *ſeptimo ſæculo tabulæ chronographicæ*) Alcoranum finxit, & conſarcinauit; quod deinde, vt per Gabrielem Angelum à Deo ad ſe miſſum inſanè nugabatur, in eo Iudaiſmum ſimul atque Chriſtianiſmum ſic commendauit, vt tamen vtroque interdiceret ſuis; vtpote cui propoſitum fuit diuinitatem Chriſto abrogare, veſana Arij & antiquorum aliquot cœpta vrgere, & eius impiæ contentionis agere promotorem, cuius ſit Antichriſtus olim conſummator futurus.

Sequitur arcus intergerinus, de quo poſtea in fine huius capitis.

IN VIII.

THEOLOGI SCHOLASTICI.

Petrus Lombardus, Magiſter ſententiarum dictus.
S. Thomas Aquinas.
S. Bonauentura.
Alexander de Hales.
Melchior Canus.
Ludouicus de Molina.

Franciſcus

Franciſcus Suarez.
Gabriel Vazquez.

Captivi Telamones.

Ioannes VViclephvs hæreſiarcha, cuius pluſquam ducenta volumina concremata ſunt Pragæ, erronei articuli in Concilio Conſtantienſi condemnati, corpus effoſſum, ab Eccleſia proiectum, & crematum.

Ioannes Hvs hæreſiarcha, qui, ſocio Hieronymo Pragenſi, VValdonis & VViclephi errores recoquens, & nouis deliriis perſpergens in Chriſtum, in D. Petrum, in Traditiones, in Sanctos, in imagines iniurius, damnatus eſt rogo vnà cum ipſius libris à Concilio Conſtantienſi; tum deinde ritè exauguratus ac traditus ciuili magiſtratui eductus eſt ad ſupplicium, geſtans in capite mitram chartaceam cum inſcriptione, *Hæreſiarcha.*

IN IX.

THEOLOGI MORALES.

S. Antoninus.
Martinus de Clauaſio.
Martinus Azpilcueta Nauarrus.
Syluester de Prierio.
Franciſcus Cardinalis Toletus.
Gregorius Sayrus.
Ioannes Azorius.
Thomas Sanchez.

Captivi Telamones.

Martinvs Lvthervs hæreſiarcha ſceleſtiſſimus, quàm in verbis, moribus, & ſcriptis ſpurcus & peſtilens fuerit, infinitum ſit referre. Conſulendus Florimundus Raymundus *lib. de naſcente, progrediente, & intereunte hæreſi.* Hoc ſolùm dicam, quod ex aliis prodit Iacobus Gaulterius: Sacrilegam animam morte vitæ conſentanea exhalauit, cùm enim veſperi bene potus atque hilaris decubuiſſet, poſtridie exanimis in lecto repertus eſt. De eius ſcriptis ſingillatim diſſerere nihil attinet: nullum gurguſtium fœtentius, nulla camerina putentior, nulla impietas ſtolidior.

Ioannes Calvinvs hæreſiarcha, omni Erebi habitu dirior & funeſtior. De eius vita fusè Hieronymus Bolſecus. Ignominioſi quoque numelli patiatur infamiam in hac repub. literaria homo nefariæ impietatis & libidinis, qui reus infandæ turpitudinis ſcapulis ſtigmate

inuſtis

nuſtis egredi ex Galliæ finibus cõpulſus eſt. De eius ſcriptis peſte exitialioribus hoc ſolùm habeto ex ipſiuſmet ore teſtimonium inter horribiles illos morbos & dolores, quibus ex hac vita in æternos cruciatus ſublatus eſt, vtpote toto corpore pediculis & vermibus corroſo, ac præcipuè verendis, quibus auersè & aduersè fœtidiſſimum vlcus inerat; inter inuocationem Dæmonum, ſceleſtas voces, deierationes, maledicta, *execratus eſt illam horam quà primùm ſtuduerat & ſcripſerat.* Bolſec. c. 22. Bellarm l. 4. de Eccl. cap. 17. Gault. ſæc. 16.

IN X.

IVS PONTIFICIVM.

Burchardus VVormatienſis.
Iuo Carnotenſis.
Gratianus.
Innocentius IV. Pont. à nonnullis *Pater veritatis* appellatus.
Guido Papæ.
Nicolaus de Tudeſchis, Abbas Panormitanus.
Ioannes Andreas Bononienſis.
Didacus Couarruuias.

CAPTIVI TELAMONES.

ARNALDVS DE BRIXIA hæreſiarcha, in ſummum Pontificẽ, Cardinales, Epiſcopos, Clericos, Monachos iniquiſſimus, aſſerens bona omnia temporalia Principum eſſe: ſuſpendio necatus eſt & combuſtus.

M PETRVS CVGNERIVS, ſiue DE CVGNERIIS, hoſtis iuriſdictionis & libertatis Eccleſiaſticæ, contra quam cùm aliquando publicè in quadam oratione dixiſſet coram Rege Philippo Valeſio, cuius Aduocatus, ſeu Procurator, ſeu Conſiliarius erat in Senatu Pariſienſi, eiúſque orationem excepiſſet docta, grauis, eloquens, piáque oratio Cardinalis Bertrandi Epiſcopi Auguſtodunenſis; Rex nefandum ratus terræ cœlum ſubiici, ac temporalia ſpiritualibus anteferri, litem Clericis addixit, conceſſa illis optata ſuæ iuriſdictionis & libertatis continuatione. Vnde (quemadmodum refert Iacobus Gualterius *ſæculo* 14.) M Petrus de Cugneriis dictæ tanta cum audacia cauſæ mercedem tulit perpetuam infamiam; cuius etiam hodie ſuperſunt veſtigia, tum in ridendo illo ſimulacro informi & ſimo, quod ad angulum Chori Beatæ Virginis Mariæ Pariſienſis poſitum obuius quiſque pugnis & cultellis impetit, quódque ipſi erectum dicit Genebrardus [a], vt omnium poſterorum ſalibus & ludibrio ipſius exponeretur impietas: tum etiam in eius nominis celebri contemptu quo vtuntur Galli in hominem ſtolidum, aut eum in quem iocis agere volunt; illum quippe vulgò vocitant, *Maiſtre Pierre du Cugner.* Quòd ſi homo ille

[a] in Ioan. 22.

impotens in hac ipſa vita tot ſuæ in iura Eccleſiaſtica petulantiæ iuſto æterni iudicis iudicio pœnas luit; quamquam non inuenio eum ab Eccleſia defeciſſe, aut poſt Regis ſententiam, in oppugnandis Eccleſiaſticis iuribus perſtitiſſe; qua, quæſo, erunt nunc mulctandi ignominia, qui cùm Eccleſiæ, quoad poſſunt, euertunt iuriſdictionem; eò præterea deuenere impietatis, vt ab Eccleſia parente optima ſeſe auertant, eiúſque filij eſſe nolint.

IN XI.

Feneſtra.

In metopis.

QVINQVE SIBYLLÆ.

Samia.
Cumana.
Helleſpontiaca.
Phrygia.
Tiburtina.

IN XII.

IVS CIVILE.

Vlpianus.
Accurſius.
Bartolus de Saxoferrato.
Baldus de Vbaldis.
Iacobus Cuiacius.
Guido Pancirolus.
Dominicus Cardinalis Tuſchus.
Antonius Faber, princeps Senatus Cambērienſis, Chriſtianæ pietatis adytum, reconditioris Iuriſprudentiæ ſacrarium, omnis generis literaturæ promptuarium, memoriæ prodigium, modeſtiæ miraculum. Viri laudatiſſimi Elogium pulcherrimè ſcripſit vir & ipſe laudatiſſimus Antonius Brunus Sequanus, in ſuprema Dolana Curia Procurator generalis.

CAPTIVI

CAPTIVI TELAMONES.

IACOBVS ARMINIVS, ſectariorum Arminianorum princeps, S.R. Eccleſiæ & ſummo Pontifici infenſiſſimus, Theodori Bezæ aliquando diſcipulus, mali corui malum ouum.

CONRADVS VVORSTIVS, diuinæ ſimplicitatis, immenſitatis, immutabilitatis, infinitatis impugnator; ab aliis Caluinianis proſcriptus & damnatus, ab aliis honorificentiſſimè habitus; qua de re plura idem Gaulterius, qui & refert geminum iſtud diſtichon ex ogdoaſticho de hoc ſectariorum odio & amore.

At vos poſteritas tumulo hæc inſcribite verba
Poſthuma fortunæ ſigna futura meæ.
Nulla, Reformatâ, mihi pars dilectior vnquam:
Nulla, Reformatâ, pars minùs æqua fuit.

IN XIII.

PHILOSOPHIA CONTEMPLATIVA.

Pythagoras.
Plato.
Ariſtoteles.
Ioannes Scotus, Philoſ. & Theolog. eximius.
Thomas de Vio Caietanus, Philoſ. & Theol. eximius.
Paulus Areſius.
Petrus Fonſeca.
Antonius Rubius.

CAPTIVI TELAMONES.

ANDREAS BODENSTEIN CARLOSTADIVS; primùm Lutheranus, deinde Antilutheranus & Sacramentarius, cœpit ſcribere anno 1521. Inter hominis phanatici deliria & hoc fuiſſe refert Feuardentius [a], perſuaſiſſe multis nullas artes liberales, aut philoſophicas ſcientias addiſcendas eſſe, ſed ſoli nudóque Bibliorum textui operam impendendam, eóque ſcholaſticos VVitebergenſes adduxiſſe, vt ſcientiarum humaniorum libros comburerent, ſéque ad opificia exercenda conferrent, quemadmodum reipſa factus eſt ipſe agricola. Eodem errore tranſuerſus actus eſt Carloſtadij in hoc telamonico iugo ſocius.

a in append. ad Caſtr. 5.

PHILIPPVS MELANCHTHON, & ipſe hæreſiarcha, vtpote Confeſſionis Auguſtanæ auctor. Quis porrò credat hominem polylogum & poëtam, & aliis humanis literis innutritum philoſophicas diſciplinas non eſſe diſcendas defendiſſe, ſed opere manuum viuendum; ac proinde derepentè piſtorem factum. Eiuſmodi fuit Melanchthonis inſtitutum & fides. Extat ipſius Lutheri ſuper hac re parænesis in

epiſtola ad Nobilitatem Germaniæ data anno 1520. in qua hunc in modum diſſerit. *Scriptura ſacra relinquitur; & ſolus cæcus atque Ethnicus Ariſtoteles primas tenet ſupra Chriſtum. Cenſeo in omnes hos libros Phyſicæ, Metaphyſicæ, de anima, & Ethicorum eſſe abolendos, eóſque omnes tractatus in quibus de rebus naturalibus agitur.* Et ſcribens contra Ambroſium Catharinum, dicit ad conuellendum funditus Chriſti Euangelium, Satanam non potuiſſe meliorem inuenire modum, quàm Vniuerſitates erigendo. Ea tunc fuit phreneſis Lutheri, à qua poſtea vtcumque ad ſe rediit, (inquit Iacobus Gaulterius loquens de Bibliſtis) vt planum eſt ex libro quem anno MDXXIV. de ſcholarum reſtauratione edidit, & Germaniæ Conſulibus nuncupauit, Carloſtadium hac ratione auocans ab aratro, & Melanchthonem ex piſtrina; qui ambo (vti diximus) voluerãt hac ratione Scripturam ſequi, & in ſudore vultus ſui veſci pane ſuo.

Florim. Raym. l. 1. c. 15.

IN XIV.

PHILOSOPHIA MORALIS.

Mercurius Triſmegiſtus.

L. Annæus Seneca.

Epictetus.

Plutarchus.

Manuel Palæologus Imp. Conſtantinus, qui ſcripſit præcepta educationis Regiæ ad Ioannem filium, quæ Græcè extant.

Ioannes de Auila, vir eximiæ ſanctitatis, ſcriptor Aſceticus primæ notę, & Eccleſiaſtes in Bætica verè Apoſtolicus, dignus hoc ordine & commendatione perfecti politico-Chriſtiani, vel ob vnicam illam epiſtolam planè auream, quam ſcripſit Prætori Hiſpalenſi, de ratione adminiſtrandi Eccleſiaſtica & ſæcularia; vtinam omnes rerump. moderatores eam attentè perlegerent.

Ioannes Boterus Benenſis.

Carolus Scribanius.

CAPTIVI TELAMONES.

NICOLAVS MACCHIAVELLVS pſeudopoliticus, atheus, quamuis viſus ſit voluiſſe videri Chriſtianus. De hoc homine nihil aliud habeo quod adiiciam ad ea quæ Oſorius, Catharinus, Ioannes Molanus, Petrus Ribadeneyra, Ioannes Lenſæus, cuius Commentarium de libertate Chriſtiana ſingulariter laudat Antonius Poſſeuinus, qui & ipſe iuſſu Innocentij noni contra eumdem impium politicum ſcripſit; nihil, inquam, aliud prætereà adiiciam, quàm Macchiauelli

uelli nomen, non tam nomen hominis, quàm ipſiuſmet pſeudopolitiæ, vel (vt ſic loquar) impij politiciſmi apud omnes bonos nomen eſſe.

IOANNES BODINVS, quàm periculosè à multis teratur, vtpote pſeudopoliticus, & qui rerum vſu, variatúmque ſcientiarum ſpecie incautis ſenſim inſtillet Catholicæ religionis obliuionem, docet in commentario contra ipſum iuſſu eiuſdem Innocentij IX. edito Antonius Poſſeuinus, vbi ad extremum ait ſe optare atque in primis conſultiſſimum videri, ſignificat, vt ſeriò & quamprimum Commentarij politici Ioannis Bodini non ſolùm purgentur, verumetiam ea aptè inſerantur, quæ in religione Catholica, & pietate firmare Principum & Catholicorum animos poſſint, & id maximum fore ad Dei gloriam operæpretium.

IN I. LATERARIO INTERCOLVMNIO ad Aquilonem, quod è regione opponitur intercolumnio ſacrorum Bibliorum.

MATHEMATICI.

Euclides.
Archimedes.
Diophantes.
Alphonſus Caſtellæ Rex X.
Boëtius.
Ptolemæus Ægyptius, Aſtronomorum Princeps.
Chriſtophorus Clauius.
Franciſcus Aguillonius.

CAPTIVI TELAMONES.

ABRAM ille Iudæus Mathematicus, qui anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto ex coniunctione Iouis & Saturni in ſigno piſcium Iudæis Meſſiam id temporis pollicebatur; ratus aſtrorum efficientia, non Dei miſericordia Seruatorem humani generis in lucem exiturum.

LEMBÆVS Iudæus, Aſtrologiæ nomine clarus, qui anno milleſimo quingenteſimo ex ſyderum poſitu aſpectúque tam aſſeueranter Meſſiam aduentare denuntiauit, vt Iudæi paſſim domos euerterent, quaſi anno ſequenti reditus Hieroſolymam certus & indubitatus eſſet. Tolerabiliora forent hæc deliria in homine Iudæo, quàm quæ religionem Chriſtianam profeſſus Cardanus impiè inſaniuit. Recognoſce mecum, & damna ſacrilegium Cardani (inquit qui & ſuperiora refert Iulius Cæſar Bulengerus [a]) ſtatuentis *lib. de ſupplemento Almanachi c.* 22. legem Iudaicam à Saturno eſſe, Chriſtianam à Ioue & Mercurio, Maho-

a c 1. l. 2. aduerſùs Geneth.

metæ à Sole & Marte ex æquo dominantibus, quorum alter iuſtitiam, alter ſæuitiam infundat; Idololatriam à Luna & Marte: quo quid indignius, quid flagitioſius dici, aut cogitari poteſt? Idem in hæc deliramenta erupit octauâ genitura. Chriſtianam legem fouet igneus trigonus, Mahumeti aqueus: & vndecimâ geniturâ, Lutheri ſectam propter ſpicam Virginis inualuiſſe ait, quam quia Martem admixtum habet, & caudam infinita capita reddere defendit. Vide quæ habet Alexander de Angelis *cap.*40.*lib.*4. hanc Cardani inſaniam referens, & refutans: ac faceſſant iſti æruſcatores (vt cum Fauorino loquar) & cùm in re omnium maxima ſanctiſſimaque delirent, in minimis etiam repudientur tanquam palearum caſſa, vitrea fracta, gurguliones minuti. Omnino non deſint huic armario Telamones, ſi proferre velim Iudæum illum, qui Petro Caſtellæ Regi plurimum gloriæ & felicitatis noua regna & Imperia ex Aſtronomicis rationibus pollicebatur, & tamen omnibus quæ eo auctore ſuſceperat bellis infeliciter geſtis, multis confoſſus vulneribus vitam amiſit. Si Ludouici Sfortiæ Mediolanenſium Ducis Aſtrologum, quo inconſulto vix quidquam aggreſſus infelix Princeps Ducatu priuatus in carcere apud Gallos miſeram mortem obiuit. Digni præſtigiatores non ſolùm telamonio iſto iugo, verumetiam tam tetris & tenebricoſis latumiis, vt Solem & aſtra ſuſpicere non poſſint, donec reſipiſcant.

IN II.

PHYSIOLOGI.

C. Plinius ſecundus.
Ælianus.
Albertus Magnus.
Andreas Matthiolus.
Dioſcorides.
Theophraſtus.
Vlyſſes Aldroandus.
Ioſephus à Coſta.

CAPTIVI TELAMONES.

IVLIVS CÆSAR VANINVS, vulgò dictus Lucilius, impiiſſimus Atheus, qui licèt diuinam prouidentiam velut in amphitheatro ſe exhibere innuat, & Magiam ſuam diuinam eſſe; phyſicam ſuam, Chriſtianam, & Aſtrologiam, Catholicam profiteatur, ac ſe agere contra veteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, Stoicos; tamẽ eius liber potius eſt contra Theologos Scholaſticos, quàm contra Atheos: vt etiam alio opere Atheiſmum docet inſcriptionis laruà diſſimulatum, quem viua quoque voce profeſſus eſt ſub ſpecie omnia examinantis.

nantis. Tandem impius Toloſæ viuus exuſtus eſt anno 1619.

Henricvs Cornelivs Agrippa Magus, Cacodæmonem ſecum canis ſpecie circumducebat, collare magicis quibuſdam emblematis inſcriptum gerentis. Lugduni in obſcura taberna animam agens collari canem liberauit, cum his verbis, *Abi perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti.* Ille præcipiti curſu in proximum Ararim ſe demerſit, nec vſpiam poſtea comparuit. Agrippa paulo pòſt è viuis exceſſit. Iouius *in Elogiis.*

IN III.

MEDICI.

Hippocrates Cous.

Galenus Pergamenus, de quo tritum illud, In Galeno[a] Hippocratem non minus viuere, quàm in Hippocrate Galenum.

Andromachus Cretenſis, theriacæ inuentor.

Auicenna Arabum medicorum princeps.

Franciſcus Valeſius.

Hieronymus Mercurialis.

Ioannes Fernelius.

Hieronymus Fabritius.

[a] lib. de Theriaca ad Piſonem. Genebr. l. 3. Chron.

Captivi Telamones.

Avreolvs Theophrastvs Paracelsvs, Lutheranus, hoc ſaltem nomine iugo telamonio dignus, quòd in iis libris quos edidit, aut ſolidioribus diſciplinis, aut ipſi Catholicæ pietati tetenderit inſidias; fueritque magicis deliriis & Geomantiæ addictus. In Chymica quam tantopere exercuit, ſítne facilior abuſus atque pernicies, quàm vſus & ſalus, alij viderint.

Robertvs Flvdd, aliàs de Flvctibvs, ſectarius in ſua illa medicina Catholica, ſeu myſtico artis medicandi ſacrario multis erroribus, tum portentoſis plurimis Caballiſticis, Magicis, Platonicis, & inſolentibus aliis pronunciatis refertiſſimus; quod proinde opus in Indice librorum prohibitorum Hiſpanico prohibetur, quemadmodum & eiuſdem certamen Sophiæ cum Moria, &, vtriuſque Coſmi, maioris ſcilicet, & minoris, Metaphyſica, Phyſica, atque Theorica hiſtoria.

IN

IN IV.

Feneſtra.

In metopis.

Quinque fœminæ eruditione & ſcriptis libris celebres;

TELESILLA Argiua: cùm Lacedæmonij Argiuos expugnaſſent, ipſa aſſumptis mulieribus Laconas armis repulit, patriámque tutata eſt: eius rei causâ ſtatua ei Argis poſita ad templum Martis muliebris, ad cuius pedes libri erant ſparſi; galeam verò manibus tenebat, tanquam eam capiti impoſitura eſſet. Scripſit odas & epigrammata. Suid.

HYPATIA Theonis Geometræ Alexandrini filia, Diophantis Arithmeticam commentariis illuſtrauit: præterea in Apollonij Conica ſcripſit; quod geminum opus totius Matheſeos ſubtiliſſimum ac difficillimum eſt. Item Aſtronomicum canonem conſtruxit. Floruit ſub Arcadio & Honorio.

SVLPITIA, Domitiani tempore Caleni vxor, ſcripſit epigrammata, & ſua tempora defleuit.

Mart. lib. 1. epigr.

Cuius carmina qui bene æſtimarit,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem:
Hac condiſcipulâ, vel hac Magiſtrâ
Eſſes doctior, vel pudica Sappho, &c.

ATHENAIS, Leontij Philoſophi Athenienſis filia poſtea in Baptiſmo dicta Eudocia, vxor Theodoſij ſecundi; in mariti laudem de bello Perſico egregium poëma edidit.

PROBA FALTONIA, ſanctiſſima & nobiliſſima, vxor Probi Præfecti prætorio, qui delegauit D. Ambroſio prouinciam Æmiliam, & Liguriam; trium Conſulum ordinariorum mater, à SS. Partibus aliiſque auctoribus plurimùm laudata: ſcripſit Centonem de nouo Teſtamento & veteri.

IN V.

HISTORICI SACRI.

Cæſar Cardinalis Baronius.
Aloyſius Lipomannus.
Simeon Metaphraſtes.
Laurentius Surius.
Auguſtinus Torniellus.
Iacobus Sallianus, adhuc ſuperſtes: meretur porrò religioſiſſimus ac doctiſſimus ſenex eamdem in hac mea Bibliotheca prærogatiuam, quam M. Varro in Pollionis conſe

conſecutus eſt, vt viuus imaginẽ habeat in æde Sapiẽtiæ.
Abrahamus Bſouius.
Petrus de Ribadeneyra.

CAPTIVI TELAMONES.

PHILIPPVS MORNÆVS PLESSÆVS, licèt vir militaris, & olim Gubernator arcis Salmurienſis, linguâ & calamo pollens, ex ſuppeditata à miniſtris hæreticis multa farragine rerum ad Religionem & controuerſias ſpectantium edidit Gallico idiomate opera plena Caluinianis erroribus. Cui eleganter & ſolidè reſponderunt Nicolaus Coiffeteau Dominicanus, & duo Patres Societatis IESV Ludouicus Richeomus, & Fronto Ducæus. hic eſt ille Mornæus quem Dauid Cardinalis Perronius in producendis Scripturarum & PP. teſtimoniis pro aſtruenda hæreſi ad quingenta loca corrupta, deprauata, detorta coram Chriſtianiſſimo Rege Henrico M. falſitatis & corruptelæ conuicit. Index libr. prohib. pro Hiſp. regnis *pag.* 806.

MARTINVS CHEMNITIVS (puto eumdem eſſe quem Index librorum prohibitorum ſuprà citatus in prima claſſe *Matthæum Chemnicium* vocat, & cuius opera prohibet) auſus eſt (inquit Poſſeuinus [a]) Concilium Tridentinum ad ſuos vertiginis calculos exigere. quid lucratus? Infamiam. Dum iſte, ni cauerit, ſepelietur cum Ario, Tridentina Synodus quo magis inueteraſcet, eò magis in dies, eóque perenniùs eſfloreſcet. Bone Deus! quæ gentium varietas? quis delectus Epiſcoporum totius Orbis? qui Regum & rerump. ſplendor, quæ medulla Theologorum, quæ ſanctitas, quæ lacrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta ſubtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quantæ virtutum & ſtudiorum diuitiæ auguſtum illud ſacrarium impleuerunt? Audiui ego Pontifices exultantes, & in his Antonium Archiepiſcopum Pragenſem, ampliſſimos & prudentiſſimos viros, quòd in ea ſchola hæſiſſent aliquot annis: vt nullum Ferdinandi Cæſaris, cui multum debuerant, regalius & vberius in ſe beneficium colerent, quàm hoc fuit, quòd in Tridẽtino Gymnaſio Legati ex Pannonia conſediſſent. Intellexit hoc Cæſar, qui reuerſis ita gratulatus eſt, *Aluimus vos in ſchola optima.*

[a] Bibl. p. 1. c. 20. l. 7.

IN VI.

HISTORICI PROPHANI.

Herodotus Halicarnaſſæus.
Iulius Cæſar.
Titus Liuius.
Dionyſius Halicarnaſſæus:
Polybius.

Ioannes Petrus Maffeus.
Franciſcus Belcarius Peguilio.
Ioannes Mariana.

Captivi Telamones.

Ioannes Sleidanvs Caluinianus, hiſtoricus impudens, mendaciorum conſarcinator, ac proinde quemadmodum D. Cyprianus poſcens legendos Tertulliani libros aiebat, *Cedo Magiſtrum.* Ita Carolus V. Imp. poſcens Sleidanum dicere conſueuerat, *Cedo mendacem.* Tum verò præſertim libellus *de quatuor ſummis Imperijs*, tametſi luculentis mendaciis diſtinctus ſit; tum potiſſimum cùm de Sedis Romanæ dignitate, atque ſanctitate, necnon de Pontificum primatu ſermo incidit; quarum rerum noſtros ſcriptores veteres & probatiſſimos his callidè & malitiosè verbis producit, *vt illi volunt*; *vt ipſi dicunt*; *vt locuntur*; *vt ſcribunt.* videlicet vt illorum auctoritatem & fidem infirmet.

Florim. Raym.

Franciscvs Rabelesivs, ſcurra hiſtoricus, eius fictitius Gargantuas,

Monſtrum horrendum, informe, ingens rabioſa vorago,
Quod naſus criſpans ſcurrilis vulua parentis
Effudit petulanti obſtetricante cachinno, &c.

relatus eſt in claſſem librorum prohibitorum, vnà cum cæteris eiuſdem operibus.

IN VII.

PHILOLOGI, POLYHISTORES.

Clemens Alexandrinus.
Pauſanias.
Athenæus.
Guillelmus Budæus.
Carolus Sigonius.
Barnabas Briſſonius.
Iuſtus Lipſius.
Martinus Delrio.

Captivi Telamones.

Evthydemvs ille, qui inſolentiſſima vanitate & ambitionis immenſitate diligentiſſimè cauebat ne a quoquam aliquid diſcere videretur Xenophon *l.4 memorab. Socratis dictor. atque factorum.*

Hippias, cui Maximus Tyrius κενεολογίαν attribuit, fortè non iniuriâ,

iniuriâ, nam cùm foret in Græcia omni clarus, & iucundæ titillatione gloriæ efferretur, de ſe multa fundebat. In Olympiis in conuentu ipſo Græciæ profiteri eſt auſus nullius ſe rei ignoratione teneri, nec ſe modò cognitionem habere excellentium doctrinarum, ſed earum quoque artium, quæ mechanicæ viléſque nominantur. Itaque annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe: equidem traductione ignominioſa dignus, qui omnium rerum ſcientiam ſibi vendicat, ſecus ac de ſe Sapientiſſimus Socrates dicere conſueuerat, *Vnum ſcio quod nihil ſcio*. Longè Nouetio illi diſſimilis, quem Sidonius Apollinaris [a] ait fuiſſe *ſine iactantia literatum*. Tantò ſtudioſiùs caueant ſibi ab hac vanitate philologi, & polyhiſtores oportet, quòd non vnam tantùm ſcientiam, ſed ſcientiarum encyclopædiam profiteantur.

Plato in Hippia. Cic. 3. de or. Apul. in flor. Creſol. in theat. rhet. l. 1. c. 5.

a l. 8. ep. 13.

Sequitur arcus intergerinus, de quo inferiùs.

IN VIII.

ORATORES RHETORES.

Demoſthenes.
Iſocrates.
M. T. Cicero.
M. Fabius Quintilianus.
Themiſtius.
Dio Chryſoſtomus.
Cyprianus Soarius.
Petrus Perpinianus.

CAPTIVI TELAMONES.

Orator ille, quem velut omnium ineptiarum coagulum Lucianus deridendum propinat. Res lepida eſt. ſic illum deformat. Quod igitur felix fauſtúmque ſit, fac vt ſis in primis temerarius, audax, & nauiter impudens; his vbi fueris armis inſtructus, ſatis doctum te putato, cùm præſertim pretioſiſſima noſtri ludi ſupellex ſit ignorantia. Mediocritatem, pudorem, ac verecundiam extra Caucaſum & Gangem ablega, ſunt enim oratori, quem molimur, perquam contraria. Quinimò affer tecum Stentoris validiſſimam vocem ſemper cantillantem, & inceſſum qualis hic noſter eſt. Veſtitus ſit cultus & elegans, opus Tarentini velleris; crepida Attica ad mulieres delitias in varios mæandros conciſa, vel ſolea Sicyonia candidis purpureíſque faſciolis interſtincta. Libellus aureis floſculis illuſus geſtetur in manu, quem nunquam legas. Aſſeclæ comitentur multi, qui tibi, vt Pſaphonis aues identidem illud adgarriant, καλῶς, κομψῶς, θείως ὑπερθείως. Interim, ne videaris omni-

no antiquæ literaturæ neſcius, latiniora quædam verba intelligenda ſunt, quæ tu ſemper in ore habeas. *Equidem ſic arbitrabar: næ vehementer errat: multò profectò rectiùs: idipſum eſſe videatur.* De cæteris ſecurus eſto, quantumuis inconcinna,dura,rancida, quaſi nummos melioris notæ tua venditabit impudentia.Nec ſatis; antiqua,obſoleta, peregrina; ad ſummum qualia Euandri mater loquebatur verba ſolicitè legere,& colligere oportet, quæ tu deinde magna linguæ volubilitate in adſtantes intorqueas, vt illi te, quaſi hominem è cœlo lapſum, & (quod aiunt) loquentem de machina venerentur: quòd ſi quando verborum copia non fuerit, tu pro arbitrio confice; & cùm barbariſmus, aut ſolœciſmus exciderit, confeſtim in promptu ſit nomen poëtæ cuiuſdam, vel ſcriptoris, qui nec eſt,nec fuit vnquam, vt cùm ita dixeris, vir doctus cenſearis. Præterea fac nouorum Scriptorum affectatas orationes ſemper habeas in manu, quas, vbi cautè facere poteris, pro tuis vendites: putidum verò Iſocratem,inurbanum Demoſthenem,frigidum Platonem,ingenij expertem,Tullium non pluris æſtimes, quàm carioſam maceriam,aut vitioſam nucem. Mox cùm in ludum certaménque veneris, &, vt fieri ſolet, orationum argumenta proponentur, dic omnia exilia eſſe, & anguſta; te tamen conaturum.Caue tunc mediteris quomodo orationem diſtribuas in partes, hoc enim frigidorum eſt hominum: tu dic quidquid in buccam venerit, etſi contingat te pedem capiti, ocream galeæ,caudam iubæ aptare; quid ad te, modò ne taceas.

Si de ſciſſo pallio,aut de balneatoris quadrante cauſſula Romæ agēda ſit; tu omnem antiquitatem Athenienſium commemorabis; quæ apud Indos & Ecbatana geruntur,referes; mores etiam Scytharum interpones. In omnibus verò ſit Marathon & Cynægirus, ſine quibus nihil fiat: Athos nauigetur,Helleſpontus pedibus teratur, Sol Perſarum telis opacetur, Xerxes fugiat,triumphet Leonides, Othrydæ literæ cruore ſcriptæ legantur, Salamis,Artemiſia & Platea ad ſatietatem vſque inculcentur; quibus pauca illa verba, *peræquè,certè,quidem, profectò,vtique*,tanquam floſculi immiſceantur,etſi minimè res indigeat.In affectibus porrò illud, *heu malorum Dij immortales,per Deos, deáſque omnes,* ſæpe iteretur,& caput verberetur, & vox vlulet, & femur percutiatur, etiamſi vel mortem tantùm paſſeris luxeris. Inter hæc ſi videris tædio affectos auditores de diſceſſu cogitare, nauiter retine, & quamprimum ſedere iube; tum ab Iliacis vſque temporibus, vel per Iouem, à Deucalionis,ſi videtur, & Pyrrhæ nuptiis, (quid enim intereſt) hiſtorias ordire,& ad hæc vſque tempora longâ rerum & verborum ſerie deflecte: ſi non laudent Auditores,apertè conuitiare; neque enim melior es Philagro præſtantiſſimo illo quidem, ſed parum iracundo Rhetore, qui de ſuggeſtu deſiliens alapam ſanè bonam,ſonoram,in os Auditoris,ad ea quæ dicebantur oſcitantis,incuſſit: ita timebunt, credo, aliàs eſſe doctis moleſti, & ſi quid dixerint, ob inuidiam facere videbuntur. Multitudo verò & formam,& inceſſum, & deambulationem, & cantum,& crepidas & cætera mirabitur; amici porrò à te conducti non ceſſabunt applaudere,& cœnarum tibi pretiū rependere: quòd ſi quando

quando memoriola vacillaueris, porrigent manus, & interim laudabunt, dum quid loquaris, inuenias. hæc ſi ad vnguem; Rhetor eſſe poteris citius, quàm coquuntur aſparagi.

CRESCONIVS ille, qui eloquentiam reprehendebat, vt damnatam à Platone, & è moratis ciuitatibus eiectam, contra quem ſcripſit S. Auguſtinus [a] aiens, *non condemnatam fuiſſe eloquentiam, ſed ſophiſticam,* a l. 1. contr.
& malignam profeſſionem, quæ ſibi proponit non ex animo, ſed ex contentione, Creſconiũ.
vel commodo, pro omnibus & contra omnia dicere; quam Petrus Damiani [b] b opuſc. 11.
cauillationes vocat; & eos, qui hanc artem factitant, *cauillatores* Seneca c. 1.
nominat, Lactantius [c] *litigatores furioſos*; Iſidorus Peluſiota [d] Σπισυμαντάς. c l. 3 inſt.
Themiſtius ἀγωνιστὰς περὶ λόγους, τὴν ἐριστικὴν ἔχοντας τέχνην, *in dicendo* c. 8.
pugnaces, & contentionis arte præditos. qui laborant hac, (vt loquitur D. Au- d l. 3. ep.
guſtinus) *libidine rixandi, & efferuntur puerili oſtentatione decipiendi aduerſarium,* denique *qui ſuſcipiunt atque exercent contradictionem* ἐριστικῷ illo dicendi genere batuentes, vti ſolebat ille Creſconius, haudquaquam oratores habendi ſunt.

IN IX.

POETÆ.

Homerus.
Sophocles.
Publ. Virgilius Maro.
Pindarus.
L. Annæus Seneca.
Aulus Perſius.
P. Statius Papinius.
Cl. Claudianus.

CAPTIVI TELAMONES.

PETRVS ARETINVS, cuius hoc extat Epitaphium in eo libro Italico, qui inſcribitur, *Piaccia vniuerſale,*

> *Qui giace l' Aretin Poeta Toſco*
> *Che d'ogn vn dice mal, fuorche di Dio,*
> *Ma ſe ſcuſo dicendo, yo nol conoſco.*

Fuiſſe aliquid cauſæ, Aretinum hoc epigrammate confodiendi, ſuſpicari poſſis ex Hiſpanico Indice librorum prohibitorum, vbi abſolutè opera eius omnia prohibentur: talis porrò ſolet eſſe vita, qualis oratio; & ex mala vita, facilis in Atheiſmum prolapſus.

THEODORVS BEZA, hæreſiarcha. De hoc Caluiniano nepote, aut germaniſſimo Caluini filio, habe quæ ſcripſit Iacobus Gaulterius [e]. e ſæculo 16.
Theodori Bezæ non eſt quòd referam enormes impudicitias, tum vitæ propè vniuerſæ, tum Epigrammatum ab eo editorum fœditate intolerabili,

lerabili, quæ illum & prioratum ſuum Longemæum vendere, & Gallia excedere compulerunt: eas quidem non tantùm à Lindano, Sanctesio, Prateolo, Bolſeco aliiſque Catholicis deſcriptas, ſed etiam à Tilmano Hshuſio Lutherano, qui Epicureum illum vocat, & blaſphemum ſcurram.

IN X.

GRAMMATICI.

Feſtus Pompeius.
Donatus, S. Hieronymi Præceptor.
Priſcianus.
Papias, inſignis Grammaticus, magni Dictionarij auctor.
Antonius Auguſtinus Nebriſſenſis, in omni genere literaturæ verſatiſſimus.
Ambroſius Calepinus.
Emmanuel Aluarus.
Nicolaus Clenardus.

Captivi Telamones.

a de claris Grammat. l.1.c.23.

Remnivs Palæmon, de quo hæc Suetonius [a]. Mulieris verna fuit, primò, vt ferunt, textrinum, deinde herilem filium dum comitatur in ſcholas, literas didicit: poſtea manumiſſus docuit Romæ, ac principem locum inter Grammaticos tenuit, quamquam infamis omnibus vitiis, palámque & Tiberio, & mox Claudio prædicantibus, nemini minùs inſtitutionem puerorum, vel iuuenum committendam: ſed capiebat homines cùm memoriâ rerum, tum facilitate ſermonis; necnon etiam poëmata faciebat ex tempore. Scripſit & variis, nec vulgaribus metris. Arrogantiâ fuit tantâ, vt M. Varronem *porcum* appellaret; ſecúmque & natas & morituras literas iactaret; nomen ſuum in Bucolicis non temerè poſitum, ſed præſagiente Virgilio fore quandoque omnium Poëtarum ac poëmatum iudicem Palæmonem, &c.

b l.1.c.9.

Orbilivs Pvpillvs Grammaticus, quem Suetonius [b] fuiſſe ait naturæ acerbæ, non modò in Antiſophiſtas, quos omni ſermone lacerauit, ſed etiam in diſcipulos, vt Horatius ſignificat, *plagoſum* eum appellans, & Domitius Marſus ſcribens,

Si quis Orbilius ferula ſcuticaque cecidit.

ac ne Principum quidem virorum inſectatione abſtinuit, &c.

IN XI.

Feneſtra.

In metopis.

Quinque fœminæ doctrina & ſcriptione conſpicuæ.

ROSOITA, ſiue ROSVIDA, monialis Germana, apud Saxones Ottone I. & II. Impp. ſcripſit panegyricum de Ottonum geſtis, comœdias ſex, laudes Virginis matris verſu Elegiaco, Diui Dionyſij vitam, & alia.

S. TERESIA de Cepeda de Ieſus, præter alios libros quos ſcripſit, de vita ſua, & inſtitutione quorumdam Monaſteriorum ſui Ordinis, edidit librum de via ad perfectionem, & alium qui inſcribitur, Caſtellum animæ, ſiue commoratio interior. Sanctæ huius Virginis elogium Franciſcus de Sales, & ipſe ſanctitate ac miraculis, necnon piis libris editis clarus, ſic complexus eſt in præfatione tractatus de Amore Dei. *Sancta Tereſiæ mirabilis fuit in ſumma modeſtia eloquentia; magna animi firmitas in inſigni ſimplicitate: eius ſapientiſſima ignorantia multis doctis ignorantiam exprobrat, qui diu volutati in literis, vix, aut ne vix quidem ea intelligant, quæ de diuini amoris vſu ſcripſit.*

CATHARINA Ferdinandi Catholici & Iſabellæ filia, Henrici VIII. Angliæ Regis vxor; omnis Chriſtianæ virtutis domicilium, geminos eximios libros compoſuit; alterum piarum meditationum in Pſalmos; alterum de pœnitentia peccatoris.

MARIA STVART Scotiæ Regina & martyr, linguarum Latinæ, Italicæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, & Scoticæ inſigniter perita: adoleſcentula Latinam orationem habuit ad Henricum II. Galliæ Regem, & Gallicæ Curiæ proceres: eius argumentum hoc fuit, *Decere mulieres ſtudium literarum, & liberalibus artibus inſtitui.* eam poſtea in Gallicum ſermonem conuertit.

MARIA LVSITANA Alexandri Farneſij Parmæ Ducis vxor. eius eſt libellus ille aureus, qui inſcribitur, *Praxis ſpiritualis Mariæ Principis Parmæ*, quem poſt ipſius mortem repertum manu & ſermone Italico ſcriptum, eius Confeſſarius in lucem edidit; ac deinde magno Chriſtianæ pietatis incremento in varias linguas conuerſus eſt.

IN XII.

PII, ASCETICI.

Ioannes Caſſianus.
S. Ioannes Climacus.
S. Dorotheus.

Thomas

Thomas à Kempis, vel quiſquis eſt auctor aurei libelli de Imitatione Chriſti.

S. Ignatius de Loyola, præter nunquam ſatis laudatam epiſtolam de virtute obedientiæ, edidit librum exercitiorum ſpiritualium, initio ſuæ ad Deum conuerſionis, peculiari Dei inſtinctu, & B. Virginis ope ac miniſterio: quo libro mirabiliter complexus eſt eam ſcientiam, quam *Diſcretionis ſpirituum* vocant, ſcrupulorum deponendorum, affectuum componendorum, eligendi vitæ ſtatus, & Chriſtianæ perfectionis conſequendæ rationem. Ex eo commentario velut ex cœleſti officina prodiere S. Franciſcus Xauerius, S. Carolus Borromæus, aliíque innumerabiles eximiæ ſanctitatis viri Eccleſiaſtici, Religioſi ſæculares, adeò vt Paulus Papa III. ei attribuerit vberes illos fructus, quos hæc minima Ieſu Societas in toto Orbe fert, eúmque ſua auctoritate approbauerit & laudauerit; quemadmodum etiam fecere Auditores Rotæ, Congregatio Cardinalium de ſacris ritibus, & Tribunalia Inquiſitionum. De hoc volumine dicere non dubitauit idem S. Carolus Borromæus in eo veram omnium librorum ſcientiam contineri. Ludouicus Granatenſis dicere conſueuerat tantam ſe inde hauſiſſe doctrinam, vt explicandæ nec tota vita ſuffectura ſit. Ludouicus Bloſius Cœnobitas ſuos Louanium miſit ad eam cœleſtis ſcientiæ & ſolidæ pietatis palæſtram condiſcendam, ex qua ipſe tam nobilis Athleta Chriſti prodierat; atque illum ipſum orandi modum, quem ibi didicerat, in ſuo monaſterio ſolennem eſſe voluit. Plura de hoc libro Ioannes Euſebius Nierenbergenſis *c.49. vitæ S. Ignatij.*

Ludouicus Granatenſis.

Ludouicus Bloſius.

Ludouicus à Ponte.

Captivi Telamones.

Gvilielmvs de S. Amore, hoſtis Religioſorum mendicantium, contra quorum paupertatem librum ſcripſit, quem S. Thomas & Bonauentura ſcriptis egregiè refutarunt, & Alexander IV. prohibuit, auctore inſuper damnato.

Clemens Marotivs Caluinianus, furfuratius ille Poëta, qui

qui Gallico ſermone compoſuit vernaculos illos Dauidis Pſalmos, quos ſectarij ſuæ factionis in ſuis conuentibus canunt.

IN XIII.

HEBRAICI, SYRIACI, CHALDAICI, ARABICI, ÆTHIOPICI.

Rabbi Ben-Aſer, &

Rabbi Ben-Nephtali, Duces Maſoretarum, qui circa annum Chriſti 475. in quodam Concilio Iudæorum Tiberiadis, cui & interfuere Babylonij, excogitarunt tum puncta Hebraica quæ vocalium inſtar eſſent; tum accentus ad faciliùs legendum. quamquam

Marcus Marinus Brixianus in theſauro Hebraico, quem *Arcam Noë* inſcripſit, cenſet puncta Hebraica ſemper cum literis conſonantibus extitiſſe, ſimúlque cum illis vel tradita hominibus fuiſſe, vel inuenta. Rationum eius examen penes eruditum & iudicio pollentem lectorem eſto.

Xanthes Pagninus, de quo libet pauca in hunc locum afferre, quæ habet eius famæ vindex Theophilus Raynaudus [a]. Et vt non diffitear (inquit) nonnulla apud eum, præſertim quoad editionis vulgatæ immutationem, meritò improbari quæ Poſſeuinus annotauit in apparatu, & in poſterioribus editionibus expunctione damnata ſunt: tamen neque cùm ſcripſit Xanthes adeò rata erat apud Catholicos editionis vulgatæ auctoritas, ac fuit poſt Synodum Tridentinam tempora Xanthis ſubſecutam; neque omnia illa quæ apud Xanthem diſplicent, ſunt re vera ab ipſo profecta: pleraque enim Geneuenſium interpolatorum nequitiæ adſcribenda ſunt; tametſi ementito, de more, loci, calcographiæ, & operarum nomine in lucem ſint edita, & mala fide pro Xanthis lucubrationibus vænum expoſita. Abſit autem vt aliena malignitas & nequitia cuiquam innoxio apud æquos æſtimatores fraudi ſiet.

[a] in Mantiſſa ad Indiculum SS. Lugd.

Benedictus Arias Montanus.

Gilbertus Genebrardus.

Rabbi Dauid Kimki.
Georgius Mayr.

Captivi Telamones.

Rabbi Aſſe,&
Rabbi Hammai conferſerunt Thalmud Babylonicum blaſphemiis ſcatens; quæ quidem tertia fuit collectio. nam prima habita eſt à Iuda Simeonis filio anno centeſimo quinquageſimo ab vltima clade Hie- Baron.ann. roſolymorum; ſecunda verò à Rabbi Ioannam anno trecenteſimo ab 476.n.8. eadem clade. de his plura Sixtus Senenſis *l.2.Bibl.*

IN XIV.

CODICES MANVSCRIPTI.

Ammian. Marcell. l.14. Plut. in Catone. Cvidam miranti cur Cato nullam in foro Romano ſtatuam cum cæteris proceribus haberet, ſcitè reſponſum eſt, præſtantius eſſe mirum hominibus videri cur non habeat, quàm cur habeat. Idem dictum volo de viris quibuſdam excellentis doctrinæ, ſi tu mirere cur nihil in lucem ediderint: equidem hoc illis longè glorioſius fuerit, quàm ſi mirere cur ediderint. In hoc MStorum Codicum armario ſunt eius generis nonnulli, quos vel ipſi nouimus dum viuerent, vel de illis auditione, aut lectione accepimus, quanti inter literarios heroas fuerint. Ex iis alios ſola modeſtia à ſcribendo deterruit, alios mors ſcribentes oppreſſit; alios valetudo, dignitates, magiſtratus & publica negotia impediuerunt, aliis aliud quidpiam obfuit interdum operibus iam perfectis ac prælo ſubiici paratis. Tales fuere octo iſti quos inter bene multos ſelegi.

Iacobvs Laynes Hiſpanus, Generalis Præpoſitus noſtræ Societatis ſecundus; in Concilio Tridentino inter Patres qui non ſolùm dicendæ ſententiæ,ſed etiam decidendi ius haberent,ſedit, tantâ ſacri illius conſeſſus approbatione, admiratione,acclamatione, vt omnium iudicio & conſenſu Theologorum princeps iudicaretur. Is propter grauiſſimas ac perpetuas occupationes concionandi, ſacras literas interpretandi,diſputandi cum hæreticis,peregrinandi, ac gubernandi, plurima opera feliciſſimi ſui ingenij, & exquiſitæ eruditionis monumenta perficere ac limare non potuit. Eorum indicem & viri elogium habes apud Petrum Ribadeneyram in Catalogo Scriptorum Societatis.

Alphonsvs Deza Hiſpanus,Soc. Ieſu, Academiæ Complectenſis clarum iubar,& ſua ætate nulli Theologorum ſecundus,D.Thomæ ſententiæ curioſus indagator, illuſtris interpres,acerrimus propugnator; multa ſcripta reliquit quæ nondum prodiere; ex quibus fontibus multi inſignes ipſius diſcipuli ſuos campos (vt Ribadeneyra loqui

loquitur) irrigarunt, vt proinde ipſius imagini meritò adſcribatur lemma iſtud, *Alij ſcripta mundo, ego ſcriptores dedi.*

MICHAEL VASQVES de Padilla Hiſpalenſis, Soc. Ieſu: Romæ, Salmanticæ, & in Bætica prouincia publicus & primarius Theologiæ Scholaſticæ profeſſor maximi nominis; prælufit toti Theologiæ ingentibus duobus tomis, quos dum hæc ſcribo penes me habeo in Muſeo meo. Opus enimuerò eruditione & ingenio pleniſſimum. Quanta meditaretur & feciſſet, ſi diutiùs fuiſſet ſuperſtes, argumento eſt Apparatus iſte theologicus.

NICOLAVS MAGNIENVS Soc. Ieſu, in Celtica prouincia natus, excellenti vir ingenio, Chriſtianus orator eximius, in politiore literatura inſignis, in ſeuerioribus diſciplinis ſummus; ſuarum tamen lucubrationum adeò contemptor, vt eas ſcriberet in vilibus & emporeticis chartis, vel in auerſa facie earum ſcriptionum, quas diſcipuli noſtri domo in ludum propenſo afferunt; cùm dignæ eſſent quæ in chartam hieraticam referrentur inter inſignes commentarios MStos, adeóque typis editos conſecrandæ. De ſanctitate, eruditione & eximia indole huius viri plura ipſius diſcipulus Theophilus Raynaudus in Mantiſſa ad Indiculum Sanctorum Lugdunenſium, & Philibertus Monetus in annuis literis Societatis IESV anni milleſimi ſexcenteſimi duodecimi.

CLAVDIVS BORDONVS Auenionenſis, Soc. IESV, meus in Theologia poſitiua & Hebræa lingua Magiſter; de quo poſſum confirmare me non vidiſſe in Encyclopædia ſacra ſimul ac prophana vniuerſaliorem; in Grammaticis, poëticis, rhetoricis, philoſophicis, controuerſiis de fide exculttiſſimus fuit, acumine ingenij raro, iudicio non vulgari, diligentiâ ſingulari. Expetuntur & teruntur paſſim à viris doctis ipſius MSti commentarij in ſacram Scripturam, & meritò quidem: poëtica verò eius opera prorſus cedro & publica luce ſemper viſa ſunt digna; quæ cùm ſæpe in prima commendatione ponerentur à viris doctis hortantibus vt ea digereret, & faceret iuris publici, erubeſcebat modeſtiſſimus Pater; néve hæc ab ipſo deinceps importuniùs poſtularentur, ſchedas ſuas luſtrauit, collegit, ad præſidem ſuum tulit, earum poſtea haud magis ſolicitus, quàm ſi nihil ad ipſum pertinerent.

STEPHANVS HVDELOTIVS Lingonenſis, Soc. Ieſu, cuius amori erga me ipſius in Rhetorica diſcipulum, & paternæ eius curæ ſtudiorum meorum, necnon ſolicitudini pietatis mihi penitus inſerendæ, equidem multùm debeo, imò &, ſecundùm Deum, ipſummet beneficium initæ Societatis, ad quam impetrandam optimus Pater inſignibus magnæ beneuolentiæ argumentis me iuuit. Vir fuit in omni genere humaniorum literarum verſatiſſimus, poëta inſignis, Rhetor eximius, Græcè doctiſſimus, lectionis ſingularis; antiquitatis nummariæ, emblematicæ & hieroglyphicæ ſcientiæ peritiſſimus; eam præclaris monumentis illuſtrauit, quæ vt ego ipſius rogatu vidi manuſcripta pauculis menſibus priuſquam è vita diſcederet, variam & reconditam eruditionem miratus ſum. Quid iis poſtea factum ſit, neſcio;

ſi exiere in lucem, bene eſt; inter Philologos honoratum locum habento; ſi nondum edita ſunt, prodeundi tempus in hoc armario operiuntor.

FORNERIVS Medicus & princeps, ſeu (vt loquuntur) Decanus Collegij Medicorum Lugdunenſium in Gallia, cuius viri non poſſum non meminiſſe hoc loco, ſi labe ingrati animi carere velim; nam mihi iam propè depoſito ita adfuit, vt ei non tanquam Medico ſolùm, ſed tanquam amico debeã. vbi conualui, miſit ad me plurimos atque ingentes tomos MStos, quibus vniuerſam facultatẽ medicam complexus fuerat: alium inſuper de inſignibus & palmaribus curationibus ab ipſo feliciter adhibitis: alium de tuenda valetudine. editos fuiſſe in lucem non puto: edi optauerim, aut ſaltem in hoc armario repone.

Doctor FRANCISCVS HERNANDES Toletanus, de quo capite ſexto deſcriptionis Bibliothecæ Regiæ S. Laurentij Eſcurialis ea dicentur, ob quæ iure dignus videatur qui in hoc armario locum & imaginem habeat; meritò inter principes phyſiologos conſecrandus, ſi contigerit eius opera quæ ipſi vidimus & ſuſpeximus, prælo typographico ſubiici; vix enim vllus eſt ſeu veterum, ſeu recentiorum, quem in naturæ contemplatione & perueſtigatione non ſuperaturus ſit.

CAPTIVI TELAMONES.

LICINIVS Imp. militaris diſciplinæ acerrimus cuſtos, literis adeò infeſtus fuit ob inſcitiam, qua vix nomen decreto ſubſcribere poſſet, vt eas venenum & peſtem Reip. nominaret. Oratores & Philoſophos ſummo odio inſectabatur. Euſeb. *l.* 8. *c.* 13. & Eutrop.

MICHAEL BALBVS literas adeò auerſatus eſt, vt ne pueros quidem iis permiſerit erudiri, ne quis ex iis aut ipſius ſtultitiam arguere, aut oculorum & linguæ velocitate laudem in legendo poſſet ipſi præripere. Sigon. *l.* 4. *regni Italici.*

CAPVT V.

Imagines in metopis intercolumniorum ad Orientem & Occidentem.

Conditores nobilium Bibliothecarum.

I. EVMENIVS Rhetor *Muſea* vocabat *Templa Imperatoriarum gloriarum*, eo quòd Principes & Dynaſtæ interdum in eiuſmodi locis extruendis & locupletandis magnificentiam ſuam explicent, & æternâ ſuâ gloriâ efficiant (quemadmodum de Theodorico dixit Ennodius,) vt *ipſis debeant veneranda ſtudia, quòd loquantur. his bonarum artium nutritoribus & fautoribus*, (ſic Conſtantinum Magnum Aurelius Victor nominat) ob id, (vt cum Heſiodo Minoa Regem laudante loquar)

ſceptro

ſceptro Iouis, id eſt, (Platone interprete) παιδεία, ſiue eruditione ſuum Imperium adminiſtrantibus locus quoque eſſe debet in *Baſilica ſapientiæ*, præſertim iis, qui ſuum ſtudium & opes in condendis Bibliothecis conſumpſerunt. Non deſunt iſtius generis principes perſonæ, & illuſtres viri, qui ſingulis ætatibus magnâ curâ maximis ſumptibus, nec minori laude id procurauerint. quorum *ſtudioſam magnificentiam* ſi ſaltem dedicatione imaginis, quæ ſimul ſit grati animi noſtri monumentum, honorauerimus; rem hauddubiè fecerimus Muſis apprimè gratam. Nam de ſingulis Bibliothecarum conditoribus rectè dici poteſt, quòd in panegyrico Traiani Plinius, *Nullum magno Principe, immortalitatémque meritum impendij genus dignius eſt, quàm quod erogatur in poſteros. ſub te ſpiritum, & ſanguinem, & patriam ſtudia receperunt: tu artes in complexu, oculis, auribus habes.* Itaque vigintiquinque metopas quinque intercolumniorum ad Orientem, deſtinamus vigintiquinque ſeu Pontificibus, ſeu Cardinalibus, aut aliis è Clero perſonis de re literaria benemeritis celebres Bibliothecas extruendo & inſtruendo: ſæcularibus Principibus pari gloria inclytis, alias vigintiquinque metopas in quinis intercolumniis ad Occidentem addicimus.

Eccleſiaſtici nobilium Bibliothecarum conditores.

Sex primi de Pontificia inſigniter meruerunt.

S. HILARVS Pont. Max. duas in Baptiſterio Lateranenſi conſtruxit, de quibus Genebr. *l. 3. an. Chr. 463.*

NICOLAVS V. Vaticanam præclarè ædificauit, auxit, digeſſit. Volaterr. *l. 22. Anthrop.*

SIXTVS IV. præter eas commoditates quas prouidit, Vaticanam Bibliothecam ſtudij causâ adeuntibus, duos cuſtodes, velut Bibliothecarij Aſſeſſores & Conſiliarios adiecit, tréſque librarios Hebræum, Græcum & Latinum exſcribendis Codicibus. Angel. Rocca.

PAVLVS IV. ſuperioribus tribus librariis tres adiecit, Græcos duos, Latinum vnum.

MARCELLVS II. duos librorum cenſores eidem præfecit.

SIXTVS V. incredibiliter illam nobilitauit ædificiis, libris, picturis omníque ſeu ornatu, ſeu commoditate.

PAVLVS III. nobilem Romæ condidit in ædibus Farneſianis, quæ deinde Cardinalium eiuſdem gentis ſtudio mirificè aucta eſt.

ALEXANDER Hieroſolymorum Epiſcopus & martyr inſignem collegit Hieroſolymis. Euſeb. *l. 6. hiſt. c. 14.*

PAMPHILVS Cæſarianam à Iuliano Africano conſule inſtitutam valde amplificauit: librorum numerus fuit triginta millia voluminum.

BESSARION Trapezuntius, Nicænus Archiepiſcopus & Cardinalis locupletiſſimam poſſedit; eam Reip. Venetæ donauit anno MIDLXVIII.

FRANCISCVS Cardinalis Ximenes de Ciſneros Archiepiſcopus

Toletanus celebrem Complutenſem Academiam à ſe inſtitutam egregiâ Bibliothecâ ibidem conditâ celebriorem reddidit.

HIERONYMVS Cardinalis Siripandus, Generalis Ordinis Auguſtinianorum, Archiepiſcopus Salernitanus, & in Concilio Tridentino Legatus, Græcè, Latinè, & Hebraicè doctus; Neapoli Carbonariam in Cœnobio ſancti Ioannis ad Carbonariam erexit, librorum numero, delectu, & ornatu inclitam. Petramell. & addit. ad Ciacc. *anno* 1561.

GVILLELMVS SIRLETVS Cardinalis, ſancti Caroli Borromæi præceptor, eximiæ ſanctitatis & doctrinæ, trium linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraicæ peritiſſimus, Romam venit vnico ſacrorum Bibliorum volumine ſecum delato, vt obſeruat Petramellarius: deinde magnis ſumptibus & cura inſtructiſſimam Bibliothecam ſibi comparauit; cui tamen haud ita affectum ſuum conſecrauit, quin ei, (vt par eſt) prætulerit ea, quæ ad diuinum cultum pertinent. Cuius rei argumento eſſe poteſt, quòd cùm deeſſet ei pecunia neceſſaria abſoluendo templo ſanctæ Mariæ de Montibus; nihilominus operis præfectos pergere iuſſit, aiens, *libros vendam.* quibus ſcilicet nihil habebat antiquius, nihil charius, ne ipſam ſuam veſtem & ſubuculam, qua aliquando ſe exuit, vt pauperibus opitularetur. Vide Ciacon. *poſter. edit. tom.* 2. *pag.* 1682. *an.* 1565.

ASCANIVS Cardinalis Columna, egregius fautor virorum doctorum, & ipſe doctus, Sirletianum illum theſaurum deinde poſſedit, atque, hauddubiè, impensè auxit.

HIERONYMVS Cardinalis Rouereus, inſignem habuit, (inquit Athanaſius Germonius[a]) refertam Græcis & Latinis codicibus MStis atque impreſſis.

SCIPIO Cardinalis Lancellottus, ſeptem millia voluminum aceruauit concinnatione venuſta, ordine pereleganti, nec defuit loculamentorum magnificentia. Ang. Rocca 16.

a l.7. de ſacrorum immun. c. 6. n. 67.

Fr. MICHAEL BONELLVS Cardinalis Alexandrinus paucos in hoc genere literariæ ſupellectilis & ſplendoris pares habuit, ob librorum copiam & delectum compactionis artificium, ſymbolicarum picturarum varietatem; in quibus otij & ſolitudinis literariæ commoda belliſſimè expreſſit. Superiùs monuimus hoc Muſeum à ſuo conditore fuiſſe nuncupatum *Eremum.* Idem.

Cardinalis SFORTIA Græcorum autographorum, ſeu veterum voluminum multitudine nobilem collegit. Ea nunc, (vt loquitur Andreas Scotus[b]) familiam Sfortiam & hæredem ſequitur; & conſeruatur magnâ curâ & diligentiâ.

b in Bibl. Hiſp. tom. 1. c. 3.

FRANCISCVS de IOYEVSE non potuit non habere vberrimam, & in prima commendatione ponendam, qui ſuam fecit ex tribus, quarum vna fuit Pithæi. Poſſeuin. *in Appar.*

FEDERICVS Cardinalis Borromæus Ambroſianam (verba ſunt Aloyſij Nouarini[c]) magno literatorum commodo, magnis ſumptibus, ac laboribus ſtruxit, præſul ſapientiâ quàm purpurâ nobilior, vt meritò ob id *noſtri temporis Ptolemæus* audiat; Bibliothecam hanc non ſolùm libris

c l. 1. ſacr. elect. 4. n. 48.

bris, verùm etiam viris doctis qui illam procurarent auxit. Andr. Victor. *in addit. ad Ciacon. an.* 1587.

D O M I N I C V S G R I M A N V S Cardinalis, eodem congerendorum librorum, vt & Philoſophiæ & Theologiæ ſtudio clarus. Idem *an.* 1493.

F R A N C I S C V S Cardinalis Turnonius, cuius dignitati (vt Sadoletus loquitur [a]) quodlibet honoris faſtigium conuenire poteſt; inter publicas regni populíque Gallici vtilitates, quas annos quinquaginta ſummâ fide procurauit, & nauatam felicem operam quatuor Regibus, condendæ Bibliothecæ non immemor fuit, quam poſtea amplam & luculentam dedit Patribus Societatis Ieſu Collegij Turnonenſis ab ipſo ædificati & inſtituti. a l. 8. & 14. epiſt.

M I C H A E L T H O M A S I V S Epiſcopus Ilerdenſis, non exigua induſtria & ſolicitudine in exſcribendis optimis quibuſque libris verſatus eſt; ac multarum perſonarum quas plurimis officiis ſibi obſtrinxerat fauore & præſidio Muſeum ſuum locuples fecit. Andr. Scot. *in Bibl. Hiſp. tom.* 1. *c.* 3.

P E R E G R I N V S F A B R E T V S Bononienſis, ex ſancti Saluatoris Congregatione Bibliothecam erexit in ędibus Canonicorum ſui Ordinis MStorum codicum Hebraicorum, Latinorum, & Græcorum aliorúmque omnis generis magno numero, ac ſtructurâ ædificij in paucis eximiam: eam deinde Patres eiuſdem Ordinis auxerunt. Rocca *in append. Bibl. Vatic.*

M. A L P H O N S V S C I A C O N I V S Ordin. Præd. Pœnitentiarius Apoſtolicus, Muſeum habuit inſtructum multiplici antiquaria curioſitate, iconicis tabulis perſonarum illuſtrium, & exquiſitorum librorum copia.

Alij Bibliothecarum inſignium Auctores in vigintiquinque metopis ad Occidentem pingendi.

P Y S I S T R A T V S Athenienſium Tyrannus primus in Græcia creditur Bibliothecam inſtituiſſe. Gell. *l.* 6. *c.* 17.

P T O L E M Æ V S P H I L A D E L P H V S Ægypti Rex.

I V L I V S C Æ S A R Imp.

E V M E N E S Pergami Rex.

A S I N I V S P O L L I O.

A V G V S T V S O C T A V I V S Imp.

D O M I T I A N V S Imp.

H A D R I A N V S Imp.

V L P I V S T R A I A N V S Imp.

I V L I V S A F R I C A N V S Conſul. Baron. *an.* 222.

S E R E N V S S A M O N I C V S Medicus.

C O N S T A N T I N V S M. Imp. qui & multas ipſe ſcripſit orationes Latinas, earúmque complures recitauit, vt Euſebus [b] teſtatur: ex quibus vnica ſupereſt inſcripta ad Sanctorum cœtum, ad calcem eiuſdem libri quarti *c.* 32. tranſcripta. Iacob. Gualt. [c] ex Bellarm. *de ſcript. ſect. an.* 306. b l. 4. c. 29. de vita Conſtantini. c ſæculo 30.

T H E O D O

THEODOSIVS M. Imp. librorum ſtudio Ptolemæum ſuperauit, & prudentia colligendi; nam optimos quoſque ſanctorum Patrum codices in Bibliotheca reponebat, multa ſua manu deſcripſit. Nicephor. *l.*14.*cap.*3.

CAROLVS M. Imp.

MATTHIAS CORVINVS Hungariæ Rex.

FEDERICVS FELTRIVS Dux Vrbini.

RVPERTVS ſenior, Princeps Palatinus, Heidelbergenſis Academiæ conditor anno à partu Virginis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto, priuſquam illa ditio infelici defectione à fide Orthodoxa diſcederet. Valde veroſimile eſt eumdem Rupertum prouidiſſe ſuæ illi Academiæ nobilem illam Bibliothecam Heidelbergenſem, ſiue Palatinam, quæ tamen poſtea librorum hæreticorum acceſſione contaminata eſt.

MAXIMILIANVS II. Imperator Viennæ.

FRANCISCVS I. Galliæ Rex Laſcari & Budæo auctoribus Fontanablæam inſtruxit. Genebr. *l.*4. Pariſienſem & S. Victoris.

PHILIPPVS II. Hiſpaniarum Rex Eſcurialem, de qua ſuperiùs, ac rurſus infrà fusè.

SIGISMVNDVS Poloniæ Rex, cultor & amplificator Cracouienſis Bibliothecæ.

COSMVS MEDICÆVS Florentinæ auctor.

Dux Bauariæ Monachienſem & Ingolſtadienſem excitauit.

FVGGERVS, ſiue FVCCARVS, maximorum Principum magnificentiam in Auguſtana Bibliotheca condenda æquauit.

FERDINANDVS COLVMBVS Chriſtophori noui Orbis inuentoris filius in Columbina Hiſpalenſi memorabilis & ſplendidus.

Hoc ordine, adeóque etiam inter primos digniſſimus eſt Excellentiſſimus Gaſpar de Guſman, Comes de Oliuares, Dux de Sanlucar, &c. Is enim ſiue numerum, ſiue delectum optimorum omnis generis librorum conſideras, Bibliothecam habet planè viſendam, planè eximiam; éſtque eius indies locupletandæ ſtudioſiſſimus pro ſingulari ſuo affectu erga ſtudia literarum, in quibus ita adoleuit, vt etiam Rectoris munere in Academia Salmanticenſi aliquando ſplendidè functus ſit; in eáque literaria palæſtra egregiè præluſerit moderationi Hiſpanici Orbis, ad quam eum Philippus IV. Rex Catholicus inter intimos ſuos adiutores præcipuum ſibi adſciuit.

CAPVT VI.

Imagines in vitreis ſpecularibus, & arcu tranſuerſario.

1. TAnta eſt canonicarum ſcripturarum maieſtas, tanta ſanctitas, vt nobis viſum ſit haud ſufficere conſecraſſe vniuerſos earum ſcriptores in Moſe, Dauide, Paulo, Salomone, Matthæo, Marco, Luca, Ioanne, quorum ſuperiùs facta eſt mentio in primo intercolumnio; ſed æquum eſſe præterea hîc exhibere reliquos in vitreis ſpecularibus

ſeptem

ſeptem feneſtrarum : eſt enim vitrum idonea area pingendis illuſtrium virorum & ſanctitate præſtantium imaginibus, vt paſſim in ſplendidioribus ædibus & Chriſtianorum templis mos eſt. Cauendum tamen erit vt quàm minimum officiatur claritati. *Sacularem quidem diſciplinam amplector ; ſed vt iuniorem , & vt ſeruam ; ſcientiam autem tuam* (ſacram) *vt perfectam dominam honoro & colo* , (ait ex interpretatione Clementis Alex. [a] Sanctus Patriarcha Abrahamus, loquens Sarai vxori ſuæ Agar ancillæ in hæc verba, *Ecce ancilla in manibus tuis eſt , vtere eâ vt lubet.* Quæ diuina ſcientia cùm ex canonicis ſcriptoribus præcipuè petatur, quorum ſinguli fuere diuinorum conſiliorum interpretes , & omni exceptione maiores ſcribæ ; ideo reliquos , de quibus nondum nominatim actum eſt, iconicos proponemus in hunc modum. Singulas Muſei feneſtras quadrifores eſſe volumus, hoc eſt, coëuntibus inter ſe ſcapis ad angulos rectos. In ſingulis quadrantibus erunt ſingulæ icones hermeticæ ſingulorum ſcriptorum canonicorum , in quibuſdam tamen duæ, verùm inſtar vnius.

a 1. ſtr. c. 3.

Gen. 16. n. 6.

In primo quadrante primæ feneſtræ ad Meridiem *Iſaias* , in ſecundo *Hieremias* cum ipſius amanuenſi *Baruch*, qui propriam quoque ſcripſit prophetiam quinque capitibus comprehenſam ; in tertio *Ezechiel*; in quarto *Daniel*. In primo è regione oppoſitæ ad Septentrionem *Ieſus Syrac*, auctor Eccleſiaſtici ; in ſecundo *S. Petrus* ; in tertio *S. Iacobus* ; in quarto *S. Iudas*, ſcriptores canonicarum epiſtolarum. 2.

In primo ſecundæ ad Meridiem *Ioſue & Samuel* ſimul , ille auctor libri qui præfert ipſius nomen ; iſte libri Iudicum & Ruth , & libri primi Regum : in ſecundo vterque *Tobias* ſimul ; alterutrum enim fuiſſe auctorem libri ſibi cognominis, credibile putat Bellarminus [b] : in tertio *Eſdras & Nehemias* ſcriptores libri primi & ſecundi Eſdræ ; ille quidem primum ſine controuerſia ſcripſit , adeóque (vti D. Iſidoro [c] viſum eſt) ſecundum. Probabilius tamen eidem Bellarmino ſecundum ſcriptum fuiſſe à Nehemia , qui poſt Eſdram miſſus eſt in Iudæam ab Artaxerxe Rege Perſarum, cuius Pincerna erat : in quarto *Gad & Nathan* Prophetæ , qui perſecuti ſunt res geſtas Dauidis quæ habentur in libro ſecundo Regum , & initio tertij , ab eo loco vbi deſiit Samuel. 3.

b de ſcript. vet. Teſtam.

c lib. 6. originum.

In primo aduerſæ, *Iob* & *Philo*, ille ſuarum rerum ſcriptor, ſicut eruditè, vt ſolet, probat ipſius explanator Ioannes de Pineda [d], ſiue Moſes eum librum in Hebræum ſermonem ex Arabico conuerterit , ſiue aduerſaria Iobi in librum digeſſerit ; iſte ſententias Salomonis in vnum volumen collegit , & Græcè edidit ; fuit autem non is qui floruit Caij Cæſaris tempore , ſed quidam antiquior. In ſecundo *Mardochæus* & *Eliachim* ; prior patruus & nutritius Reginæ Eſther , qui & illi ſemper adfuit, & res ipſius geſtas omnium optimè noſſe potuit : alter alio nomine *Ioachim* Sacerdos magnus Hebræorum ſcripſit librum Iudith. In tertio *Abias & Addo*, qui res Salomonis conſcripſerunt , ſiue ſint illæ quæ narrantur libro tertio Regum , ſiue aliæ. In quarto *Ioannes Hircanus* , & *Iaſon Cyrenæus* , hic libri ſecundi Machabæorum auctor, ille primi. 4.

d Præf. in Iob c. 3. n. 3.

5. In tribus feneſtris ad Orientem *duodecim minores Prophetæ.* in media *Oſeas, Ioel, Amos, Abdias*; in dextra *Ionas, Michæas, Nahum*, *Abacuc*; in ſiniſtra *Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.*

6. Septuaginta duos Interpretes inter ſcriptores Canonicos recenſebimus? omnino. Nã diuino & prophetico (vt Patres omnes conſentiunt) afflante Spiritu ſcripſere; eaque interpretatio non ſolùm à Iudæis, verumetiam quandiu ſincera permanſit, *communis* in Eccleſia Chriſtiana habita eſt & dicta, fuítque hæc Scriptura (quemadmodum loquitur D. Chryſoſtomus [a];) *Oſtium ad Chriſtum*, præcipuè Græcis, apud quos præuio munere Apoſtolorum ſeptuaginta duo illi viri functi ſunt. Admirabilem illam ſenſus & ſcriptionis, ſiue interpretationis conſenſionem non refero, quia res nota eſt: ſingulorum nomina dabit Ariſteas ſeptimo tomo Bibliothecæ veterum Patrum editionis ſecundæ: nos emblematicè eos hîc proponemus in concaua facie arcus tranſuerſarij, huncin modum. In vmbilico arcus colore cæruleo inducti pingemus ſolem illuminantem æqualiter ſeptuaginta duo aſtra æqualis magnitudinis & lucis, cum hac epigraphe,

a in Ioan. c. 9. hom. 68.

En Philadelphe tibi δωδεκατημόρια.

Alluditur ad cœlum ſpectabile, in quo ſub duodecim ſignis Zodaici, ſeptuaginta duæ partes diſtinguuntur, quæ à Græcis dicuntur δωδεκατημόρια, & quarum vnicuique ſigno ſex in Mathematicis tribuuntur.

7. Duæ aliæ facies eiuſdem arcus venuſtè & conuenienter ornari poterunt ſtemmatibus, ſiue floreis, aut viridibus coronis ambientibus ſuo complexu vultus præſtantium quorumdam *pictorum*, *calcographorum*, *architectorum*, *& Muſicorum*; quorum artes inter liberales & ingenuas cenſeri ſolent, ac paſſim tanti fieri à viris doctis, vt licèt eas non didicerint, vix tamen vllum reperias ex iis, qui non aliquam earum intelligentiam profiteatur; déque illis, cùm ſe dat occaſio, non ſtatuat, & iudicet ſuum *Muſicis* in *Muſeis* deberi locum, ſolus ἄμουσος negauerit; vel qui non legerit in Muſeo Heliconio ſtatui à poëtis adoleſcentulorum choros, qui pæanas canere docentur Phœbo præcinente; adeò vt qui abſurdè canat, putetur ineptus fore Phœbi alumnus; qui iuſtum & præfinitum modum bellè ac venuſtè ſeruat, is aptus ad ingenuas artes Muſarum omnium ſuffragio pronuntietur; quales fuerunt Alcæus, Homerus, Orpheus, Ariſtoteles, Plato, Pythagoras practicæ Muſicæ ſcriptores, quorum iconicis vultibus hunc arcum (vti diximus) ornabis, hi eſſe poſſunt, Guido Aretinus notarum muſicarum *vt, re, mi, fa, ſol, la*, inuentor anno 1022. Orlandus Laſſus, Vincentius Gallilæus, Lucas Marenzius, Ludouicus Viadana, Prætorius, Glareanus.

8. *Architectura* tam multa ex variis facultatibus delibat ex Geometria, Gnomonica, Optica, Aſtronomia, Poëſi, Philoſophia, Hiſtoria, Medicina & aliis; vt meritò reprehendendus ſim, ſi literatiſſima ars in hac æde in illuſtrium architectorum imaginibus à me non conſecretur; præſertim verò cùm ſi quid ſit ordinationis, diſtributionis, eurithmiæ, decoris, ſymmetriæ in huius Muſei noſtri ſtructura, ei facultati debeatur, quæ longè mirabiliora perficit, imò cuius vnius eſt, Orbis miracula edere, & præeſſe cæteris artibus iudicando, præcipiendo,

dirigen

dirigendo, & pro humanis viribus diuinam mentem quæ hanc rerum vniuerſitatem, cœlorum prætoria, cœnacula elementorum, Baſilicam Empyream architectata eſt, æmulando; atque homines ab agreſti, ferino, & inhumano viuendi genere ad vrbes, & ciuilem ſocietatem traducendo. Itaque hi pingantur Bezeleel Ooliab, Vitruuius, Frontinus, Leo Albertus, Sebaſtianus Serlius, Daniel Barbarus, Philippus de Lormes, Callinicus architectus, ignis Græci inuentor. huc item referendi mechanici inſignes Flauius à Gioia Melphenſis inuentor acus nauticæ an. 1303. Bertoldus Niger Bombardorum 1380.

Germana Architecturæ eſt *pictura, ſtatuaria, cælatoria.* Graphis quidem architecto prorſus neceſſaria eſt ad ichnographias, ſeu veſtigia, aut plantas ædificiorum, ad orthographias, ſeu frontis & laterum erectiones; ad ſciographias, ſeu internarum partium ſectiones & formas (quas *porfilum* vocant.) Cùm autem pictura tota conſtet ingenio & proportionibus, eius laudandæ nunquam finis ſit. & ſi architectus diuinæ mentis ſolertiam in fabricis imitatur, pictor quoque diuinæ artis æmulus domos noſtras inſatiabili rerum omnium varietate, animalibus, plantis, marmoribus, gemmis replet & inſtruit. Adde quòd huic ingenuæ arti totus ferè huius Muſei ornatus debetur; quapropter digni ſunt ſua imagine nobiles artifices qui illam ſtudioſiùs excoluerunt atque nobilitarunt, quíque poſteritati vultus nobilium ingeniorum tradiderunt. Præterea ſi nihil aliud ſit, quàm quod *pictores paſcuntur ab Iſide*, hoc eſt, à ſapientiæ & doctrinæ dea, nunquid ſatis eſſet vt ipſorum imagines in æde ſapientiæ collocentur? nec mihi quis opponat, Senecam [a] adduci non poſſe vt in numerum liberalium artium pictores & ſtatuarios recipiat, non magis quàm luxuriæ miniſtros, cuiuſmodi ſunt luctatores & tota oleo ac luto conſtans ſcientia, vngentarij, coqui, & quotquot voluptatibus noſtris ingenia accommodant ſua; id enim tribuendum eſt obſcœnis pictoribus, quos tanquam publicos atque omnium horarum lenones, meritò ab hac æde, vt ille, à liberalibus ſtudiis ſummoueo. Inſignes pictores ſunt Apelles, Protegenes, Zeuxis, Polygnotus, Raphaël Vrbinus, Michaël Angelus Banarota, Titianus, Antonius Corrigienſis. Dædalus, ab operibus affabrè perfectis quæ δαίδαλα dicuntur, ſic nominatus; eius enim ſtatuæ (ait Plato) niſi ligentur, diſcedunt, atque aufugiunt. Phydias, Lyſippus, Polycletus, Myron, Praxiteles, Menæchmus, qui & de ſua arte librum ſcripſit, Callimachus aliíque ſculptores clari. 8.

Iuuen. Sat. 12.

a ep. 88.

Supereſt *Typographia*, cui quantum vniuerſa Reſp. literaria debeat, quantum ſcriptores, quantum lectores, quantum Magiſtri, quantum diſcipuli, ſtatuere operoſum ſit. Si enim papyri & chartæ vſu maximè humanitatem vitæ & memoriam conſtare Plinius dixit [b], quid de calcographica arte dicendum eſt? potéſne ab ipſis Muſis ſi ſingulæ eliquatum ingenium ſuum conferant, quidquam inueniri ſubtilius, vel vtilius ad tradendam comparandámque ſcientiam, ac momento longè latéque diffundendam? vt proinde iure exclamare cum Beroaldo poſſis, 9.

b l. 13. c. 11.

O Germania muneris repertrix

Quo nihil vtilius dedit vetuſtas
Scribere quæ doces libros premendo.

O atramentum typicum quantumuis denſum ſpiſsúmque, quàm liquido candore, quàm liquidâ luce ingenia noſtra perfundis & illuſtras. Deſcriptio artis typographicæ à Chriſtophoro Milæo [a] facta digna prorſus eſt quæ legatur; item quæ de typico atramento ſcripſit Forcatulus[b], vt cęteros taceã quos inuenies apud Henricum Salmuth[c]. Igitur meritò dignabere hoc Muſeo typographicæ artis inuentores & excultores inter imagines perſonarum inſigniter meritarum de literis: hi autem erunt Ioannes Gutembergius, huius artis inuentor, ſi Polydoro Virgilio [d], Palamerio [e], Guillandino [f], & Caſſanæo [g] credimus, ſiue Ioannes Fuſt, aut Fauſtus, vt Ramus ſcribit [h]. Huldricus Gallus, qui librarias formas Romam intulit, in quem Ioannes Antonius Campanus quatuor hiſce verſiculis iocatus eſt, quòd hac arte neceſſitatem ſcribendi pennariúmque vſum ſuſtuliſſe viſus ſit.

Anſer Tarpeij cuſtos Iouis, vnde, quòd alis
Obſtreperet, Gallus decidit, vltor adeſt
Huldricus Gallus, ne quem poſcantur in vſum
Edocuit pennis nil opus eſſe tuis.

Aldus Manutius Romanus quà prælo, quà calamo inter Typographos & ſcriptores eximios inclitus, de quo ſuperiùs *lib. 1. ſect. 6. cap. 2.*

a lib. 2. hiſtor. vniuerſ. rerum.
b l. 4. de Imp. & Philoſoph. Gallorum.
c in notis ad tit. 22. Guid. Panciroli de nou. repert.
d l. 2. c. 7.
e in Chronicis.
f de papyro memb. 26.
g in cat. parte 11. conſid. 39.
h l. 2. ſchol. Mathemat.

LIBER

LIBER SECVNDVS
MVSEI,
SIVE
BIBLIOTHECÆ
INSTRVCTIO.

LIBRORVM thecam ſuperiore libro compoſuimus & aptauimus; nunc inſtruenda eſt, ne ſi vacua fuerit in eam torqueri poſſit, quod Æſopica ſimia dixit de quadã larua quam fortè repererat, *O præclarum caput, ſed cerebro vacuum.* At verò ad Muſei, ſiue Bibliothecæ inſtructionem, tria videntur eſſe meæ curæ, & muneris. Primum indicare nominatim, qui præcipuè libri comparandi ſint, & quo ordine diſponendi: ſecundum, quínam excludendi: tertium, quænam alia ſupellex huic loco idonea. Quod ad primum attinet, infinita res foret indicem texere omnium Auctorum cuiuſque facultatis, quorum libros haberi par eſt in hoc Muſeo: præterquam quòd rem à Poſſeuino magna ex parte iam actam ageremus. Prima ſectione conſentaneum viſum eſt dicere aliquid in commodationem illius facultatis, cuius nomen inſcriptum erit in armario: ſecundâ proponemus octo genera Auctorum quibus patêre oſtium huius ædis omnino nolumus, & quorum alios rogis tradi, alios æterno carceri mancipari debere cenſemus: tertiâ perſequemur reliquam ſupellectilem, & conueniens inſtrumentum ad hanc officinam ſapientiæ. 1.

SECTIO I.

Ordinatio armariorum; ſtatuæ & icones principum cuiuſque ſcientiæ; ac de ſingulis facultatibus breues diſſertationes.

FVNGAR hac ſectione munere deſignatoris, & locarij: ſiquidem diſtribuam ſingularium facultatum, ſeu ſcientiarum libros 1.

 in

in ſua armaria, & bonorum ingeniorum familias ordinabo per opportuna domicilia in hac literaria ciuitate. quod priuſquam facere aggrediar, non poſſum inhibere ſtylum, quin exſcribam ea, quæ Columella[a] a l. 11. c 2. auctor cultiſſimus elegantiſſimè ſcripſit in commendationem commoditatum, & venuſtatis quæ ex ordine, & apta ſuis locis ſingularum rerum diſpoſitione emergit; hæc habet villicum inſtruens. *Præparatis receptaculis oportet ſuo quidque loco generatim, atque etiam ſpecialiter nonnulla diſponere, qui faciliùs cùm quis vſus expoſtulabit recipere poſſis; nam vetus eſt prouerbium, paupertatem eſſe certiſſimam, cùm alicuius indigeas, vti eo non poſſe, quia ignoretur vbi proiectum iaceat, quod deſideretur. Itaque in re familiari laborioſior eſt negligentia, quàm diligentia: quis enim dubitet nihil eſſe pulchrius in omni ratione vitæ diſpoſitione, atque ordine? Quod etiam in ludicris ſpectaculis licet ſæpe cognoſcere; nam vbi chorus canentium non ad certos modos, atque numeris praeuntis magiſtri conſenſit, diſſonum quiddam & tumultuoſum audientibus canere videtur: at vbi certis numeris & pedibus velut facta conſpiratione conſenſit, atque concinuit, ex eiuſmodi vocum concordia non ſolùm ipſis canentibus amicum quiddam & dulce reſonat, verùm etiam ſpectantes audientéſque lætiſſima voluptate permulcentur. Iam verò in exercitu neque miles, neque Imperator ſine ordine ac diſpoſitione quidquam valeat explicare, cùm armatus inermem, eques peditem plauſtrum equites ſi ſint permiſti confundant. Hæc eadem ratio præparationis atque ordinis etiam in nauigiis plurimum valet, nam vbi tempeſtas inceſſit, & eſt ritè diſpoſita nauis, ſuo quidque ordine locatum armamentum ſine trepidatione miniſter promit, cùm eſt à gubernatore poſtulatum. Quòd ſi tantum hæc poſſunt vt in theatris, in exercitibus, vel etiam in nauigiis, nihil dubium eſt, quin cura villicæ ordinem diſpoſitionémque rerum quas reponit, deſideret; nam & vnumquodque faciliùs conſideratur, cùm eſt aſſignatum ſuo loco, & ſi quid fortè abeſt, ipſe vacuus locus admonet, vt quod deeſt requiratur: ſi quid verò concinnari oportet, faciliùs intelligitur cùm ordine ſuo recenſetur.* Hæc Columella; quæ ſi vera ſunt in iis hominibus, qui ſolummodo rationem cum terra habent, quanta cura & ſtudia debet eſſe ordinis ſtudioſis hominibus circa libros, & reliquum armamentum literarium? Eſt autem ordo in primis neceſſarius in Bibliotheca, vt tibi conſtent tuæ opes, & ne plurimum temporis perdas, dum quæres eos libros, qui ſtudenti neceſſarij ſunt, & quos habere ad manum deberes: præterquam quòd indigeſti aceruí librorum eò plus habent offenſionis, quòd ipſa quodammodo *Bibliothecæ anima* ſit, *ordo*, & conueniens collocatio ſingularum rerum, quæ ſunt huius loci propriæ. Si defuerit hæc cura concinnitatis & diſpoſitionis, quo locupletiorem habueris Bibliothecam, & maiorem numerum voluminum, eò plura tibi erunt impedimenta; tantum abeſt vt habeas comparandæ doctrinæ ſubſidia, vt Darij ingentes copiæ exitio potius erant, quàm adiumento. Si iudicioſè & ſapienter ordinata fuerit Bibliotheca, & ſinguli libri ſuis nidis & forulis aptè repoſiti, incredibile eſt quàm grata ſpecies inde exiſtat, & quantopere iuuetur ſtudentis memoria, vt vniuerſos pariter ac ſingulos norit, faciléque aduertat, ſi vel vnicus in immenſa multitudine defuerit.

CAPVT

C A P V T I.

Armarium primum.

Eius inſcriptio.

BIBLIA SACRA.

SIue ſacrarum Scripturarum Auctorem ſpectas, ſiue inexhauſtam 1.
quam continent cum ſumma vtilitate eruditionem, iure prærogatiuam honoris & principatum in literaria Rep. illis attribues θεοπαράδοτα λόγια eſſe, eloquia diuinitus tradita, & ὡς χρησμὲς ἄνωθεν κατενεχθέντα, velut oracula de cœlo miſſa nemo Chriſtianus inficias iuerit. *Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Inſpirati (inquit) haud tamen ſimili afflatu quo Pythiæ, vel Pythones, qui temulenti illo ſpiritu illico deiiciebantur de poteſtate mentis, & bacchabantur, ſi pectore poſſent excutere conceptum in præcordiis mali dæmonis halitum. Non *ſequeſtrarunt* (ſi fas eſt cum Arnobio[a] loqui) *pectoris ſanitatem ſancti vates* verè entheati, ſed quæ ſui compotes à numine percipiebant, ea pacato animo ſedatoque (*quia non in commotione Dominus*) in ſacris voluminibus nobis reliquerunt; quorum librorum Auctorem Deum Opt. Max. hæc regij Pſaltis verba teſtantur, *Incerta & occulta ſapientia tua manifeſtaſti mihi*; quæ voces eodem iure, quo à purpurato Vate dictæ ſunt, à reliquis canonicis ſcriptoribus vſurpari poſſunt, & illud verè pronunciari, *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, vt iam non tam ex amanuenſibus, quàm ex dictante, non tam ex calamo, quàm ex manu exarante oracula illa ſacroſancta ſacri codices æſtimandi ſint. *Si magni cuiuſdam viri ſuſceptis epiſtolis legeremus verba, eaque quo calamo fuiſſent ſcripta quæreremus, ridiculum profectò eſſet, ſi non epiſtolarum Auctorem ſcire, ſenſúmque cognoſcere, ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerint, indagare ſtuderemus: cùm ergo rem cognoſcimus, cuiúſque rei Spiritum ſanctum Auctorem tenemus, qui ſcriptorem quærimus, quid aliud agimus niſi legentes literas de calamo perſcrutamur.* Deus eſt huius doctrinæ Auctor, non mendaculus poëta, non rhetor garrulus, non ſophiſta captioſus, non philoſophus glorioſus, non denique vllus mortalium, qui non ſolùm multa ignorare & falli, ſed etiam conſcij & prudentes fallere poſſunt, & ſæpe fallunt: non vllus Angelorum, quorum quantumlibet magna, precaria tamen, certíſque finibus comprehenſa ſcientia: ſed qui ſolus ſapiens eſt, (quemadmodum dixit Clemens Alex.[b]) & cuius diuinæ ſapientiæ immenſum pelagus cùm inſpiceret regius Vates (inquit D. Chryſoſtomus[c]) vertigine quaſi tentatus obſtupuit, ac ſummo cum timore demirans receſſit & exclamauit, *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es.* Ipſe (inquam) Deus qui nec falli poteſt nec fallere: rectè enim Plotinus[d], *An ſore quemquam putamus,* inquit, *qui mentem veram veréque exiſtentem exiſtimet aliquando mentituram, réſque re vera non exiſtentes opinaturam? certè neminem. qua enim ratione*
mens

S. Dion. D. Chryſoſt. de ſanct. Pentec.
2. Petr. c. 1. v. 21.
Plin. l. 2.
Virg. 6. Æn.
D. Baſil. & Hier. in proœm. Iſ.
Epiph. hær 48.
a l. 5. n. 15.
3 Reg. 19.
Pſ. 5. 8.
Pſ. 44.
S. Greg. in proœm. moral. c. 1.
Delrio in c. 1. Phari.
b 4. ſtrom. c. 1.
c homil. 1. contra Anomæos.
Pſ. 138.
d Enneade 5. l. 5. c. 1.

a l. de verit. prædeſt.
b ſerm. 161. de temp. §. 19.
c l. de myſter.

mens illa foret, ſi quando (vt ita dixerim) dementiret? Et D. Fulgentius [a], *Dei ſcientia nihil in ſe poteſt habere falſi, quia falſitas ineſſe veritati non poteſt.* Ex eadem cauſa D. Auguſtinus [b], & Iamblicus [c] conficiunt in Deum cadere mendacium non poſſe. Ille quidem, *Veritas mentiri non poteſt, alioqui veritas non eſt, ſi mentiri poteſt.* iſte, *Sicut lumen naturaliter, & aſſiduè ſolem ſequitur, ſic veritas Deum, eiúſque pediſequos, non enim eſt per eſſentiam aliquid facientis, aliquando contraria facere.*

d l. de ſacrif. Abelis & Caini.
e hom. 1. ad pop.
Vide Fabium Iuſtinianum de ſacra Script. l. 1. c. 2.
f in Amon. n. 76.
g in c. 3. ep. ad Eph.

2. Hinc colliges quantæ fidei, & auctoritatis ſacri codices ſint, in quibus ſcilicet continentur verba Dei firmiora cœlo ac terra, *& quæ (*vt ait Philo [d]*) quantum ad certitudinem nihil à iuramento differant, ipſéque vel ſimpliciter loquens fide dignus ſit.* Vide nunc quàm meritò primum ſibi locum in hac Bibliotheca vendicent diuina hæc volumina, è quibus pura putaque veritas hauritur; quiſquis enim ſacra hæc volumina euoluis, ſtatue apud animum tuum, non tam à te legi Moſis, vel Ioannis, vel Pauli cæterorúmque eius hierarchiæ ſcriptorum libros & epiſtolas, quàm Dei, & illud D. Chryſoſtomi [e] monitum penitus infige tuæ menti, *Nec illas quidem quæ tenues eſſe putantur ſcripturæ ſententias prætermittendas, nam & ipſæ de Spiritus gratia ſunt: Spiritus autem gratia nunquam parua eſt, aut vilis, ſed magna & mirabilis, & dantis munificentiâ digna.* Et vt ego quidem ſentio, aliíque mecum ſentiunt, nec ſingulæ ſolùm ſententiæ à Deo, ſed ſingula ipſa verba, ſyllabæ, & apices Deo dictante ſcripta ſunt τοῖς γράμμασι διανεχωσμένα μυστήρια, *in ſingulis literis ſepulta ſunt & abſcondita myſteria*, ait D. Cyrillus [f], & D. Hieronymus [g], *ſingulæ literæ, & apices, & puncta in diuinis literis plena ſunt ſenſibus.*

h l. 1. de cur. Gr. affect.
i Orat. 1. in Iulian.

3. Alterum illud quod mirificè commendat ſacros codices eſt incredibilis eruditio qua abundantiſſimè affluunt. Theologiæ quidem fontem eſſe vberrimum intelliges ex eo quod Theodorus [h] affirmat de ſolis libris à Moſe ſcriptis. *Cur non Moſem Oceanum Theologiæ tranſimus, à quo (vt poëticè dicam) fluuij omnes, & maria omnia deriuantur, illic enim & Anaxagoras & Pythagoras, Platóque poſt eos parua quædam veritatis lumina quædámque initia deſumpſerunt.* Interdixerat Chriſtianis liberales diſciplinas ſceleſtiſſimus deſertor noſtræ religionis Iulianus, nec contentus donum illud Dei detinere in iniuſtitia, cœpit procaciter & ſcurriliter deridere ſacras Scripturas, dicere ſolitus Gentilium eſſe nitere in ſermone, & efflореſcere in ſcriptis, ſeſamum ſpirare & ſcplaſiam, vno verbo, Græcari: Chriſtianorum autem propriam eſſe infantiam & barbariem, quorum ſapientia nihil aliud eſt quàm *Crede*: ſed impudenti cani maledicentiſſimè nobis allatranti os ita obduxit D. Gregorius Naz. [i] vt mirabilis iſtius *Crede* præſtantiam extollens, ſimul etiam planum fecerit, haud fuiſſe à Græcis repertas ſcientias, ſed illos eas ab Ægyptiis didiciſſe, qui & ipſi eas rurſus ab Iudæis acceperant. Verſantur in hoc eodem argumento è ſanctis Patribus bene multi, qui docent Græcos puerorum loco habitos (quod Soloni olim fuit exprobratum) facta contentione cum Hebræis & Ægyptiis, quos illi Barbaros dicebant. Verùm hac de re iam alibi, iterúmque poſteriùs. Næ vel in vnica D. Pauli pagella plus eſt ſucci & neruorum, plus diuinæ ſapientiæ

& Theologiæ, quàm in omnibus prophanis ſcriptoribus eruditionis. Conſideremus hoc propiùs.

Quæ Ethnicorum doctrina & diſciplina conferri poteſt cum ſacrorum voluminum eruditione & ſapientia? An fabuloſa Theogonia cum arcano auguſtiſſimæ Triados myſterio? an numinum communicatio cum mortalibus, cum diuinæ ἐνανθρωπήσεως œconomia: an de fato diſputationes cum diuina prædeſtinatione, cum gratia, cum libertate voluntatis noſtræ, cum noſtrorum operum meritis? an Apotheoſes cum noſtris cœlitibus? an lectiſternia cum euchariſticis epulis? & ſexcenta id genus quæ prudens prætereo; quia quod ad Theologiam ſpectat, non ignoro facilè mihi conceſſum iri ab omnibus, ſacros codices diuinum fontem eſſe omnis veræ & eruditæ de Deo diſputationis ac ſapiētiæ. Aliam eruditionem deſideras? in promptu eſt in ſacris paginis, eaque longè melior, quàm in Gentilium commentariis. Hiſtoriæ varietas & ſuperiorum temporum memoria te delectat? habes qui ab ipſo mundi exordio res ſcitu digniſſimas perduxerint ad quatuor ampliùs annorum millia; quis prophanorum ſcriptorum hoc præſtitit? Poëſeos amœnitas te recreat? habes in purpurato vate lyricam omnem elegantiam Horatiano & Pindarico plectro infinitis partibus ſuauiorem; habes in Cantico Canticorum omnem bucolicam vermilitatem; è qua Theocritus huius generis inter prophanos principes quamplurima in ſuos hortulos deriuauit. habes in lamentationibus Hieremiæ flebiles elegiarum modos; in Iobo tragœdiam; in Geneſi, & alibi paſſim, Phyſiologiam; in Pentateucho politicam & iuris ſcientiam; in Salomonis & Siracidæ libris doctrinam de moribus perfectiſſimam; in Iſaia eloquentiam Tulliana & Demoſtheniana ſublimiorem. de hoc argumento fuſiùs Laurentius Ramires de Prado [a]. Vellem experireris ipſe, & ingredereris in hos diuinæ ſapientiæ theſauros, momento diues fieres infinitarum rerum, inde promeres exquiſitiſſimam doctrinam, quam S. Athanaſius de hoc argumento diſputans appellat κειμήλια, id eſt, dona exquiſita amicis & hoſpitibus data; veluti ſi Deus Opt. Max. ea donaſſet hominibus in ſacris libris tanquam perpetua monumenta ſui amoris & beneuolentiæ, ſorderent tibi continuò illa choragia humanæ ſapientiæ, quæ tantopere deperis, ac cœleſtis doctrinæ vtilitatem expertus, exclamares cum D. Baſilio [b], *Ego ſanè poſtquam multum temporis vanitati impendiſſem, & omnem propè ætatem inani ſtudio attriviſſem quo tenebar, cùm apprehendendis humanæ ſapientiæ diſciplinis immorabar; tandem aliquando veluti ex graui ſomno expergefactus ad euangelicæ veritatis admirabile lumen reſpexi, agnouique inutilitatem ſapientiæ principum huius mundi qui abolentur, deplorata plurimum miſerabili mea vita, ductorem mihi dari optabam, qui ad pietatis me dogmata introduceret*; tum continuò ſubiicit hunc magiſtrum fuiſſe *Euangelij lectionem*. 4.

a pentecontarchi c.32.

b Ep. ad Euſtachium Epiſc. Sebaſtenorum.

Nunquam finis ſit ſi de ſacrarum paginarum vtilitate dicere aggrediar: longè plurima pauculis verbis dixit Magnus Gregorius [c] Theodorum medicū ad ſtudium ſacrarum literarum inuitans hac breuicula paræneſi, *Diſce cor Dei in verbis Dei.* Scio fuiſſe celebratas illuſtribus elogiis à variis inſignibus ſcriptoribus, ab Iſidoro Peluſiota *ſcalas ad* 5.

c Ep.329.

Deum, atque aurum Dei Spiritu probatum. αἱ δὲ ἱεραὶ πυκταὶ τῶν μαρτυρημένων θείων χαρῶν τῆς πρὸς θεὸν ἀναβάσεως κλίμακες· πάντα τοίνυν τὰ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ θεῷ προσφερόμενα ὡς δόκιμον δέχου· χρυσίον πεπυρωμένα τῷ θεῷ τῆς ἀληθείας πνεύματι. Scio vocatas à Clemente Alex. [a] *Carceres ſapientiæ, & portum nullis agitatum fluctibus*; à D.Baſilio [b], *Viam regiam qua itur ad inueſtigationem veri*; à D. Chryſoſtomo [c], *Cœlorum clauem*, ab eodem [d] θησαυρὸν τῆς τοῦ θεοῦ γνώσεως, *theſaurum cognitionis Dei*, & [e], τεῖχος ἐξ ἀδάμαντος, *murum adamantinum*; à Gregorio Romano [f], *ſpeculum humanæ mentis.* Denique pro excellentium rerum natura, quæ vnico nomine comprehendi non poſſunt, cognominari nunc κατ' ἐξοχὴν *Scripturam*, nunc *Biblia* in numero multitudinis, quòd vnum hoc volumen infinito poſt ſe interuallo omnes humanæ eruditionis, & ſapientiæ commentarios poſt ſe relinquat, ſitque inſtar locupletis Bibliothecæ; nunc *Teſtamentum Dei, fœdus, chirographum, legem, Euangelium*, aliiſque ſeu nominibus, ſeu elogiis: ſed enimuerò maximè placet illud quod retulimus, *Diſce cor Dei in verbis Dei*; vt ſi diceret grauiſſimus Pontifex, *ſacros codices* eſſe velut *diuini cordis repoſitorium & thecam*, quam vbi aperueris, protinus intelligas quænam ſit diuini Numinis voluntas, quę mens, quæ conſilia. Qua re quid fingi beatius poteſt?

a in protrept.
b Ep.1.ad Greg.Naz.
c hom. de verbis Iſaiæ.
d in Pſal.41.
e l. 4. de Sacerd.c.7.
f l.2.mor.in princ.

6. Ita eſt, (inquies) planè impius ſit qui neget ſacros codices continere *myſteria veritatis, & diuinæ pietatis oracula*, vt loquitur D.Ambroſius, & eſſe *ſapientiæ verbis ſpeculum, & diuinitatis armarium*, vt B. Laurentius Iuſtinianus [g]: at ſanè fatendum eſt deſiderari in illis nitorem elocutionis, figurarũ lumina, dictorum acumina, argutias, flores, venuſtatem & pleraque alia ornamenta quibus prophanorum auctorum libri nos ad ſe iucundiſſimè alliciunt, & allectos inſaturabiliter tenent. Non eſt nouum quod obiicis delicatule; iá pridem Græcula vanitas hoc ipſum Chriſtianis oppoſuit; ſed etiam quomodo reſponſum ſit, accipe. *Vos quidem viri Græci*, (inquit Theodoretus [h]) *elegantes comptóſque ſermones audire percupitis, quærentes quammaximè permulceri: vbi verò tales non inuenitis, effuſo riſu eos contemnitis, ac maledictis inceſſitis; quin etiam obſtructis auribus quæ dicuntur audire non vultis. Contrà verò animaduertere vos oportuit ita vſu euenire, & ea quæ ſunt maximè pretioſa, cuncta ferè vili materiâ integantur. videre ſiquidem eſt pretioſum vnionem, quales ampli ac magnifici viri apud ſe eſſe deſiderant, aſpernabili admodum teſtæ innaſci, eadémque nutriri, augeſcere, occultari. Qui verò eum ſibi coëmunt auri plurimum perſoluentes, miſſam faciunt teſtam. præterea verò pellucentes gemmas ornandiſque regijs capitibus deſtinatas aliud genus lapidis extrinſecus circumueſtit deſpicabilis ille quidem atque inutilis. Qui ergo eas gemmas expoliunt, atque ad ornatum concinnant, ſuperfluam illam teſtam nihili pendendam circum amputantes abradentéſque nitorem lucentium lapillorum detegunt & expediunt: aurum quoque quod paſſim à multitudine peramatur, ipsúmque præterea æs, ferrum, argentum terrâ atque arenâ obtegitur: verùm qui auri venas argentique rimantur, metalla quidem effodiunt; ramenta verò ſibi & minutias colligunt: poſtquam autem cuſum ſignatúmque eſt Imperatoris charactere, non illud aurei loculi, ſed thecæ vel ex corio, vel ex marmore confectæ inditum ſeruant. Iure igitur factum eſt vt veriſſimas de diuinis humaniſque*

g de caſto connubio cap.19.
h lib.9. de leg.

rebus

rebus traditiones; non illuſtres eloquentia tumidique ſermones, ſed ſimplices humileſque ac omnibus mortalibus noti prædicent; magnúmque adeò ineffabilémque theſaurum viles admodum & deſpicabiles thecæ circumferant. Quantum autem roboris, quantum virtutis inſitum habeant, facilè is inſpiciet, qui Græcorum legiſlatores ac Romanorum in medium proferat; iiſque noſtros piſcatores ac publicanos in comparationem adducat. Inueniet enim illos ne finitimis quidem perſuaſiſſe, vt ad ſuas leges vitam inſtituerent: Galilæos verò (Chriſtianos, ſic enim eos & Iulianus Apoſtata nominabat) *non ſolùm Romanos Græcóſque, verumetiam cunctas barbaras nationes ad amorem legis euangelicæ traduxiſſe.* Hoc vltrò fuit dandum Græcis, atque hunc in modum excuſanda ſimplicitas ſtyli ſacrarum literarum apud eos, qui ſermonis elegantiã & maieſtatem æſtimare non poſſunt, niſi ex floſculis, ex calamiſtris, ex fuco & crepantibus bullis, quod iudicium leuiculorum hominum eſt, vel adoleſcentulorum in ſcholarum vmbraculis declamitantium. Cæterùm erras mi homo, & toto cœlo erras, quiſquis tam peruersè de diuinis voluminibus ſtatuis: non es, meo quidem iudicio, nec fortaſſis etiam tuo; non es in omni prophana diſciplina intelligentior D. Gregorio Nazianzeno, qui Athenis tum cùm erat floréntiſſimæ fontes omnes eruditionis combibit, iiſque ad ſatietatem epotis ibidem ipſe oratoriam facultatem profeſſus eſt. Non es humana literatura inſtructior Auguſtino, cuius commentarij de ciuitate Dei, & panegyris habita coram Valentiniano Imp. ſatis indicant quantus fuerit, & quantus audierit: non citabo plures contra te teſtimonium dicturos pro ſacrarum literarum non modò maieſtate, ſed etiam elegantia; duos iſtos cùm tu loquentes audies, puta Athenas, Carthaginem, Romam & Mediolanum, ciuitates ea ætate omni diſciplinarum genere florentiſſimas (in tribus poſterioribus Rhetoricam docuit D. Auguſtinus) contra te loqui.

D. Greg. Naz. carmine de vita ſua: orat. in Iun. Cæſ. & orat. in laudib. Baſil.

Itaque ſic Gregorius [a]: *Corpus ſacræ Scripturæ.* (hoc eſt, dictio, ſeu literæ cortex) *miro ſplendore collucet; ſed anima* (ſic ſenſum cortice tectum appellat) *præclara eſt, & prorſus diuina.* Hipponenſis Præſul quid? *Sicut eſt quædam eloquentia quæ magis ætatem iuuenilem decet, eſt quæ ſenilem; nec iam dicenda eſt eloquentia, ſi perſonæ non conueniat loquenti; ita eſt quædam quæ viros ſumma auctoritate digniſſimos planéque diuinos decet; hac illi locuti ſunt, nec ipſos decet alia, nec alios ipſa, ipſis enim congruit; alios autem quanto videtur humilior, tanto altiùs non ventoſitate, ſed ſoliditate tranſcendit: vbi verò eos non intelligo, minus mihi apparet eorum eloquentia, ſed tamen non dubito talem eſſe qualis eſt, vbi ego intelligo.* Sic dicendi Magiſter & optimus veræ eloquentiæ iudex.

a Ep. ad Nemeſ.

Ex quibus verbis hoc conficio, te vel adhuc puerum eſſe & molliculum, cui cincinni, phaleræ, & crepundia placent; diſplicet autem grauis & robuſta eloquentia: vel certè metuendum tibi illud Apoſtoli, *Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt.* Vtrumque expertus eſt idem D. Auguſtinus; nam tunc ſolùm diuinos iſtos commentarios velut ſimplices & inſulſos faſtidiuit, cùm iunior eſſet, & falſa religione imbutus; verùm factus prouectior & religioſior, cecinit palinodiam. *Prudentibus enim viris non placent phalerata, ſed fortia,* & ſumma interdum ars eſt artis neglectus: ſic ad grauitatem Pandectas deſtitutas eſſe verborum lenociniis,

1. Cor. 2. 14.

S. Proſp. de vita contempl. l. 3.

a l. 32. pentecont. Sen.ep.40.

b de vero cultu l. 6. c.21.

c lib. de Anima.

d de arca & Noë.

e Auctor eius vitæ l.1.c.4.

f Præf.ad lib. de ſeptē verbis Domini.

g de doctr. Chr.c.11.

ciniis,& propriis verbis ſcriptas Laurentius Ramires de Prado[a] docet, adeóque ars perfectiſſima præcipit, *vt quæ veritati operam dat, oratio incompoſita ſit & ſimplex: compta autem & popularis nihil habet veri; mouere vult turbam,& inconſultas aures impetu rapere.* Cœlij Lactantij Firmiani [b] firma,lactea, & cœleſtis ratiocinatio diſputationem hanc mirificè ſtabiliet, condiet,illuſtrabit. ſic habet, *Carmen compoſitum & oratio cum ſuauitate decipiens capit mentes, & quò voluerit impellit, inde homines literati cùm ad Dei cognitionem acceſſerint,ab aliquo imperito doctore fundati minùs credunt: aſſueti enim dulcibus & politis ſiue orationibus, ſiue carminibus, diuinarum literarum ſimplicem communémque ſermonem pro ſordido aſpernantur; id enim quærunt quod ſenſum demulceat: perſuadet autem quidquid eſt ſuaue, & animo penitus, dum delectat, inſidet. Num igitur Deus & mentis & vocis & linguæ artifex diſertè loqui non poteſt? Imò verò ſummâ prouidentiâ carere fuco voluit ea, quæ diuina ſunt, vt omnes intelligerent quæ ipſe omnibus loquebatur.* Scenam hanc claudant Hugo & nunquam ſatis laudatus Auguſtinus diſertiſſimè iuxta ac veriſſimè de ſacra Scriptura locuti. ille, *In Scriptura* (inquit [c]) *quidquid docetur veritas, quidquid præcipitur bonitas, quidquid promittitur felicitas eſt: nam Deus eſt veritas ſine fallacia, bonitas ſine malitia, felicitas ſine miſeria.* Tum alibi [d], *Eſt liber vitæ, cuius cognitio vita, cuius ſcriptura indelebilis, cuius aſpectus deſiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius ſcientia dulcis, cuius profunditas ineuitabilis, cuius verba innumerabilia, & vnum tamen verbum omnia.* Alter ſic, *Quidquid homo extrà didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; ſi vtile eſt, ibi inuenitur; & cùm ibi quiſque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multò abundantiùs inuenit ea, quæ nuſquam omnino alibi; ſed in illarum tantummodo mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.* Si nihil aliud ſit in ſacris literis eximium, quàm quòd *fontes ſunt veritatis*, vt eos appellare conſueuerat D. Bernardus [e], ſummi pretij & dignitatis ſunt. Ad eas *cùm propiùs acceſſeris* (inquit Arnoldus Carnotenſis [f]) *& infuderit ſe tibi illuminans ſenſum tuum diuinæ radius veritatis, intelliges & videbis in ſcintilla incendium, & in ſtilla reperies pelagus, & in lecytho olei vnde creditori reddas debitum, & tibi affatim ſuppeditabit inconſumptibilem cibum.*

7. Quoniam diuerſitas interpretationum multum confert ad ſacrarum Scripturarum intelligentiam,(vt etiam obſeruauit idem D. Auguſtinus [g]) ideo referes in hoc armarium Biblia variæ editionis, antiqua, noua manuſcripta, quæcunque nanciſci poteris, Cōplutenſia Franciſci Cardinalis Ximenij è Ciſneros Academiæ Complutenſis inſtitutoris; Regia Philippi ſecundi Regis Catholici, Xiſtiana Xiſti quinti Romani Pontificis, hexapla Origenis;& his antiquiora Aquilæ Pontici, Theodotionis, Symmachi: imò etiam licèt ſint duntaxat eorum partes, vt Auguſtini Iuſtiniani Pſalterium & alia, de quibus omnibus ſtatuere, non eſt huius loci. P. Petrus Lanſelius, noſtræ Societatis regius Profeſſor linguæ ſanctæ in Collegio noſtro Imperiali Madritenſi, id operis moliebatur,& ſtrenuè promouebat eius ſingularis eruditio, atque linguarum Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ atque Arabicæ inſignis peritia faciebat vt illud vehementer optaremus, eóque etiam magis, quòd putaremus rem fore Eccleſiæ Catholicæ perutilem: verùm

dum

dum hæc relegimus edenda in lucem, cum mors nobis eripuit, magno ſui relicto deſiderio.

Appendix ad ſuperius caput, in qua ad maiorem commendationem ſacrorum Bibliorum, & Chriſtianæ doctrinæ, reteguntur quædam ſingularia & eximia, quæ inde Poëtæ furati ſunt.

NIhil eſt neceſſe quæſtionem adhibere Poëtis, vt ab ipſis furtorum ſuorum eliciamus confeſſionem: non enim anguſto aliquo ſuſpicionum introitu, & dubia opinione, ſed apertis indiciis conuicti tenentur. Quidquid pulchrum, quidquid excellens, quidquid eſt apud Poëtas eximium, noſtrum eſt, Chriſtianorum eſt, partim ex Moſaicis & Prophetarum fontibus hauſtum, partim à Cacodæmone ſycophanta ſtygio interuerſum. Agedum experiamur cum iſtis expilatoribus, qui, (vt eleganter Laurentius Ramires de Prado dixit [a] *) fabulas ſuas è ſacro poetarum fonte deriuatas, aduersùs veritatem de ipſa veritate conſtruxerunt.* Iniiciamus in eorum gazas decretorium ignem ex fatidicis Idæ arboribus aliena ſecernentem à propriis: defigamus in omnium oculis eorum furta, & ne quadruplatores eſſe videamur, tabulis & teſtibus ad ſingula (ſi opus eſt) citatis ſacrilegij reos conficiamus, & premamus fauces defenſionis. 1.

a c.26. pentecont.

Quid celebratum illud veſtris carminibus chaos, Poetæ? quid cæcus indigeſtæ molis aceruus, ex quo huius vniuerſitatis compages coaluit? hæc quàm conſentientia ſunt cum initio Geneſeos, vbi terra dicitur fuiſſe inanis & vacua; nunquid vel hoc vnum ſufficit, vt vos ſacri ærarij hirudines, & Moſaicarum apothecarum furaces ſcrutatores appellem? Ingrediamur in decantatum hortum Veneri ſacrum, & Adonidi eius amaſio, florum varietate, areolarum artificioſa deſcriptione, proceritate arborum, topiariis operibus, tonſilibus rubis medio æſtu amœnam frigiditatem ſibi vindicantibus, gelidis fontium perennitatibus, liquoribus pellucidis amnium, picturato riparum veſtitu, & cæteris lenociniis, quæ non oculos tantùm, ſed & guſtatum olfactúmque, & alios ſenſus ſuauiſſimè reficiunt, commendabilem: nónne diuinum illud pomarium ſignificat, quod fuit deſcriptum in ipſis mundi primordiis à diuino Numine, vbi iucundè ſpatiarentur, delicatè recubarent, & ſuauiter occuparentur primi parentes humani generis; è quo tamen eiecti ſunt ob neglectam obedientiam ſui conditoris, & ſicut appoſitus eſt ad oſtium cum gladio ancipiti Cherub. ita fictus à poëtis peruigil Draco in Heſperia ſylua, qui malis aureis continuò excubaret. Quid Deucalionea eluuies, ſeu Ioue hominum ſcelera pertæſo, ſiue Deucalione ſeruato cum ipſius coniuge Pyrrha ad propagandas hominum reliquias, ſiue emiſsâ ad explorandum columbâ; nónne à vobis ita deſcripta ſunt, vt in Noëmicam eluuiem intuentes, in eáque defixi prorſus vos ſimilitudinem in veſtras fabulas tranſtuliſſe conſtet? Quid Gigantum conatus inſanam molem, quæ cœlo faſtigium inſereret, attollentium, ad extur- 2.

bandos è ſolio Deos;quid amœna vireta fortunatarum mentium; quid vndæ graueolentiam exhalantes in ſpecubus ſubterraneis;quid impios ardentibus tædis inſectantes furiæ; quid Æaci vrna;quid ſeuerum Minois & Rhadamanti tribunal, Ticij ſemper aureſcens iecur, Siſyphium ſaxum,Tantalea ſitis,Ixionis rota, & ſexcenta generis eiuſdem, vnde hauſta ſunt? Diſſimulate ſi poteſtis,ſic ea fabellarum fuco illinite, vt ſacrorum colorum venuſtas euaneſcat & defluat, expreſſáque à Moſe lineamenta nunquam appareant.

3. Videmini triumphare in albis Iouis quadrigis laureati, cùm Phaëtontem depingitis Solis currus gubernacula ab inuito & reluctante patre, iuriſiurandi tamen religione adſtricto,extorquentem. Vehebat interlucente longis gemmarum ordinibus rotarum ambitu, & ferociens iuuenilibus animis inferebat in cœlum caput, per medium aëra ferocitate exultantibus, & ignes efflantibus equis; cùm temerarius auriga metuenda ſcorpij caudâ & venenatis brachiis territus lora remiſit, nullóque ampliùs curſum moderante,& inhibente effrænos quadrigas, ignes paſſim aſtris ſubiicere,miſerabili terras incendio,quia tulit impetus, abſumere,ſatis, vrbibus, ſyluis certam vaſtitatem inferre:cùm implacabilis acerbitate iracundiæ percitus Iupiter, altiora faſtigio ſuo molientem iuuenem de curru fulmine excuſſit, & temeritatem præcipiti ruina vindicauit.Elegans profectò commentum,ingenioſè excogitata vltio impotentis animi, & præfidentis audaciæ; at repetundarum vos poſtulo, ſacrorum depeculatores. Quis hac non videat in tabella eminentem Luciferi imaginem,illius, inquam, qui ab irato Numine è cœlo præcipitatus in tartara, immani pondere, & æternis repagulis velut ſulphur & ignes vomens Enceladus, coërcetur.

4. Infinita ſunt in ſacris inſtrumentis, in quæ ceu in prædiuites gazas, cupiditatis oculos poëtæ adiecerunt.Videre mihi videor plurimos ſcyphos venuſtè ſigillatos, delicatas pateras, murrhinos cantharos, ſigna pulcherrima,auro atque ebore fulgentes tabulas, ſpecula reddentia varias rerum imagines,argentum optimè factum,multaque id genus adeò mirabili opere perfecta, vt quidquid in curioſorum hominum vaſariis eximium eſt,quidquid in antiquitatis nummariæ ſcriniis lautum & magnificum, quidquid in repoſitoriis elegans, ab hac ſacrorum voluminum ſupellectile & theſauris multùm ſuperetur: hæc otioſè contemplantes,& curioſiùs tractantes poëtæ,non indigna eſſe cenſuerunt,quæ in ſuo haberent argento,ſuóſque in abacos transferrēt. Ne autem fraus pateret, ſacrorum vaſorum emblemata, & ſigilla alij tam ſcitè in ſuis poculis alligarunt,tam aptè in ſcyphis incluſerunt, vt ad illam rem nata eſſe diceres:alij furtiuum argentum detractis cruſtis,fulgore excæcato,imminuto pondere, attritis cælaturis,ac denuo ſolerter excauatum, delicatè cælatum,eleganter inciſum ſic immutarunt,vt non ab antiquis vaſculariis perfectum,ſed à nouis artificibus elaboratum, non Moſis & Prophetarum opera, ſed poëtarum artem eſſe ipſi quoque periti exploratores facilè iudicent.

5. Confer ætatis aureæ commoda regnante Saturno cum breui illa felicitate,in qua vixerunt primi noſtri parentes ante abiectam diuini Numinis

minis obedientiam; ferrea tempora cum iis in quibus homines ante diluuium ex omnibus vitiis concreti nullam libidinem ab oculis, nullum facinus à manibus, nullum à toto corpore flagitium velut indicto virtuti bello abeſſe voluerunt. Confer ſolenne Idomenei Regis votum de ſacrificando filio cogitantis, qui primus è Troiana expeditione redeunti occurrit; Marium Cymbrico bello, ſic diis monentibus, filiæ ſuæ immolatione victorem cum Iephthe victima ſuo filiæ ſanguine paternas ex voto manus imbuentis: fatales Niſi Megarenſium Regis capillos detonſos à Sylla filia, cum Sanſonis cæſarie; duodecim maiorum gentium Deos, cum Hebræi populi principibus; Pythagoram, vt admitteretur in Ægyptiorum adyta, recutitum, cum circumciſione Iudæorum; triduo ſepultum in immani piſce Herculem, cum Ionæ cuſtodia.

Venio ad quædam myſteria auguſtiora Hebræis ritibus & hiſtoriis, quæ ſuis quoque carminibus præeunte verba Cacodæmone poëtæ complexi ſunt. Exactus cœlo perduellis eas diuinis myſteriis attexuit fabellarum opiniones, quæ ſtabiliendæ impietati eſſent bellè accommodatæ. neque mirum id quidem: *nam quod pulchrum eſt ſequitur Momus.* Conſidera mecum Lector fallacias hiſtrionis tartarei rerum ſanctarum imitatione, & elegantibus ſtrophis hominum generi callidè illudentis: non erit ingratum, opinor; in præſtigiatorum enim acetabulis, & caliculis ipſa fallacia nos etiam delectat. Quamquam reformido ingredi in tantorum myſteriorum altitudinem, ne regredi cùm voluero non poſſim. Diuinum in vna fronte triophthalmon, lucem vnam triplici face inſignem nos Chriſtiani veneramur; Patrem quidem, qui dum acri mentis oculo in flagrantiſſimi nitoris ſpeculo faciem ſuam intuetur, imaginem non tenuibus impreſſam lineamentis, ſed expreſſam ad viuum, ſibíque æqualem Deum, viſcerúmque ingentem partum (vt cum Syneſio loquar) generat; ab vtroque inſuper ſpiratam ſempiterni illius Amoris flammam, cuius facibus nobiliſſima quæque pectora inardeſcunt: ſic monadem in triade, triadem in monade adoramus. Quid fecit Attellanus Acherontius? Ianum neſcio quem fingit tricipitem, cui temporis quadripartita mutatio pareat; triformem in cœlo, terris, & orco latè dominantem Hecatem, tricorporem Gerionem, prodeuntem è fœcundo Iouis capite Palladem, ignitas faces ventilantem amorem, aliaque huiuſmodi figmenta comminiſcitur. 6.

Suſpicimus colimúſque abſolutum opus diuinæ induſtriæ, & refertiſſimam donorum cœleſtium pinacothecam Virginem Deiparam continentem in aluo corculum & ſplendorem æterni Patris, qui licèt infantium more dormiat in cunis, inuoluatur faſciis, mammam manibus & labellis appetat, vberibus inhiet, ſedeat lactens in matris gremio, & cæterorum puellorum more, vbi acceſſit paululum firmitatis connitatur, tenues particulas & minima manſa in os inſerta deglutiat; licèt tenellus materno affuſus pectori inter paluſtres tugurij cannas gelu confectus deliteſcat; licèt eorum penè ſanguine reſperſus ſit, quos impij regis mucro demeſſuit: ille tamen ex ipſis etiam cunis, virus draconis tartarei turgidi infinitorum hominum ſanguine, in quorum ſalutem dudum miſerabiliter ſæuiebat, difflauit puerili halitu, & tenellis mani- 7.

bus

bus eius caput obtriuit: nunc videamus qua imitatione ludificator Cacodæmon iſta expreſſerit. Expreſſit prorſus, nec ineleganter; in fictitia Minerua quæ peplum ſuum à nemine retectum, partúmque ſuum ſolem eſſe gloriatur: in Budda Gymnoſophiſta, quem velut editum ex cuiuſdam virginis latere venerantur Brachmanes, ſicut paruum in ſtabulo numen Ægyptij, natúmque (ſi Superis placet) è virgine Perſeum Græci, mittam quaſi è ſpelunca exciſum Perſæ, Martem à Iunone vno floris contactu, dictæóque Iouem in antro editos; Iunonium Pythonem à profugo Apolline interfectum, eliſóſque in cunis ab Hercule geminos angues. Prô pantomini phlegetontij callidum ingenium. O verſipellem plutonij morionis ad imitandum peritiam: ſpectemus in eodem proſcenio eiuſdem hiſtrionis embolium.

8. Intellexit longo antè tempore idem ſycophanta, ſiue ab ipſo numine, ſiue à ſacrorum Vatum oraculis indutum aliquando ſpecie humana Deum calcaturum ſolida maria, vitiorum portenta, quæ in vniuerſo orbe graſſarentur, extincturum; rediuiua cadauera expediturum è libitinariorum faſciis, & mortis imperio, eiúſque perruptis vectibus & repagulis triumphaturum in cœleſti arce. Suum quoque componit Simius Herculem poculo traiicientem Oceanum, peragrantem varias Orbis plagas, & nodoſo clauæ robore monſtra conficientem; Alceſtim ſuſcitantem ab inferis, fatiſcente Athante humeris cœlum fulcientem, ſubeuntem impunè infernas ſedes, mortem obuiam adamantinis vinculis conſtringentem, pacificatorem orbis, tinctam Neſſi Centauri ſanguine veſtem indutum in conſtructa pyra expirantem, ac tandem magnifica apotheoſi numinibus dedicatum, & Alcmenæ eiuſdem Herculis matris anaſtaſim.

9. Inſtitutæ breuitatis modum excedam ſi furta ſingula ex ſacris codicibus, & Chriſtianis myſteriis velim perſequi, & conferre Orpheum cum Chriſto, Pandoræ & Macariæ formam cum Virgine; tres Charites cum tribus hominis Chriſtiani virtutibus, Euphroſinam cum fide, Thaliam cum ſpe, Aglaiam & arboris fructus aureos, naulúmque Elyſios campos adeũtibus neceſſarium cum charitate; Æthiopicam Solis menſam, & lectiſternia cum euchariſticis epulis, Veſtales cum noſtris virginibus; inunctos ab aliptis Athletas cum Chriſtianis ſacramento Confirmationis in Chriſti milites aſſumptis, antiquas expiationes cum noſtris ritibus, Arualibus impoſitas à Pontifice manus, cum Chriſtianis initiis; anulum, infulam, lituum, ipſámque litui formam cum ſacro noſtrorum Antiſtitum inſtrumento; Lararia cum noſtris domeſticis ſacrariis; Penates & Genios cum Angelis noſtris præſidibus; Amorem mundi fabrum tantopere celebratum in eruditis philoſophorum ſympoſiis, cum Spiritu Dei, de quo Moſes initio Geneſeos; penè dixi, & Virgilius

6.Æneid. his carminibus,

Principio cœlum & terras, campóſque liquentes
Lucentémque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Stylum inhibeo; ſi enim velim omnia afferre, quæ Triſmegiſtus,

Orpheus,

Orpheus, Amphion, Linus, Muſæus, Heſiodus, Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Theocritus aliíque innumeri è ſacris libris & oraculis prompſerunt, magnum volumen breui tempore edidero. Adeò verum eſt illud Chriſti Domini, de illis qui ante ipſum venerant, *fures ſunt & latrones.* hæc ſunt quæ in hoc argumento retuleram in meas obſeruationes: plura ſuppeditabunt, Clemens Alexandrinus [a], Iuſtinus Martyr [b], Theodoretus [c], Tertullianus [d], D. Ambroſius [e], D. Auguſtinus [f], Nicephorus [g], Origenes [h]. E recentioribus longe plurimi, Sallianus [i], Serarius [k], Poſſeuinus [l], Alphonſus Salmeron, Franciſcus Fernandes de Cordoua [m], Laurentius Ramires de Prado [n], aliíque, quos magno numero collegit Paulus Serlogus [o], qui de hoc argumento fusè & eruditè diſſeruit [p]. Cur prophani auctores hæc furati ſint, furtaque ſua diſſimulauerint ſi ſcire aues, diſce ex Taſſiano Aſſyrio. *Apparet ex prædictis* (inquit [q]) *quòd Moyſes priſcis heroibus antiquior ſit, & ex bellorum temporibus, quòd Gentilium etiam dæmonum ætatem præceſſerit; & æquum eſt vt ætati maiori fides habeatur potius, quàm Græcis qui illius dogmata non rectè intellecta è fonte hauſerunt; multi namque Græcorum ſophiſtæ curioſitate quadam inducti quæcumque à Moyſe & ſimilibus ei ſapientibus viris didicerunt, deprauare & ſecus afferre conantur; partim, vt ea, quæ non intelligunt, ficta quadam ſermonis compoſitione velantes veritatem ſuis commentis vitient.* Num Moſis libri venerint in poëtarum manus, ſtatue ex hoc Plutarchi loco [r]: *Sanè qui fabulas narrant, ij columbam aiunt ex arca emiſſam Deucalioni certum indicium detuliſſe tempeſtatis, cùm rurſus ingrederetur; ſerenitatis, cùm auolaſſet.*

a l. 1. ſtrom.
b Dial. cum Tryph.
c l. 2. de principiis.
d in apologetico.
e Serm. 18. in Pſ. 118. & l. de bono mortis c. 5.
f l. 18. de ciuitate Dei cap. 37.
g l. 4 c. 4.
h l. 4. contr Celſum.
i tom. 2. an. mundi 1470.
k in prolegom. bibl.
l in Bibliotheca.
m tom. 1. proleg. 17. poſt med.
n in didaſcalia c. 19.
o c. 26. pentecontarchi.
p antilog. 9. ſect. 2. in Cant. Cant. num. 14.
q tom. 4. Biblioth veterum PP. editi. 3.
r l de ſolertia anim.

Capvt II.

Armarium ſecundum.

Eius inſcriptio.

PATRES LATINI.

PRoximum poſt ſacros codices locum Eccleſiæ Patribus tribuo, 1.
quorum pectus meritò fulſit admirabili illo ſeu munimento, ſeu ornamento, quod nos *Rationale*, Græci λόγιον appellant, quaſi λόγου ἱερὸν, *verbi diuini ſacrarium*, illuminatum duodecim lectiſſimis gemmis mediam ſtellam, (vt auctor eſt Anaſtaſius Sinaita [s]) & lucentiſſima duo vocabula *Vrim & Thumin*, id eſt, δήλωσιν ϰ ἀλήθειαν, *doctrinam & veritatem*, pulchrè coronantibus: quod fuit hieroglyphicum omnigenæ virtutis & ſcientiæ, quibus radiare debet Pontifex, *vt non ſolùm ſciat* (verba ſunt D. Hieronymi [t]) *rectam fidem; ſed etiam quod nouerit, poſſit ore proferre.* Illud ipſum ſignificabat pontificia veſtis hyacinthina, fimbriata aureis tintinnabulis; quia tanta debet eſſe doctrina pontificis Dei, vt greſſus eius & motus, & vniuerſa vocalia ſint, veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet & ornatu.

Iſid. Peluſ. l. 3. c. 10.
ſ q. 38. in ſcript. vide Creſol. myſt. l. 2. cap. 13. ſect. 1.
t in cap. 3. Oſeæ. Idem ad Fabiolam.

tu. Conſentanea loquuntur de hac typica veſte, DD. Cyrillus Alex. [a] & Iſidorus [b].

a or.11.de ador.
b in Ex.c.54.

2. Eſt profectò quòd in hac parte plurimum ſibi gratulentur Chriſtiani, datos Eccleſiæ diuinitus eos Antiſtites, qui non tantùm integerrimæ vitæ ſanctiſſimis moribus, non ſolùm voce & grauiſſimis concionibus creditos ſibi populos erudierunt; verumetiam hoc effecerunt, vt nullo vnquam tempore conticeſcerent, ſed immortalibus ſuis pietatis & eruditionis monumentis oracula perpetuò redderent, itáque poſteros affarentur, vt quiſquis eorum vim & verba perciperet, *διδασκαλίας τῶν ἁγίων*, *doctrinas ſanctorum* exciperet, vt loquitur S. Maximus [c]; & exclamare poſſet cum D. Gregorio Nazianzeno[d], de ſcriptis Magni Baſilij loquente. *Cùm orationes eas, quas de moribus & bene viuendi ratione ſcripſit, in manus accipio, animo & corpore purgor; templum Dei capax efficior, atque inſtrumentum à ſpiritu pulſatum diuinam gloriam & potentiam canens: per eas corrigor, & concinnor, atque diuina quadam immutatione alius ex alio efficior.* Quod de vno Patre dictum eſt, hoc dictum eſto de vniuerſis pariter ac ſingulis Eccleſiæ Catholicæ proceribus, Auguſtinis, Ambroſiis, Gregoriis, Hieronymis, Cyprianis, Chryſologis, Baſiliis, Dionyſiis, Chryſoſtomis aliiſque. *Talibus enim* (vt cum Auguſtino [e] loquar) *poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit, qui diuina familia dominica cibaria fideliter miniſtrantes ingenti in Domino gloria claruerunt.* hi ſunt ſenatus Chriſtiani Patres, & in dirimendis controuerſiis iudices incorrupti, quorum vel ſola auctoritas hæreticorum fragilem & argutulam auctoritatem conterere, peruicaciam ſuperare, & ruborem ſuffundere contradictoribus, ſi in illis eſt (inquit [f]) vel Dei timor, vel hominum pudor. Idémque inferiùs [g], *Abſit vt Conſtantinus Ioannes de baptiſmate paruulorum, eorúmque à paterni chirographi liberatione per Chriſtum, tot ac tantis Coëpiſcopis ſuis, maximéque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio.*

c in c. 1. de diu.nom.
d or.20.
e aduersùs Iulianum Pelag. l. 2. c.10.
f Idem ibidem c.9.
g lib. 1. c.3. & 6.

3. Neſcio qua frõte Neomyſtæ Lutherani & Caluiniani aliique hæretici legere poſſint eiuſdem D. Auguſtini caput decimum libri ſecundi aduersùs Iulianum Pelagianũ, quo loco ſapientiſſimus ac ſanctiſſimus Doctor de hac ſanctorum Patrum auctoritate diſputans *Chriſtianos ſcriptores* eos appellat, & *in ſancta Eccleſia Antiſtites Dei*, monétque Iulianum hæreticum, *vt in eis timeantur non ipſi, ſed ille, qui ſibi eos vtilia vaſa formauit, & ſancta templa conſtruxit, eos eſſe & odio, & amicitia & ira* (vt bonos iudices decet) *vacuos*; & quos ne homo quidem phanaticus, qualiſcumque homo ſit, auſit cæcos vel cogitare, vel dicere: non refero eius orationem, quia longior eſt, & paſſim in ore orthodoxis ſiſtentibus hæreticos ad hoc ſanctorum Patrum tribunal. Audiendi ſuper hac re Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, & S. Maximus, hic Græco, ille Latino ſtylo de ſanctis Patribus loquentes. Pacianus [h] ſic. *Quid? parua nobis de Apoſtolicis viris, parua de primis Sacerdotibus, parua de beatiſſimo Cypriano Martyre atque Doctore currit auctoritas? An volumus docere doctorem, an ſapientiores illo ſumus, & ſpiritu carnis inflamur*

h Ep.1.ad Sympronianum Nouatianum.

mur aduerſùs eum, quem æternum Dei teſtem nobis cruor, & clariſſima paſſionis corona produxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum Orbem cum eodem Cypriano pax vna ſolidauit? quid tot annoſi Epiſcopi, tot Martyres, tot Confeſſores? Age ſi illi vſurpando nomini huic (Catholicum intelligit) *auctores idonei non fuerunt, nos idonei erimus negando, & noſtram potiùs auctoritatem Patres loquentur, & emendanda Sanctorum cedet antiquitas. & iam putreſcentia vitijs tempora canos Apoſtolicæ antiquitatis eradent?*

S. Maximus [a] illam eloquentiam, qua maximè floruit, pleno ore effundit in ſanctorum Patrum commendationem, ὑπὲρ τοὺς φωστῆρας τοῦ στερεώματος, λόγον ζωῆς ἐπέχοντες· ὧν οὐδέποτε ἡ θρυαλλὶς πίπτει, οὐδὲ ὁ λύχνος συντρίβεται, ὁ πυρσὸς οὐ μαραίνεται· ῥάβδον δὲ σταυρὸν περιφέρουσι, καὶ πήραν τὰ εὐαγγέλια, καὶ τὴν ἀγάπην καλαμίσκον τε καὶ σύριγγα, ἐν αὐτοῖς τὸ λογικὸν ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ ποιμαίνοντες· τοιγαροῦν ὦ ἀξιάγαστοι περὶ ὧν ἥκατε, τὰ θεῖα ἐκείνων σπέρματα παρὰ τῆς ἐμῆς ἀσθενείας ἀμώμενοι. hoc eſt, *Sancti Patres ſplendore ſuo firmamenti lumina vincunt, & vitæ ſermonem continent, quorum ellychnium nunquam decedit, & lucerna non comminuitur, & oleum non abſumitur, & lampas non quaſſatur, & flamma non extinguitur; nam crucem geſtant pro virga, Euangelia pro pera, charitatem pro pedo & fiſtula, quibus omnibus Chriſti gregem rationis participem paſcunt. Quamobrem viri optimi ſic ea proponite de quibus percunctatum acceſſiſtis, vt qui diuina horum ſemina meſſuri, ex me homine cæteroqui vili, ſitis.*

a l. 1. cap. de diu. nom.

Non habeo præterea quod addam. ſolùm te hortor vt eorum libros 4.
tanquam μεγίστην προσθήκην τῷ διδασκαλείῳ τοῦ χριστοῦ, *maximam & illuſtrem acceſſionem & corollarium Academiæ Chriſti*, ſtudiosè tibi compares; atque in hoc ſtudio imitere D. Thomam Aquinatem, cuius eſt illa vox [b], pluris ſe facere D. Chryſoſtomi homilias in Matthæum, quàm vrbem Pariſienſem quanta quanta eſt. Fac quod ſe facere dicebat Bleſenſis [c]. *Nanus ſuper Gigantum humeros factus, eorum proceritatem ad patentiorem protenſiorémque proſpectum puſillitati tuæ proſterne.* Æſtima illos vt D. Petrus Damianus fecit [d], Dialecticorũ ſyllogiſmorum circulos & ſuadelæ colores, ac phaleratæ ſæcularis ſcientiæ lenocinia præ ſanctorum Patrum ſcriptis floccipendens; quia (inquit) *in eorum pectore Omnipotens Deus velut in tribunali & ſolio præſidens ſanctionis ſuæ promulgat decretum, libenter illorum ſarcinas adora*; ſicut D. Bernardi ſcripta ſe reuereri idem B. Damianus [e] (aut quiſquis eſt auctor ſermonis de natiuitate Saluatoris, qui habetur inter ipſius opera) dicit, nec verecundare facere, quod ſibi conſuetum fuiſſe ſcribit, *qui cùm ſeruandum aliquid quod cordi eſſet ſcribere ſoleret, multiplici diuerſorum codicum Bibliotheca vallatus, maiorum ſententias recolebat, ad eorum ſemper recurrebat exempla.* Paratæ ab illis menſæ ac inſtructiſſima lectiſternia nobis adeunda ſunt, & diligenter eorum opera legenda, *ſi delitioſo cupimus pabulo ſaginari*, quemadmodum B. Auguſtini ſimilaginem præ ſuo (vti loquitur) furfure laudans monet Gregorius [f], digni ſcriptores quorum monumenta non ſolùm reponantur in Muſeis, verumetiam vt in templorum ſacrariis religiosè aſſeruentur. In hanc ſententiam piè ſimul ac verè dixit Petrus Abbas Cellenſis [g] ſe inde auctoritatem, cultum ac venerationem opuſculis ſuis acceſſere. *Hæc ideo ſummatim* (inquit)

Syneſ. ep. 9. de commentariis Theophili Epiſc. Alex.

b l. 7. de vitis Patrum Occidentis, c. 14.

c epiſt. 92.

d opuſc. 16. aduersùs Epiſcopum Monachos ad ſæculum reuocantem.

e l. 5. ep. 13.

f l. 8. ep. 52.

g l. 1. myſticæ expoſitionis tabernaculi Moſaici apud Nouarinum l. 1. ſacr. elect. c. 24.

quit) *de dictis Sanctorum recolligo, vt ſi opuſculum noſtrum per ſe diſpliceat, vel propter Sanctorum ſanctas reliquias, non vſquequaque abijciatur: etſi enim ligneam pyxidem propter ſe non ſuſpicio, tamen quia continet Sanctorum corpora & oſſa, debita veneratione illam excipiens ſummis digitis lotiſque manibus tenens, lignum aliter quàm lignum honoro.* Si ſcribere refugis, de tuo ingenio, auctoritate, ſanctitate, ac viribus diffiſus; applica te illis, vt applices illos tibi; tum verò Hieronymum in inſtruendo, in deſtruendo Lactantium, in adſtruendo Auguſtinum, in ſublimi Hilarium, in populari Chryſoſtomum, in corripiendo Baſilium, in conſolando Gregorium, in copia Oroſium, in ſolicitando Eucherium, in prouocando Paulinum, Ambroſium in perſeuerando imitabere: neque inter illos deſunt, (quod de Claudio Mamerto dixit Sidonius Apollinaris [a]) qui ſentiant vt Pythagoras, diuidant vt Socrates, explicent vt Plato, implicent vt Ariſtoteles, blandiantur vt Æſchines, iraſcantur vt Demoſthenes, vernent vt Hortenſius, æſtuent vt Cethegus, inuitent vt Curio, morentur vt Fabius, ſimulent vt Craſſus, diſſimulent vt Cæſar, ſuadeant vt Cato, diſſuadeant vt Appius, perſuadeant vt Tullius.

a l.4.ep.3.

5. Dices, haud videri vſquequaque *magnos* ſanctos Patres, quandoquidem in eorum pleriſque deſideratur ſermonis elegantia, & ille ornatus, qui prophanos auctores commendat. Reſpondeo, deeſſe quidem in ſanctis Patribus *ſpumam puerilium verborum, qua imperitæ aures conſpuuntur*, vt loquitur Claud. Mamertus [b]; ſed neutiquam deſiderare maieſtatem veræ, germanæ, & diuinæ eloquentiæ; imò nec in plurimis eorum præſertim Græcis tempeſtiuam quandam & ſanctam hilaritatem ac venuſtatem. Potuiſſent ſancti Patres, ſi libuiſſet, vtique in humanis ſimul & diuinis ſcientiis intelligentiſſimi; potuiſſent opera ſua perſpergere illis floribus, & adhibere illum fucum & calamiſtrum cæteraque ornamenta quæ requiris; ſed id facere conſultò noluerunt, memores *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis*, ſitum eſſe robur cœleſtis eloquentiæ. *Noli dilectiſſime Bonifaci* (inquit B. Damianus [c]) *noli in noſtris literis prurientem mordacis eloquij ſperare ſalſuginem, noli accuratæ vrbanitatis quærere venuſtatem; ouina tibi ſimplicitas placeat, quæ ad Deum prouocat; non ſerpentina calliditas, quæ lethale virus inſtillat.* Sanctam illam, robuſtam & fortem ſimplicitatem laudat his verbis D. Cyprianus [d], *In iudicijs, in concione, pro roſtris, opulenta facundia volubili ambitione iactetur. Cùm de Domino Deo vox eſt, vocis pura ſinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus. Denique accipe non diſerta, ſed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone facta, ſed ad diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia.*

b lib.3. de ſtatu animæ.

1. Cor. 2.

c ad Bonifacium Cauſidicum.

d epiſt. 2. ad Donatum.

6. Hæc ſanctorum Patrum elogia quæ hoc capite attulimus, licèt communia ſint cum Latinis & Græcis, tamen eos in duo armaria diſtribuimus; quia plures ſunt, quàm vno capi omnes poſſint. Porrò Latinis prærogatiuam ſedis & loci hîc à nobis attributam nemo reprehendet, ſi reputabit apud animum ſuum quod Nicolaus Papa [e], Michaëli Imperatori Latinæ linguæ inſultanti reſpondit, potiorem dignitatem huic

e ep 8. tom. 3 epiſt. Rom. Pont.

attribu

attributam in titulo Crucis, vtpote quæ capiti Domini vicinior, ac
proinde auguſtior aut viſa, aut facta. Sed & ob maieſtatem Sedis Ro-
manæ primùm lectas in Epheſino Concilio epiſtolas Cæleſtini Pon-
tificis ſermone Latino,quo erãt conſcriptæ,docebit te Baronius[a]. Item a an Chr.
Iulianus Coënſis Epiſcopus,Legatus Leonis Põtificis Max.homo Græ- 431.n.13.
cus inter Græcos agens, & qui patriam linguam non ignoraret,tamen b act.1.
in Concilio Chalcedonenſi[b] per interpretem locutus reperitur ob Ro- Baron.an. 451.n.11.
manæ Sedis & linguæ excellentiam; ſicut ob maieſtatem Romani Im- Euſeb.3. de
perij latinè orauit Magnus Conſtantinus in Synodo Nicæna[c], quam- vita n.12.
uis græcè noſſet, & Martianus in Chalcedonenſi[d],licèt Græcus. c 16 c.13. d act.6. Baron. an.325. n.19.

Obſerua in inſcriptione huius armarij & ſequentis me abſtinere
à voce *Sancti*; quia ex iis Patribus, quorum opera in vtrũque referen-
tur,non omnibus decreti ſunt ab Eccleſia honores cultúſque cœlitum: 7.
imò ex iis nonnulli, vt Origenes & Tertullianus,grauiter lapſi; nec de
ſingulis dici poteſt quod de S.Hilario dixit D.Hieronymus,inſenſo pe-
de decurri poſſe. Eadem cautio fuit in ſecunda editione Bibliothecæ
Patrum,quæ non iam *Bibliotheca ſanctorum Patrum*, ſed *Bibliotheca vete-
rum Patrum* inſcripta eſt.

CAPVT III.

Armarium tertium.

Eius inſcriptio.

PATRES GRÆCI.

ETeocle & Polynice fratribus eodẽ rogo impoſitis flamma ſe diui- 1.
ſiſſe traditur, tanquam odium illud quod inter viuos fuerat, ne
morte quidem finiri potuerit.Non ob ſimilem cauſam diuiſimus Patres
Græcos à Latinis in hoc Muſeo; ſed ob eam quæ ſuprà allata eſt. Cur
verò Græcia poſterioribus ſæculis ab Eccleſia Romana ſeceſſerit,arro-
gantiâ dicam,vel leuitate,vel peruicaciâ,vel odio,vel incitata omnibus
illis affectæ mentis perturbationibus,vix ſcio.Vnum ſcio,à quo tempo-
re ſic in contrarias partes agi cœpit velut phanatica, nullos omnino è
ſuis Sanctos numerauit,qui nobiſcum non conſenſerint, nec Doctores Gregoras &
planè vllos habuit niſi hæreticos quotquot à nobis diſceſſerunt,ac tan- Coniata Zo-
dem in tantam barbariem deuenit, vt quæ fuit olim diſciplinarum ma- noras in hi-
ter,nunc in magna inſcitia ſqualeat;quæ in omni facultate viros excel- ſtoria Eccleſ.
lentes,& principes ſcientiarum dedit, in Philoſophia Platones & Ari- Thomas
ſtoteles;in Mathematicis,Euclides & Archimedes;in Medicina,Hippo- Bozius de
crates & Galenos; in Poëticis Homeros & Pindaros; in Theologicis ſign Eccl. l.7 ſign.25.
Gregorios, Chryſoſtomos,Dionyſios,vt innumerabiles alios ſileam in Idem l. 5.
quolibet genere doctrinæ præſtantes;nunc à mille circiter annis, cùm ſign.15.
apertiùs & longiùs à Latinis receſſit, vix vnum & alterum Nicepho-
rum Blemmydem, & Ioannem Beſſarionem edidit, qui ſuæ gentis pri-

Idem ſign. 25.l.12. c.12. ſtinum nomen & famam ſuſtinerent, viros ſanè eximios, & quibus parem multa ſæcula haud vllum viderunt natione Græcum; ſed & ambo nobis in religione conſenſerunt. Nec mirum id quidem ſi nunc horreat florentiſſimus olim Græciæ ager, quippe qui incultus deſeritur à ſuis, cùm illis eripiuntur comparandæ doctrinæ neceſſaria præſidia, ſi verum eſt quod apud eundem Bozium narrat Bellonus[a]; cùm enim cœnobia Monachorum ſint apud illos Epiſcoporum ſeminaria, & lege cautum ſit inter cœnobitas ne quis det operam Philoſophiæ, & qui ſecus facit, Sacris interdicatur; quî fieri poteſt, vt illi non ſint admodum indocti & ignari, qui nobiliſſimum diſcendi inſtrumentum abiiciunt.

a l.1 c.40. obſeru. apud Bozium l.12. c.1. ſign. 55.

2. O te felicem Græcia! ô te florentiſſimam in omni genere ſcientiarum, priuſquam Photius nefarius ſignifer ſeceſſionis auctor fuiſſet extrema quæque audendi contra Romanam Eccleſiam! O beata & verè aurea illa tempora quæ Baſilios, quæ Epiphanios, quæ Athanaſios, quæ Gregorios, quæ Chryſoſtomos, & alios heroes Chriſtianos tulerunt. Quid aliud fuit primis illis ſæculis Græcia, quàm vniuerſalis Eccleſiæ comitium, vbi habita quatuor illa Concilia, Nicænum, Epheſinũ, Conſtantinopolitanum, Chalcedonenſe, quæ Theodoſius Cœnobiarcha ſanctitudine & miraculorum gloria inclytus, & D. Gregorius Pont. Max.[b] re & cognomine magnus, tanti ſe feciſſe profeſſi ſunt, quanti quatuor Euangeliorum libros. Verùm, non eſt huius loci calamitatem illam deflere vberiùs; ſat erit dicere fuiſſe olim in Græcia ſanctiſſimos, & in diuinis humaniſque diſciplinis verſatiſſimos Patres; tantóque numero, vt ſi eorum monumenta ſtudioſè collegeris, Bibliothecam implere queas, nedum vnum armarium. Aureis illis temporibus quibus Orientis Eccleſia in veritate rectæ fidei ſtetit, fuit longè mirabilior ſymbolico illo flumine, quod Mardochæus in ſolem conuerti ſomniauit: neque enim ſolem vnum duntaxat Græcia orthodoxa protulit, ſed innumeros qui luſtrarunt, & illuſtrarunt doctrinæ ſuę radiis vniuerſum Orbem, & tenebras ignorantiæ ac erroris diſſiparunt; accenderunt fouerúntque pietatem, & veſpertiliones hæreticos in ſua latibula compulerunt, & ſemina omnis virtutis ad virorem, ad florem, ad fructum denique ipſum feliciter perduxerunt. In quorum ſingulos rectè cadit illud quod de D. Baſilio illuſtri Græciæ & Eccleſiæ face dixit D Gregorius Naz.[c] magnum & ipſe lumen Græcorum gentis, & Chriſtiani orbis. *Laudatur apud Dauidem Solis pulchritudo, & magnitudo, & curſus, & pernicitas, & vis ac facultas, quippe qui ſponſum nitore, Gigantem magnitudine referat, ac longè latéque progrediendo tantam vim habet, vt ab extremis æquabiliter extrema colluſtret, nec locorum interuallis calor ipſius vllo modo minuatur. Baſilio itidem pro pulchritudine virtus fuit, pro magnitudine Theologia, pro curſu perpetua virtutis agitatio, continuiſque incrementorum gradibus ad Deum ferens, pro viribus denique, doctrinæ ſemen ac diſtributio.* Vnde nec mirum, (Cyrilli Alexand.[d] verba ſunt.) *ſi loquacibus impiorum hæreticorum nugis inexpugnabili quadam, & Apoſtolicâ prudentiâ reſtitit, quaſique flagrantiſſimo quodam vnguento ipſum cœlum ſuis ſcriptis exhilarauit.* Nihil dicam de *volucre cœli*; ſic D. Dionyſium Areopagitam vocat D. Chryſoſtomus[e]; nihil de S. Ephremo Syro *ſonora Spiritus ſancti lyra*, ſic

Vide appendicem poſt caput 22. Codini.

Surius 11. Ianuar.

b l. ep.24.

c Orat. in laud. Baſil.

d ep.1.

e hom. de falſis proph.

ſic illum Theodoretus;nihil de D.Chryſoſtomo , *cuius linguam altiorem cælis eſſe eiúſque libros , retia in ſalutem animarum tenſa*, S. Proclus meritò dixit [a]. Nihil dicam de multis aliis ſanctiſſimorum ac ſapientiſſimorum Patrum Græcorum literariis monumentis , vt paulo diffuſiùs referam, quantum in profliganda hæreſi & propugnanda recta in Deum fide profuerit volumen operum D. Irenæi natione & ſcribendi genere Græci, non ſolùm cùm primùm in lucem prodierunt , verumetiam poſterioribus hiſce temporibus longè calamitoſiſſimis ob rediuiuam omnium penè veterum hæreſum colluuiem. Quæ ſubiicio mutuatus ſum ex Gallica hiſtoria Florimundi Remundi Senatoris Burdigalenſis [b] de hæreſi , & ex illa oratione quam nos Lugduni in Gallia anno M.DC. XXII.pronuntiauimus, atque in lucem edidimus,de Chriſtiana ſimul, & humana maieſtate Eccleſiæ Lugdunenſis.

a Orat paneg. in D. Chryſoſt.

b l.7.c.4.

Perieras Gallia,conclamata eras Gallia, conceperas peſtiferum virus intra præcordia , & mortem in intimis viſceribus , niſi miſſi diuinitus duo Eccleſiæ Lugdunenſis Antiſtites laboranti maturè ſubueniſſent. Euicerat multis precibus irretita malè de Deo ſentientium opinionibus Regina Nauarræ , vt Franciſcus I. Francorum Rex datâ per literas regiâ fide Philippum Melancthonium primarium factionis Lutheranæ præconem ex intima Germania ad colloquium cum Pariſienſis Academiæ Doctoribus euocaret. Iam gaudio triumphabant Neomyſtæ Lutherani,explotatam ſe tenere victoriam, oppreſsúmque in inſidiis Gallorum Regem dictitabant , iam verſus Morionis Hugonotici triumphum canentes proſtrati Regis terebantur omnium ore & manibus; neque ſanè propius quidquam factum eſt : indolis enim Melancthoniæ inſidioſa tranquillitas coniuncta cum opinione non vulgaris eruditionis,fautorem bonarum artium Regem,& æſtuantem quarumdam opinionum , quas ætas illa pepererat , reciprocatione,in fraudem , vt procliue eſt credere,impuliſſent. Quid factum fuiſſet omnibus Galliæ Ordinibus mirum in modum ad ſui Regis nutus compoſitis , ſi torquem,ſi ſceptrum,ſi coronam,ſi purpurám,ſi cor regium peſtis illa,non dico infeciſſet , ſed afflaſſet vel minimo halitu ? Quis diſturbabit peſtifera Orci conſilia?quis præcipitantem Galliam ſuſtinebit?quis Reginæ gratioſiſſimæ , quis regiæ ſororis voluntati refragabitur, machinationes ventilabit,auctoritatem elidet?Quis magnum Regem de ſententia, fidem regiam ab ipſius coniurati manibus, totámque Franciam reuocabit ab interitu ? Id negotij præſes Galliæ Genius & ſtudioſiſſima regni Chriſtianiſſimi diuina Pronaïa Franciſco Cardinali Turnonio Archiepiſcopo Lugdunenſi demandauit. molles adeundi Regis aditus capit D.Irenæi opera in manu tenens;cui Rex,quid libri? inquit. Tum Præſul:S.Irenæi Archiepiſcopi Lugdunenſis. Ego,Rex, Deo ſcilicet auſpice, in eum libri tertij locum incidi , in quo memorat tam infenſum fuiſſe odium Apoſtolorum in veritatis Chriſtianæ corruptores hæreticos,vt eorum conſpectum & colloquia , imò & eas aquas in quibus lauarent,vehementer horrerent:Tu verò,Regum licèt ſis maximus,à quo tamen nihil humani alienum eſt,Lutheranæ coniurationis ſigniferum acceſſis , vt audio. Prô quàm ſunt plena periculi eiuſmodi colloquia: 3.

hauritur

hauritur vno aſpectu peſtilens illud faſcinum; vulgatur contactu ſolo illa lues;prodigij loco ſit,niſi mortem concipis,ſi te peſtilenti aſpiratione ſyderatus Melancthonius perfuderit.Caue Rex,per tuam Galliæque tuæ ſalutem,ne Summum Pontificem odioſæ quædam ſuſpiciones exulcerent,Italiam vniuerſam,Principúmque Chriſtianorum mẽtes abalienent à tuis partibus magno Caroli Cæſaris emolumento. Quid plura? prodeuntem ex Aquilone terram Lutheranorum nubem Irenæus ſcripto,& Turnonius voce depulerunt,non modò ex Galliæ finibus, quod beneficium fuiſſet perilluſtre; non ex vna tantùm Prouinia, quod ſingulare;non ſolùm ab vrbe Galliæ domina, quod maximum; ſed à regia domo, & ab ipſius Regis Chriſtianiſſimi ceruicibus:ita Regis animum obfirmarunt in auita religione, vt reuocatis commeatus literis conſtitutum ſit ab Rege capitalium quorumdam iudicum extraordinariorum tribunal,(*ardens conclaue* vocant)in nouum iſtud hominum genus, accenſi ignes,patibula erecta,rotæ poſitæ,ſola hæreſeos terricula.Audita eſt deinde à circumfuſa multitudine magni Regis iſta vox,ita ſe horrere hanc luem aſſeuerantis, vt ſi in regio corpore aliquod membrum, vel è regia ſtirpe contactum aliquem noſſet,ſe illico, ne vlteriùs ſerperet,exſecturum, ſuâque ipſius dexterâ liberorum ſanguine expiaturum tantum ſcelus. En quantum opis attulerit periclitanti Religioni prolatus à Turnonio D.Irenæus. Quàm fœdam ſtragem feciſſent numeroſæ acies hæreticorum turmatim in Galliam ruituræ,cùm vix deinde poſtea ita excludi potuerint, quin ſæuierint vbique? Quid ſi arcem regni tenuiſſet veteratoria Melancthonis calliditas?Id beneficij Galliæ à S.Irenæo præſtiti, putauerim occaſionem fuiſſe hæreticis inter alia horrenda ſacrilegia,quæ Lugduni patrarunt, diripiendi, aurum Lipſanothecæ ſancti Martyris, in profluentem abiectâ parte ipſius reliquiarum: &, quod dicere horreo, eiuſdem ſanctiſſimi Antiſtitis caput, eruditionis Muſeum,conſilij capitolium,ſapientiæ adytum, maieſtatis ſolium, pietatis & veræ religionis ſacrarium, microcoſmi illius veluti cœlum, (Theoph.Rayn.ind.SS.Lugd.) & tam multiplicis ſpiritualis fœtus vterum, tanquam ſcelerati alicuius perduellis os è rogo eiectum per plateas,& per lutum proiiciendi.hoc eodem impulſi vindictæ ſtudio libros ſanctiſſimi & doctiſſimi Præſulis maleuolentiſſimè & mendaciſſimè criminati ſunt, & euertere ſtuduerunt illud armamentarium, quod aduersùs Terrigenas hæreticos diuino Numini bellum infcrẽtes reliqui: *ſecuris omnium hæreſeon Irenæus* [a] θεοπέσιος [b], *lumen occidentalium Gallorum* [c]; *ſucceſſor Apoſtolorum per omnia Spiritu ſancto ornatus, veluti generoſus Athleta prolatus à Domino & cœleſtibus donis ac gratiis illitis ſecundùm veram fidem ac ſcientiam luctatus contra vniuerſum hæreticorum delirum argumentum* [d]; *curioſiſſimus omnium doctrinarum indagator* [e], *omnium Patrum ſignaculum* [f]; *ſtudio incredibili erga teſtamentum Dei flagrans* [g]; *veræ rectæque opinionis Eccleſiaſticæ patronus* [h]; *vir Apoſtolicorum temporum, & ipſe Apoſtolicus* [i]; *magnus fidei Catholicæ defenſor, & antiquus homo Dei* [k]. Quæ elogia referre libuit non ſolùm contra Caluinianos & Lutheranos improbè oblatrantes Irenæi libris, ſed etiam quia eorum pleraque ſunt ei cum aliis Patribus Græcis communia.

Eas criminationes & probra aduersùs S.Irenæum collegit & refutauit F. Franciſcus Feuardentius.

a Anaſt. Syna c.7. ὁδηγ.
b Phot.Cod. 120.
c Theodoretus dial.1.
d S.Epiphan. hær.24.& 31.
e Tertull. l. cont. Valent.c.5.
f Cyrill. Alex.
g Martyres Lugdun. & Vienn.in ep. ad Eleuth. Pont.an.170. apud Euſeb. l 3.hiſt.c 4.
h Niceph. l.3.c.4.
i Hieron. in c.64.Iſ. & in ep.ad Theodoram.
k D.Aug.l.1. cont.Iul.Pelag.tom.2.

CAPVT

CAPVT IV.

Armarium quartum.

Eius inſcriptio.

SCRIPTVRÆ SACRÆ INTERPRETES.

DIc, amabo, vtrum ſtultius? putare tenebras eſſe, cùm cæcus ſis; vel 1.
te videre cùm tenebræ ſint? laborabat priore iſto delirio Harpaſte fatua vxoris Senecæ; altero malè aguntur hæretici. De Harpaſte hæc Seneca [a]. *Fatuam vxoris meæ ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe, ipſe enim auerſiſſimus ab iſtis prodigijs ſum: ſi quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus, me rideo. hæc fatua ſubitò deſijt videre. incredibilem tibi narro rem, ſed veram: neſcit ſe eſſe cæcam; ſubinde pædagogum ſuum rogat vt migret, ait domum tenebroſam eſſe.* Antonius Muretus [b] ſcribit ſe ſimile quiddã notaſſe in amico quodam ſuo homine doctiſſimo, qui cùm ætate ſurdaſter factus eſſet, (erat enim octogenario maior) hoc tamen in ſe vitium non agnoſcebat; ſed verè ac ſeriò conquerebatur peſſimam conſuetudinem inualuiſſe, homines multo ſummiſſius loqui quàm ſolebant, ita vt viderentur vereri ne audirentur. Altera mentis inſania huic omnino contraria tenentur ſectarij, cùm ſacros libros, rem, doctiſſimorum omnium & ſanctorum Patrum iudicio, difficillimam pellucidos eſſe dictitant, planos, faciles, & qui ab aniculis ad focum otioſè ſedentibus prælegi poſſint, & intelligi à cerdonibus & ſalſamentariis in taberna, vel culinæ ergaſtulo. Iacobus Gaulterius [c] de Alexandro Ærario hæretico, qui à D. Paulo Apoſtolo traditus eſt Satanæ quòd circa fidem naufragaſſet: loquens, ait non paucos Caluinianorum ſua opificia cum verbi miniſterio commutaſſe: & verò tritum dogma illorum eſſe, *nullum eſſe opificem, qui, modò legere norit, Euangelium non intelligat.* Et ipſiſſima fuiſſe verba Ioannis Fayi Albenacenſis Miniſtri, etiam ad populum concionantis. Inſulſa capita, ſtolidam arrogantiam, arrogantem ſtoliditatem. Interdum indignari libet, & deſpuere putidam iactantiam; ſed & ridere etiam interdum animus eſt artificum ignorantiſſimorum Theologiam, qui nihil aliud quàm ſubulam, vel ligonem norunt, neque enim aliud totâ vitâ didicerunt; vbi tamen ſacros codices ſub axilla ſua ſentiunt, putant quoque ſe habere claues, quibus *φωτὸς πύλας, lucis portas* aperiant, perfectè videant, & ſi ſacra Scriptura caligo eſt, caliginem illam lucidiſſimam efficiant Eccleſiæ Romanæ Doctoribus.

[a] epiſt. 50.

[b] epiſt. 50.

[c] in 1. ſæculo.

Iuſtin. dial. cum Tryph. S. Dion. c. 2. myſt. Theol. apud Poſſeu. bibl. l. 2. c. 41.

2. Quid intolerabilius hac inſania, qua malè feriati iſti *αὐτοσχέδιοι τῆς θεολογίας δογματισταί, Theologiæ extemporales profeſſores*, peſſimè torquentur. Itaque Cyclopes hactenus fuerunt omnes ſancti Patres, qui Scripturam obſcuram eſſe prædicant; iſti verò centoculi ſunt, quibus ea videtur eſſe facillima? obtuſi ſunt & talpæ omnes orthodoxi ſcriptores; ſoli iſti perſpicaces & lyncei: vna nocte ſtertentibus ſectariis aſ-

fudit ſe tota ſacratum intelligentia literarum; Catholicis autem poſt continuata ſtudia & vigilias, tenuiſſima obuenit: ſubtiliores ſunt Caluinianorum imperitiſſimi Hieronymo, qui ſola lectione percipiunt, quod ille incredibili multorum annorum labore vix delibauit. Si res adeò facilis eſt, vt ſine magiſtro diſci à quolibet poſſit, profectò tu ſine cauſa Hieronyme (vt tuis ipſius verbis vtar) Gregorium Nazianzenum, & Didymum in Scripturis ſanctis Catechiſtas habuiſti; nihil tibi profuit eruditio, atque ab adoleſcentia ad prouectam vſque ætatem quotidiana meditatio in Prophetis, in Euangeliis, in Apoſtolis: inuenti ſunt homines abſque præceptore perfecti, & Auguſtino doctiores, cuius ſunt hæc verba [a]. *In ipſis Scripturis ſanctis multò plura neſcio, quàm ſcio*; cuius obſcuritatis alio loco hanc cauſam affert ſapientiſſimus Doctor. *Quædam* (inquit) *obſcurè dicta denſiſſimam caliginem obducunt: quod prouiſum eſſe diuinitus non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio renouandum, cui facilè inueſtigata plerumque viléſcunt.* Dic magne Gregori, facilis ne eſt ſacræ Scripturæ intelligentia, vt gerrones Caluiniani blaterant? *Fluuius eſt* (ait) *planus & altus, in quo agnus ambulet, & elephas natet*; hoc eſt, (vt ipſe interpretatur) in Scriptura, multa quidem intelligit homo minimè doctus, ſed & multa vix intelligit homo doctiſſimus; ſanè Gigantes mirabiles hæreticos eſſe oportet, qui ſe nullibi in Scripturis ſacris natare gloriantur, quas tamen Euthymius [b] ait eſſe *abyſſum*; & S. Ambroſius [c] eſſe *pelagus habens in ſe ſenſus profundos, & altitudinem propheticorum ænigmatum.* Sunt inſuper regio Vate ſolertiores, qui ad ſcrutandam, nedum intelligendam Scriptutam intellectum à Deo flagitat. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor mandata tua.*

a epiſt. 119. c.21.lib.2.de doct. Chriſt. c.6.

b in Pſ.41.

c ep 44.

Pſal.181.

3. Si ita eſt quemadmodum tenebriones hæretici locuntur, Chriſtus Dominus imprudenter fecit atque imperitè cùm Iudæos relegauit (verba ſunt Chryſoſtomi [d]) ad Scripturarum non ſimplicem & nudam lectionem, ſed ad ſcrutationem; *ſcrutamini Scripturas*, inquit. Idcirco verò ſcrutari & effodere profundiùs iubet, vt quæ altè deliteſcunt, inueniri queant: non enim rem in ſuperficie & in promptu poſitam effodimus, ſed eam quæ tanquam theſaurus profundè reconditur. Verùm, quid conqueror & præcones noui Euangelij, eorúmque ſymmiſtas quaſi primi ſomniarint hanc ſacrarum literarum facilitatem reprehendo? Vetus delirium eſt, vetus querimonia. Ipſis temporibus D. Hieronymi iam reperiebantur (ſi Superis placet) αὐτοδίδακτοι, quibus nihil erat tenebricoſum, nihil implexum, nihil difficile; ſed ſine duce & magiſtro quidlibet apertum habebant, & obuium. *Agricolæ, cæmentarij*, (inquit Hieronymus [e]) *fabri metallorum, lignorum caſores, lanarij quoque & fullones, & cæteri qui variam ſupellectilem & vilia opuſcula fabricant, abſque doctore eſſe non poſſunt quod cupiunt; quod Medicorum eſt promittunt Medici, tractant fabrilia fabri; ſola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant; hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant.* Quid iſti homines Apoſtolorum principi reſponderent ſcribenti quædam eſſe difficilia intellectu in epiſtolis B. Pauli, *quæ indocti & inſtabiles deprauant ſicut & cæteras*

d hom.40. in Ioan.

e ep.ad Paul. preſ.omnibus diuinæ hiſt.lib.

2.Pet.c.3.

cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem? Quapropter artificibus iſtis contemptiſſimis, qui arcanam Dei ſcientiam ad tabernas ſuas trahunt, & illotis manibus diuinos libros tractant, rectè conuenit illud quod Baſilius Magnus dixit neſcio cui Demoſtheni imperatoriæ culinæ præfecto ſacras paginas prophano ore paſſim citanti. *Tuum eſt de pulmentis cogitare, & non dogmata diuina decoquere.* Nimius ſum in hac parte, præſertim cùm ſint in manibus graues Doctores qui de hoc argumento ſapientiſſimè ſcripſerunt. Ex hoc vno intellige quanta ſit obſcuritas ſacrarum literarum. Nunquid D. Auguſtinum ingenio ſagaciſſimo fuiſſe oportet, qui ſine præceptore Ariſtotelis categorias intellexit? ſed quàm acri & perſpicaci fuerit, teſtantur eius opera quæ ingenioſiſſimus quiſque miratur, & ſuſpicit. Accipe tamen quod tantus vir de ſanctis Scripturis ſcriptum reliquit, & cùm ea legeris, ſi ſine rubore potes affirmare facilem eſſe illarum intellectum, hauddubiè erubeſcere prorſus neſcis. *Tanta eſt* (inquit [a]) *Chriſtianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte ætate vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliori ingenio conarer addiſcere; non quòd ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti tanta in eis perueniatur difficultate; ſed quòd cùm quis ibi fidem tenuerit, ſine qua propriè rectéque non creditur, tam multa, támque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant; tantáque non ſolùm in verbis quibus iſta dicta ſunt, ſed etiam in rebus quæ ad intelligendum ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi hoc contingat quod alicubi ſcribitur, Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet.*

Niceph. l. 11. cap. 18. Theod. l. 4. cap. 17. hiſt. Caſſ. l. 7. cap. 36. hiſt. trip. Iuſtin. l. 1. part. 1. Delrio in Pharo prol. cap. 3. Bellarm. Sixtus ſen. bib. l. 2. Poſſeu. bibl. l. 1. c. 41. 42. 43 & ſeq. Creſol. in myſt. l. 3. ſect. 4 & 5.
a D. Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſ.

Quæ cùm ita ſint, ſupereſt videamus, vnde petantur auxilia ad ſa- 4.
crarum literarum intelligentiam conſequendam: neque enim ſunt tantis tenebris circumfuſæ, vt in iis conſpici nihil poſſit, alioqui forent omnino inutiles; quod tamen impium ſit dicere, earúmque auctori prorſus iniurioſum. In primis auctor ſum tibi vt inſpicias regulas decem & octo, quas Delrio in Scripturæ interpretatione ſequendas ſtatuit: item conſulendus eruditus commentarius Fabiani Iuſtiniani de ſacra Scriptura libri primi parte prima; & Poſſeuinus de ſtudio diuinæ Scripturæ, qui eſt Bibliothecæ liber ſecundus, pleniſſimè verò Alphonſus Salmeron tomo primo in Euangelia. Copioſè illi; nos quantùm ad inſtitutam breuitatem pertinet, tria ſolùm monebimus. Primum, incredibiliter prodeſſe ad Scripturæ intelligentiam *peritiam trium principum linguarum, Hebraica, Græca, & Latina, atque humaniores diſciplinas, Phyſiologiam, Philologiam, Hiſtoriam, Chronologiam, Coſmographiam.* Tu ſuper hac re conſule duo fulgentiſſima Eccleſiæ lumina, Auguſtinum & Hieronymum. Alterum quod in primis neceſſarium eſt ſacrorum myſteriorum candidatis, eſt *animæ ſanctitas.* Quamobrem quiſquis cogitat auguſta hæc diuinæ ſapientiæ adyta, exiſtimet ſibi quoque dici vetus illud quod apud D. Cyrillum Hieroſ. [b] inclamat ſacris operaturus Sacerdos, *Sancta Sanctis. Concupiſcis ſapientiam, ſerua iuſtitiam,* (monet Sapiens [c]) *& Deus prabebit illam tibi.* Vnde aureum dictum Magni Athanaſij [d], *Ad Scripturarum indaginem verúmque intellectum opus eſt vita proba, animo puro, & virtute quæ ſecundùm Chriſtum eſt,*

Auguſt. de doctr. Chriſt. c. 10. & l. 2. cap. 16. 28. D Hier. in proœm. comm. in Dan.
b 5. myſt.
c Eccleſ. 1.
d l. de incarn. & corporali aduentu, in fine.

vt mens per eius tramitem excurrens, ea quæ expetit adipiſci poſſit, quantum fas eſt humanam naturam diuina intelligere, nam ſine pura mente & Sanctorum imitatione nemo comprehenderit Sanctorum verba, &c. cum ſimilitudinem hanc affert, *Quemadmodum ſi quis intueri velit ſolem, oculos detergit, & in ſplendorem redigit quantum poteſt ad eius ſimilitudinem cuius conſpiciendi deſiderio tenetur, ſeſe purificans, vt ita oculus iam lumen redditus, lumen Solis contempletur; ita qui volet mentem virorum cœleſtia loquentium intelligere, priùs detergere & abluere viuendi diſciplinâ animam debet.*

5. Res mira: nihil grandius, nihil ſublimius, nihil auguſtius ſublimitate ſacrorum myſteriorum, & diuinæ ſapientiæ; nihilominus tamen nihil eſt à tumore mentis alienius. En diuini oris acroama. *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* haud tamen ita mirum videbitur conſideranti, res maximas non niſi profundiſſimis & depreſſiſſimis locis velut conueniente ſinu capi poſſe: quod de humana ſapientia dixit aliquando Didymus philoſophus reſpondens Alexandro conquerenti, ſibi haud donatam à Diis ſapientiam cum diuitiis & imperiis. *Daret tibi* (ô Rex) *Deus ſapientiam* (ait Didymus) *ſi modeſtiam in ſenſu vbi colligeres, haberes.* Ad hæc frequens oratio & labor accedat neceſſe eſt. Precaturo præibit in verba Salomon Sapientiæ capite nono, & Boëtius libro tertio de conſolatione Philoſophiæ metro nono.

Matth. 11. 25.

Iuſtin. c. 3. l. 1. part. 1. ex Plutarcho.

6. Tertium adiumentum quod præcipuè ad hunc locum pertinet, eſt *interpretum ſedula peruolutatio. Malo aliena verecundè diſcere, quàm mea imprudenter ingerere,* dicebat Plato. Non deſunt in rep. Chriſtiana diuinorum oraculorum interpretes ſancti, Deo pleni, qui feliciter in hoc ſtudio operam ſuam poſuerunt. Nouiſſimè prodierunt integræ turmæ doctiſſimorum Interpretum, quos cùm intueor videre mihi videor in ſymbolico Moſis tabernaculo ad Aquilonem tectam auro menſam continentem panes propoſitionis; ac è regione menſæ ad Auſtrum candelabrum multis collucens luminibus. Eſt enim ſacra Scriptura aureum & apparatiſſimum lectiſternium, & menſa omni delitiarum genere affluens, cœleſtique diuinorum eloquiorum pane onuſta, quo alimur, quo reficimur quotquot Chriſtiani ſumus, & quo aduersùs hoſtes noſtros confirmamur, vt ait Magnus Gregorius [a]. In ſacro triclinio Eccleſiæ, vbi ſolùm menſa illa diuina ſternitur, *pendent lychnuchi laquearibus altis.* Interpretes Scripturæ ſuper candelabrum poſiti vmbroſa & condenſa illuſtrant, & ſparſa ab hæreticis venena indicant, vt caueantur. Qui labor quantopere ſit diuino Numini acceptus, teſtatur Sapientia, *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Luculentum præmium beata æternitas iis promiſſa, qui ſpiritu omnis intelligentiæ tum ſacræ, tum prophanæ repleti, mittunt toti orbi in ſuis commentariis eloquia ſuæ ſapientiæ: perſcrutati ſapientiam omnium antiquorum, in verſutias ſacrorum ænigmatum introëunt, occulta prouerbiorum exquirunt, & in abſconditis parabolarum familiariter verſantur. Quibus ſingulis rectè conuenit illud quod Siracides dixit de Simone Oniæ filio, inſigni Doctore & Pontifice, *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi ſol refulgens, ſic ille refulſit*

Exod. 25.

a l. 17. mor. cap. 17.

Eccl. 24.

Eccl. 50.

reſulſit in templo Dei. Et illud, *Sicut ſtella firmamenti fulgebunt in perpetuas æternitates.* Ac propterea quotquot in glorioſum iſtum laborem incumbunt, quicumque Scripturarum nodos, quos χῖτα Nicephorus [a] vocat, diſſoluunt; quotquot ſunt ἐξηγηταὶ τοῦ λόγου, *ſermonis interpretes*, & τῶν θείων ἐξηγηταὶ, diuinorum oraculorum enarratores, (vt Nazianzenus Gregorius [b] Baſilium appellat) illi Eccleſiæ lumina iure merito cenſendi ſunt, vel ipſius Eccleſiæ λογεῖα, vtpote apud quos λόγια, ſiue (quemadmodum interpretatur Iſidorus Peluſiota [c]) λόγια ἱερὰ, *diuini ſermonis myſteria* reconduntur, atque ex eorum pectore, vel ex ſacroſanctis adytis cùm opus eſt promuntur. *Multas ingenioſi homines* (ait Petrus apud Clementem Romanum [d]) *ex his quæ legunt veriſimilitudines capiunt; & ideo diligenter obſeruandum eſt, vt lex Dei cùm legitur, non ſecundùm proprij ingenij intelligentiam legatur: ſunt enim multa verba in Scripturis diuinis quæ poſſunt trahi ad ſuum ſenſum quem ſibi vnuſquiſque ſponte præſumpſit, quod fieri non oportet. Non enim ſenſum quem extrinſecus attuleris, alienum & extraneum debes quærere, quem ex Scripturarum auctoritate cõfirmes, ſed ex ipſis Scripturis ſenſum capere veritatis: & ideo oportet ab eo intelligentiam diſcere Scripturarum, qui eam à maioribus ſecundùm veritatem ſibi traditam ſeruat, vt & ipſe poſſit, ea quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſerere.* Vtinam Apoſtolicum iſtud monitum decumano charactere inſcriptũ perpetuò ob oculos haberent quotquot in ſacrarum literarum ſtudiũ incumbunt: nequaquam circumferrentur friuolæ ac ineptæ interpretationes, ac mera perſæpe ſomnia pro oraculis: ſed purior è ſuo fonte deducta veritas flueret, omniúmque penitus hæreſum peſtilentes ſcaturigines momento exareſcerent.

a l 14. c. 3. Iſid Pel. l. 3. ep. 325.

b or 20.

c l. 3. ep. 10.

d recognit. l. 10.

7\. De prolixitate quorumdam interpretum varij variè ſentiunt: tu ſiquid diffuſiùs ſuper ea re deſideras, adi Paulum Sherlogum noſtrum [e]. De Henrico Langenſteino, & Thoma Haſſelbachio Sixtus Senenſis [f]; *Ille conſumptis multis annis* (inquit) *in publica enarratione Geneſeos, vix ad quartum eius libri caput poſt quatuor integros annos peruenire potuit, editis ſuper hoc quatuor magnis voluminibus, in quibus omnes ferè vtriuſque libros interpretatus eſt, iſte cùm vno & viginti annorum ſpatio nondum perueniſſet ad finem primi capitis Iſaiæ, quem continuè enarrauerat, demum reliquit enarrationis ſuæ in primum Iſaiæ caput libros vigintiquatuor.* Duabus verò præcipuè ex cauſis tanta prolixitas oriri ſolet. Primò (verba ſunt eiuſdem Sixti) *ex modo coaceruationis in teſtimoniorum aggregatione, qui ad enodationem & confirmationem propoſiti loci varia Scripturarum teſtimonia, auctoritates, & locos ex diuinis literis ſimiles in vnum contractos adducit, & hos rurſum præſertim ſi obſcuri fuerint & impliciti, ſuperaddita noua expoſitionis interpoſitione particulariter ediſſerit; quo fit vt expoſitor dum per ſingula prolata Scripturæ teſtimonia exponendo progreditur, explanationis corpus quodammodo in immenſum excreſcat, vixque finem inueniat.* in quo exponendi genere deſudarunt duo illi, quos mox nominatim appellauimus. Alterum genus diffuſorum interpretum eſt Concionatoribus velut à commeatu, & annonâ, quos proinde *Annonæ concionatoriæ propolas, promos*, vel *præbitores* rectè nominaueris: & de his nihil eſt quod quiſquam expoſtulet; ſi duo meminerint: primum (quod officij eſſe interpretis monet D. Hieronymus [g]) *vt obſcura diſſerant, manifeſta perſtringant, in dubiis immorentur; vnde*

e in Cantica antel. 11. ſect. 1.

f l. 3. bibl. methodo 11.

g procem. in l. 2. ep. ad Gal.

& à pleriſque commentariorum opus explanatio nominatur. Deinde vt eximia,pia,exquiſita,& ſeu ſcriptoris, ſeu lectoris operæ pretium ſint , ea quæ ad genuinum & literalem ſenſum adiiciuntur.*Hiſtoria*(inquit idem
a in c.1.Habacuc. interpretum princeps D.Hieronymus[a]) *ſtricta eſt, & euagandi non habet facultatem.Tropologia libera,& his tantùm legibus circumſcripta , vt pietatem ſequatur intelligentia,ſermoniſque contextum; nec in rebus multùm inter ſe contrariis violenta ſit copulandis.*

8. Rurſus ſi interrogas quid ſentiam de digreſſionibus à propoſita materia,quas interdum Scripturæ interpretes ſibi permittunt , vel quibus ſe:equidem vt non auſim eas reprobare,tametſi nihil aliud foret,quàm quod ſancti Patres eas interdum ſuis expoſitionibus interpoſuerunt:ita
Rut. Lup. p.5. licere iis vti ſtatuo , dummodo duæ illæ leges , quæ in vſu parentheſis præſcribuntur à dicendi Magiſtris,hîc quoque ſeruentur ; altera eſt , vt non omnino alienæ ſint à propoſito argumento : altera , vt ne crebriores,vel longiores;præmittantúrque velut quædam excuſationes & cauſæ illarum excurſionum ab propoſito;quemadmodum pulcherrimè fe-
b l. 9. cit Titus Liuius [b], dum magnificis verbis Papyrio curſore de Samnitibus victore laudato,relicta hiſtoriæ ſerie ad Alexandrum M.(qui æqua-
Vrbis conditæ 431.mundi 3600. circiter. lis erat temporum Papyrij)digreditur, hunc in modum. *Hauddubiè illa ætate qua bulla virtutum feracior fuit , nemo vnus erat vir quo magis innixa res Romana ſtaret : quin eum parem deſtinarent animis magno Alexandro ducem,ſi arma Aſiâ perdomitâ in Europam vertiſſet*;tũ addit, *Nihil minus quæſitum à principio operis huius videri poteſt,quàm vt plus iuſto ab rerum ordine declinarem,varietatibúſque diſtinguendo opera, & legentibus velut diuerticula amœna, & requiem animo quærerem:tamen tanti Regis ac ducis mentio quibus ſæpe tacitis cogitationibus volutauit animum,eas euocat in medium , vt quærere libeat,quinam euentus Romanis rebus,ſi cum Alexandro foret bellatum,futurus fuerit,* &c. Vide lector quid de iſtis diuerticulis ſenſerit iudicioſiſſimus hiſtoricus,& qua cautione iſtud inierit. At ne & nos ipſi euagemur ab interpretibus ſacris ad prophanos hiſtoricos ; obſerua quomodo in re ſimili ſe geſſerint DD.Ambroſius & Gregorius:ille prolixiorem moram excuſans in tractatione Genealogiæ Chriſti Seruatoris,de iſtis digreſ-
c l.4. in Lucam in præf. ſionibus ſic loquitur [c].*Certè infructuoſum non fuit Dominicis diutiùs inhærere maioribus:nam ſi ij,qui magnum mare littorali parant nauigatione tranſmittere,altioris compendium curſus fiduciæ infirmitate vitantes ; agros & vrbes littore diductas, capti locorum decore frequenter inuiſunt : quanto magis nos in tanto non elementorum, ſed geſtorum cœleſtium ſiti profundo , viciniores legere portus,& frequentes amare debemus excurſus , ne quis longè nauigationis tædio fatigatus,faſtidij vomitum tenere non poſſit ?* Magnus verò Gregorius epi-
d c.2.ante comm. in Iob. ſtola ad Leandrum Hiſpalenſem[d] , *Sacri* (inquit) *tractator eloquij morem fluminis debet imitari:fluuius quippe dum per alueum defluit,ſi valles concauas ex latere contigit,in eas protinus ſui impetus curſum diuertit ; cúmque illas ſufficienter impleuerit, repentè ſe in alueum refundit : ſic nimirum,ſic diuini verbi eſſe tractator debet, vt cùm de qualibet re diſſerit , ſi fortè iuxta poſitam occaſionem congruæ ædificationis inuenerit , quaſi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat;& cùm ſubiectæ inſtructionis campum ſufficienter infuderit,ad ſermonis propoſiti alueum recurrat.* Eamdem ob cauſam (alienæ videlicet vtili-

tatis

tatis gratiâ) ſæpe ſancti Patres in ſuis homiliis ab eo argumento, de quo dicere inſtituerunt, ſponte deerrant, & abeunt in quaſdam contra hæreticos contentiones: quod etiam admonere hoc loco viſum eſt, ne quis de ſapientiſſimorum & eloquentiſſimorum Eccleſiæ magiſtrorum concionibus & commentariis aliquid perperam ſtatuat.

Cæterùm ſi qui interpretum ingenij & acuminis oſtentandi ſtudio 9.
quærerent in ſcriptis nodos, atque in viis planis ac facilibus ſtruerent offendicula, texeréntque laqueos ipſi, quibus lectores præpedirent ac irretirent, & offunderent tenebras illis locis, quos Spiritus ſanctus claros & perſpicuos eſſe voluit; nunquid ex hoc loco tanquam præpoſteri interpretes exigendi eſſent? obdamus peſſulum huic armario pulcherrimis D. Cyrilli verbis [a], quibus plerique interpretum ſeu noua afferant, ſeu vetera replicent, ſe tueri poſſunt, & operam ſuam in illuſtranda hac *arte artium & ſcientia ſcientiarum* (vt Origenes [b] Scripturarum intelligentiam vocat) commendare. Exiſtimabit quiſpiam (inquit Cyrillus) otioſum eſſe quodammodo & cum temeritate coniunctum, parúmque conducibile, etiam à pluribus diſputata, & explicata tantùm nunc refodere perſcrutaríque velle, & laboribus aliorum præteritis nouos ſuperaddere, quamquam illi ad exponenda ſanctorum Prophetarum ſcripta omnino ac planè ſufficere queant. Ego verò magnopere contrà ſenſerim: memorabo enim Paulum acclamantem iis, quos rebus diuinis erudiebat, *Eadem ſcribere vobis mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſariũ.* Conſidera porrò quàm verum dixerit: nam ſi quidquam proponatur cognitu præcipuum ac neceſſariũ, & ita ſuper eo multis & à multis diſſeratur, nullum inde damnum ad quemquã, damnum autem? imò fructus maximus ad audientes perueniet. Si enim quorum munus eſt interpretari, inter ſe conuenientia attulerint audiendi diſcendíque cupidis; certior vtique ac tutior notitia parietum: ſi quid autem ab vnoquoque nouum proferri videbitur, quod non aliquis forſitan minùs probè, nec citra vitium intellexerit, quid mali eſt ſi id non mihi, ſed alteri in mentem venerit? Quin imò ſenſus & declarationes complures dilucidáſque adhibere quî tandem non præſtat. Quod cùm ita ſit, tametſi ante nos non pauci in ſacros Prophetas commentarios ediderunt; hac quidem de cauſa non tacebimus, ſed potiùs inertiæ depulsâ mollitiâ, quam nobis quoque gratiam impertiuerit, qui profunda & occulta illuminat, eam cæteris etiam prodemus.

a in præf. comment. in 12. Proph.
b tom. 16. in Ioan.

CAPVT V.

Armarium quintum.

Eius inſcriptio.

CONTROVERSIARVM DE FIDE DISCEPTATORES.

Siue ſancta Dei Eccleſia nauis eſt plenis velis ad cœleſtis beatitudi- 1.
nis portum contendens, curſum eius prouehente diuino Spiritu;
non

non deſunt prædones qui cùm circa fidem naufragauerint, ex collectis naufragij reliquiis lembos conficiunt, è quibus hanc Petri nauiculam omni conatu oppugnent,ac,ſi poſſint,opprimant: ſiue eadem eſt caſtrorum acies imperio principis tenebrarum euertẽdo ordinata;non deſunt nefarij transfugæ qui totis Tartari viribus in eam inſurgunt: ſiue eſt ciuitas illa iuſtitiæ, de qua vates Iſaias [a], non deſunt qui cuniculis, qui artibus, qui vi, qui machinis etiam è ſacro armamentario perfidioſè depromptis eam exſcindere nitantur; verùm irrito hactenus conatu, nec feliciore poſtea, licèt iam ab ipſis Apoſtolorum temporibus plurimæ hæreticorum centuriæ infeſtis armis,& animis coniurauerint, & poſthac coniuraturæ ſint. Non defuere etiam in Eccleſia Catholica præſtantes viri, qui dextrè religioſis armis vtentes, & heroico ardore ſtimulati, ac diuinitus inſonante claſſico euocati in aciem prodierint, & collatis ſignis congreſſi ſint. Scuta quæ opponi poſſunt petentibus nos hæreticis,& tela quibus perfida ipſorum impietas iugulari queat, præcipuè petes ex iis libris, qui à grauiſſimis & doctiſſimis ſcriptoribus de fidei controuerſiis editi ſunt: de quibus eſt hæc D. Auguſtini [b] ſententia, *optandum eſſe vbi hæreſes vigent, vt quicumque aliqua ſcribendi facultate præditi ſunt, iſ ſcribant omnes, etſi non modò de rebus iiſdem alij ſcripturi ſint, ſed eadem etiam aliis verbis ſcripturi.* Eadem ſcripſit ad Auguſtinum S. Proſper [c] contra Pelagianorum reliquias; expedit enim vt intelligant cohortes deſertorum Tartaro auctoratæ, eſſe in caſtris orthodoxorum, qui aduerſa fronte, & aperto Marte cauſam ſuam tueri non reformident. Nihil eſt vtilius (dixit alio loco Auguſtinus) *quàm peſtilentibus & inſidiantibus hæreticorum ſcriptis medentia & munientia ſcripta prætendere, quibus rabies qua furunt aut etiam ipſa ſanetur, aut à lædendis aliis repellatur.* Stylum ſtrinxerunt aduersùs horum, vel ſuperiorum temporum hæreſes Athanaſij,Epiphanij,Didymi,vterque Cyrillus, vterque Gregorius, Hilarij,Ambroſij,Auguſtini,Hieronymi,Leones, Fulgẽtij aliíque poſtea & lernæum illud monſtrum extinxerunt. Sunt etiam noſtris ſæculis heroes qui graſſatores illos peſtem Catholicæ religioni Athamantæo furore molientes generoſè aggreſſi vel compeſcuerunt penitus, vel in ſua ſe latibula recipere coëgerunt, in quibus muſſitant duntaxat inter ſuæ coniurationis ſocios, virus ſuum tantummodo domi ſuæ effundunt, *& ratiunculis ſuis quaſi parricidalibus punctiunculis armati* (vt loquitur Auguſtinus [d]) *impij veritatis interfectores*, (ſic Tertullianus [e] Marcionem appellat) feriunt auras, atque in ſe ipſos ſolùm crudeliter ſæuiunt.

[a] c.2.& 7.
[b] 1.de Trin. c.3.contra mendacium c.6.
[c] l.1. ad Bonifaciũ c.1.
[d] l.6. in Iul. c.3.
[e] de carne Christi c. 5.

2. Igitur armarium iſtud continebit eorum auctorum libros, qui contra hæreticos, contra Iudæos, contra Saracenos, contra Ethnicos pro fide orthodoxa vel tuenda, vel propaganda ſcripſerunt. *Mallem quidem,* (dixit in hanc rem D. Ambroſius [f]) *exhortandi ad fidem ſuſcipere officium, quàm de fide diſceptandi ſuſcipere onus.* Tamen quandoquidem *neceſſe eſt hæreſes eſſe*; eſſe etiam qui eas conuincant vtile & neceſſarium eſt. Quod quâ verborum grauitate, qua moderatione faciendum ſit, ne aut aduerſariorum animi exaſperentur, aut Catholica veritas eneruis videatur, grauiſſimis verbis admonet D. Gregorius Theologus [g], quæ hîc inſerere viſum eſt. *Non imperitè docemus, nec aduerſarios cõtumeliis & conuiciis inceſſimus,*

[f] in præf. ad l.1. de fide.
[g] or.32.

inceſſimus, quemadmodum plerique faciunt: non cum ſermone, ſed cum loquente confligentes, ac rationum & argumentorum infirmitatem maledictis interdum obtegentes, non aliter ac ſepias n[illegible] nentum ante ſe vomere aiunt, vt piſcatores effugiant, aut conſpectum ſui eis eri[illegible]t. Verùm nos pro Chriſto bellum gerere hoc argumento planum facimus, quòd ſecundùm Chriſtum qui mitis ac pacatus eſt, atque infirmitates noſtras portauit, dimicamus. Nam nec in vera doctrinæ detrimentum paci ſtudemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, vt facilitatis & manſuetudinis famam colligamus, (non enim quod bonum eſt malè aucupamur) & rurſum pacem colimus, legitimè pugnantes, atque intra limites noſtros ſpiritûſque regulam noſmet continentes. Ac de his quidem ita ſentio, cunctiſque animarum diſpenſatoribus, rectæque doctrinæ arbitris legem ſtatuo, vt nec per duritiam, hominum animos exaſperent; nec per ſummiſſionem, elatos & inſolentes efficiant; ſed prudenter & conſultè in fidei cauſa ſe gerant, nec in alterutro horum mediocritatem excedant. Itaque ſic condienda eſt Chriſtianâ manſuetudine veritas refutationis, ſi manſuetudo Chriſtiana ardore fidei & diuini cultus acuenda eſt, vt ſibi inuicem non officiant. Nam & poſſumus eſſe memores manſuetudinis Chriſti; ſimúlque (quod monet Sapiens) ſtulto reſpondere ſecundùm ſtultitiam Prou.26.
ſuam: quod rectè fiet, ſi hoc agimus tantùm, vt veritas ipſa vincat, & animæ Deo acquirantur. Quin autem quæ in doctrinam acriùs dicentur, contra ſe dici aduerſarij putent, vix aliter euenit. Sunt enim hæc ita coniuncta vt vix poſſint diſputatione, vel admonitione ſeparari, quemadmodum ſapientiſſimè obſeruauit Franciſcus Suarius noſter [a] in clauſula operis de Romano Pontifice; quod in Paulo Apoſtolo diuum Chryſoſtomum [b] notaſſe ſcribit. *Volebat* (inquit) *grauitate & reuerentia ſeruata loqui, & auditorem interdum mordens percellere: at hæc ambo non dabantur; ſed alterum altero impedimento erat. Nam ſi quid reuerenter dicas, haudquaquam poſſis auditorem perſtringere; quòd ſi rurſus vehementer perſtringere volueris; neceſſe tibi eſt apertè ac nudâ oratione rem deſignare: at prudentia* (inquit) *Pauli vtrumque exactè præſtitit, ipſo naturæ nomine & increpationem augens, & hoc tanquam peripetaſmate ad enarrationis verecundiam vſus.*

a de Rom. Pontif. contra Regem Angliæ l.6. in fine.

b hom. 4. in epiſt. ad Rom.c.1.

CAPVT VI.

Armarium ſextum.

Eius inſcriptio.

CONCIONATORES.

NOn ſunt Hebrææ mulieres ſicut Ægyptiæ: iſtæ mollitiâ langui- 1.
dæ & delitiis colliqueſcentes parere non poſſunt niſi in molli culcitra inter obſtetricum manus: illæ vix decumbunt, vix ceſſant ab opere, vix ſe parietibus, ne dicam cortinis, includunt, vt enitantur. Idem intereſt inter ſacram & prophanam eloquentiam; iſta accurato ſtudio

& infinitarum artium velut ancillulatum miniſteriis,lenociniis,delitiis indiget : illa vtpote neruoſior robuſtiórque,vbi grande aliquid animo concepit, illud effundit fortiter,& velut nubes fœta ignibus, auditorem terret,ſternit,lacrymarum imbre perfundit, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. hæc
1. Cor.2. tamen haud à me dicuntur, vt prorſus contemnam eruditionis & artis ſubſidium, negémve aliud ad ſacrum oratorem perficiendum requiri, præter conceptas animo diuini amoris faces, ac vitij incenſum odium, & illas literas, quas Sidonius Apollinaris [a] *Religioſas*, Salomon *ſcien-*
a l.7.ep.3. *tiam Sanctorum* appellat; vnde Concionator promat igneos globos verborum & affectuum,quos eiaculetur in auditorum pectora.

Solùm hîc te moneo,quiſquis vocaris ad ſacrum ſuggeſtum,ſeu ad
2. *ἄκρον θρόνον*, *ad ſublimem thronum*, oratoris Chriſtiani; quiſquis cupis
Greg.Naz. carmine de vita ſua. eſſe *τῶν δογμάτων χρυσῆ ἀηδὼν*, *Chriſtianorum dogmatum aurea luſcinia*; ſic fratrem ſuum Baſilium Nyſſenus Gregorius nominat : exiſtima tibi dictum quod Ezechieli à Deo cùm mitteretur ad illud diuini oratoris munus, *Fili hominis,comede volumen iſtud*; ſtatue apud animum tuum
Ezech.3. ſacros codices non ſolùm tibi nunquam deponendos è manibus,verùm etiam iugi meditatione eſſe debere tua fercula, tuos cibos, geniales tuas epulas,atque in iis plus neruorum eſſe & virium in hominum voluntatibus ad pietatem & æternæ ſalutis ſtudium permouendis, quàm in omni humanæ ſapientiæ choragio. Memento illud Theodoreti [b]
b de nat.hominis. Græculam eloquentiam ſcitiſſimè irridentis, quæ Suadæ corculum ſe putabat eſſe,ſi *μὰ τοὺς θεοὺς, μὰ τὸν ἥλιον*. Tum ait, *ἁλιευτικοὶ σολοικισμοὶ τοὺς Ἀττικοὺς καταλελύκασι συλλογισμούς*, *piſcatorum ſolœciſmi Atticorum vicerunt ſyllogiſmos.* Memento è ſacrorum librorum officina hactenus prodiiſſe quotquot Eccleſiaſtis munus fructuosè impleuerunt : & hoc tibi in primis opus eſt, quandoquidem Concionatori ac Scripturis ſacris communis eſt finis & idem ſcopus; nempe ſupremi Numinis cultus, & *vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Scriptura autem
2.Tim.3. diuinitus inſpirata (Apoſtolo teſte) vtilis eſt ad docendum, ad arguendum,ad corripiendum,ad erudiendum in iuſtitia.

Secundum monitum. Sanctorum Patrum veſtigia pronus adora,&
3. tantum te profecturum putato, quantum tibi grandes illæ animæ primitias ſpiritus habentes placuerint. ab illis diſces Chriſtianam eloquentiam longè aliam à prophana : ex eorum lectione intelliges ſummam plerumque artem eſſe, contemptum artis, & auguſtiorem eſſe Chriſtianorum eloquentiam, quàm vt ſubiiciatur Rhetorum præceptiunculis, licèt & ipſa non careat ſuo artificio, verùm quòd ab omni ſuſpicione artificij alienum ſit. Diſces baſilicè loqui cum Baſilio, aureè cum Chryſoſtomo, cum Gregorio Theologo diuinè, pugnare acriter cum Auguſtino, inſectari ſtrenuè cum Hieronymo, conuincere ſuauiter cum Ambroſio, mores informare cum Magno Gregorio.

Item Theologorum (quos Scholaſticos vocant) libros diligenter euoluiſſe, atque ſublimem illam ſcientiam penitus comprehendiſſe in
4. publicis Academiis omnino neceſſe eſt; nam præterquam quòd continet

net grauiſſimarum & vtiliſſimarum orationum ſemina, hoc etiam præſtat, vt in myſteriis fidei noſtræ tractandis non labaris verbo; & ſcias te non labi, qui lapſus certè facillimus eſt, ei qui leuiter ea in ſcholis, vel (quod deterius eſt) priuato ſtudio attigerit: nam intellectu & explicatu difficillima ſunt, vtpote diuina myſteria noſtræ fidei, Euchariſtiæ, Incarnationis, SS. Trinitatis; Gratia, prædeſtinatio, attributa Dei, de quibus tamen Cócionatori pro tempore & loco ſæpe dicendum eſt: quod quidem quo modo fieri expediat, & quantopere ſtyli ſacri ſuggeſtus diuerſus ſit ab Academico pulpito; quæ fidei dogmata pertractanda ſæpiùs, quæ parciùs & leuiùs attingenda, non eſt huius loci definire: nec deſunt qui in hoc argumento pro dignitate verſati ſunt, Carolus Regius, Ludouicus Granatenſis, Fabianus Iuſtinianus [a], B. Franciſcus de Borja aureo opuſculo, Nicolaus Cauſſinus [b], vt cætera bene, ita iſtud optimè, S. Ignatius in regulis Concionatorum, Antonius Poſſeuinus [c], & nouiſſimè Ludouicus Creſolius [d] luculenter: hîc ſolùm pro meo inſtituto attingam eos libros, qui in hoc armarium referuntur; iis prætermiſſis, qui Concionatoris Bibliothecam præcipuè componere debent: ſunt autem ferè illi, qui ſeueriores & vtiliores diſciplinas tractant ad vitæ & morum conformationem.

a l.2. de ſacra Script.
b parat. l. 14. 15. 16.
c bibl. tom. 1. l. 5. c. 41.
d myſt. l. 3. ſect. 5. c. 42.

§.

Verùm ad rem. Qui ſunt illi libri, quibus deſtinamus hoc armarium? Illi ſunt præſertim, qui ex profeſſo conciones ſcripſerunt, vel concionaturis materiam velut manſam molitámque, ac ſolùm degluciendam ſubminiſtrant. Prioris generis ſunt quadrageſimalia, heliotropia, dormi ſecurè, homiliæ per annum, conceptus theologici, diſcurſus prædicabiles, ſacra pancarpia, dominicalia, promptuaria, moralia, annuli Chriſtiani, ſiue morales exegeſes, theatra religionum de Sanctis, terrores orbis, Monomachia IESV CHRISTI & Luciferi, Ara cœli, legatus Apoſtolicus. Alterius generis ſunt collectanea ad ſacras conciones, menſæ ſpiritualium ciborum, viridaria, panaria, florilegia ſacra, & infinita eius rationis, quorum ſcribendorum nullus eſt finis: licèt (meo quidem iudicio) longè ſatius ſit, vnumquemque res ab ipſis ſacrorum Bibliorum, ſanctorum Patrum, Theologorum & Interpretum fontibus hauſtas in ſuum vſum conuertere, & ſibi ſuos communes locos digerere ac inſtruere, quàm ab aliis publicè pronuntiata velut recoctam crambem iterum apponere, non ſine nauſea audientium, qui eadem vel iam audierunt ipſi dicta ab aliis, vel ſcripta legerunt: vnde fit vt plerumque ſoleat longè minùs affici concio, cùm videt oratores ſuos eſſe potiùs alieni laboris declamatores, & propolas, quàm propriarum cogitationum & affectuum (prout tempus, locus, perſonæ, res denique ipſa, & neceſſitas exigit) pios & diuinitus afflatos præcones *φθόγγους τοῦ θεοῦ, δοχεῖς τοῦ λόγου καὶ ἀγγελτῆρας, diuini numinis ora altè ſonantia, receptacula verbi Dei, eiúſque buccinatores.* Vis ſcire quid contingere ſoleat illi Concionatori, non dico qui totas ab aliis habitas conciones & ipſe poſtea pronuntiat, ſed qui ſolùm alios incautiùs imitatur, & partem aliquam duntaxat alienarum concionum ſuis accommodat; diſce ex principe ſacrorum Oratorum Chryſoſtomo: *Quiſquis hæc facit* (inquit [e]) *πάσχει τῶν τὰ χρήματα κλεπτόντων ὑφίσταται ἐπειδὴ, ſuſtinet*

S. Clem. in conſt. Apoſt l. 2 c. 25.
e l. 5. de Sacerd.

ſtinet opprobrium expilatæ alienæ poſſeſſionis; imò etiam haud rarò euenit vt Concionator ne aliunde quidem mutuatus quidquam, ſed ea de re tantùm ſuſpectus, habeatur inſtar furis in ipſo furto deprehenſi. Solent quibuſdam in locis magni nominis Concionatores dum dicunt ad populum è ſacris pulpitis habere plures pauciorêſque qui concionem ſcribendo excipiant, & linguæ celeritatem manu præpete ſequantur; quod iam olim ſibi dicenti contigiſſe refert D. Gregorius Nyſſenus [a]:id non reprehendo; ſed vnum diſplicet,quòd interdum iſti exceptores inconſulto ac prorſus inſcio Eccleſiaſte,ſua illa excepta edant in lucem, non ſine auctoris iniuria, à quo plerumque multa committuntur auribus,quæ nollet oculis ſubiici: *lectoris enim cenſura multo ſeuerior eſt, quàm auditoris*; tum etiam, quia plurima neceſſe eſt peccari ab iſtis ſcribis non properantibus tantùm, verùm etiam præcipitantibus, ac infinita verba per ſigla haud ſatis emendatè exarantibus, vt dicentis velocitatem aſſequantur. Scio inſignibus viris & Chriſtiana facundia conſpicuis, id accidiſſe moleſtum,atque ob id fuiſſe coactos, ſuas conciones mandare typis, quòd perperam atque præpoſterè fuiſſent editæ ab iſtis notariis. Paucos tamen Cócionatores reperias quos tantopere mireris legendo, quàm audiendo; deeſt enim ſcriptis orationibus *eloquentia corporis* (actionem ſic Tullius [b] vocare conſueuerat) & mediocris oratio commendata viribus pronuntiationis plus habet momenti, quàm optima illius præſidio deſtituta: eadémque oratio ab vno lecta, ab alio pronuntiata alia eſſe videtur. Documento ſunt (vt monet Fabius Quintilianus [c]) ſcenici actores,qui & optimis poëtarum tantum adiiciunt gratiæ,vt nos infinitè magis eadem illa audita, quàm lecta delectent, & viliſſimis etiam quibuſdam impetrent aures, vt quibus nullus eſt in Bibliothecis locus,ſit frequens in theatris. Tantum valuit in pronuntiatione Hortenſius, vt cùm eius ſcripta ſolùm intra famam eſſent, diu tamen princeps oratorum & æmulus Ciceronis habitus ſit; vt appareat, placuiſſe aliquid eo dicente,quod legentibus non appareret, & geſtum pleraque extra verba ſignificaſſe. hoc maximè in ſacris concionibus animaduertimus, actionem fidem facere noſtræ orationi, & efficere,vt quæ dicuntur,ex animo dicta videantur. Non tam refert qualia ſint ea, quæ compoſuimus, quàm quomodo afferantur, nam ita quiſque vt excipit, mouetur:vehementer accenduntur affectus in auditoribus, ſi priùs in voce,vultu,habitu,totóque corpore oratoris inardeſcant: & cùm omnia fecerit,felix ſi illum ignem conceperint.

6. Igitur (inquies) nullæ prorſus conciones ſcribendæ ſunt,nec legendæ. hoc non aio; ſolùm moneo,vt nec ſcribantur temerè,nec legantur immoderatiùs; ſed quæ à nobis ſuperiùs breuiter præcepta ſunt, ſeruentur. ne dum ſecuri & ſupini in alieno ſinu,& parato commeatu obdormiſcimus, langueant affectus noſtri, atque auditor noſtra oſcitatione ſoluatur. Maximè verò abſtineatur ab iis, qui potius (vt loquitur D. Auguſtinus [d]) *habere geſtiunt Platonico nomine verba crepantia, quàm pectus vero Deo plenum.* & qui (proh dolor!) efficiunt vt adulteretur verbum Dei, (fuit iam olim hæc D. Hieronymi

a procem. in Cant.

b apud Quint. l. 11. cap. 3. Cic. l. 3. de orat.

c cap. 3. l. 11.

d l. de relig. cap. 3.

nymi querimonia[a]) & *iam in Eccleſiis iſta quærantur, omiſſáque Apoſtolicorum puritate & ſimplicitate verborum quaſi ad Athenæum & auditoria conueniatur, vt plauſus circumſtantium ſuſcitentur; vt oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quaſi quædam mulitrcula procedat in publicum, non tam erudituras populos, quàm fauorem populi quæſitum.* Abſtinendum inſuper ab lectione illorum Concionatorum, qui aucupantur ſubtilitates neſcio quas, & argutias in ſacris literis, quas in eum finem contorquent ad ſuos (vt loquuntur) conceptus frigidas allegorias, interpretationes friuolas, ineptos ſenſus arcana vocitant, oracula, myſteria; quorum nullum in ſacris Conciliis, nullum in ſacris Patribus, nullum in ſolida Theologia veſtigium, nullum fundamentum; nodos in ſcirpo quærunt, texunt, retexunt, implicant, trahunt, ſtringunt, ſúſque déque vertunt, Theodotioninis, Aquilinis, Symmachinis, Vatablinis, Caballinis, & ſexcentis machinis noua & vulgò incredibilia parum ſolidè inferunt, vt troſſulis quibuſdam arguruli appareant & acuti. Quid inde tandem? præclaris illis concionibus, ne dicam circulatoriis fabulis, hoc ſolùm faciũt, vt auditorem ſuum glacie frigidiorẽ, pumice ſiccìorem, & nihilo quàm ante meliorem dimittant. hóccine eſt (Deus imm.) eſſe ἄγαλμα ἔμψυχον τοῦ κυρίου, *ſupremi numinis animatam effigiem*? Sic Clemens Alex.[b] Cõcionatores vocat, ob ſimilitudinem prędicationis, ac eiuſdem muneris ſocietatem, κατὰ τὸ τῆς κηρύξεως ὁμοίωμα. Eſt ne hoc euangelizare ciuitatibus verbum Dei, ad quod ſe Chriſtus miſſum eſſe dixit? Eſt ne hoc eſſe pręconem ſalutis, *tubam Dei, vocem Dei*, quo nomine Alcuinus[c], & Ioannes noui Teſtamenti Archidux Cõcionatores honorant; an non potiùs æs ſonans, & cymbalum tinniens; & mimos ac circulatores veriſſimos, quorum oratio, (vt egregiè dixit non ſine ſtomacho Muretus[d]) *cùm non compta & calamiſtrata, ſed grauitatis, auctoritatis, maieſtatis, ac ſanctimoniæ plena eſſe deberet, tota papauere ac ſeſamo ſparſa eſt, & ex mellitis verborum contexta glebulis; ita vt ad eos non tanquam ad vitæ magiſtros, aut vitiorum correctores, ſed tanquam ad comœdos, aut hiſtriones eatur: ſtant illi, & cùm frontem bis térve perfricuerunt, barbámque permulſerunt, hiante ac mirificum aliquid ac θεσπέσιον expectante plebe (plebis autem nomine etiam quoſdam ex optimè veſtitis comprehendo) laxant habenas linguæ, & ſimiliter cadentia ſimilitérque deſinentia coacervantes, paria paribus, contraria contrariis opponentes, multa etiam ſemel ſuo ordine dicta, ſurſum verſum, aut aliàs variato ordine repetentes, eáque in re memoriam pueriliter oſtentantes, atque hæc ſaltatricularum in morem geſticulatoriis neque vnquam quietis manibus adiuuantes, argutè multa, multa quibus riſum excutiant, dicunt. nunquam interim aut ſibi, aut auditoribus reſpirandi facultate permiſſà. Quibus omnibus rebus admirationem imperitis, cordatis & intelligentibus nauſeam ac ſtomachum mouent. Quæ ſudorum meorum vtilitas* (exclamat ſacrorum Oratorum princeps Chryſoſtomus[e]) *ſi è verbis meis auditores nullum fructum accipiunt?* Perperam excuſat Concionator tempora, mores, ſeruiendum auditori, ſic nunc homines eſſe, vt omnia dicta niſi à ſeplaſiariis componantur, ſordeant, & ſolus in pulpito Eccleſiaſtes relinquatur. Quàm vellem, vt qui talibus cauſis ſuas ineptias, & vanitatem prætexit, audiret de hoc argumento diſſerentem eum, quem ſuperiùs laudauimus Chryſoſtomum[f].

a proœm. l. 5 in ep. ad Gal.
b l. 5. ſtrom.
Luc. 4. v. 43.
c ep. 1.
Luc. 3. v. 4.
Ioan. 1. v. 23.
d in ep. 40.
e hom. 30. in Acta.
f ibidem.

Qui velut citharœdus, & cantor ſtudet delectare ſuum auditorem tinnulo ſtrepitu, & verborum compoſitione, quia ſcit hoc illi accidere ſolere gratiſſimum; idem facit ac ſi pater videns filium quem ſupra modum tenerè amat, ægrotum, illi frigida, & quæcumque oblectant, porrigat: quæ autem vtilia, minimè curet: deinde quando obiurgatur à Medicis, rationem reddat, dicens, Quid faciam, videns flentem puerum ferre nequeo. Miſer & ærumnosè ac proditor; neque enim talem patrem dixerim. hoc ſubuertit Eccleſias (ait, oratione ad plebem conuerſâ) *quòd & vos non quæritis audire ſermonem, qui compungere poſſit, ſed qui oblectet: & nos frigidè ac miſerè facimus noſtras affectiones ſequentes, quas eiicere oportebat.* Erit (opinor) quod probri ſui magis pudeat Cõcionatores iſtos adulterantes verbum Dei, ſi Ethnicum comptæ orationis artificium in Ethicis philoſophis reprehendentem audire ſuſtinuerint: ſic loquitur Themiſtius [a]. *Peritus medicus aliquid interdum voluptatis cum remediorum miſcet moleſtiis; ſolam verò illius aut maximam habere rationem, nec Aſclepius, nec Aſclepiadæ ſolent, ſed coci potiùs. Neque enim quidquam ab illis ventris lenociniis differt ſuauis, ſed vitioſa oratio. Quare comeſſationibus potiùs eiuſmodi coquos relinquamus, peſſimos & ventri & auribus miniſtros: nos orationem altam erectámque quæramus, quæ animos ſecum noſtros longè ſupra terram, omnéſque totius terræ voluptates, cupidinéſque (qualis eſt ambitio, amor, ira, luctus, ebrietas,) extollat. his omnibus ſuperiorem eſſe oportet verum philoſophici ſermonis rhetorem, vt nihil falſum admittat, aut ignauum, nihil diſſolutum, vel fucatum, nihil quod artis quadam ſpecie tantùm ſe commendet.* Hæccine oratio illorum, *ἧν τέλος σωτηρία τῶν ἀκούντων, quorum finis eſt ſalus audientium,* & *ἄρτον ἀγγέλων* dare Eccleſiæ filiis. Eant, ambulent, circumeant mare & aridam, non facient iſti vnum proſelytum.

a diſſ. 15. n. 39.

7 Si quis ex his hominibus Fabulino potius quàm Chriſto auctoratis conciones ſuas edet in lucem, perpetuis tenebris illas damnato: vel ſaltem ſi aliquem locum habebunt in tua Bibliotheca, tantùm illos ab armario Concinatorum remoueto, licèt eruditas ſuas fabulas, & bullatas nugas præclaro titulo inſcripſerint; quantũ intereſt inter *φιλολόγους*, quales iſti ſunt, & *φιλέργους*, quales nõ ſunt, cùm tales eſſe deberẽt. De hoc Concionatoris euangelici munere præclarè Carolus Regius volumine integro, Ludouicus de Ponte de perfectione Chriſtiana [b], aliique quos initio huius capitis citauimus; qui omnes præceptionibus illis & monitis ſuis nihil aliud ſatagunt, quàm vt altiſſimè Concionatoribus imprimant diuina illa documenta, quæ vas electionis, aurea Spiritus ſancti tuba D. Paulus verbi Dei præconibus paſſim in ſuis Epiſtolis dedit: nimirum, vt pro Chriſto legatione fungantur tanquam Deo exhortante per eos, vt ſint fideles Chriſti miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei, vt non ſeipſos prædicent, ſed Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum; vt redigant in ſeruitutem corpus ſuum, necùm aliis prædicauerint ipſi reprobi efficiantur; vt collaborent Euangelio Dei ſecundùm veritatem; vt ſapientibus & inſipientibus ſe debitores eſſe cognoſcant, & omnibus omnia fiant; vt omnes lucrifaciant, vt doctrinis variis & peregrinis non abducãtur, verùm ſequantur quam docent ſanam doctrinam; vt in Chriſto IESV per Euangelium gignant multos filios; vt laborent ſicut boni milites Chriſti IESV, ſibique & doctrinæ

b tom. 4. tr. 6. Regius in dedicat. ſui operis D. Paulo. D. Chryſ. 2. Cor 9. 1. Cor 4. 2. Cor. 4. 1. Cor 9. 2. Tim. 2. Rom. 1. 1. Cor. 9. Hebr. 17. 1. Cor. 4.

ctrinæ attendant, ac lectioni, & meditationi, & in his inſtent, atque ita ſe ipſos ſaluos faciant, & eos qui audiunt. Denique ne verbum Dei reuertatur vacuum, ſed proſperetur in his ad quæ miſit illud, & faciat quæcunque voluit, ſicut Iſaiæ dictum eſt. D. Chryſoſtomus ſacrorum Oratorum facilè princeps, variis occaſionibus varia documenta Concionatoribus ſuggerit, quæ non poſſunt non eſſe admodum vtilia. Ea collegit Nicolaus Cauſſinus *parallelorum eloquentiæ ſacræ & humanæ libro decimoſexto*, qui inſcribitur *Chryſoſtomus*: ſunt autem hæc, 2. Cor 2. 1. Tim. 1.

I.

Tria ſunt ſacri Oratoris præcipua officia; arguere errantes, obſecrare iuſtos, increpare ſceleratos. Hom. 9. in 2. Timoth.

II.

Vita recta optimus ſyllogiſmus. Hom. 3 in 1. ad Cor.

III.

Qui humiliter aſſentatur, aut iucunda cuique loquitur, citharœdus potius eſt quàm Concionator, eúmque miſerum, infelicem ac proditorem appellare non verear. Hom. 38. ad pop. & hom. 30. in Acta.

IV.

Monendi ſunt cum charitate errantes: magnus quippe Doctor eſt charitas. Hom. 33. in Cor.

V.

Laborioſum oportet eſſe Concionatorem & ſedulum, tanquam Chriſti apiculam. Hom. in Pſ. 115.

VI.

Sciſcitetur Concionator de populi motibus non ex curioſitate, ſed ex ſalutis prouiſione. Hom. 9. ad pop. Ant.

VII.

Temerarius eſt qui ſe periculis fruſtrà ingerit, cùm nulla cauſa, aut neceſſitas poſtulat: ſi verò de Dei gloria, pietate & vtilitate hominum agitur, tanta facilitate corpus exuendum eſt, quanta veſtimentum, cùm in lectum quis ſe confert. Hom. 67. ad pop. Ant.

VIII.

Cauenda ſacro Oratori in vitiis carpendis iracundia; ſed quod olim Phinees fecit, iugulandum, & non iraſcendum: hoc eſt, ſcelera verbi diuini gladio ſine vlla vitioſi animi commotione perimenda, ne quis increpationis prætextu ſuam explere videatur cupiditatem. Hom. 30. ad pop. ad Gal. 6. Hom. 6. ad Eph. 16. ad pop. Ant.

IX.

Inter concionandum perſonæ nominatim non ſunt perſtingendæ: ſanare enim oportet errantes, non efferare. Hom 17. ad pop. Ant.

X.

Maior concionis pars moribus rectè impenditur. De formula dicendi optima.

XI.

Tria ſunt ad ciuitatis perfectionem neceſſaria; pietas ciuium, miſericordia in pauperes, nouitatum deteſtatio. In Pſ. 115.

XII.

Eccleſiaſti quo ſit fructuoſior ſæpe cum populo balbutiendum. Hom. 3. ad Tit.

XIII.

XIII.

Hom.6.in 2. ad Tim.

Concionatorem ſumma patientia præditum eſſe oportet, & tranquillo animo more piſcatorum expectare, dum piſces ſe in rete induant.

XIV.

Hom.8.in 2. ad Tim.

Duo ſunt ſcopuli à quibus Concionatori maximè cauendum eſt, *vanitas*, & *delitiæ*. Studendum ei tamen valetudini, vt ſuo miniſterio fungi alacriùs poſſit.

XV.

Hom. 27. in 1.Cor.

Nec facilem, nec omnino duram aurem habeat ad ea quæ deferentur crimina.

XVI.

l.5. de ſacerdotio.

Abundans fuerit laborum ſolatium, ídque omnium certè maximum, ſi Eccleſiaſtes ſibi ipſi conſcius eſſe potuerit, ad hanc ſe rationem, doctrinam eloquentiámque ſuam compoſuiſſe atque adaptaſſe, vt Deo illa placens, acceptaque fiat.

De hoc argumento nos alibi, Deo bene iuuante, pleniùs diſputabimus.

Capvt VII.

Armarium ſeptimum.

Eius inſcriptio.

THEOLOGI SCHOLASTICI.

I. Non ero multus in hoc armario, vt nec in cæterorum pleriſque, quia hac cura Antonius Poſſeuinus me liberauit: eum conſulat qui plura volet in commendationem ſingularum ſcientiarum, originem progreſſus, ſcriptores, profeſſores, diſcipulos. Nobis ſi quid videbitur intactum ab aliis, aut ſi quidpiam è re nata monendum erit, illud non omittemus. Cæterùm auguſtior & diuinior eſt ſcholaſtica Theologia, quàm vt ſplendere nedum creſcere poſſit vllis laudibus. Ipſum *Theologiæ ſcholaſticæ* nomen & velut cognomen ampla eſt Theologiæ ſcholaſticæ laudatio: qua in re vnum tantummodo breuiter obſeruo. Contrarium contingere Theologiæ ac Theophraſto accidit, quem Seneca [a] ait haud impleuiſſe menſuram ſui nominis: non enim (vt Græcis viſum eſt) diuini, tamen & dulcis eloquij vir, & nitidi ſine labore fuit. Scholaſticæ enim Theologiæ (quod de diuinis Scripturis dixit D.Hieronymus [b]) *eſt in verbis ſimplicibus ſemper ſenſus auguſtior*; licèt aliquid ſecus innuere videatur cognomen *ſcholaſticæ*. Nam olim *Scholaſtici* dicebantur quotquot amœnioribus ſtudiis egregiè exculti, politi, nitentéſque pigmentis Rhetorum in publicum prodibant ſeu docturi, ſeu dicturi, quaſi ſchola foret liberalioris polituræ officina. Nunc autem nomen remanſit penes eos, qui theologicas difficultates in Academico puluere & arena acriter, & ſtrenuè ventilant; quorum congreſſus

a quæſt. nat. c.13.

b apud Poſſeu.c.3.l 3.

Gennad in vita Iuliani Capuani, & D Hieron. ep.2.

congreſſus conflictúſque ἐκ κοινῶν δόξων, ex diuinis oraculis & effatis noſtræ fidei, pronuntiata quædam eliciunt, infandis malè de Deo ſentientium opinionibus euertendis, & caſtæ religioni illuſtrandæ, propugnandæ, ac propagandæ perquam opportuna. Eò pertinent acres illæ in ſcholis theologicis diſputationes, & æſtus contentionum, ventilationes controuerſiarum, diuortia opinionum, ſubtilitatum punctiones, argutiarū ſinus & latebræ, denique accurata illa & limata veritatis diſcuſſio in ſcholaſticæ Theologiæ Gymnaſiis & exedris. Placuit Salmeron noſter aiens hoc Theologiæ genus eſſe loricatum, galeatum, clypeatum ad excipienda hoſtium tela; ſimúlque ad iugulandos errores haſtatum; cuius emblema & ſymbolum quoddam fictitia veterum Minerua videri poſſit. Porrò hanc veluti cataphractam Theologiam præſtare, vt ſicut gymnaſtica arte corpora firmiora & robuſtiora redduntur, de qua Poëta 2. Georg.

Corporaque agreſti nudant prædura palaſtra,

ita *literariæ* palæſtra *ingenij*, vires vegetiores ac robuſtiores reddit ad propugnandam fidem, & ad fraudulentas hæreticorum technas expugnandas. Plura in commendationem Theologiæ ſcholaſticæ vide apud eundem *tom.* 1. *prolog.* 18.

Licèt autem D. Paulinus *ſcholaſticum* ſumat pro imbuto naturalibus 2.
diſciplinis, Rufinum appellans *ſcholaſticis & ſæcularibus literis Græcè & Latinè diuitem*; vnde putari poſſit nomen *ſcholaſticæ* potiùs tribui debere naturali Theologiæ (quam primam Philoſophiam, vel Metaphyſicam Philoſophi vocant,) quàm illi, quæ fidei fundamentis nititur; tamen quia eius munus eſt, in ſchola ſubtiliùs res diuinas indagare, & diſputationis viribus eas proferre in lucem; ideo Theologiæ ſcholaſticæ appellationem iure poſſidero. de cuius facultatis ſcriptoribus nihil aliud habeo dicere, quàm vix eſſe in toto ſcientiarum ambitu partem vllam, quæ luculentiùs exculta ſit, & niteat, & quò tardiùs cœptum eſt eam tradere ratione & modo, qui nunc obſeruatur in ſcholis, eò etiam ſplendidius & accuratius quàm reliquæ omnes ſcientiæ poſterioribus his ſæculis prælecta & ſcriptis libris tractata eſt. Dixi tardiùs ſcholaſtico more fuiſſe digeſtam. nā qui primus diſperſam in veterum Patrum monumentis colligere aggreſſus eſt, is fuit Ioannes Damaſcenus ante annos circiter octingentos: poſtea circa annum reparatæ ſalutis milleſimum centeſimum prodiit Petrus Lombardus [a]; ideo *Magiſter ſententiarum* dictus, quòd (vt ipſe loquitur) *breui volumine complicuerit Patrum ſententias. Et quid aliud deinde feciſſe putas* (inquit Martinus Martini [b]) *Alexandrum Halenſem, S. Thomam Aquinatem & Bonauenturam, & huiuſce ordinis viros, quàm quæ ſancti Patres ſparſim tradiderunt, in communes locos conijcere?* Atque vtinam ita feciſſent quotquot Theologi ſcholaſtici audire voluerunt; neque vnquam legi ima futura ſit Cani querimonia [c], *Intelligo fuiſſe in ſchola quoſdam Theologos aſcriptitios* (inquit) *qui vniuerſas quæſtiones theologiæ friuolis argumentis abſoluerint, & vanis inanibuſque ratiunculis, magnum pondus rebus grauiſſimis detrahentes, ediderint in Theologiam Commentaria vix digna lucubratione anicularum: & cùm in his ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima*

a in prol. ad l. 1.

b hypotypoſ. l. 6. ſtatim initio.

c l. 8. de locis. c. 1. §. 1.

ma

ma ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ex graui Philoſophia quidem, ſed ferè ex puerilibus diſciplinis; Scholaſtici tamen, ſi Superis placet, Theologi vocantur, nec ſcholaſtici ſunt, nedum Theologi. De vtilitate ſcholaſticæ illius rationis quæ in examinandis theologicis difficultatibus ſeruatur tum in publicis Academiis, tum in librorum ſcriptionibus, habe quod Ioannes Gerſon cenſuit [a]. *Doctores ſancti priores vtentes rhetoricis perſuaſionibus in aggrauationem vitiorum, & laudem virtutum, non ita tradiderunt reſolutionem moralium materiarum, imò nec ſpeculabilium, ſicut Doctores recentiores, qui per quæſtiones & argumenta proceſſerunt ad vtramque partem & per deciſiones: propterea magis inſiſtendum eſt illis Doctoribus quantum ad eruditionem intellectus, licèt quantum ad inflammationem affectus efficaciores aliæ iudicentur.* Haud abſimilia Sixtus Senenſis *l.4. Bibliothecæ ſanctæ* [b].

a 3. part. tr. de oratione, & eius valore.

b prol. in Matth. q. 5.

Capvt VIII.

Armarium octauum.

Eius inſcriptio.

THEOLOGI MORALES.

1. MOralem, ſiue practicam Theologiam voco, non eam tantùm, quam Theologi ſcholaſtici tradunt vnà cum ſubtilioribus diſſertationibus, quæ potiùs ad intellectum imbuendum incorrupta diuinarum rerum & Chriſtiani officij cognitione, quàm ad mores informandos pertinet; ſed eam, quæ ex Theologiæ ſcholaſticæ principiis, & Pontificio iure perſequitur familiari docendi ratione complexiones ad vſum accommodatas, inter æquum & iniquum ſtatuit, vitiis laruã detrahit, veræ virtutis ſimulacrum exprimit, diuinarum legum tabulas interpretatur, æternæ ſalutis conſequendæ adiumenta ſuppeditat, diuinæ gratiæ tum in ſe, tum in alios deriuandæ fontes aperit, & alia generis eiuſdem præſtat, quibus nihil poteſt eſſe vtilius. Certè vt nihil eſt felicius conſcientia bene actæ vitæ; ita ad vitam laudabilem inſtituendam nihil eſt hoc ſtudio regendæ conſcientiæ laudabilius: tot enim ſunt in humana conſcientia mæandri & flexus, tot ſinus & labyrinthi, vt niſi vtare Ariadneo illo filo, quod tibi hæc ſcientia porrigit, vix inde alios explicare & extricare poteris; vix tu ipſe emergere ex illis ambagibus. Periculoſæ plenum opus aleæ, *ars artium regimen animarum*, & quæ plurimum indigeat illa ſapientia, quam Eccleſiaſticus *ſalutarem* vocat. Illam reperies in Theologorum moralium libris, qui bene multi atque admodum accurati noſtra ætate prodierunt.

Eccl. 15.

2. Dicamus in commendationem Theologiæ moralis quod Epictetus [c] dixit de ſua Philoſophia, poſt laudatam Diogenis animi excelſitatem, qui diuenditur pro heri domino ſe geſſit, profeſſus artem vitæ ex rectæ rationis præſcripto traducendæ. *In quauis materia & re ſubiecta, imperito*

c l.3. c.26.

imperito quouis ſuperiorem eſſe peritum omnino neceſſe eſt. Quicumque igitur vniuerſæ vitæ agendæ ſcientiam callet, quid aliud hunc quàm dominum eſſe oportet. ſine hoc *ſtudio rectæ rationis* (vt loquitur Clemens Alexandrinus [a])neceſſe eſt frequens eſſe ἁμάρτημα,peccatum,ſeu errorem. Indigna equidem res ab inſtituto & profeſſione Philoſophi Chriſtiani , ne dicam Theologi , eas quæſtiones quæ ad intellectum perficiendum pertinent,accuratè perdiſcere,atque in iis ſubtiliter diſputandis conterere bonam vitæ ſuæ partem ; ab ea autem diſciplina quæ mores format, quæ nodos ſoluit,quæ prudentiam auget,ita imparatum eſſe, vt nec ſecurè reſpondere conſultoribus poſſis , nec ſedero in Confeſſarij tribunali,nec quid agendum ſit, quídve omittendum definire , nec eripere alicui errorem,nec ſuperſtitione expedire,nec formidine liberare , nec quid iuris ſit , quídve facto opus, ediſſerere,nec decreta , vel ſcita , vel edicta eorum,quibus parendum,vel reſponſa ſapientium,aut conſuetudinum pactorúmque & contractuum vim proferre,nec Pontificij iuris cenſuras tum vt euitentur,tum vt ſoluantur,noſſe,nec ex ęqui boníque rationibus de rebus agendis ſtatuere,& leges interpretari. Qua cognitione prout quiſquis minùs inſtructus eſt,tanto eſt ineptior ad vitæ ſuę nedum alienæ rationem conſtituendam, & ad publicas res tractandas abſurdior. Quantum quiſque in aliis diſciplinis etiam theologicis ſubtilitatibus verſatus ſit,ac maximè pius, niſi tamen moralem Theologiã diligenter didicerit,nunquam is erit aptus vt cæteris præſit ; & (quod Plinius attigit in Traiano) vt reconciliare æmulas ciuitates, tumentéſque populos non imperio magis,quàm ratione compeſcere,intercedere iniquitatibus magiſtratuum , infectum reddere quicquid fieri non oportuit,omnia audire,& vndecunque inuocatum velut numen ſtatim adeſſe. Talia eſſe crediderim (inquit) quæ ipſe mundi parens temperat nutu,ſi quando oculos dimiſit in terras,& facta mortalium inter diuina opera numerare dignatus eſt ; quibus nunc per te liber ſolutúſque cœlo tantùm vacat poſtquam te dedit , qui erga hominum genus vice ſua fungereris : fungeris enim ſufficíſque mandatis, cùm tibi dies omnis cum noſtra vtilitate, cum tua laude condatur : experimur in dies quàm vtilis & neceſſaria ſit hæc ſcientia : de climatis contemplationibus etiam theologicis vix eſt,qui nos adeat ſciſcitaturus : de practicis, centies reſpondemus quotidie.

a 2. pæd. c.13.

CAPVT IX.

Armarium nonum.

Eius inſcriptio.

IVS CANONICVM.

HAbet Eccleſia Chriſtiana, nimirum perfectiſſima reſp. ſuum ius, ſuas leges, ſibi à ſanctis Apoſtolis,ſummis Pontificibus, & legiti- 1.

Baron. an. 101.

mis Patrum Comitiis traditas,quibus regitur, quibus parere debent, quotquot cẽſentur Chriſtianorum nomine. huius iuris ſcribendi poteſtas fuit penes Apoſtolos, quos S.Cyrillus [a] vocat, *œcumenica lumina*, διορατικοὺς τῆς Ἐκκλησίας σκοποὺς, *perſpicaces & acutos Eccleſiæ oculos*, vt loquitur Procopius [b]; Chriſtiani orbis præſides & principes ſuper vniuerſam terram conſtitutos, à quibus item quædam leges & canones ad optimam Eccleſiæ gubernationem conſtituti, de quibus Baronius [c] & Turrianus [d].

a in cap. 45. Iſ.
b in cap. 56. Iſ.
c ann. 101.
d aduerſ. Magd l. 2.

2. Idem ius condendi iuris Eccleſiaſtici diuinitus conceſſum eſt Romano Pontifici,quandoquidem & ipſe eſt (vt loquitur Theodoretus [e]) Ἐκκλησίας νόμος, *Eccleſiæ lex & canon*; imò (vt alter Græcus dixit,cuius gentis auctoritate libentiùs in hac cauſa vtor) *non oporteat abſque ſententia Romani Epiſcopi decreta Eccleſijs ſancire*, μὴ δεῖ παρὰ τὴν γνώμην τοῦ Ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς Ἐκκλησίας κανονίζειν. nempe quòd ſit ſupremus Chriſtiani orbis præfectus, nomophilax,legiſlator, atque (vt cum D. Dionyſio loquar) *ſupremi Numinis interpres*, ἐκφάντωρ τοῦ θεοῦ; tantáque prædictus poteſtate, vt *illis orbe exeundum ſit*, (verba ſunt D. Bernardi) *qui volent explorare quod ad eius curam non pertineat.* Mentitur verò & impudentiſſimè quidem, Lutherus, aiens dictum à Romano Pontifice, *Papam habere in ſcrinio pectoris ſui omnia iura, & plenam ſuper omnia iura poteſtatem.* nam poſteriores hæ voces, *& plenam ſuper omnia iura poteſtatem*, additamentum eſt à mangone ſceleſtiſſimo, & hæreſiarcha teterrimo aſſutum: ſciunt enim & fatentur ſummi Pontifices ſe infra ius naturale & diuinum eſſe. Quod ad priorem partem ſpectat, quis inficiari auſit, *Papam habere in ſcrinio pectoris ſui omnia iura*; hoc eſt, pollere poteſtate ſupremi legiſlatoris ad Eccleſiæ vtilitatem, quandoquidem ſimili loquendi formula vſus eſt Imperator in ciuili gubernatione,aiens [f] *totum ius in imperatorijs ſcrinijs conſtitutum eſſe?* velint, nolent impij, *Patria eſt legum, ſicut eſt fons ſacerdotij Roma.*

e l. 2. c. 4. Socrat. l. 2. c. 5.
c. 1. de conſtit. l. 6.
f l. omnium teſtamentorum. C. de teſtament.

3. Legitimis etiam Conciliis condendorum canonum & incolumitati Eccleſiæ conſulendi auctoritas eſt. Itaque habemus Apoſtolicas conſtitutiones,Canones Conciliorum,decreta, & Epiſtolas Romanorum Pontificum,& Canonum Codices, ſiue corpus, quibus omnibus Eccleſiæ iura continentur, quarum rerum cognitio ac librorum eius facultatis bene inſtructum armarium, omnes quidẽ,ſed præſertim Sacerdotũ ordinem decet,atque etiam ciuilis iuris antiſtites, qui vtinam penitus inſcriberent ſuis mentibus quod in Concilio Chalcedonenſi ab ipſis Imperatoribus Chriſtiano ſpiritu pronuntiatum eſt, *Vbique ceſſent quæcumque Imperatorum pragmatica, quæ in detrimentum canonum facta eſſent in quibuſcumque prouincijs.* Dignum ore Chriſtiano acroama, & cui meritò poſſis adſcribere, *Bonum factum.* Ideo ne aberrent humanæ leges à diuinis,conſultiſſimum foret ciuilis iuris Doctores noſſe quoque ius Eccleſiaſticum: imò nulli verè Iuriſconſulti dicendi ſunt, niſi vtrumque intelligant. Iuriſprudentia enim rectè ab Vlpiano [g] definitur, *rerum diuinarum & humanarum notitia* Et hæc cauſa eſt, cur apud ipſos Ethnicos nobiles Iuriſconſulti pares in vtraque facultate eſſent. Sic Valerius Max. [h] ait Scæuolam bene ac diu iura ciuium ac cæremo

g apud Briſſon. l. 4. ſelect. antiq. cap. 16.
h l. 8. c. 8.

cæremonias Deorum ordinaſſe: & Titum Manlium Torquatum, iuris Ciuilis, & ſacrorum Pontificalium peritiſſimum fuiſſe memorat. Sic Tacitus[a] Actium Capitonem humani diuiníque iuris ſcientem ſcribit; eadem laus ab eodem tribuitur Cocceio Neruæ, qua de re plura Barnabas Briſſonius[b]: vno verbo coniunctionem hanc ciuilis iuris & diuini neceſſitatem attingit D. Auguſtinus[c] inquiens, *Omnium legum eſt inanis cenſura, niſi diuinæ legis imaginem gerat.*

Idem l.5. c.8.
a l.3.
Idem l.5.
b ſelect. ex iure ciuili antiq. c.16. l.4.
c apud Cauſſ. par. l.4. c.10.

CAPVT X.

Armarium decimum.

Eius inſcriptio.

IVS CIVILE.

1\. ORdiamur dicere nonnihil de Iuriſprudentia & legibus, præeunte in hæc verba Tullio. *Fremant omnes licèt, dicam quod ſentio. Bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum, vnus mihi videtur duodecim Tabularum libellus, ſi quis legum fontes & caput viderit & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate ſuperare.* ex quibus verbis colligo Bibliothecæ defuturam Bibliothecam, ſi legum Codices, & Iuriſconſultorum opera defuerint. Et certè æquum eſt, vt illorum hominum libris in Bibliotheca locus ſit, quorum domus ſunt oracula ciuitatum; quorum veſtibula & ianuæ maxima quotidie frequentia celebrantur, quorum ſellæ è quibus interpretantur ius & conſultoribus reſpondent, ſunt velut *ſolia*, vnde dominantur hominum communitatibus; *Tripodes* vnde fundunt reſponſa veriora oraculis Apollineis: *Aræ* ad quas confugitur tanquam ad exploratam opem & auxilium: *Aſyla* vnde præſidum petunt clientes: *Pharus* vnde porrigitur lux conſilij in fluctibus & iactatione litium. Ipſi verò Iuriſperiti vocantur *Iuris Sacerdotes*, vt ait Vlpianus[d], & Fabius Quintilianus[e] de Seruio Sulpicio teſtatur, *Tutores orbis, rerump. Genij*: ſicut eorum opera dicuntur *eſſe templa iuſtitiæ*; & *religioſos iuris Imperatores* (quemadmodum loquitur Iuſtinianus[f].) Symmachus[g] *Iuſtitiæ Sacerdotes* appellat; adeò vt iuriſprudentia ſit quiddam ſanctum, auguſtum, & religioſum. Theodoricus Rex per Caſſiodorum[h] ſcripſit in hæc verba Eugenio Magiſtro officiorum, *Eſto innocentiæ templum, temperantiæ ſacrarium, ara iuſtitiæ; abſit à iudiciariis mentibus aliquid prophanum: pio Principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.* Hauddubiè quoque leges ſunt ἐφόδιον μέγιστον, *maximum vitæ ſubſidium*, & ψυχῆς πόλεως, ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα στερηθὲν ψυχῆς πίπτει, οὕτω καὶ πόλις μὴ ὄντων νόμων οὐκ ἵσταται, *Anima ciuitatis, vt enim exanime corpus procumbit; ſimiliter ciuitas ſi leges abſint, non conſiſtit* κοινὸν ἀγαθὸν καὶ πάντων βασιλεῖς, *commune bonum, & Regina omnium.* Pindarus apud Athenæum, *Reginas hominum, & Deorum eas* appellat, cui accedens Nonnus hæc habet[i], Ἁγνὸς ἄναξ θνητῶν καὶ ἀθανάτων. Supremam hanc & ſacroſanctam legum maieſtatem teſtantur imperatoriæ iſtæ vo-

d de iuſt. & iure.
e l.11. c.1.
f in præf. Inſtit.
g in relatione ad Imperatorem.
h l.1. ep.12.
Greg. Thaumat. in paneg.
Demoſth. apud Stob. ſerm.41.
Iambl. ep. ad Agrippam apud Stob. ſerm.44.
i Dion.41.

Plutarch. de regno. ces [a], *Digna vox maieſtate regnantis legibus alligatum ſe profiteri, & re vera maius Imperio eſt ſubmittere legibus principatum.* & hæc decet tantæ maieſtati ſeruare leges quibus eſſe ſolutus videtur. Nihil magis eſt proprium Imperij, quàm legibus viuere. Solutus quidem eſt legibus Princeps (ait Iuriſconſultus [b]) quoad vim coactiuam, vt loquuntur; quis enim inuitum & reluctantem adiget? verùm vt quiſque moderatiſſimus eſt, & optimus, ex legum præſcripto vitæ ſuæ rationem componit. Infinita reperies in hunc ſenſum de Iuriſconſultis, & legum vtilitate; quæ eloquia ne vana ſint duo requiruntur præcipuè.

a l. digna vox. C. de legibus. l. ex imperfecto ff. de legat. 3.
b l. 3. C. de teſtam.
Vide Gretſerum l. 1 de iure prohib. libros malos c. 22.

2. Alterum, ne leges cellis tantùm & armariis includantur, vt monebat Diogenes Pythagoras [c], ſed hominum animis & moribus. οὐκ ἐν οἰκήμασι καὶ θυρώμασιν ἐπιγράφειν δεῖ, ἀλλ' ἐν τοῖς ἤθεσι τῶν πολιτευομένων. Caſſam hanc vim legum, vel etiam quodammodo irrogatam legibus ignominiam, ſic Plautus verè, licèt iocul ariter, deſcribit,

c l de ſanctitate.

Mores leges iam perduxerunt in poteſtatem ſuam,
Magis queis ſunt obnoxij, quàm parentes liberis,
Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

3. Alterum, vt Iureconſulti qui ſe dicunt, ſéque à Tertulliano [d] dictos venditant *Tutores legum*, non fiant putidi leguleij, cantores formularum, præcones actionum, aucupes ſyllabarum, implicandarum litium artifices, magíſque iuris quàm iuſtitiæ conſulti, & non tam æquitatis vindices, quàm textores laqueorum quibus irretiantur miſeri litigantes; & (quod ſcitè Comicus dixit) *qui legibus fundatas reſp. legibus euertant.* quotquot in talibus ſycophantiis, & (vt idem loquitur) *centuriatis technis* occupantur, extrudendi ſunt ab iſto armario, quod debet eſſe veluti *Themidis cella ſanctior*; exaugurandi illo ſacerdotiò quod confert caſta profeſſio iuris: nec iam *iuſtitiæ Antiſtites* vocandi ſunt, ſed cum Ariſtophane voce ſeſquipedali ὀρθοφοισυκοφαντοδικοταλαίπωροι, ſycophanticè & miſerabiliter ius in infinitum tempus protrahentes: *Togati vultures* cum Apuleio [e],

d in Apol.
Plaut. in Tor.
e l. 10.

Inter hos tamen intereſt & illos,
Quòd cadauera vultures morentur,
Hi viuis quoque detrahant cruorem.

4. Certè talem fuiſſe Tribonianum illum hominem Ethnicum, quo præcipuè vſus eſt Iuſtinianus ad colligendũ & emendandum eum Codicem, quem à ſuo nomine *Iuſtinianeum* appellauit, monet Baronius [f]. hic enim homo pecuniæ quàm æquitatis ſtudioſior, ius pretio vendebat, ac pro illa auctoritate qua pollebat apud Iuſtinianum, leges quotidie pro cuiuſque neceſſitate vel condebat, vel antiquabat, prout *famelicum canem* (ſic eiuſmodi homines, qui non quale quid ſit quærunt, ſed quanti, Seneca [g], & Bartolus [h] appellãt) aura bene nummati marſupij afflauiſſet. Sed omnium deterrimi ſunt, ac longiùs ab *hoc iuſtitiæ ſacello* eiiciendi, qui ſine vllo religionis reſpectu ius Pontificium floccipendunt, cogúntque diuinas leges humanis indigniſſimè ancillari; quæ ſumma & impia peruerſitas eſt. Audiant Tartarei iſti, & exleges Rhadamanti, qui diuinam & naturalem legem ſcriptis legibus interdum iniquis

f an. Chriſt. 529.
g ep. 115.
h l. omnes populi. ff. de iuſt. & iure.

poſt

poſtponunt, audiant grauiſſimam Dionis Chryſoſtomi [a] cum obiurgatione admonitionem: *legem veram atque ratam manifeſtámque* (loquitur de iure naturali) *neque vident, neque viuendi ducem ſtatuunt. Quapropter quemadmodum in meridie lucente ſole faces accendunt, torréſque ſuſtollunt: & diuinum quidem lumen eiiciunt, ſequuntur autem fumum, modicum quemdam ignis fulgorem oſtendentem. Lex igitur naturæ amiſſa eſt, & exoleuit apud vos, ô infelices, tabulas autem & literulas, atque columnas cuſtoditis, atque inutiles notas. Et Iouis quidem legem iam pridem violaſtis, ne quis autem illius, aut illius tranſgrediatur, conſideratis.* Compellemus eos verbis auctoris poëmatis de prouidentia, quod extat inter opera Proſperi. a orat. 80.

Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis, & intus
Inciſos apices, ac ſcripta volumina cordis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite legem.
——ſemine recti Nemo caret, ——
Nec ſummi eſt patris ignarus, nec iuris egenus.
Ergo omnes vna in vita cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus quæ condita libris.

Quotieſcumque ad ſuarum legum interpretationem aggrediuntur Iuriſconſulti, vt id conſultiùs & caſtiùs facerent, neceſſe eſſet eos priùs excutere *mentem* ſuam, quam maximus Tyrius [b], *ſummum bonum animæ magnúmque Imperatorem* appellat. Id in ea eſt (inquit) quod lex in vrbe, non quæ in tabulis ſcribitur, aut columnis inciditur, aut decretis ſancitur, aut concionis voce ſciſcitur, aut à populo approbatur, aut in iudicio recepta, aut à Socrate lata, aut Lycurgo. Eius quippe legiſlator Deus eſt, lex non ſcripta, & quæ ſuffragiis nullis vim ſuam debet. O legibus antiquiorem legem, cui ſi quis volens ſe ſubmiſerit, liber pariter diuéſque aget; nec quotidianis hiſce ſtultíſque legibus magnopere indigebit iudicibus quæ falsò ſibi nomen legis vindicant, ſúntque potiùs inanes opiniones, quia falluntur ſæpiſſimè, & aberrant. Hæc ille, loquens de impetu populi cæco, & legibus tumultuariis, quibus Ariſtides debet quòd exulat, quòd mulctatur Pericles, Socrates quòd moritur. Nam ſi alteram hanc ſpectes quæ diuina eſt, ait, Iuſtus Ariſtides, vir bonus Pericles, vir ſapiens eſt Socrates. 5. b diſſer. 40. n. 237.

Itaque cùm malos Iuris interpretes è tuo Muſeo proſcripſeris; non erit propterea verendum, ne Armarium iſtud implere non poſſis bonis Iuriſconſultorum operibus: tot enim tantíque ſunt huius facultatis libri, vt vix iam illos Bibliothecarum ampla ſpatia, vel librariorum apothecæ capiant. Iuſtinianus quidem infinitam illam vim legum, & ſyluam enarrationum coërcere voluit in quinquaginta volumina Triboniano auctore: tamen ille labor plúſne difficultatis, an vtilitatis attulerit legum candidatis, (ſi Calcagnino credimus) haud facilè eſt aſſerere. Namque ſeptem & triginta clariſſimi conditores luculenter poſteritati tradiderant, ea ita cæſim cóminuit, vt Samnium quæramus in Samnio. Nemo eſt profectò tam ferreus, qui æquo animo ferat Mutij Scæuolæ, Galli Aquilij Labeonis, Saluij Iuliani, aliorúmque præſtantiſſimorum monumenta tam fœdè periiſſe. Nam quid ego de Papiniano meminerim, quem *hiſtoriæ iuris Aſylum* vocauit antiquitas? Quid de Iulio Paulo 6.

&

& Domitio Vlpiano verba faciam, qui ambo tanta fuerunt in celebritate nominis, vt Coryphæi, id eſt, vertices iuris ciuilis dicerentur; pro quorum olim iuſtis atque integris theſauris, nunc (proh dolor!) breuia & interrupta quædam ſegmenta poſſidemus. hæ ſunt Calcagnini querimoniæ in quadam oratione in Iuriſprudentiæ laudem. Tertullianus [a] hunc legum ſuccidendarum morem attingit his verbis. *Nónne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſqualentem ſyluam legum, nouis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & cæditis?* Felicia illa tempora cùm perpaucæ erant leges, eo quòd Rerump. Principes toti eſſent in dirimendis ex æquo & bono litibus. *Per pectora Principum* (dicebat Magnus Conſtantinus [b]) *Deus ſua iura populis dictat.* Vt vt ſit, licèt ex malis moribus noſtris naſcantur quotidie leges, & infinitæ iuris interpretum centuriæ; tamen ſi illas & illos habueris in tuo Muſeo, habebis ſacrarium ſapientiæ, & prudentiæ officinam.

a apol. n. 2.

b 9. epiſt. aduerſ. Michaël.

Capvt XI.

Armarium vndecimum.

Eius inſcriptio.

PHILOSOPHIA CONTEMPLATIVA.

1\. PVtares Senecam philoſophum blandiri ſibiipſi, & ſuam profeſſionem ambitioſiùs extollere, cùm Philoſophos abſolute *Proceres* vocat [c]. Quaſi verò tanta ſit Philoſophiæ dignitas, tantum faſtigium, vt rerum omnium apices & culmen velut res infra ſe poſitas ex alto diſpiciat. Verùm cùm audio Apoſtolum Philoſophos *Principes huius ſæculi* nominantem [d]; cùm intueor Pompeium, cui ſe Oriens Occidénſque ſubmiſerat, ſummittentem faſces lictorios ianuæ Poſſidonij ſapientiæ profeſſoris: cùm è diademate & ſceptro velut gradibus ſcandentem video Anacharſim Scythiæ Regem ad Philoſophiam; cùm (ſecus ac poëta cecinit de arte populos regendi) audio inclamantem Caſſiodorum, *Philoſophiam eſſe artem artium, & diſciplinam diſciplinarum*; ſublimiùs de illa ſentio, atque hoc ordine in hac Bibliotheca inter naturales ſcientias omnium principem ſtatuo. De qua (niſi eſſem memor inſtitutæ breuitatis, eſſéntque alij ſplendide in hoc argumento verſati) liberet quoque aliquid dicere; & meritis adoreis ornatam, ac ſublimiter inter naturales ſcientias vehentem exhibere. hîc (vt partitionis meæ & ordinis rationem intelligas) monitum te volo Lector, aut potiùs memorem; neque enim is es, qui hoc ignores; duplicem eſſe partem Philoſophiæ, pro gemina facultate animæ noſtræ, gemináque functione intellectus noſtri & voluntatis, ad quam à natura progeniti ſumus; vnde exiſtit perfectum illud mētis noſtræ bonum, quod in ſapientia vndequaque integra Ariſtoteles & Theophraſtus apud Plutarchum [e] conſtituunt, &

c ep. 33.

d 1. Cor. 2. v 6.

Plin. l. 7. c. 30 Tertull. l. de pall. c. 5.

Lipſ manud. ad Staphil. Creſol myſt. l 2. ſect. 2. c 20 Frāc de Cepeda in 1 prælect de placitis Philoſ.

e l. de plac. Phil. in proœm.

Seneca,

Seneca [a], cuius epiſtola octuageſima nona tota de hoc argumento eſt. a ep.89.
Quapropter quandoquidem à Peripateticis & Stoicis Philoſophiam in partes,non in fruſta diuidentibus (vt idem Seneca loquitur) duplex Philoſophia conſtituitur, *Contemplatiua*, & *Actiua*,ſeu *moralis*; nos in hoc armario contemplatiuam comprehendemus; hoc eſt,deſtinabimus iſtud armarium illi tantùm Philoſophiæ parti,quæ Dialecticas, Phyſicas & Metaphyſicas ſubtilitates complectitur. Nam ei quæ mores, & Phyſiologiam ſpecialem continet,ſua poſteriùs non decernunt loca.

Quod ad Logicam ſpectat,ego illam libenter appellare ſoleo *clauem* 2.
omnibus aliarum ſcientiarum ianuis recludendis aptiſſimam; &, vt Porphyrius dixit, εἰσαγωγήν. Eam cumulatè paucis verbis laudauero, ſi verba D.Auguſtini [b] huc afferam. *Dialectica* (inquit) *docet docere, hæc* b l.2.de ord.
docet diſcere, in hac ſe ipſa ratio demonſtrat, atque aperit, quæ ſit,quæ velit, cap.13.
quæ valeat;ſcit ſcire; ſola ſcientes facere non ſolùm vult, ſed etiam poteſt. Ac propterea rectè illam eſſe dixeris auream Platonis catenam, de qua Themiſtius [c], quæ vniuerſas pariter ac ſingulas ſcientias nectit & c orat.4.
comprehendit,præcipuè eam, quâ ferè vnâ brutis animantibus præſtamus,ratiocinandi vim.

Phyſica dum naturæ effectus & cauſas, corporúmque varias affe- 3.
ctiones,incrementa & corruptiones rimatur, habet cui ſe non tantùm Sen.quæſt.
commodet,ſed impendat. *Quod* (inquit) *erit pretium operæ? quo nullum* nat.l.6.c.4.
maius eſt, noſſe naturam. Neque enim habet in ſe huius materiæ tractatio d Plato 7.de rep.
quidquam pulchrius, cùm multa habeat futura vſui, quàm quod hominem e Idem.
magnificentia ſui detinet, nec mercede, ſed miraculo colitur. Tum paulo f Ioan. Cy-
pòſt de hac parte Philoſophiæ ſublimiter idem qui ſuperiùs Seneca, pariſſ. in
Magni animi res eſt rerum latebras dimouere, nec contentum exteriori eius præmedita-
conſpectu, introſpicere, & in Deorum ſecreta deſcendere; quibus perſpectis, tione expo-
adeunda eſt *Metaphyſica humanæ ſapientiæ apex* [d], *omnium doctrinarum* ſitionis di-
finis [e], *ſol omnium diſciplinarum* [f], *philoſophici epuli ferculum lautiſſimum* [g], ctorum de Deo.
ἀρχὰ καὶ αἰτία, καὶ κανὼν ἐστι τᾶς ἀνθρωπίνας εὐδαιμονίας ἁ τῶν θεῶν καὶ τιμιωτάτων ἐπιγνώσις. *Principium, & cauſa & regula humanæ beatitudinis,* g Clemens 1.ſtr.ex Pindaro.
diuinarum præſtantiſſimarúmque rerum cognitio [h]. Perfectiſſimum bo- h Theoge-
num, omniúmque beata vita, poſſeſſio ſalutaris omnis boni radix no- nes Pytha-
bis & generatio [i], denique Græcis κατ' ἐξοχήν, vel φιλοσοφία [k], vel cum goræus apud
addito *prima Philoſophia*, vel abſolute *Theologia*, vel princeps Philoſo- Stob.ſerm.1. de virtute.
phorum loqui conſueuit [l].de cuius dignitate,vtilitate, ac ſuauitate ſi i S.Cyrill.in
plura deſideras, adeundus tibi eſt Theophilus Raynaudus *in prologo* S. Iulianum
Theologiæ naturalis: vnum duntaxat dicere hoc loco auemus de modo ad textum
quo plerique nunc Philoſophiam tractant. ex eodem 2.

Equidem ſæpe mihi contigit mirari, cur plurimi relictis, aut bre- k Apollo-
uiſſimè perſtrictis in qualibet parte Philoſophiæ luculentis, ſublimi- phanes apud
bus, ſcitu digniſſimis,ſucci pleniſſimis,amœniſſimis diſputationibus, S.Dion ep.7.
conſectentur arentes quaſdam paleas, ſpinas moleſtiſſimas diutiſſimè l apud Stob. ſerm.30.
tractent,non ſine dolore,& tædio; & quod de ſcrupuloſioribus Dialec- 4.
cticæ ſtudioſis dixit apud Stobæum Ariſto [m]; dum affatim ſuppetunt m Serm. 81.
ſucculiores & velut adipatæ quæſtiones, ἐοίκασι καρκίνους μασωμένοις, οἳ δι' ὀλίγον τρόφιμον, περὶ πολλὰ ὀστᾶ ἀσχολοῦνται, *ſimiles ſunt edentibus cancros.qui*

propter exiguum alimentum circa cruſtas occupantur; quódque deterius eſt, tunc ſolùm ſe philoſophari putent, ſi in minutiſſimis tricis, & nullius planè emolumenti quæſtionibus infiniti ſint. Liceat mihi exclamare hoc loco cum Seneca [a], *Proh Philoſophi quantum habent ſuperuacui, quantum ab vſu recedentis*; tum paulo pòſt, *Inuidere etiam Geometris, & quidquid in eorum artibus ſuperuacuum erat, tranſtulere in ſuam.* dum enim infinitas de infinito mouent opiniones, dum in puncto digladiantur, annus eſt. Præteriri quidem illam omnino nolim; ſed etiam peruelim res ſingulas ſuis momentis æſtimari, & pro cuiuſque dignitate alias aliis accuratiùs pertractari. Maiorem enimuero ſolicitudinem res nobilior ſibi vindicat. Quicumque Philoſophiæ Candidatos in has anguſtias coniiciunt, & coniectos diutius quàm par eſt, tenent, comminuunt hauddubiè, & debilitant generoſas indoles; qui ſi ſpecioſo nomine ſubtilitatis ſuam moroſitatem defendunt, tandem experiuntur veriſſimum eſſe illud Stoici, *Acuta ſunt iſta quæ dicis; verùm nihil eſt acutius ariſta. Quædam inutilia & inefficacia ipſa ſubtilitas reddit. nec me hercule, ſi me interrogas, nimis ad rem puto pertinere, vbi data ſunt quæ regunt mores, perſequi cætera, non in remedium animi, ſed in oblectationem ingenia inuenta. Scientia morum, ſcientia vtilis ac neceſſaria eſt, reliqua oblectamenta otij ſunt, cultum, non robur ingenijs afferentia.* & hoc quod ſubiungo ab eodem dictum, accipiant ij, qui in rebus paruis magni videri geſtiunt. *Nihil eſt iniquius his, qui nuſquam putant eſſe ſubtilitatem, niſi vbi nihil eſt præter ſubtilitatem.*

a ep. 88.

Idem ep. 82.

Idem 7. de benef. c. 1.

Idem in proœm. l. 1. controu.

5. Origenes [b] iſtius generis Dialecticos cum ſcyniphibus comparat, qui ita pennis per aëra ſuſpenduntur, vt vix ob corpuſculi tenuitatem conſpici poſſint, nec aliter ferè ſentiantur, quàm cùm faciem, vel manũ inſederint; tunc enim eorũ terebra & ſtimulus non leuem doloris ſenſum faciunt. Adeò ſubtiles ſunt quorumdam ratiocinationes qui ſe Philoſophos gloriantur, vt cerni à perſpicaciſſimis non poſſint, donec ſuis acuminibus & ſtimulis, intelligentiæ oculos confixerint, aut velut fulgetro præſtinxerint: & tamen in illis leuiculis & planè exſuccis ac futiliter elimatis ratiocinationibus, *ſimiles furentibus* (ait Xenophon [c]) *longo & pulchro ſermone verſantur non pauci, qui ſe tum Philoſophos putant, cùm bene ſudantes, & rauci ex Academico campo in ſuum ſe Muſeum recipiunt*; Iouiſque ipſius aures (vt in eos iocatur Lucianus [d]) ſuis clamoribus ita obtuderunt, vt ob id ſupplicantium preces non audiat. Hæc de illis ſubtilitatibus, quæ nihil ferè mali habent, niſi quòd magis ſeriis & vtilioribus quæſtionibus tempus eximant. Plura contra hoc genus philoſophici ſtudij, adi Platonis Gorgiam, vel eum, qui Platonem exſcripſit, Aulum Gellium *l.* 10. *cap.* 22. nonnulla inſuper de ſuo adiicientem contra futilem, & puerilem, vt loquitur, meditationem argutiarum.

b hom. 4. in Exod.

c ἐν ἀπομνημονεύμασι.

d in Timone.

6. Aliud quoddam eſt genus Philoſophiæ, (ſi tamen Philoſophia dicenda eſt coniuncta cum impietate vanitas & arrogantia literaria) vnde non meliores fiunt & ſapientiores qui in illam incumbunt, ſed adulterina ſua illa ſcientia euanidi, & aliis peſtilentes: veriſſimi *famæ negotiatores*, (inquit Tertullianus [e]) *erroris amici, veritatis interpolatores, hæretico*

e in Apolog. & de præſcript. adu. hæreſ. & l. adu. Herm. & Marcioné.

hæreticorum patriarchæ, cæci duces, de quorum ingenijs omnes animantur hæreſes, qui inimicè affectam veritatem, ac de certis incerta præiudicant ad artis ſuæ propriæ gloriam, gloriæ ſolius & eloquentiæ libidinoſi, &c. Ludouicus Viues [a] Auerroem ſic inſectatur. *Admiratione atque omnium laude* a de corr. art. l. 1.
digni ſunt habiti, qui animos formauerunt, qui præcepta tradiderunt bene viuendi; te nihil eſt ſceleratius, nihil irreligioſius; impius fiat & Atheus neceſſe eſt qui tuis monumentis vehementer ſit deditus. Equidem coniecturas omnes conſumpſi. Iam dic ipſe qua potiſſimum re quibuſdam placuiſti. Audio, teneo, non tua culpa eſt; ſed noſtra: non tu afferebas quo placeres, ſed nos afferebamus, quo non diſpliceres: non approbauit te tua doctrina, ſed aliorum imperitia & torpor: ſtania erant obſcuris obſcura, inanibus inania, & quibuſdam pulchra ſunt viſa, atque ad fucum faciendum aptiſſima, quæ nec ipſi intelligerent, nec alij eſſent intellecturi: nam exiſtimationem ſcientiæ quærebant, non ſcientiam: multi qui te non legerant, alienum iudicium ſunt ſecuti; aliquibus propter impietates fuiſti gratus. Hæc Viues. Faxit Deus vt ſolus ſit impius, & animal gloriæ, & ſomniorum propola in philoſophicis ſuis commentationibus Auerroes, nulliſque ſint profeſſione Philoſophi, re Athei, qui veram Philoſophiam à fide Chriſtiana ſeparantes, præeant ſuis diſcipulis tanquam choragi ad omnem impietatem. *Vanalia hæc mancipia rumorum*, (vt eos appellat D. Hieronymus [b]) effecerunt, b ad Pammachium de obitu Paulinæ.
Tertulliano teſte, *vt Chriſtiani acriùs ad compedes & equuleos* raperentur: faceſſant præcipue à publicis diſputationibus quædam quæſtiones, quæ grauem in vulgus habere ſolent offenſionem, cùm quidam res certiſſimas de immortalitate animæ, Verbi diuini incarnatione, Romanæ fidei integritate, aliiſque id genus ex Ariſtotelis, Iudæorum & Mahometis, aut Lutheri doctrina & principiis negant: liceat eas ſe arctè tenere & credere tanquam veros germanóſque Chriſtianos profiteantur. Incredibile eſt quantum hæc problematicè diſputata interdum veræ pietati obſint: ac proinde ſapienter in Hiſpanicis Academiis tanquam incautorum offendicula & laquei prohibentur. φιλοψευδία hæc grauiter à Concilio Lateranenſi III. damnatur: ne (quod monuit Apoſtolus) decipiamur per inanem Philoſophiam ſecundùm elementa huius mundi, & non ſecundùm Deum. Si Agar, & Iſmael, & Sara, & Iſaac concordes eſſe velint, maneant in domo Abrahæ: ſi autem inſoleſcant, rixaſque & iurgia excitent, domo eiiciantur & exulent. Sic Philoſophi eatenus legendi & probandi ſunt, quatenus veritati & pietati conſenſerint, atque inſeruierint: ſin minus, audiendi non ſunt. Si Philoſophia Poſſeu. l. 15. Bibl. ſel. cap. 24 & 25.
reuerenter ſacræ fidei ancillabitur; quæ antea penè ad ſolum vſum medicinæ adhibita fuerat, à Theologia in ſublimiorem gradum promouebitur, & tanquam ancilla nobilis adſciſcetur in ſuggeſtus ſacros, in Synodos, in diuina adyta; propè dixi, in ipſum quoque Dei ſinum.

Capvt XII.

Armarium duodecimum.

Eius inſcriptio.

PHILOSOPHIA MORALIS.

1. Magna res eſt *Philoſophia*, non inficior, & iure merito in prima commendatione poſita innumeris grauiſſimorum auctorum elogiis. Tamen rem attentiùs conſiderans animaduerti laudes illa ferè
a 19. de ciu. c.3. omnes pertinere ad eam partem Philoſophiæ, quam D. Auguſtinus [a] *Artem honeſtæ vitæ*, & Plato [b] *ſcientiam optimi* appellant, hoc eſt,(vt lo-
b in Alcibiad.2. quitur Ambroſius [c]) *quæ docet morum elimatam perfectionem*, de qua cer-
c in fine comm. in ſomn.Scip. tè ſola dici præcipuè poteſt, eius munus eſſe *vacare bonæ menti, & in humana imbecillitate habere ſecuritatem Dei*, (ſi cum Seneca [d] loqui fas eſt)
d ep.53. *incredibilem eſſe eius vim ad omnem fortunæ vim retundendam; nullum telum in corpore eius ſedere, munitam eſſe ſolidámque, quædam defatigare, & velut leuia tela laxo ſinu excipere; quædam diſcutere, & in eum vſque qui miſerat*
e ep.90. *reſpuere.* De hac ipſa Philoſophiæ parte ab eodem dictum [e], *Quis dubitare, mi Lucili, poteſt, quin Deorum immortalium munus ſit quòd viuimus, Philoſophiæ quòd bene viuimus. Itaque tanto plus nos debere huic quàm Dÿs, quanto maius beneficium eſt bona vita quàm vita, pro certo haberetur, niſi ipſam Dÿ Philoſophiam tribuiſſent, cuius ſcientiam vlli dederunt, facultatem omnibus*; & paucis interiectis. *Ab hac nunquam recedit iuſtitia, pietas, religio, & omnis alius comitatus virtutum conſertarum & inter ſe cohærentium, hæc docuit colere diuina, humana diligere, & penes Deos imperium eſſe, & inter homines conſortium.* Vides Dei cultum tribui Philoſophiæ, adeóque ſi illam ſuſtuleris, τὸ μόνον εὔξασθαι ἐπιστάμενον, *precandi quoque ſcientiam*
f Serm.30. *ſuſtuleris*, vt de morali Philoſophia dixit Maximus Tyrius [f]. Hauddu-
g in Phædone. biè (ait Plato [g]) idem eſt τοῦ σώματος ὀλιγωρεῖν καὶ ἐν φιλοσοφίᾳ ζώειν. & ἱκανόν σοι τεκμήριον τοῦτο ἀνδρὸς ὃν ἂν ἴδῃς ἀγανακτοῦντα μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι, ὅτι οὐκ ἄρ' ἦν φιλόσοφος, ἀλλά τις φιλοσώματος, καὶ φιλοχρήματος καὶ φιλότιμος. *Sufficiens coniectura ſit, ſi videris aliquem moleſtè mortem ferre, eam non eſſe Philoſophum, ſed corporis amatorem, & pecuniarum & honoris cupidum.*
Idem eodem loco. Nam οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι, καὶ τεθνᾶναι ἥκιστα αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν. *qui rectè philoſophantur, meditantur mortem, & illis ſolis ex hominibus mors haudquaquam terribilis eſt.* Vnde Philoſophus eſt verum & expreſſum ſimulacrum virtutis, cùm alij ſint tantùm rudis delineatio, & vmbra.

2. Eſt in eam ſententiam elegans Muſonij diſputatio apud Stobæum [h]
h Serm.46. aſſerentis, Regibus ideo philoſophandum eſſe, quòd ſine Philoſophia iuſtitiam, iuſtúmque tenere nequaquam exiſtimabuntur. Ἀγαθὸς δέ τις ἀνὴρ, οὐκ φιλόσοφος εἴη ἄν· νὴ δία, εἴγε τὸ φιλοσοφεῖν καλοκαγαθίας ἐπιτήδευσις ἐστίν· οὐδ' ὁ βασιλεὺς ἀγαθὸς ἐξ ἀνάγκης εὐθὺς καὶ φιλόσοφος ἐλέγχεται ἄν· καὶ μὴν ὅγε φιλόσοφος ὅτι πάντως καὶ βασιλικός. *Bonus vir eſſe nemo poteſt, quin & Philoſophus, per Iouem ſiquidem philoſophari, eſt boni honeſtique ſtudium exercere.*

exercere. Itaque bonum Regem continuò & Philoſophum eſſe neceſſe eſt. Conſentanea his Tiberius Imperator Mauritio traditurus imperium dixit, *Tu verò Maurití poteſtatis inſolentiam ratione fac frænes, & ſapientiæ artibus ſcapham fac gubernes; purpuram tibi ac vilem pannum tibi iniectum eſſe per Philoſophiæ ſtudium exiſtima; coronam qua caput cingitur, nihil à lapillis qui circa littus fluctibus eluuntur, differre puta.* Omnino quiſquis Rex ſcientiam hanc poſſidet, duplici nomine Rex cenſendus eſt; quandoquidem quicumque illa præditus fuerit, etiam priuatus, iure eum nominandum eſſe βασιλικὸν affirmet Clemens Alex. [a] cúmque Imperatoribus nihilo minorem eſſe contendat Themiſtius [b], imò & Cæſareâ potentiâ eiuſmodi hominem potentiorem eſſe probat apud Arrianum Epictetus [c]; nimirum quòd illa ars in febribus, in naufragiis, in incendiis, in terræ motibus, in fulminibus, in omnibus mentis ægritudinibus ſecuritatem præſtare poſſit, ſanitatem & pacem, quam Cæſar concedere non poteſt. Solam hanc partem Philoſophiæ quæ informat mores, Nazianzenus Gregorius [d] intelligebat, cùm præclaro ſanè elogio Philoſophiam vocauit δέσποιναν τῶν παθῶν, *dominam paſſionum.* Eamdem innuebat Thaumaturgus [e] ſeuerè pronuntians, οὐκ εὐσεβεῖν ὅλως δυνατὸν μὴ φιλοσοφήσαντι, *haud poſſe quemquam eſſe pium qui non philoſophetur.* Eamdem ille apud Athenæum [f], qui ideo virtutis ſacerdotem ſe profitebatur, quòd eſſet Philoſophus. Eamdem rurſus Seneca [g], cùm ait, *Philoſophia facere docet, non dicere, & hoc exigit vt ad legem ſuam quiſque viuat.* Idem alio loco grauiſſima oratione inculcat, quam optauerim legi ab iis omnibus, qui ſacrum Philoſophiæ nomen indignis moribus conſpurcant [h]. *Illud admoneo* (inquit) *auditionem Philoſophorum lectionémque ad propoſitum beatæ vitæ trahendum, vt captemus profutura præcepta & magnificas voces atque animoſas, quæ mox in rem transferantur: ſic iſta diſcamus, vt quæ fuerint verba ſint opera. Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus indico, quàm qui Philoſophiam velut aliquid venale didicerunt; qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt: exempla enim inutilis diſciplinæ circunferunt, nulli non vitio quod inſecuntur, obnoxij.* Eandem denique Plato indicauit, cùm protulit affatum iſtud, τὸ βέβαιον καὶ πιστὸν, καὶ ὑγιὲς, τοῦτο ἐγώ φημι τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν εἶ), τὰς δ' ἄλλας, καὶ εἰς ἄλλα τεινούσας, σοφίας τε καὶ δεινότητας κομψότητας εἶναι προσαγορεύων ὀρθῶς ὀνομάζειν. *Conſtantiam, fidem, animi ſanitatem, ego aio veram Philoſophiam eſſe; alias autem quaſcunque, & aliò tendentes ſapientias ſiue ſolertias, ſiue elegantias, & argutias dixero, rectè ſentiam eas appellaſſe.* Nec mirum ſi huic ſcientiæ tanta bonitas tribuitur, quippe quæ cùm fontes honeſtatis deſignat, & veluti digito monſtrat, profectò ſic auocat à vitiorum turpitudine; cùm indicat quomodo in ſtadio virtutis tenore eundum ſit, ſeruandus verſus, non diſcendum ab orbita; docet quoque quomodo metæ circumflectendæ ſint ſine naufragio, quomodo interior curſus dextrè tenendus, quomodo

> *Si te incautiùs aſſecutus hoſtis*
> *Tranſuerſum venit impudens in axem,* ne tu
> *Curru præcipitatus obruente*
> *Turpes prociduam cruore frontem.*

Cùm turpitudinis ſcaturigines aperit, & peſtilentes riuos vitiorum,

Niceph l. 18 hiſt. Eccl. c. 6.

a ſtrom. 2.

b or 4.

c l. 3. c. 13.

d or. 20.

e in paneg.

f l. 5.

g ep. 20.

h ep. 108.

Sidon. Apoll. in Narb.

ſimul etiam digitum intendit ad illimes & incorruptos virtutis fontes, atque ad eos vbicumque tandem fuerint adeundos animum facit. Aliæ
Sen.ep 88. naturales ſcientiæ ex propio munere hoc non præſtant; ac proinde *hoc ſapientiæ ſtudium ſublime, forte, magnanimum eſt; cætera puſilla, & puerilia ſunt; verè liberale eſt, & libero homine dignum, quia liberum facit.*

3. Omnium luculentiſſimè complexus eſt moralis Philoſophiæ com-
a 3. inſt. c. 7. mendationem aureum flumen Chriſtianæ eloquentiæ Lactantius [a]. *Tranſeamus* (inquit) *ad alteram Philoſophiæ partem quam* MORALEM *vocant, in qua totius ratio Philoſophiæ continetur. Siquidem in Phyſica ſola oble-ctatio eſt, in hac etiam vtilitas: & quoniam in diſponendo vitæ ſtatu formandiſque moribus, periculo maiore peccatur, maiorem diligentiam neceſſe eſt adhiberi, vt ſciamus quomodo nos oporteat viuere: illic poteſt venia concedi, quia ſiue aliquid Philoſophi dicunt, nihil proſunt; ſiue delirant, nihil nocent; hìc verò nullos diſſidio, nullus errori eſt locus, omnes vnum ſentire oportet, ipſámque Philoſophiam vno quaſi ore præcipere, quia ſiquid fuerit erratum, vita omnis euertitur: in illa priori parte, vt periculi minùs, ita plus difficultatis eſt, quòd obſcura rerum ratio cogat diuerſa & varia ſentire; hìc vt periculi plus eſt, ita minùs difficultatis; quod ipſe vſus rerum, & quotidiana experimenta poſſunt docere quid ſit verius & melius.* Omnia illa Philoſophiæ elogia, quæ hoc capite & ſuperiori retulimus, & ſexcenta alia, quæ legenti occurrent, ſoli Ethicæ Philoſophiæ, vel te ipſo teſte & iudice, propriè conueniunt; quam ſpartam diligentiſſimè, vt ſolet, ornauit luculentis duobus tomis Magiſter in Theologia meus P. Theophilus Raynaudus, cuius commentarij, ſi vel ſoli ſint in hoc armario, abundè refertum erit, & inſtructum; erúntque tibi paratiſſimum promptuarium, vbi miro iudicio digeſta reperies quæcumque vel ſacri, vel prophani ſcriptores intra cognitionis naturalis limites de virtutibus & vitiis ſubtiliùs & ſententioſiùs diſputarunt. P. Ioannem de Pineda, maximè iudicij virum, atque ſcriptorem hac ætate inſignem, vtrumque illum Raynaudi tomum audiui laudare magnificis verbis, ac nominatim de ſecundo qui eſt de virtutibus & vitiis, ob eximiam eruditionem qua refertus eſt, dicere, *eſſe pulmentum orizæ, puluiſculis ex ſaccharo & cinamomo perſperſum.*

4. Ethicæ, ſeu monaſticæ contubernalem adiungo OEconomicam &
b 1. Eth. c. 2. & 1. magn. mor. c. 1. Politicam, illam priuatæ, hanc publicæ vtilitati addictam, & quidem adeò nobilem, vt ei interdum Philoſophus [b] totius ſcientiæ nomen attribuat.

CAPVT XIII.

Armarium decimumtertium.

Eius inſcriptio.

MATHEMATICI.

1. PAtrem Claudium Aquauiua, quintum Præpoſitum Generalem noſtræ Societatis, ſummi iudicij virum dixiſſe aliquando ferunt, videri

ſibi duas eſſe diſciplinas nobiles illas quidem & ſalutares, præcipuè
tamen obnoxias, ne ſe addiſcentibus perniciem aliquam creent; altera
eſt *Rhetorum*, altera *Mathematicorum*; illa ne in eorum calliditatem qui
ſe *Politicos* dici volunt, degeneret; hæc ne in Genethliacorum diuina-
tiones. Etenim (inquit Famianus Strada [a], qui hoc refert) ſicut floribus a l. 1. prol. 1. hiſt.
& oleribus minuta interdum animalia naſcuntur, quæ incautos colore
promiſcuo, ac penè indiſcreto enecant: ita cum bonis artibus ſua ple-
rumque vitia ſuccreſcunt, quæ perſimili affinique virtutibus ſpecie ve-
nenum occultant. Quod ſpectat ad Rhetorum affinitatem cum Politi-
cis, non eſt res noua. Nam Iſocrates [b] iam ſua ætate reprehendebat b contr. Sophiſt.
quoſdam politicarum orationum magiſtros, & profeſſores πολιτικῶν λό-
γων ὑπισχνουμένους, qui cùm veritatem negligerent, hoc artis eſſe dicebant.
hinc ſeu Rhetorum, ſeu Sophiſtarum πολιτικὸς θρόνος Athenis, quem Philoſtr. l. 2. de vita Sophiſt.
qui obtinebat, talento in annuum ſalarium docebat. hinc πολιτικοὶ ῥήτο-
ρες, quos Iulius Pollux [c] à Sophiſtis diſtinguit.

Quod ad Mathematicos attinet, multò ſeueriſſimè de illis edixerunt c l. 4. c. 1.
Imperatores Conſtantius & Honorius: ille capitis pœnam in eos con- 2.
ſtituit; iſte eos è ciuitatibus pelli iuſſit. Præceſſerat iam olim horum l. 5. C. de malef.
Imperatorum edicta, atrox (vt loquitur Tacitus [d]) Senatuſcóſultum im- l. 6. C. de Pag.
perante Claudio de Mathematicis Italiâ pellendis. his amplius quid- l. 12. C. de malef.
dam ſtatutum ſanxerunt Honorius & Theodoſius [e], vt libri Mathema-
ticorum in oculis Epiſcoporum flammis traderentur; cui legi D. Augu- d ann. l. 12.
ſtinus reipsâ aliquando *bonum factum* adſcripſit; nam traductum ad e l. mathematicos C. de ep. aud.
Chriſti diſciplinam quemdam Mathematicum, qui ſuis illis artibus
corraſerat à Chriſtianis, multas pecunias produxit in mediam concio-
nem, vt quotquot fuerant teſtes nequitiæ iſtius hominis, forent & pœ-
nitentiæ; tum hæc addidit, *Portas ſecum codices incendendos, per quos fuerat
incendendus, vt ipſis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat.* Idem ſanctus
Doctor Genethliacorum, & Mathematicorum artes *nugatorias* appellat, l. 2. de doctr. Chr. c. 24.
noxiæ & peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſolicitudinis, & mortiferæ ſeruitutis.
De illis licèt haud ita ſeuerè S. Ambroſius pronunciet [f], tamen eas ina- f l. 2. de Abrah. c. 11
nium diſciplinarum & contemnendarum vanitatum loco habet. *Nec
cubos Geometricæ* (inquit) *nec tetragonum numerum Philoſophiæ, quaternionem,
vt aiunt, Pythagoricum, nec ſemper virgines, (vt appellant) hebdomadis nume-
ros, cura diſcutimus inani, nec ſolem radio formamus, nec cœlum in puluere ſcri-
bimus, nec intra anguſtos abacos orbem concludimus, ſed vera aperimus my-
ſteria.*

Ex dictis multiſque aliis quæ contra Mathematicos dici poſſent, 3.
quiſpiam conficiet, exigendos eſſe longè à Chriſtianorum Bibliothecis
eos libros, qui ab Imperatoribus damnati ſunt, flammis addicti, & quo-
rum auctores proſcripti, atque vltimo ſupplicio affecti. Reſpondeo, paſ- C. de math. & malef.
ſim Mathematicos à Iuriſconſultis in tituli rubrica poni in iure pro
ſolis Genethliacis: quam vocem eodem ſenſu vſurpatam docent Sueto- Vlpian. l. 7. de off. proconſ.
nius, Tacitus, & Ammianus ac plerique alij; necnon ipſi Poëtæ, vt ex hoc
verſu Iuuenalis [g] liquidò conſtat.

> *Nemo Mathematicus Genium indemnatus abibit.* & [h], g Sat. 6.
> *Nota Mathematicis Geneſis tua;* h Sat. 14.

quæ

quæ ars(ſi tamẽ ars eſt) meritò proſcribitur, cùm ſit plena futilitatis & leuitatis,atque *inane mortaliũ ludibriũ,quod à prudentibus ſẽper accuſabitur, & ſemper tamen patronos habebit*,quemadmodũ dixit poſt Tacitum Mariana noſter agens de Alphonſo;cui *Sapientis* cognomen Aſtrologiæ vanitatis tribuit. Mathematicas verò diſciplinas fere pro nihilo habitas à ſanctis Patribus præ ſacris literis minimè mirabitur,quiſquis apud animum ſuum reputauerit,eos de æterna hominum ſalute in primis ſolicitos,atque inſtruendis ad Chriſtianam pietatem mortalibus præcipuè intentos,illam tantùm doctrinam, quæ beatam immortalitatem parturit magni feciſſe.*Verùm iſta omnia humanæ ſapientiæ inuenta*,(inquit D.Au-
a l.2 de doctr.Chr. 4. guſtinus [a])*licèt exquiſitiſſima,quota portio ſunt diuinæ ſapientiæ?*

Nemo tamen negauerit locum eſſe Mathematicis diſciplinis inter naturales ſcientias haud poſtremum,ſiue animi voluptatem,ſiue cognitionis ſublimitatem conſideres.De vtilitate quidem Pythagoras,& cum eo multi qui tanto duce puriùs excitaſſe mentem videntur, dixerunt *abſque Mathematico quadriuio, Philoſophiæ apicem contingi, & ad verum perueniri non poſſe.* Numerorum autem inter ſe diſſimilium ſimilitudo ad planorum partem relata non humanum, ſed diuinum miraculum à Platone altiùs extollitur,dum ait,*horum finem eſſe,vt ad diuinam generationem, & eorum quæ oculis cernuntur pulcherrimam diuinámque naturam conſiderandam nos conferamus.* Deinde quàm ſuauiter Mathematicæ diſciplinæ mentes noſtras paſcant ac reficiant,ex eo cognoſces,quòd meram veritatem, vnicum & conuenientiſſimum intelligentiæ noſtræ pabulum nobis apponant tanquam Geniales epulas, non impuras illas, & cum materiæ concretione permixtas, ſed affluentes ſucco ſine fecibus, quarum delitiarum vel tenuiſſimus guſtatus non poteſt non iucundiſſimus accidere.Audacter dico,neque me pœnitebit id dixiſſe; ſcientiam eſſe penitus nullam, quæ veritatem puriùs tractet: probabilitates & iactatum illud *αὐτὸς ἔφα*, ſi ſolitaria ſint, & expertia rationum Solis radiis clariorum,Mathematicis pro ignoratione eſt. Et quemadmodum quædam regiæ aues paſcuntur ſolis animalium cordibus,ſolis pingueſcunt, ſola appetunt;ita Mathematici illud omne reſpuunt quod non demonſtrant,quódque ita probare nequeunt,vt nullus relinquatur dubitationi & tergiuerſationi locus:quæ cauſa eſt cur Geometricum puluerem nobili prorſus epitheto Tullius *erüditum* vocauerit; nempe quòd veritatem velut in politiſſimo ac nitidiſſimo ſpeculo ſine vlla erroris nubecula exhibeat. Neque à vero aberrauit, quiſquis Geometriam *ſcientiarum anſam* appellauit: vnde factum eſt, vt in Academiæ veſtibulo Plato inſcripſerit tritum iſtud,*οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, nemo Geometriæ ignarus*
Plin. l.7. c.37. *ingrediatur.*Grande Archimedi in Geometria & machinali ſcientia præſtanti teſtimonium contigit; interdicto,cùm Syracuſæ caperentur, ne violaretur vnus,niſi fefelliſſet imperium militaris imprudentia.De ſubtilitatibus Mathematicis vulgò teritur illud eiuſdem Tullij *Mathematicos in magna rerum obſcuritate, recondita arte multiplicique ac ſubtili verſa-*
b l.2.c.23. *ri*. Subtilitatem illam euincit duplici exemplo Plinius[b]. *Auſi ſunt Mathematici*(inquit)*diuinare Solis ad terram ſpatia,eadem ad cœlum agunt,quoniam ſit medius ſol,vt protinus mundi quoque ipſius menſura veniat ad digitos:*

terra

terræ vniuerſæ menſuram ita exigunt ad calculos, & ita ſubtili computatione comprehendunt, vt ſi cui videatur improbum auſum, tamen pudeat non credere.

Vereor manum iniicere in Mathematicarũ gazas, quid enim ex tan- 5.
tis diuitiis & laudibus ſeligam, quid relinquam neſcio. Alcinous Platonicus dicebat hominem Mathematicis haud imbutum eſſe nudiorem Liberide, pauperiorémque Ciriclo. *Geometriam* partem earum principem Philo Iudæus [a] *omnium ſcientiarum parentem vocabat*. Cœlius Rhodiginus [b] *Metropolim & principium omnium ſcientiarum*; Beſſario Cardinalis [c] neminem pro docto haberi abſque hac cognitione ait. Idem Patritius* Duces Regéſque hac non mediocriter imbutos eſſe debere pronuntiat. Lucas Penna Iuriſconſultus clariſſimus [d] eius pretium & dignitatem extollit, aiens homines ad eam addiſcendam cogi poſſe.

Optica verò quàm meritò dicta à Gellio [e] *vtilis & ſuauis præſtigiatrix obyciens varias technas viſui decipiendo*, verùm obiectos ab aliis dolos ſubtiliter retegens. Nunquam finis ſit de ſingulis partibus diſputem, quod à ſingularum profeſſoribus & ſcriptoribus abundè præſtitum eſt. De Aſtrologia non poſſum omittere quod Hipparchus [f] dixit, Medicum ea deſtitutum, oculum eſſe lumine carentem, & ſi nihil aliud habeat quàm quod pignerari nobis videtur benignos aſtrorum influ-
xus, id quanti æſtimandum ſit? Porrò id ita eſſe Synesius monet his 6.
verbis [g]: *Videntur mihi ſtellæ libenter intueri in eum interdum, quem in terra vident ſui ſpectatorem eſſe cum ſcientia*. Sane D. Ignatium Loyolam ſcimus (quod etiam de fratre ſuo Cæſario S. Gregorius Naz. [h] laudat) ἐκ τῆς τῶν οὐρανῶν εὐαρμοστίας καὶ τάξεως τὸν δημιουργὸν θαυμάσαι. Ex corporũ cœleſtium pulchritudine & ordine rerum omnium artificem Deum mirari conſueuiſſe; & exclamaſſe identidem, *Quàm ſordet tellus dum cœlum aſpicio*. Ambroſiæ particulam porrigo tibi ex Ambroſio penu promptam Philomuſe, tum oris tui commendandi gratiâ extremo hoc edulio quo cœnulam hanc claudam, tum in commendationem illius ſcientiæ, de qua ſermo eſt, hominem ad diuinæ mentis conſortium promouentis. *Eleuat ſe homo in aërem* (inquit S. Ambroſius) *& eius nebuloſa prætergrediens ad cœli alta ſe dirigit ſtudio cognitionis, & ardore ſapientiæ. Vbi pauliſper ſtupefactus admiratione ſtellarum cœleſtium, & luminum delectatus claritate, proſpiciens deſuper mundana iſta, conferens ſe quoque ad heſperum atque arcturum, & cæteros illos ἀστέρας πλανήτας, & videns quòd inoffenſus iſte ſit error, quem ſine errore, quo magis omnia obeant, intexere atque oberrare videantur, maiore ſe cupiditate attollit ad ipſum gremium Patris, in quo eſt vnigenitus Dei filius enarrans ſecreta Dei.*

Ad extremum te moneo, ne patiare in hoc armario deſiderari P. Hu- 7.
gonis Sempilij è noſtra Societate libros duodecim de diſciplinis mathematicis, Antuerpiæ recèns editos; ad eas enim diſcendas expeditæ rationes atque perutilia documenta, necnon & recenſio & recognitio innumerabilium Auctorum qui ſingulas partes ſcriptis illuſtrarunt, eo volumine comprehenduntur, quod proinde haud immeritò *Bibliothecam mathematicam* appellaueris.

a apud Anton. Zara Epiſc. Petinenſem de anatomia ingeniorum ſect. 2. membro 9.
b l. 4.
c in Platonis calumniatorem.
*l. 2. de regno c 14.
d de excuſat. art. l. 10.
e l. 16.
f lib. de vinculo ſpiritus cap. 2.
g ep. 101.
h or. 10.

CAPVT XIV.

Armarium decimumquartum.

Eius inſcriptio.

PHYSIOLOGI.

1. HOc intereſt inter eam partem Philoſophiæ quæ *Phyſica* dicitur, & eam facultatem quæ *Phyſiologia* nominatur, quòd illa perſequatur vniuerſales corporis naturalis cauſas & effectus; hæc de ſingularibus inquirat, & ea contempletur. Quo in genere eſt hiſtoria naturalis Plinij, Rondeletij piſcium, Geſneri quadrupedum, Dioſcoridis plantarum, Æliani animalium, Ornithologia, &c. Aldroandi; nec minus admirabilitatis hoc armarium continebit quàm proximè ſuperiora, neque vlla ex parte illis, (quandoquidem *Phyſiologia eſt triuium, & curia, atque comitium ſcientiarum*, vt eam Aſtyages Phyloſophus vocare conſueuerat) in librorum numero: nam ſi quot ſunt res creatæ, tot ſunt libri (aiebat Magnus Antonius) in quibus ipſimet illiterati legere poſſint mirabilia de Dei Opt. Max. bonitate, ſapientia, potentia, & reliquis perfectionibus diuinis, iuxta illud regij Vatis, *Quia non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini*; quàm locuples erit iſtud armarium in quo explicatur vniuerſæ naturæ maieſtas, (*nam & coloſſorum ſimilitudines in perexiguo annulo exprimuntur*, vt dixit Plato [a]) vniuerſæ (inquā) naturæ, quam D. Baſilius [b] rectè & conuenienter ad præſens inſtitutum διδασκαλεῖον καὶ παιδευτήριον τῶν ψυχῶν, *Academiam & Gymnaſium animorum* nominauit; & eum ſecutus Piſides [c] σχολὴν κτισμάτων, *ſcholam creaturarum*, & Leo Pontifex [d] *publicas paginas*. Equidem maximoperè optauerim diligenter conquiri atque haberi eos libros, qui à variis auctoribus quamplurimi editi ſunt, *ne tanta Dei opera ſine teſte ſint*, inquit Seneca [e]. Porrò tam multos de hoc argumento ſcriptos fuiſſe nec egò miror, nec miratus eſt D. Chryſoſtomus [f], cuius hæc ſunt verba vſquequaque veriſſima. *Enarranti Dei miracula vndecunque incœperit luculentum fore proœmium, ſiue à cœlo, ſiue ab aëre, ſiue à terra, ſiue à ſeminibus, ſiue à plantis, ſiue à brutis, & vbique inueniendum immenſum pelagus narrationum: in ſingulis verò elucet* (vt dixit D. Fulgentius [g]) *Dei mirabilis ſapientia in diſpoſitione, & virtus in opere.*

Pſalm. 70.
a initio Coſmop.
b hom. 1. in exaëm.
c in hex. apud Creſ. ſeſſ. 1. cap. 13. l. 3. myſt.
d Serm. 7. de ieiun. ſept. menſ.
e de beata vita c. 31.
f hom. in Pſ. 110.
g l. de ſide ad Petrum.

2. De cœleſtium corporum immenſitate nihil dico, nihil de velocitate, quæ adeò mirabilis eſt, cùm tanta ſit, *vt ſolem quem velociſſimum omnium eſſe ſcimus, nemo noſtrûm videat moueri, nec ire crederemus, niſi appareret ipſe.* Nihil de cœleſtium orbium pulchritudine, niſi quod dixit D. Ambroſius [h], *Quomodo per lunæ & ſtellarum fulgorem cœlum velut quibuſdam floribus coronatum ita ignitis luminaribus micet, vt paradiſo putes vernante depictum ſpirantium roſarum viuis monilibus renitere, vnde & à pleriſque* ORNAMENTVM COELI *eſt nuncupatum, eo quòd ſit ſtellarum monile pretioſum.*

Sen. 1. nat. qq. c. 3.
h 4. hex. c. 2.

De

De ſingulis elementis quid? Quàm bellè includentur in hoc armario infiniti libri qui ſapienter de illis ſcripti ſunt? imò & ipſa in eo includi debent: nam(vt dixit Magnus Leo [a]) quatuor illa principia & mundi cardines ſunt velut quatuor Euangeliorum libri continuò aperti omnibus diſcere volentibus quid prædicandum, quid agendum. Ac primùm quidem quàm prodigioſa ſcribi poſſunt de ſphæra ignis eiuſque natura, quæ *voracitatem auidiſſimam ſine damno ſui paſcit? Quam luculenta de tenera corporum omnium veſte, calorum omnium indice, organo temporum, machina, per quam omnia fiunt, vitæ animantium opitulatore, officina mirabilium Dei; armamentario naturæ?* Aërem intelligo. *Quam amœna de amnium amœnitatibus & meandris maris ac fluminum aquæ, quam prodigioſum videtur* (exclamat Philo [b]) *id quod diſſolubile eſt contineri à diſſolutino, videlicet terram* ab aqua? Rurſus, quàm mirabiles ſunt *fluctuum ſaltus, & prouidentiæ frænum quod illis iniectum eſt, & quo impediti terras inundare nequeunt, ſed cùm contra arenam cum impetu feruntur, poſitos tamen ſibi terminos pertimeſcunt, & dum legem ſibi à Deo latam illic inſcriptam vident, inſtar contumacis equi, qui à ſeſſore fræno retractus collum reflectit retróque cedit, refugiunt; quaſi & eius facti illos pœniteat, quòd arenis appellere auſi ſunt*: ſed & nauigationis cõmoditas quanta & quàm multiplices commoditates hominum generi affert, *quod cùm vnuſquiſque paruum apud ſe poſſideat terræ ceſpitem, quaſi totius mundi rerum dominus efficitur, earúmque facilem vſum adipiſcitur, vniuerſúſque orbis efficitur omnibus tanquam vna menſa, nullo prohibente ſumere quod vbique eſt.* Quid de mirabili fontium thermarumque varietate & commodis? Quis terram dignè vt par eſt deſcribat? *pulchrum mundi ſubſellium, nutrimentum, eandémque nutricem terrenorum omnium*, atque eius in fœnore agricolis reddendo fidem? Quis reliquam mundanæ domus ſupellectilem enumeret? plantas, herbas, flores, fructus, ſemina, piſcium, auium, quadrupedum immenſitatem, exilitatem, artificia, miracula; denique quid *homine magno* (ſic mundum Phyſici apud Macrobium [c] appellant;) vel quid *breui mundo*, ſeu *microcoſmo*, (ſic hominem paſſim vocamus) præſtantius? quàm illuſtre, quàm amplum Phyſiologis ſcribendi argumentum?

3. — a Serm. 8. — Pl. l. 2. c. 107. — Tertull. lib. contra Valentin. c. 23. — Mercur. Triſ. cap. 8. — Anſel. — Theodor. or. 2. de prouid. — Plin. l. 2. c. 38. Satyr. 13. — b lib. de plant. Noë. — Theodor. ſerm. 2. — D. Chryſoſt. l. de compunct. cordis. — Triſmeg. in Pim. c. 11. — c l. 2 in ſomn. Scip. c. 12.

Hæc omnia quæ per occaſionem obiter dicta ſunt, & longè plura quæ habet Theophilus Raynaudus in pererudito libello *de ſcala viſibili à creaturis ad Deum*, ſunt Phyſiologorum curricula & diſputationes; quos ius larium in literaria Repub. ipſa natura rerum & ratio habere vult. *Natura enim artis ſibi & pulchritudinis ſuæ conſcia ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum operis ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formoſa ſolitudini oſtenderet: vt ſcias illam ſpectari voluiſſe, non tantùm aſpici. vide quem nobis locum dederit; in media nos ſui parte conſtituit, & circumſpectum omnium nobis dedit.* Triſmegiſtus tamen [d] optabat commodiorem rerum naturæ contemplationi locũ quàm quem homines in hoc orbe tenent, & quem proximè ſuperioribus verbis Seneca attigit. *Vtinam* (inquit Mercurius termaximus) *tibi daretur facultas, vt alarum adminiculo in ſublimem aeris plagam volares, mediamque inter cælum & terram*

4. — Sen. l. de beata vita. — d in Pim. c. 5.

regionem ſortitus conſpiceres terræ quidem ſoliditatem, maris diffuſionem, fluxum fluminum, aëris amplitudinem, ignis arctam celeritatem. O feliciſſimum, fili, ſpectaculum, ô beatiſſimam viſionem! ſiquidem vno luminum motu ſeriem totius mundi comprehenderes, immobilémque factorem concitum, latentem quoque perſpicuum cerneres. Hæc ille. Ego verò non tantùm queo indicare tibi locum eo loco, quem cupit Triſmegiſtus, aptiorem; ſed & conſtituere te poſſum in tali ſede, vnde maxima & minima, proxima & remota, & quæ in ſumma tellure, quæque in eius abdita ſunt viſceribus, & quæ in extima aqua, & quæ in ima, & quæ vſpiam ſunt, contemplari poſſis. Inſtrue armarium iſtud Phyſiologorum libris: nihil erit in huius vniuerſitatis ambitu & naturæ finibus, quod ſe non tibi ſiſtat inſpiciendum, verſandum ac propè contrectandum.

5. Alchymiſtarum libris, qui ſunt hac ætate plurimi, cur præcludi hæc Bibliotheca omnino debeat, non ſatis video; dummodo nihil contra pietatem & bonos mores afferant; hoc autem armarium proprius eorum locus eſſe videtur. huius quidem artis longè plures eſſent commentarij niſi Diocletianus Imperator Ægyptios arte chymica auro fretos rebus nouis ſtudentes mulctaſſet omnium librorum exuſtione. Sola tabula Mercurij, Triſmegiſti (quam *ſmaragdinam* vocant) περὶ τῆς χυμείας, reperta inter ipſius mortui manus in obſcuro quodam antro, ſat amplum fuit argumentum ſcribendis multis commentariis. Fabula de aureo vellere nihil aliud innuebat ingenioſis illis inuolucris, præter mirabilem quemdam librum in velleribus, ſeu ouina pelle conſcriptum, quo tota Chryſopœiæ ſcientia continebatur, & quo potiri nemo poſſet, vel ſaltem nemo eius intelligentiam conſequi; niſi, ceu alter Iaſon, perfunctus eſſet longa & difficili nauigatione ac multis laboribus; hoc eſt, niſi priùs ſuis ipſius manibus laborando, vſum, (quam praxim vocant) didiciſſet. de huius fabulæ interpretatione in hunc ſenſum quem attigimus pulchrè Suidas.

Geber. Arabs in ſua Alchymia. Hortulanus qui indignum diſcipulum ſapientiæ ſe dicit.

6. Verùm de hac arte quid? laudabimus illam, aut damnabimus? Ego (vt nonnemo dixit) dignam eſſe cenſeo illo honore, quo probam mulierem definit Thucidides. *Illa* (inquit) *optima eſt, de cuius laude, vel vituperio minimus ſermo ſit.* Placet ſtare Famiani Stradæ iudicio [a]. Qui auri confecturæ hoc tempore ſtudent (inquit) fumoſi homines & deuota igni capita, quamuis auri comparandi quam cupiunt artem nunquam adinueniant, multa tamen eâdem operâ condiſcunt, ac ſæpenumero mira naturæ arcana in lucem proferunt. Sic olim argentum quod viuit micátque perpetuò, conflandi auri occaſione repertum potius quàm inuentum ferunt. ſic hodie rationem gemmas emaculandi, aërem in niues cogendi, aquam pro oleo ad lumen vſurpandi, aliáque complura haud prorſus auro inferiora didicere nonnulli dum vnicè aurum quærunt. Quare non operam ij perdunt, qui defraudati licèt auro, in hæc tamen admiranda plerumque diuertunt.

Cornel. Agrippa lib. de vanit. ſcient.
a prol. 4. hiſt. l. 2.

CAPVT

CAPVT XV.

Armarium decimunquintum.

Eius inſcriptio.

MEDICI.

SI præiudicium ſumpſeris ex facto Romanorum, qui templum Æſculapij, cùm reciperetur is Deus, extra vrbem fecerunt, iterúmque in Inſula, ſi Plinio & Catoni auſcultas de Medicina loquentibus, locum fortaſſe dabis in tua Bibliotheca Medicis prorſus nullũ. Cato quidem Regum nomini infenſiſſimus, *non magis amabat medicinas, quàm reginas.* Plinius præterea quæ libri vigeſimi quarti capite primo habet, ait *theriacem* (quæ vulgò habetur princeps medicamentorum) *eſſe excogitatam compoſitionem luxuriæ; & luem morum non aliunde maiorem quam è medicina.* Idem alio loco [a] hæc inquit. *Nõ fecit cerata malagmata, emplaſtra, collyria, antidota parens illa & diuina rerum artifex,* (naturam intelligit) *officinarum ſunt hæc, imò veriùs auaritiæ commenta,* &c. *ſcrupulatim colligere, ac miſcere vires, non coniectura humanæ opus, ſed impudentiæ eſt.* Tum alibi [b] inuehitur in eius artis, vt loquitur, *vanitatem,* quæ adhibet ad compoſitiones ſuas, humanas carnes, quod qua coniectura induci potuit, non videt. hæc & pleraque alia iactari ſolent contra artem medicam à cauillatoribus iocularijs potius quàm à cordatis hominibus, quæ dicteria & ſannas ſi aliquo loco haberemus, dicendum continuò foret inutile eſſe in hac Bibliotheca armarium Medicæ facultatis. 1.

a l.22.c.24.

b l.28.c.1.

Nihilominus omnino valde imperfectum ſit illud Muſeum, in quo Medicorum commentarij defuerint; ſunt enim fœti infinita eruditione, imò & humanæ vitæ admodum ſalutares: nec pluris facienda ſunt, quæ intemperantis linguæ homines contra hanc artem blaterant, quàm quæ paſſim contra Iuriſprudentiam, Rhetoricam, Poëſim, Mathematicas diſciplinas, Philoſophiam ac reliquas ferè omnes ſcientias imperiti quidam, aut proprio naturæ vitio rerum omnium pulcherrimarum maledici locuntur. Item iniquè faciunt quicumque vitia certorum hominum præpoſterè bonis rebus abutentium in res ipſas, aut artes ex ſeſe optimas conferunt. *Parum docti & ſatis ſeduli Medici* (inquit Sidonius Apollinaris) *multos officioſiſſimè occidunt.* Eſt ita prorſus: ſed arguto iſto dicterio non tam ars medica, quàm medicæ artis inſcitia accuſatur plurimarum mortium, eóque ferè recidunt quæ contra Medicos vſurpari ſolent cauillationes. Artem non reprehenderunt duo illi grauiſſimi auctores Plinius & Cato, quos adduximus, ſed peruerſum artis vſum. Quin ipſe Plinius [c] *medicinam rem vtiliſſimam* appellauit, *nullámque artem ea fructuoſiorem* eſſet dixit. Et Cato ſubiicit quâ medicinâ & ſe, & coniugem vſque ad longam ſenectam perduxerit, profiterúrque eſſe commentarium ſibi quo medeatur filio, ſeruis, familiaribus. Porrò potiùs ſuſpicienda eſt humana intelligentia in theriace ſcrupulatim con- 2.

c l.29.c.1.

ficienda, aliiſque id genus compoſitionibus medicis, quas alexipharmacas,& pancreſtas,& apotropæas, & alexicacas eſſe manifeſtò experimur, quàm earum confectio vanitati, oſtentationi, impudentiæ, & auaritiæ adſcribenda, vt parum conſideratè (ne quid grauius dicam) Plinius fecit. Quaſi verò omnia integra perfectaque ad vſus & commoditates hominum natura ſuppeditet, vetétque artem, & humanæ induſtriæ ſubſidia audere. Plurimarum etiam rerum vim, poteſtates & ſalutares permixtiones interdum ipſe caſus docuit, (vt in arborum inſitionibus, ipſo Plinio teſte, liquet) alias peculiaris prouidẽtia diuini Numinis ſuggeſſit, alias peritorum & ſagacium hominum coniecturæ & experimenta inuenerunt. Cæterùm ſi Medicus propinans pharmacum volens, aut nolens mortem ægro inferet; tum imperitiam artis, aut imprudentiam, aut perſonæ maleficium accuſa potius, quàm ſuccos, quàm medicamenta, quàm artem. Si tamen hæc ars ſeparari à probitate eam

Vlpian. D.de decr. ab ord. fac.l.1. exercentis poteſt: nam ſicut Cato oratorem definire ſolebat, *virum bonum, dicendi peritum, qui probitate morum & artis peritia commendetur*; &

a l.1.ep 391. Iſidorus Peluſiota [a] non aliter medicinam quàm τέχνην φιλόσοφον nominat, vt videatur ei eſſe debere indiuidua comes ſapientia.

3. Venio nunc ad elogia huius artis ipſiúſque operum, ne nos ſoli eam defendere, eiúſque patrocinium ſumere videamur contra Medicorum accuſatores. Non referam Homerum omni, vt memorant, ſcientia excultum, dixiſſe,

Iliad.11. Ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἀνδρῶν,

Vir Medicus multis viris æquiualet.

b l.1 Satur. Sileo artem medicam à Macrobio [b] conſtitui ſupra reliquarum humanarum artium apicem, cùm illam *ſcientiam conſecratam* indigitat. Non dicam Philonem Medicum alexipharmacas quaſdam compoſitiones, non ſolùm *regias* appellaſſe, ſed etiam θεῶν χεῖρας, *Deorum manus*, & Plu-

c apud Rhodig l.28. c.11. tarchus [c] refert Hippocratem [d] medicam facultatem *Deorum munus* nuncupaſſe: taceo in Auicennæ commentariis quoddam genus medica-

d ep.ad Abderitas. minis cognominari *donum Dei*: cætera id genus non commemoro, ne fortè dicas Medicos ſuarum rerum ingenioſos prædicatores & præcones ſtrenuos ſcruta ſua pulchrè diuendere, res futiles pro illuſtribus artificioſè inducere, imò & exhibere nobis velut quoſdam è machina Deos illos, qui artis medicæ authores ſint. Eſt in prõptu veriſſima laus & commendatio huius artis omni exceptione maior, vtpote diuina ex

Eccl.c.38. Siracidis ore, *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim illum creauit Altiſſimus; à Deo eſt omnis medela, & à Rege accipit donationẽ: diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur; Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* Non arbitror naturalem vllam ſcientiam illuſtriori commendatione in ſacris paginis vel probari, vel etiam ſuaderi: quæ fortaſſe ratio D. Gregorium

e de Trin. Nyſſenum [e] impulit vt Medicorum artem περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον σπουδαζομένων ἁπάντων, *omnibus huius vitæ rebus nobiliſſimis præſtare*, eorúmque profeſſionem, eſſe ipſammet *humanitatem*, φιλανθρωπίαν τὸ ἐπιτήδευμα, licèt in-

f conſ.ad Marc.c.22. terdum & ſecare, & vrere, & (vt ait Seneca [f]) *lacerare, & oſſa viuis legere, & totas in viſcera manus demittere* cogantur. appoſitè in hanc ſenten-

tiam

tiam D.Auguſtinus [a] *corporis medicina ſi altiùs rerum originem repetas non inuenitur, vnde ad homines manare potuerit, niſi à Deo, cui rerum omnium ſtatus, ſalúſque tribuenda eſt.* a l.3. de ciu. c.12 & 17.

Itaque inſtrues diligenter (ſi me audis) armarium iſtud Medicorum libris, vt habeas non ſolùm panarium, verumetiam multiplicis eruditionis promptuarium; inſtrui autem & repleri facilè poteſt, nam incredibile eſt, quàm multa huius facultatis volumina prodierint. Olim mos erat, vt Medici dum ægrotorum domos obirent, circumferrent ſecum varios & multiplices libellos, *πολυπτύχους δέλτους*, (inquit D.Baſilius [b],) quos ipſimet lecto affixi & morbo impliciti perlegerent, indéque ſibi medicamenta ſeligerent. Quàm grandis Bibliotheca ex iis fieret ſi ſupereſſent; & cùm tres in partes diducta ſit medicina, vna quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu medetur, prima *διαιτητικὴ*, altera *φαρμακευτικὴ*, tertia *χειρουργικὴ* dicitur: ſcriptorum in tribus hiſce facultatibus libros huc referes, & ordine quoſque ſuo diſpones, ſiue præcepta de tuenda valetudine ſolummodo tradant, ſiue ſola ad depellendos morbos, & recuperandam valetudinem remedia. 4. b hom.21. Corn.Celſ. l.1.c.1.

Quemadmodum enim *ἱματίων ῥαγέντων ἀκεσταί εἰσί τινες, οὕτω καὶ ἰατροὶ ὅταν τινὲς νοσήσωσι τότε ἰῶνται τούτους, ſunt quidam ſartores lacerarum veſtium, mangones & veteramentarij qui in centonibus reconcinnandis ſemper occupantur; ſic ſunt quidam Medici medentes tantùm quando incidimus in morbum.* Hîc etiã ſuus erit locus anatomicis, hoc eſt, mortuorum corporum inciſoribus, quos Cornelius Celſus [c] *latrocinantes medicos* appellatos fuiſſe tradit, quòd inteſtina ſeruentur & lacerent, conſideraturi ea quæ natura clauſit, eorúmque poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, læuorem, contactum, proceſſus denique ſingulorum, & receſſus; & ſiue quòd inſeritur alteri, ſiue quòd partem alterius in ſe recipit. Atque hi ſuperiores de re medica potiſſimũ ſcripſere. 5. Xenoph. l.1. Cyroph. c l.1.c.2.

Eſt & aliud genus adulterinæ cuiuſdam medicinæ, quam quidam Medicus amicus meus ſuperioribus medicinæ facultatibus mihi adnumerabat; eámque lepidè vocabat voce ab Italis petita *φορφαντικήν.* hanc artem factitant circumforanei circulatores, ac ſæpenumero præſtigiatores acetabularij, qui fallaciis ſuis & caliculis vbi diu plebem tenuerunt, diuendere ſolent.

Nitelas oris ex Arabicis frugibus,
Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum
Complanatorem tumidæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis fortè ſi labellis riſeris. Apul.apol.1.

atque interdum olea, vnguenta peregrinæ conditionis exhibent, pollicentúrque mera naturæ miracula: homines iſtius generis non ſolent mandare ſcriptis ſua arcana: per manus iſta (vt loquuntur) ſecreta, & quaſi de aure in aurem tradi conſueuerunt fidiſſimis & intimis: non vulgant ſuarum aquarum, oleorum, vnguinum, ſtimmatum, puluiſculorum aliarúmque id genus rerum vim & poteſtates, contenti ea iactare in vulgus è pegmate.

De

6. De Chymicorum ſecta quid dicemus?dabimus ne locum eius auctoribus & cultoribus in hoc armario,cùm iam & multi,& ſcientiam ſuam libris illuſtrent? non video cur illos omnino proſcribas & repudies. Si tamen omnes chymici ſimiles forent Theophraſto Paracelſo Heluetio, à quo iam vulgus illos *Paracelſitas* vocat (rectè,aut perperam,non ſtatuo) profectò non magnopere inſtructas haberent Bibliothecas. Sycophanta enim iſte,idémque magus aiebat(vt eſt apud Sennertum [a])*ſuam Bibliothecam non continere ſex paginas , & decem annis ſe librum nullum legiſſe.* Nec mirum id quidem. nam(vt perhibent) fuit linguarum Græcæ & Latinæ inſcientiſſimus , & Germanicæ parum peritus. de hoc homine plura Sennertus.

a l. de conſenſu & diſſenſu Chymicorum Ariſtot. & Galen.

Capvt XVI.

Armarium decimumſextum.

Eius inſcriptio.

HISTORICI SACRI.

1. VNo armario res geſtas ſuperioris æui quis putet comprehendi poſſe?Nec bene ampla conclauia ſufficere queant capiendis omnibus tum prophanis, tum ſacris hiſtoriis ; vt nec longa oratio par eſt earum vtilitati prædicandæ. De hiſtoria hoc vniuerſim dictum eſto , *ſpeculum eſſe lucidiſſimum* , in quo totius anteactæ vitæ ab ipſis Orbis incunabulis negotia,Imperiorum ortus, progreſſiones,inclinationes, obitus mutationes,ritus gentium clariſſimè lectoribus proponuntur : *ſcholam* eſſe in qua non tam verbis,quàm factis & exemplis (quod longè potentius eſt) ad omne officij genus forenſis, militaris, ſacerdotalis,regij,priuati , hominum genus inſtituitur , & ſalutaria monita ad componendos mores haurit. Hiſtoria eſt ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα , *ex qua curioſa & erudita germinant conſilia* , inquit Æſchylus [b]. Eſt *Tripus* & velut fatidicum antrum,quò quicumque ſe contulerit ſciſcitaturus,non modò refert oraculis Apollineis veriora reſponſa; verumetiam & ipſe vates fiet,& ex iis quæ præteriere , facultatem coniiciendi ea quæ futura ſunt,hauriet.Eſt *lux temporum , magiſtra vitæ,teſtis veritatis , officina prudentiæ , ἀνυθιτοτάτη παιδεία καὶ χρυσίμη γυμνασία.Sol* lucentiſſimus & velociſſimus,qui breuiſſimo tempore omnium ætatum memoriam contemplatur.Aureum eſt iſtud inter cætera D.Gregorij Naz.in laudem hiſtoriæ [c] .*Præclarum eſt*, inquit,*mentem hiſtoriarum cognitione inſtructam ac refertam habere,hiſtoria enim conglobata quædam & coacervata ſapientia eſt,hominúmque multorum mens in vnum collecta.*

b ἑπτ. ἐπ. Θηβ.

Niceph. in procem. Biz. hiſt.

Ariſt.Rhet. c.5.

Diod. Sic. l. 1.

c de Nicobulo ad patrē.

2. Non eſt noſtri muneris, vel inſtituti ſtatuere hoc loco , quid interſit inter Annales, Hiſtoriam, & Commentarios ; ſunt in manibus qui hoc præſtiterunt;ſolùm definio non tantum inter ſe differre quin communibus laribus earum rerum ſcriptores vti debeant. Idem dictum ſit de

Fam. Strada in proluſ.

de Chronologis, ſiue illis temporum inueſtigatoribus, qui ſingula ſolent ſubtiliùs exquirere, quoto menſe, quoto lunari cyclo, quo die, qua hora, qua æra, qua olympiade, qua epocha, quibus conſulibus, quo anno à Virginis partu, quo ab Vrbe & ab Orbe conditis præcisè contigerunt; in quo ſtudio minutus eſt, atque (vt interdum ſum expertus) valde ingratus labor, fructúſque haud rarò operæ impar, quia in iſtis rebus lapſus & error eſt admodum facilis; vt videatur eſſe res pluſquam humani ingenij tempora remetiri, atque infinitas eorum particulas cum eorum euentis certò componere: nec immeritò Torniellus [a] dixit ad præterita tempora extendi poſſe illud Chriſti Domini [b], *Non eſt veſtrùm noſſe tempora, vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*; & illud Eccleſiaſtici [c], *Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi quis numerabit?* Difficilem illam prouinciam ſuſceperunt Ptolemæus in Almageſto, Ioſephus Scaliger in libris de emendatione temporum, Dionyſius Petauius in doctrina temporum. Quædam habet in hoc argumentum Illuſtriſſ. Adamus Centurion Marchio de Eſtepa, &c. Chronologiæ ſingulariter peritus, quæ vellem citò faceret iuris publici. Hæc de hiſtoria & occaſione hiſtoriæ, de Chronologia vniuerſim breuiter. de ſacra nunc ſingillatim paucula.

Baron. in præf. ad ann. Eccl.

a in præfat. in ann. Eccl. vet. Teſt.
b Act. 1. v. 7.
c Eccl. 1. 2.

3\. Sacram hiſtoriam non illam propriè hoc loco intelligo, quæ canonica eſt, & quæ inter Hagiographa cenſetur, cui ineſt omnis ea vtilitas, maieſtas & amœnitas, quæ eſt in omnibus hiſtoriis, adeóque longè amplior & diuinior. De qua hoc tantùm habeo dicere quod monuit Magnus Gregorius [d]. *Ad hoc vt quis diuina myſteria veraciter oſtendere valeat, opus eſt vt priùs hiſtoriæ radicem figat, & poſt fructus ſpiritus per ſigna & allegorias proferat.* Sacra illa & canonica hiſtoria ad primum armarium pertinet; ad iſtud verò illa quæ religionis monumenta ex profeſſo complectitur: in cuius commendationem accipe quod celebris ſcriptor & acer Berengariomaſtix grauiter & verè dixit, *Eccleſiaſticæ hiſtoria, & ſanctorum Patrum geſta, tametſi illam excellentiſſimam auctoritatis arcem non obtinent, quâ donata ſunt ſcripturæ, quas propheticas, ſeu Apoſtolicas nuncupamus; hoc tamen probare ſufficiunt quòd hanc fidem quam nunc habemus, omnes fideles qui nos præceſſerunt à priſcis temporibus habuerunt.* legerat quiddam haud abſimile in Hieremiæ vaticiniis; *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* Si filum iſtud ſedulò tenerent & conſtanter ſequerentur errones Neomyſtæ in ſuis opinionum labyrinthis, longè facillimè ſe extricare poſſent: ſi intuerentur iſtud ſydus, non impingerent in latentia ſaxa hæreſeos cum certo naufragio fidei & æternæ ſalutis. Præter hoc quid delectabilius eſt, quàm ex *hiſtoriæ ſpecula* contemplari Eccleſiam Chriſtianam veluti lapillum exciſum ex horrenti caucaſo Gentilitatis excreuiſſe in ſublimem montem, qui faſtigio cœlos æquet; videre ex infelici arbore decerptum ſurculum, atque inſitum in bonam oleam, modo planè mirabili vniuerſum orbem complexum eſſe; aut è tenui virgulto excreuiſſe in tantam firmitatem, vt illi rectè tribuas illud,

d hom. 1. in Ezech.

Lanfranc. in comm. de Euchar contra Berengar.

Hierem. c. 6.

Duris vt ilex tunſa bipennibus,

Nigra feracis frondis in algido
Per damna per cædes ab ipſo
Ducit opes, animúmque ferro.

4\. De Sanctorum vitis & rebus geſtis, de ordinum Religioſorũ annalibus, ſeu chronicis, ſeu hiſtoriis libenter diſſererem, niſi ſeruandus eſſet in ſcribendo modus. Sola diui Cypriani memoria Gregorium Theologum [a] ſanctitate perpluebat.

a or.18.

5\. Quid innumerabilis multitudo inuictiſſimorũ heroũ in caſtris Chriſti proprio ſanguine coruſcans? Quid virginum integerrimarum chori inſito candore illuſtres? Quid eorũ qui rebus ſæculi generoſo deſpectu valere iuſſis religióſæ philoſophiæ diſciplinam ſecuti ſupra humanam conditionem ſeſe virtutibus efferunt? Quid infinitorum præſulum Senatus ſanctitate & comitatu diuinarum virtutum auguſtior quàm cœlum ſtellis? Quid omnium ordinum, omnium gentium, omnium ætatum, ſanctorum virorum & mulierum cœtus, qui inter huius vitæ delitias, ita mentem & ſenſus auocarunt à peruerſo earum vſu, vt non tam cum hominibus, quàm cum beatis mentibus commercium inſtituiſſe videantur? Quæ ſingulorum facta (Deus immortalis!) quæ exempla, quæ præcepta in illis hiſtoriarum monumentis, quæ ſcriptores Eccleſiaſtici de illorum rebus geſtis nobis reliquerunt? de quorum ſingulis poſſis meritò dicere quod legere me memini apud S. Hilarium Arelatenſem [b] de S. Honorato, qui dicere ſolebat iſtius generis homines *natos eſſe in exemplum*, & quaſi ἀρετῆς εἶδος, *virtutis ſimulacrum* propoſitum in hiſtoriæ pegmate ad imitationem & exemplar; πυρσὸν eſſe ſublatum in ſummis turribus, vel montibus dirigendæ errantium nauigationi ἀειφανεῖς τῶν ἀστέρων, *inſignes in polo ſtellas, vitæ amuſſim & normam*, expreſſa magiſteria probitatis. hæc cùm ita ſe habeant, valde tibi ſuadeo, vt diligenter tibi compares & diſponas in hoc armario hiſtorias Eccleſiaſticas, eáſque inſpicias velut ſacras tabulas in quibus viua ſpiránſque virtus proponitur.

b in vita S. Honorati. S. Greg. Naz. or. 21. Idem de vita Moſis & paſſim alibi apud Greſol. l. 2. myſt. 2. 31 ſect. 1. D. Ambr. l. 2. de Virg.

CAPVT XVII.

Armarium decimumſeptimum.

Eius inſcriptio.

HISTORICI PROPHANI.

1\. QVanta ſit hiſtoriæ amœnitas intelliges ex Maximi Tyrij diſſertatione duodecima [c]: illius fragmentum aſſuam huic capiti tanquam laciniam Tyriæ purpuræ. percurre illam mente & oculis. crede mihi, placebit. ſic habet. *Sermonibus honeſtis paſcendi ſunt animi. Quibus? qui ad ſuperiorem cogitationem temporum eos reuocent, réſque iam olim geſtas ſpectandas proponant. Nihil eſt iucundius quàm in hiſtoria verſari, quàm ſine labore vllo paſſim diuagari, omnia ſimul loca intueri, omnibus bellis ſine*

c num. 7. 3.

ſine periculo intereſſe, infinitum temporis ſpatium contrahere, infinitas res geſtas ſimul cognoſcere, quæ ab Aſſyrijs, quæ ab Ægyptijs, quæ à Perſis, quæ à Medis, quæ a Græcis facta ſunt; bello nunc terreſtri, nunc nauali, nunc concionis media videri intereſſe conſilijs; cum Themiſtocle in mari, cum Leonide in terra pugnare, cum Ageſilao traijcere, cum Xenophonte incolumem redire, amare cum Panthea, venari cum Cyro, regnare cum Cyaxari. Quòd ſi ſapiens ea de cauſa Vlyſſes dicitur quòd vafer eſſet,

Multorúmque hominum mores luſtraſſet & vrbes
Dum ſibi dum ſociis reditum, paritérque ſalutem
Apparat;

multo ſapientior eſt qui extra periculum hiſtoriæ lectione ſeſe explet. Charybdim videbit, ſed ſine naufragio; ſirenas audiet, ſed ſine vinculis; cum Cyclope aget, ſed miti & pacato: & ſi eo nomine felix fuiſſe Perſeus iudicatur, quòd paſſim alarum vagaretur beneficio totam terræ naturam, omnia intueretur loca; multo lenior certè & ſublimior his Perſei alis habenda eſt hiſtoria, quæ paſſim animum circumfert noſtrum, nec nudas ei ſimplicéſque res oſtendit, ſed & hominum & fluuiorum origines. Deinde paulo pòſt. *Sola harum rerum narratio eſt quæ genus mortale, cui nihil æquè caducum eſt niſi quòd pereat, quòd deficiat cuiùs, memoriæ beneficio æternitati æquat: quòd virtutes eius conſeruat, immortali gloriæ actiones eius compenſat. hoc eſt, quòd Leonides non à Lacedæmonijs illius æui tantùm celebretur, non tantùm ab Athenienſibus, quos illa ætas tulit, Themiſtocles laudetur. Manet etiam nunc Periclis imperium, manet iuſtitia Ariſtidis, Critias adhuc pœnas luit. Alcibiades adhuc in exilium abit; &, vt verbo abſoluam, narratio hiſtorica, & eos qui primò legunt mirifica voluptate oblectat, & eos qui iam legerunt iucundiſſima cognitione reficit.* Hæc Maximus Tyrius de ſuauitate quæ ex hiſtoriarum lectione percipitur; cuius voluptatis magnitudinem probant aniles fabulæ, quæ mirificè tenent audientium animos, licèt ſint duntaxat ſimulacra hiſtoriæ: videáſque audientes interdum immori cupiditati ſciendi ecquem exitum res habuerit: quódque hiſtoriam magis commendat eſt, quod ſit cum ſingulari vtilitate coniuncta.

2. Ipſimet DD. Auguſtinus [a] & Hieronymus aiunt ſacratum literarum interpretes iuuari plurimùm prophanæ hiſtoriæ ſubſidiis ad eruendos ſenſus legitimos. *Quidquid de ordine temporum tranſactorum indicat ea quæ appellatur hiſtoria, plurimum nos adiuuat ad ſacros libros intelligendos, etiamſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur: nam etiam per Olympiadum, & per Conſulum nomina ſæpe multa quæruntur à nobis; & ignorantia conſulatus quo natus eſt Dominus nonnullos coëgit errare, vt putarent quadraginta ſex annorum ætate paſſum eſſe Dominum, quia per tot annos ædificatum eſſe templum dictum eſt à Iudæis quod imaginem Dominici corporis habebat.* D. Hieronymus [b] *fatetur ad intelligendas externas partes Danielis multiplicem Græcorum hiſtoriam neceſſariam eſſe.*

[a] de doctr. Chriſt l. 2. cap. 28.

[b] in proœm. comm. in Dan.

3. Nos quoque Ethnicorum exemplis quibus plena ſunt prophanorum hiſtoricorum monumenta attolli ad grandia, & incitari ad heroicas virtutes clarius eſt, quàm vt longiori confirmatione indigeat. imò etiam (auſim dicere) videtur plus illis interdum eſſe virium ad permouendos animos ad honeſtatem, quàm in Chriſtianorum factis. Verum

quidem eſt Ethnicorum philoſophorum aquam non ſalite in vitam æternam; & nec proinde contemnenda eſt. fit enim ſæpe vt qui Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum Patrum monita temerè repudiant, non tamen audeant reſpuere documẽta gentilium Philoſophorum, ne dum luculentæ rationi & naturæ lumini repugnant, de poteſtate mentis exiſſe videantur. Claudat iſtud armarium Seneca [a] his verbis. *Singula vicere tam multi; ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem Cato; & nos vincamus aliquid.* hos & infinitos alios compoſitos contra malam fortunam ac glorioſè viuentes ſpectare nobis licet, ex hiſtoriæ orcheſtra cùm volumus, & quandiu volumus. Et verò, ſi nihil aliud in hiſtoria foret, quàm eius beneficio virum fieri, multum ſanè ſit. Neſcire quid anteaquam natus ſis acciderit, (ait Tullius) id eſt, ſemper eſſe puerum. fieri enim haudquaquam poteſt, quin valde proficias, *ſi diuini velut tabularij acta quæ ſupremæ cœleſtis Curiæ libelliones* (ſic quidam hiſtoricos appellauit) *conſcripſerunt, frequenter teras.* Potes in hiſtoria, ſi libet, ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ κοσμεῖν, καὶ ἀφομοιοῦν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον, *tanquam in ſpeculo ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes. exempla enim iacerent in tenebris* (inquit Tullius [b]) *niſi lumen literarum accederet*; exempla dico in vtramque partem, quæ vel ſequare, vel fugias: in hiſtoria enim *hoc præcipuè ſalubre & frugiferum eſt* (dixit Liuius [c]) *omnis te exempli documenta in illuſtri poſita poſſe intueri; vt inde tibi tuæque reip. quod imitere, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Quid plura? hiſtoria eſt φυλακὴ τῆς τῶν ἀξιολόγων ἀρετῆς, μάρτυς τῆς τῶν φαύλων κακίας, εὐεργέτις τοῦ κοινοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους, *cuſtos virtutis illuſtrium virorum, teſtis ſceleris malorum; benefica in omne humanum genus.* Ea ſi adeſt, adeò prudentiam perficit, vt ex pueris faciat ſenes: ſi abſit, ex ſenibus pueros. Refert M. Tullius Lucium Lucullum Roma egreſſum *ſatis rudem* rei militaris, cùm totum iter & nauigationem confeciſſet partim percunctando à peritis, partim hiſtorias legendo, tam perfectum Imperatorem in Aſiam ingreſſum, vt Mithridates Rex, idémque ſui generis hominum idoneus æſtimator negauerit ſe Lucullo præſtantiorem Imperatorem aut vidiſſe, aut legiſſe. Erit mihi pro ſigillo aureo ad obſignandum hoc caput de hiſtoria, quod Thucidides dixit, *hiſtoriam poſſeſſionem perpetuam eſſe, quoniam ſemper fructus edit vberrimos.*

a ep.98.

Plut. in Timoleonte.

b pro Arch.

c l.1.

Diod. Sic. 1. Bibl.

Lipſ. ciu. doct. l.1.

Lud. Viues l.4. de trad. diſcip.

CAPVT XVIII.

Armarium decimumoctauum.

Eius inſcriptio.

PHILOLOGI, POLYHISTORES.

1\. SCio haud cuiuis notum eſſe quid propriè ſit *Philologia.* mihi, cùm eius facultatis profeſſio in hac regia Madritenſi Academia incumbat, viſum eſt quoque eſſe muneris mei paucis indicare quid ſit. Itaque

Philo

Philologus, ſiue *Polyhiſtoris* dicitur, qui in Græcis & Latinis linguis poëticis, & oratoriis facultatibus; hiſtoriis, Philoſophis præſertim moralibus, Phyſiologis, Coſmographis, Symbolicis, Gnomographis, Parœmiologis diu volutatus, ac probè excultus omni politiore literatura, eſt velut *ſuſceptor & cuſtos omnis ingenuæ antiquitatis*, & (ſi fas eſt ita loqui) *depoſitarius*. Rem totam faciliùs intelliges ex Seneca, qui partem philologici ſtudij paulò accuratiùs attingit. *Cùm Ciceronis libros de Rep. prehendit, hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philoſophiæ deditus, alius aliò ſuam curam mittit. Philoſophus admiratur contra iuſtitiam dici tam multa potuiſſe: cùm ad hanc eamdem lectionem Philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos Reges Romanos eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Seruij matre dubitatur. Anci pater nullus. Numæ nepos dicitur: præterea notat eum, quem nos Dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos* MAGISTRVM POPVLI *vocatum: hodiéque extat in augurabilibus libris; & teſtimonium eſt, quòd qui ab illo nominatur* MAGISTER EQVITVM *eſt æquè notat Romulum periiſſe Solis defectione, prouocationem ad populum etiam à Regibus fuiſſe.* Vides partem philologici inſtituti, & ſtudij. Hiſtoriæ quoque debere eſſe peritum idem monet in ludo de morte Claudij. Claudius gaudet (inquit) eſſe illic Philologos homines, ſperat futurum aliquem hiſtoriis ſuis locum: item Phyſiologiæ ſelectioris non ignarum par eſſe innuit Cœlius Rhodiginus[a] inter Philologos & ipſe haud poſtremus: in placitis moralibus & ſapientium dictis, adeóque in omni genere ſeu prophanarum, ſeu ſacrarum literarum verſatum eum eſſe poſtulant magnifica illa nomina, quibus tam Græci, quàm Latini hanc facultatem ſignificant, nam Philologia interdum vocatur *Eruditio*, illuſtri ſanè appellatione, quæ omnem intelligentiæ humanæ perfectionem comprehendit, argumento non leui maximæ dignitatis: interdum *Encyclopædia* dicitur, hoc eſt, omnium artium & ſcientiarum cognitio, voce deducta à præſtantia figuræ circularis: hæc eſt *Encyclica* illa *diſciplina*, ex qua ſermo humanus velut ex matre *veritatem* iuſtóſque ac probos mores ſuſcipit, & in lucem edit: interdum nuncupatur *literatura multiplex*, quam Codex Theodoſianus[b] *omnium virtutum* (vtique intellectualium) *maximam* appellat; vel quòd viam ſternat ad omne genus honeſtatis, ſitque parens generatióque virtutum: de hac ipſa loquens Tertullianus[c] ait eſſe *inſtrumentum ad omnem vitam*, *& ſine qua* (dixit Ennodius[d]) *nobilitas cæleſte munus abiurat*: interdum *Criſis* dicitur; non quidem audacula illa leuitas, qua inauſpicati tritagoniſtæ qui ſuo ſibi iudicio vendicant imperium literarum, à quo tamen longè peregrinantur, (vt Demoſthenis aduersùs Æſchinem verbo vtar) tam ſuperbè prorumpunt, vt omnibus ſcriptoribus inuerecundè oblatrent, ſuperſtitiosè, frigidè, atque haud rarò putidè appendant tanquam aurificis ſtaterâ ſingulas librorum literulas & interpretationes & apices; ac ſe theſaurum effudiſſe autument, vel cœlo affixiſſe nouum ſydus, ſi leuiculas coniecturas apparentis in ſcirpo nodi proferant erutas ex codice aliquo ſemiputri, exarato manu ſeruuli alicuius imperiti, & oſcitantis. Apage moroſos iſtos cauillatores, qui in via facili & plana offendicula ſtruere geſtiunt. Apage detertoriam iſtam prutiginem, quæ mole-

a l. 6. c. 16. ant. lect.

Philo l. de temulentia.

b de decur. vrbis l. 1.

c c. 1. de idololat.

d dict. ſchol. 2.

Guterius l. 1. de iure man. c. 16.

ſtâ ſuâ ſcrupuloſitate *Criſeos* nomen ita in odium traxit, vt nunc minùs bene audiat, cùm tamen ſit ingenij ſolertis, perſpicacis iudicij,& conſummatæ eruditionis appellatio. Meritò occini poteſt iſtis cenſoribus qui audent;

——Quæcumque parum ſplendoris habebunt
Verba mouere loco,quamuis inuita recedent:
——& incomptis allinere atrum
Tranſuerſo calamo ſignum,

ambitioſa(vt aiunt)ornamenta recidere,parum claris lucem dare,arguere ambiguè dictum,mutanda notare,inquit Horatius.his Ariſtarchis rectè conuenit illud Martialis,

l.2.ep.2. *Naſutus ſis vſque licèt,ſis denique naſus.* &,
Neſcis heu neſcis criticæ faſtidia limæ,
Crede mihi nimium turba ſapit critica.
Maiores nuſquam ronchi iuuenéſque ſeneſque,
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

Haud tamen vllo modo velim videri eleuare, aut carpere eorum diligẽtiam,qui efficiunt, vt ſcriptores veteres habeamus emendatos:laborant equidem illi vtiliter ſpongiam & facem paſſim circumferendo eluendis librorum maculis, & locis obſcurioribus illuſtrandis.ſolùm reprehendo ſuperciliosarum quarumdam frontium arbitraria pluſquam catoniana, qui cenſores facilius quàm par eſt,notant, emaculant, expungunt,diſtinguunt,inuertunt, reſtituunt,medentur,emendationes coniecturales, & coniecturas emendatrices faciunt, atque in obſeruatione ſæpe leuiſſima, ac prorſus friuola iactantiùs gloriantur, ínque muſtaceis laureolas quærunt,qui eas in triumphalibus habere non poſſunt.Eos item ſuggillo, qui vix benè & integrè perlectâ vnâ,aut alterâ libri alicuius pagellâ de toto opere velut è cortina pronuntiant,& gaudent omnium iudiciis præpoſtera ferre iudicia.Quintilianus Grammaticos ex propria profeſſione circa loquendi ſcientiam & Poëtarum enarrationem occupatos,ait tam ſeuerè miſto his iudicio fuiſſe vſos, vt non verſus modò cenſoriâ quadam virgulâ notare, & libros qui falsò viderentur inſcripti tanquam ſubdititios ſummouere permiſerint ſibi; verùm etiam alios auctores in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.Id verò rectè,aut perperam,viderint ipſi.

2. Cæterùm non eſt paſſim obuius qui à Themiſtio deſcribitur πολύτιμος οὗτος τῆς ἀληθείας ἰχνευτὴς, καὶ τῷ ὄντι πολύμητις δίκην τῆς βασάνου λίθου, ἣν δὴ Λυδὴν διακρίνειν πεπιστευμένην τὸ νόθον ἀπὸ τοῦ ἰθαγενοῦς χρυσίου. qui præſtans mente,iudicio,& vſu rerum plurimarum inſtar Lydij lapidis aurum verum ab adulterino diſtinguat. Is ſanè eſſe debet Ionio doctiſſimo ſimilis, de quo in hunc ſenſum S.Paulinus. *Omnium Poëtarum floribus ſpiras,omnium oratorum fluminibus exundas, Philoſophiæ quoque fontibus irrigaris,peregrinis etiam diues literis, Romanum os atticis fauis imples.* quibus laudibus florere debet abſolutus Philologus.Quamobrem & interdum hæc eadem facultas de qua loquimur vocatur à Græcis Πολυμάθεια, id eſt,*multiplex eruditio*, ſeu *varia literatura*, quam diſciplinarum omnium vniuerſitatem complexum eſſe D.Baſilium teſtatur D.Gregorius Naz.[a]

a or. in magnum Baſil.

his

his verbis, quæ ideo referre placet, quia iconem perfecti Philologi nobis tanquam ſub oculos ſubiiciunt. *Quod diſciplinæ genus eſt, inquit, in quo Magnus Baſilius verſatus non ſit, atque ita eximiè verſatus, quaſi in eo ſolo elaboraſſet? ſic nimirum omnia complexus, vt ne vnum quidem quiſquam ſingula rurſus ad ſummum, quaſi nihil aliud præterea didiciſſet: ad ingenij enim acrimoniam ſtudium accedebat, ex quibus imperium artibus ſcientiiſque comparatur; qui cùm celeritate naturæ propter laborem & contentionem minimè opus haberet, quemadmodum nec labore propter ingenij magnitudinem; ſic tamen vtrumque coniunxerat, vt non ſatis liqueret, vtro nomine admirabilior eſſet. Quis in Rhetorica, illa, inquam, vim ignis ſpirante, cum eo comparandus, tametſi illius mores à Rhetorum moribus diſſiderent? Quis in Grammatica quæ linguam ad Græciſinum format, hiſtorias colligit, metris præeſt, carminibus leges præſcribit? Quis in Philoſophia excelſa proculdubio ſcientia & ſurſum gradiente, ſiue eam partem ſpectes, quæ in actione & ſpeculatione poſita eſt, ſiue eam quæ in logicis demonſtrationibus, aut oppoſitionibus & concertationibu verſatur, quam Dialecticam vocant, in qua adeò excelluit, vt iis qui cum eo diſputabant, faciliùs eſſet ſeſe extricare è labyrinthis, quàm argumentorum eius laqueos effugere, ſi quando res ita poſtularet. Iam verò Aſtronomiam, numerorum proportiones hactenus didiciſſe contentus, vt non ab iis qui in eiuſmodi rebus ſciti & eruditi ſunt exagitaretur, quidquid ſupererat, vt pietatis cultoribus infrugiferum cõtempſit; adeò vt & quod elegit magis admirari, & prædicare liceat, quàm quod reliquit.* τοῖον μὲν ἴιδος οὐκ ἐπῆλθε παιδεύσεως, &c.

En tibi in magno Præſule philologici ingenij & eruditionis expreſſam imaginem, quas dotes & ornamenta idem Naz. Gregor.[a] in Baſilio ado- a or. 20.
leſcẽte ita extollit, vt dicat, Ῥήτωρ ἐν ῥήτορσι, καὶ πρὸ τῶν σοφιστικῶν θρόνων, φιλόσοφος ἐν φιλοσόφοις, καὶ πρὸ τῶν ἐν φιλοσοφίας δογμάτων, τὸ μέγιστον ἱερεὺς χριστιανοῖς, καὶ πρὸ τῆς ἱερωσύνης. *Priuſquam ad ſophiſtas* (ſic tunc appellabantur Philologi) *& ad Rhetorum ſcholas accederet, iam erat Rhetor & orator; priuſquam Philoſophicis ſtudiis imbueretur, iam Philoſophus erat, ſicut ante conſecrationem, ſacerdos.* Alias nomenclationes conſultò prætermitto, quia mihi videor cumulatè planum feciſſe, qui ſcriptores Philologorum nomine cenſendi ſint, atque in hoc armarium referendi.

Vnã ſolùm huius facultatis appellationẽ, ſordes auaritię, & veterato- 3.
rię fraudes quorumdã ſycophantarum abutentiũ ingenio ſuo, & ſciẽtia odioſam effecerunt. Sicut prauus vſus Mathematicarum diſciplinarum, Politicæ, Philoſophiæ, ac Poëſeos nõ ſemel nomẽ Mathematici, Politici, & Poëtæ in inuidiã traxit, cùm tamen illæ ſcientiæ laudabiles, & expetendę ſint. Itaque hanc artem de qua nunc ſermo eſt, ſæpe dictam eſſe *ſophiſticam* reperio, hoc eſt, quaſi ſapientiæ cultricem; eiúſque profeſſores *ſophiſtas*, velut *ſapientiæ ſtudioſos*: quæ voces diuerſis ætatibus, ac interdum etiam vno eodémque tempore diuerſum omnino intellectum ſortitæ ſunt. Fuit tempus cùm *ſophiſtæ* nomen tantæ fuit maieſtatis, vt qui ſophiſticam profitebantur, ad declinandam inuidiam quibuſdam aliis nominibus & diuerſarum artium obtentu, vt Muſices, Aſtronomię, poëticæ, diuinationis, Medicinæ aliíſque eiuſmodi vſi ſint, τέχναις ταύ- Plato in Protag.
ταις προπετάσμασιν ἐχρήσαντο, eo quòd πάλαι σεμνόν τι ἦν, καὶ ἔτι ἀξίωσι, olim Them. or. 4.
grauitatis & maieſtatis nomen eſſet pleniſſim[illegible], adeóque honorificum, vt delatum ſibi ſophiſtæ nomen, vel ſuæ tenuitatis con[illegible], vel

modeſtiæ

a l.2. modeſtiæ ſtudio Ælianus apud Philoſtratum [a] abnuerit; ſecus ac Libanium feciſſe memorant, qui oblatam ſibi ab Imperatore Palatij præfecturam poſtpoſuit ſophiſticæ profeſſioni, τ̀ σοφιϛὴν εἶ) μείζονα, ſophiſtam quiddam maius eſſe & glorioſius pronuncians. Nec mirum id quidem; nam ſi verum eſt quod Himerius apud Photium dixit, ſcholam ſophiſticam, cuius Princeps & Rex erat Libanius (ſicut de Iuliano dixit Eunapius *in proæreſ.*) fuiſſe βασίλεια Μουσῶν, Baſilicam Muſarum & regium domicilium, quis non malit potiri tam glorioſo regno & imperio, quod ſoli gubernare poſſunt, qui omnium propè artium vniuerſitatem ingenij ſui amplitudine complectuntur; quàm imperatorij duntaxat palatij præfectum eſſe? quæ dignitas licèt ampliſſima ſit, ab homine rudi & illiterato ſuſtineri cum honore poteſt. hinc natæ perhonorificæ illæ appellationes quibus ornati ſunt cultores huius ſcientiæ; ab aliis enim dicti ſunt διδάσκαλοι θειότατοι, *diuiniſſimi Magiſtri*, ἔμψυχοι βιβλιοθῆκαι, ϰ̀ περιπατοῦντα Μουσεῖα, *animata Bibliotheca, & ambulantia Muſea*, ἀγάλματα σοφίας περιπατοῦντα, *ambulantia ſimulacra ſapientiæ*, δέσποται, *domini*, σοφίας ϰ̀ παιδεύσεως πατέρες, *ſapientiæ & rectæ educationis patres*, τύποι Ἑρμοῦ λογίου, *typi, ſiue ſpirantes imagines Mercurij ſermonis præſidis*, aliiſque inſigniti titulis ac permultis honorum inſignibus ſtatuarum, inſcriptionum, immunitatum, legationum, dignitatum, qua de re eruditè diſputat ſuo

b theat. l.1. c.5.6.7.& 8. more Creſolius [b]. Ac licèt impietas nonnullorum hominum iſtius generis, aut vaniſſima oſtentatio extraordinariæ eruditionis, vel ſordidè quæſtuoſa profeſſio huius artis, qui honeſtius eam neglexiſſent, quàm vendiderint; aut quorumdam etiam præſtigiæ contortis & fallacibus punctiunculis auditores circumuenientium ita in odium & offenſio-

Sen.ep.29. nem traxerit nomen *ſophiſtæ*, vt boni viri timidè illud vſurpent, quandoquidem ipſe fuci faciendi peritus amor, & concinnandæ orationis

c in conu. & max. Tyr. diſſ. 8. vaferrimus artifex à Platone [c] σοφιϛὴς vocetur; adeóque ipſe cacodæmon veterator ſtygius, & tortuoſus primæ hominum parentis circumſcri-

d or. 141. ptor, à D. Gregorio Naz. [d] dictus ſit σοφιϛὴς τ̃ κακίας, & D. Baſilio [e] πρῶ-

e hom.22. τ𝈪, ϰ̀ μέγιϛ𝈪, ϰ̀ ἀόρατ𝈪 τ̃ κοσμικῆς σοφίας, σοφιϛὴς, *primus & maximus*

f l.3. c.7. *& inuiſus mundanæ ſapientiæ ſophiſta*, & à Ruperto [f] *odibilium ſophiſtarum*

Creſol l.1. c 4. *maximus*. Tamen nec ita odioſa eſt hæc appellatio, quin Tertullianus [g] honoris gratiâ Meltiadem appellet *Eccleſiarum ſophiſtam*, quòd lucem

g contra Valent. multiplicis cognitionis & ingenij aliis porrigeret, & Eccleſiæ ritus ſci-

h l.2. de ſtat. an. c.10. tè & eruditè interpretaretur: ſicut Mamertus [h] laudans D. Auguſtinum, *ſophiſtam* eum nominauit. Sic D. Gregorius Nazianzenus [i] ſophiſtica

i ad Adamantium. quædam ornamenta, hoc eſt, variæ ac multiplicis eruditionis concinnitatem aſpergi quibuſdam ſuis ſcriptis deſiderat. Dicere ſoleo in ſtudiis humanioribus eodem ordine & loco eſſe Philologum, quo in theologicis Scripturæ interpretes, atque in manſuetioribus literis eum eſſe debere initiatorum Antiſtitem, myſtarum Myſtagogum, Muſarum animam, vitam, cor, os; talem denique, vt ipſe Phœbus oraculorum causâ adeuntes, ad eum velut ad interpretem ſuum, & præſtitem remittat, & velut ad ſacrarij ſui cuſtodem & ædituum.

Quod ad philologicum ſcribendi genus pertinet, *teſſellatum* eſt; nimirum conſtat multis quaſi diuerſicoloribus teſſellis, ſiue laterculis,

rediuiuis marmoribus,& veterum Scriptorum ruderibus Græcis, Romanis, Academicis,poëticis,oratoriis pulchro ordine & loco in vnum finem diſpoſitis : vnde duplex naſcitur legentibus commodum; primum, quòd concepta verba antiquorum Antiſtitum ſapientiæ repræſententur magnâ fide, libris & capitibus vnde ſingula prompta ſunt, indicatis : alterum, quòd eo ſcribendi genere nihil ſit amœnius; nam quemadmodum ὁδοιπορεία equeſtris pedeſtrem, & hanc curulis ſubleuare ſolet, & ὥσπερ πλοῦς μὲ παρὰ γῆν περίπατος, καὶ παρὰ τὴν θάλασσαν ἥδιστος, *vt nauigatio terreſtris & ambulatio maritima ſuauiſſima eſt*; ſic oratio Latina Græcam excipiens,& hæc illam viciſſim,& ſtricta ſolutam,facit vt nunquam deſit dulcis & iucunda oratio : at nihil eſt aliud Polymathiæ,ſeu Philologiæ ſtudium, quàm continens & perpetua in eiuſmodi rebus aceruandis, atque ſubiectæ ſententiæ velut trabeæ vnionibus attexendis, occupatio. Lanam & purpuram hinc inde mittunt & ſubminiſtrant locupletes ſcriptores; Philologus verò ex verſicolorum liciorum florida varietate texit veſtes artificio tam admirabili, vt nihil ſit venuſtius,& quæ ita retexi poſſunt, vt ex natiuis coloribus,& ipſiſmet auctorum filis & laciniis quæ exhibet quiſque ſibi pannum & veſtem pro arbitrio conficere poſſit ; quod ſe feciſſe innuit D. Cyprianus [a]. Neque eſt (vt loquar cum Caſſiodoro [b]) cur hîc grunniat æmulus, & labio virulento ſubmurmurans compilationi adſcribat, quòd Philologus veterum ſententias, alias quidem iam ſenio caligantes,vel ambigui ſenſus dubitatione perplexas, ſitúque & neglectu vetuſtatis, propè abolitas ſtudeat reuocare in euidentiam, & in præſentem materiam digerere; alias vim ſuam ingenitam & pulchritudinem ſemper retinentes, ſempérque nouas ex auctorum libris velut nitentes flores ex hortorum areolis delibet, ac ſuo lectori offerat in vnum corpus non tumultuosè aceruatas, ſed artificiosè diſpoſitas : hoc faciens Philologus, non magis reprehenſione dignus eſt, quàm apes (pergit idem Caſſiodorus) quæ hac ratione mellificant, & in varios ſuccos nouum ſaporem, maximámque virtutem quadam ſui ſpiritus proprietate transfundunt; dum eos in ſuis cellulis confundunt & ſtipant : hoc tamen mirabilius eſt in philologicis ſuccis, quòd ſi cui placet eos excernere, & guſtare in ſe ipſis ſingulos, hoc vt lector poſſit,facit Philologus; ſic enim eorum auctorum ſententias quos in ſubiectum argumentum citat, permiſcet & denſat ingenioſæ iuncturæ velut coagulo, vt tamen impermixtæ remaneant, & ſingulas ſolitariè & ſeorſim lectoribus propinet. Hoc inſuper in vermiculato ſtylo Philologi pulchrum & ſingulare eſt, quòd ſæpenumero ſingulæ teſſellæ ſententiarum plus decoris & elegantiæ habeant in eo loco, vbi à Philologo poſitæ ſunt, quàm haberent in eo vnde ſunt promptæ : ſicut videmus plurimas arbores & herbas quæ nunquam pulchrius, quàm cùm tranſplantantur,florent & fructus ferunt.

a ad Fortunatū de exhort. martyrij in procem.
b in procem. lib. de amicitia.

Exclamarunt olim ad vnum Roſcij verbulum, ad vnicum Plauti,vel Terentij deridiculum; ad vnum Maronis,vel Homeri dilitioſum mendacium; ad vnicum Sophoclis,vel Euripidis, vel Senecæ fulgetrum; ad vnicam Tullij, vel Demoſthenis periodum, ad vnicum Pythagoræ, 5.

Zenonis, Socratis, Epicteti effatum, ad vnicam Chryſoſtomi parœmiam, totæ Academiæ, tota lycea, totæ porticus, totæ conciones, tota theatra, *σοφῶς, acutè, eleganter, ſubtiliter, aureè, ſapienter, diuinè,*

Ibis ab excuſſo grandis in aſtra ſago,

quiſquis talia eloqueris. Philologia non ponderat, aut numerat ſingulatim aurea illa dicta quæ exhibet; centena vno ſpiritu, millena pauculis verſibus, perexiguo ſeu chartæ, ſeu temporis ſpatio turmatim ſuppeditat: non inſtillat, ſed effundit, non extremis digitis, ſed plenâ manu proiicit; non primoribus labris, ſed pleno ore ingerit, nec tam plauſum ſibi facit, quàm admirationem ſibi conciliat, ob infinitarum rerum lectiſſimarum ordinatam multitudinem, vt hîc bellè conueniat illud Senecæ [a] ſua ſcripta commendantis: *Continuum eſt apud nos quod excerpis, per lineamenta ingenij opus nectitur*; non habemus illa odorifera, nec emptorem decipimus nihil inuenturum cùm intrauerit, præter ea quæ in fronte ſuſpenſa ſunt. Quocumque miſeris oculum, id tibi occurrit quod eminere poſſet, niſi inter paria legeretur; hîc ſummatim deguſtabis ingenia maximorum virorum, ac ſæpe tota inſpicies, ſæpe tota tractabis: hîc non mendicè agitur cum lectore, ſed plena manu fit. ingens aureorum dictorum copia eſt paſſim iacentium; ſumuntur, non colliguntur; non enim excidunt, ſed fluunt perpetua, & inter ſe connexa ſunt, vt bellè in Phylologum cadat illud Aurelij ad quemdam Philologiæ ſtudioſum ſcribentis, *Quidquid in poetis lepidum, apud oratores graue, in annalibus fidele, inter Grammaticos eruditum fuit, ſolus hauſiſti, dicam, auxiſti, iuſtus hæres veterum literarum.*

a ep. 33.

6. Ego verò, vt dicam id quod perſæpe expertus ſum in tractatione harum literarum. Quoties vnam Stobæi pagellam lego, vel Plutarchi, vel Photij, vel Panſaniæ, vel Clementis Alexandrini, vel Turnebi, vel Athenæi, vel Iuſti Lipſij, vel Sigonij, vel Briſſonij, vel Tiraquelli, vel Cauſſini, vel Creſolij, vel Delrij, vel Paſcalij, vel Cœlij Rhodigini, & ſexcentorum aliorum Philologorum libros aperio, toties ſuſpicere cœlum mihi videor, atque in eo innumerabiles flammas ſyderum, quarum aliæ certis affixæ ſedibus, eodem quo ipſum contorquentur motu; aliæ vago circuitu ſuas arbores conficiunt; quædam ſplendido candore lucent, quædam tremulo igne incenduntur; hæ velut ſanguine ſuffunduntur; adeóque vix ſydus, vix ſtellam vllam repereris, quæ interuallis, quæ altitudine, quæ humilitate, quæ acceſſione lucis, vel diminutione ab alia plurimum non diſcrepet: quia tamen in ſingularum promiſcua diſpoſitione ſuus etiam tenetur ordo, curſúſque ratos & certos conſtanter ſeruant; quiſquis tanta varietate diſtinctum cœlum ſuſpexerit, amens ſit, ſi neget iſta à ſapientiſſimo moderatore gubernari, qui in hac ipſa viciſſitudine & motionibus æquabilitatem ſuam prædicet, ſuámque in maximis diuitiis ſapientiam. Hîc quæro abs te, Lector. Quid aliud ſunt apud Philologos promptæ ex variis illuſtres gnomæ; quid aliud ſunt aurea dicta paſſim eruta è librorum monumentis, & magno delectu ſepoſita in apotheca eruditionis, ſuóque poſtea tempore & loco, pulchro ordine & iudicio diſpoſita ab homine erudito in alicuius diſſertationis contextu; ecquid, inquam, aliud

ſunt

ſunt quàm quidam ingeniorum Soles, qui ſua luce lectoris, vel auditoris animum repentè complent? quid aliud ſunt Epigrammatum acumina, quàm ſtellarum quædam traiectiones, quæ licèt in tranſitu duntaxat mentes feriant, rapiunt tamen aſſenſum, & dum maxima celeritate prætervolant, nos tamen vel inuitos & reluctantes trahunt quò volunt? quid adagiorum in anguſtum coacta immenſitas, quàm aſtrorum orbes ad ſpeciem quidem perexigui, ſed virtute immenſa fœti? Quid pronunciata Philoſophorum, quid Tragœdorum ſenſa grauiſſima, quid reſponſa prudentium, quid teſtimonia ſapientium, quid alia politioris literaturæ ſupellex, quàm cœleſtes quædam faculæ, & micantiſſima lumina elaboratæ orationis? Vnde non immeritò hominem variæ eruditionis peritum appellaueris οὐρανὸν δρόσον βάλλοντα, cœlum rore multiplicis ſcientiæ & ſuauitatis mortales omnes abundantiſſimè perpluens. hæc eſt decantata illa Phœbi cortina, hæc Mineruæ logotheca, hoc Mercurij ſalinum, quod *logium* appellant, vnde candidiſſimos ſales promant oratoria, comicáque facundia: hæ ſunt Pithus condimenta & delitiæ, hæc Suadæ medulla, hoc omnium artium ſcientiarúmque myrothecium & ſeplaſia, vnde ſingulæ accipiant vel ſtibium, vel ceruſſam, vel minium, vel alia huiuſmodi, ſeu pigmentorum lenocinia ad venuſtatem, ſeu odorum ſuauitates, ad delitias, ſiue ſuccorum præſtantiam, ad ſanitatem & robur, vt ſe comant, poliant, expoliant, venuſtent, exhilarent, vires aſſumant. Quiſquis demum Philologiam animo, vt par eſt, informauerit, is quæcunque hactenus dixi atque iis longè maiora cogitabit.

Vidiſti aliquando Lector curiam aliquam purpuratorum Patrum, 7.
qui rogati variis de rebus ſententiam incorruptè dicant, nec pauciora fundant oracula quàm voces? Philologiam honorario ſuo comitatu, & ſolemni pompa circumſpectam vidiſti; quid pulchrius tali conſeſſu, quid ad maieſtatem auguſtius? Illa ex omnibus orbis partibus, omnibúſque retrò ſæculis aduocat in Concilium ſpectabiles iſtos ſapientium & mortalium Deorum cœtus, qui de re propoſita ſententias conferant, ſtrictâ ſolutáque oratione, Græco, Latino, peregrino ac vulgari (ſi opus eſt) idiomate pronuntient tanquam in Areopago. Humilius quid dixero ſi comparauero Polymathiam tabulæ omni artis & pigmentorum genere perfectæ, & (quod Zeuxim feciſſe aiunt) ex plurium ſpecioſiſſimarum virginum forma in vnam imaginem transfuſæ. Vereor ne Polymathiæ laudibus obtrectem, ſi dixero multiplicem iſtam literaturam ſimilem eſſe coronarum & ſertorum quæ coronarij non ex vno flore conficiunt, ſed ex delibatis hinc inde hortorum terrenis ſyderibus, & artificioſè permixtis odorum & colorum delitiis. Abiectè de illa ſenſero, ſi pronuntiauero ſimilem illam eſſe vel regiæ alicui trabeæ clauatæ auro, inoculatæ vnionibus, floribus Alexandrina pictura, vel attalico textu, vel opere Babylonico perfectis illuminatæ; vel prædiuiti alicui dactyliothecæ refertæ omni ingenuæ antiquitatis & curioſitatis elegantia, quæ inſatiabiliter oculos teneat. Dicam Philologiam ſimilem eſſe illi arti, quæ acuta cum grauibus temperans, & ſonos interuallis disiunctos imparibus, pro certa longitudinum &

breuitatum ratione, aut apta inflexione vocis, aut è neruis eliciens, tam blando, tam æquabili concentu complet aures & afficit, vt in mentibus noſtris miras commotiones efficiat. Suſpice diuinæ mentis prouidam in animalium fabricatione ſolertiam, quæ ex inæqualium partium varia diſpoſitione, ex oſſium mirabilibus commiſſuris, & implicationibus neruorum toto corpore pertinentibus, ex raritate pulmonum & ſpongiis aſſimili mollitudine, ex venarum & arteriarum munere diſpari, ex cordis duritia, cerebri frigiditate, calore iecoris, eius ita naturam finxit, vt in vnam corporis incolumitatem diuerſarum partium conſpirent actiones. Suſpice vim illam ſummi artificis, quæ ex corporis membris ſitu diſſimillimis & figura, ex oculorum membranis pellucidis, ex molli tegimento palpebrarum, ex naſi eminentia, ex duro & quaſi corneolo aurium introitu, ex diuerſa membrorum compoſitione, varia conformatione lineamentorum, ex contrarij coloris admixtione, tam aptè, tam ſolerter humanum corpus coagmentauit, vt hac ipſa diſſenſione inter ſe, partes cum quodam lepore conſentiant, nec ad vſum modò figura hominis apta ſit, verùm etiam ad venuſtatem. Talis eſt Philologorum oratio, partium diſcrepantium coagmentatio belliſſima, & velut rerum heterogenearum cõtextu homogeneus, ordinatus aceruus ſapientiæ, rerum diuerſarum pulchrè inter ſe atque in vnum finem conſpirantium diſcordia; nobilium ingeniorum quotquot hactenus ſcripſerunt velut eliquatorum diuinus quidam ſuccus, ſaporum omnium ſuauitate ac vtilitate commendabilis. Quid eſt (per Deum imm.) pulchrius, quid mirabilius, quàm producere intra paucas pagellas bene multos ſcientiarum Principes, & ſingulos audire loquentes ſua lingua, ac differentes de variis gentium ritibus, de virtutibus, de vitiis, de bellis, de oraculis, de coronis, de ludis, de veſtibus, de nuptiis, de honore, de fortuna, de morte, de paupertate, de diuitiis, & ſexcentis id genus materiis alios Græcè, alios Latinè, alios hiſtoricè, alios oratoriè, alios comicè, alios tragicè, alios lyricè, alios heroicè, alios ſatyricè, alios emblematicè, alios Stoicè, alios Academicè, alios peripateticè, alios aliis modis diſputantes, & nunc prouerbia ſententiis, nunc oracula Senatuſconſultis, nunc plebiſcita edictis, nunc prudentium reſponſa apologis, nunc grauiter dicta fortiter factis, nunc noua cõponere veteribus texturâ tam ſubtili, vt vtilis ſit ad propoſitam quæſtionem, atque ad ingenuam voluptatem lectoris apprimè accommodata: his qui hoc facere poſſunt, nónne illud Hildebrandi Cenomanenſis Epiſcopi rectè conuenire dixeris: *Maiorem mortalibus animum gerere putatur, qui tam diſſidentibus ſtudijs integer præparatur,* epiſt. 2. Et illud quod Nicolaus S. Bernardi Notarius *ep. 5.* ſcribit. *Quis ille vigor, quæ ſolertia ſpiritus, quæ ſaltu ſuæ ſubtilitatis obſtantia quæque perrumpit, & quæ poſſit de ſingulis artibus, etiam cum ſingulis artificibus philoſophari.* At licèt multi eruditi campum hunc literarium excoluerint, nihilominus eſt in quo occuperis; nam adeò ſunt ampla & ſpatioſa Philologiæ, ſeu Polymathiæ latifundia, vt ſuffecturus ſit locus ſingulorum induſtriæ, etiam poſt decies mille ſæcula latiſſimus.

CAPVT

CAPVT XIX.

Armarium decimumnonum.

Eius inſcriptio.

ORATORES, RHETORES.

IN tanta oratorum, & magiſtrorum dicendi multitudine qui ex proprio inſtituto commendationem eloquentiæ & artis Rhetoricæ ſuſceperunt, ſuperuacaneum foret hoc loco toties actum agere, & remetiri illud ſpatium quod à tam multis decurſum eſt, atque etiamnum continuò decurritur: & nos quoque aliquando hæc pomparum fercula pro more traduximus Lugduni in Gallia, & Dolæ apud Sequanos, cùm Candidatorũ eloquentię initiationẽ auſpicaremur. Deinde *vino vẽdibili hedera nihil eſt opus*, non puto quemquã eſſe tam ſtolidè ignarum, & tam ridicule infantẽ, qui Suadæ neget ſuum in hac Muſarum æde puluinar; licèt à nonnullis quædam duriùs ac acerbiùs dicta ſint contra benedicendi facultatem; cuiuſmodi eſt caninum illud Diogenis, perfectam arte Rhetorica orationem *μελιτίνην ἀγχόνην*, *melleum laqueum* vocitantis; quale eſt iſtud *ἀναίδεια μόνη στρατηγὸς τῶν Ῥητόρων*, *impudentia dux eſt vnica Rhetorum*. Tale illud Platonis confundentis *γόητα φαρμακέα καὶ σοφιστήν*, propter periculoſæ illius artis illecebras; tale vt multos ſimul adducã, Senatuſconſultum Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Coſſ. vbi decretum à Patribus, Rhetores vti Romæ ne eſſent. Talis multorum ſapientium vox appellantium artem bene dicendi *circulatorias præſtigias, meretricularum fucum, flabellum vanitatis, &* (cùm molliſſimè loquuntur) *leuiculorum adoleſcentulorum, ne omnino nihil agant, occupationem tolerabilem*. hæc à prophanis hominibus contra oratoriam facultatem, & eius diſcendæ ſtudium dicta. Haud molliore brachio, vel mitioribus verbis ſancti Eccleſiæ Patres Suadam inſectati ſunt, ſiquidẽ alij eloquentiam vocant *doli ſcientiam, & victorioſam loquacitatem; diſertas fallacias argutam malitiam, συκοφαντίαν, malitiæ ſtimulum*: &, quod mirabilius eſt, D. Auguſtinus [a], & ipſe aliquando profeſſus illam artem, ſuggeſtum, vnde illa traditur, *Cathedram mendacij* nuncupauit, vt omittam alia permulta quæ in hanc ſententiam aceruat Creſolius [b]; ob quæ nihilo abiectius de eloquentia ſenties, ſi animaduerteris hæc aliaque id genus dicta eſſe aduersùs præſtigiatores, pſeudorhetoras, blaterones, qui non tam eloquentiam, quàm loquacitatem, ſermonúmque illecebras, phaleratas pompas verborum, & lenocinia picturatæ orationis conſectabantur, in qua futilitate loquendi ne vmbram quidem, aut veſtigium veræ eloquentiæ reperias: de reliquo, verâ germanáq; eloquentiâ (quam vocare ſoleo cũ D. Bernardo [c] *loquentem ſapientiam*, nihil eſt vtilius, nullum *πρόβλημα τοῦ βίου καὶ δραστήριον ὄργανον* potentius, nihil inter naturales ſcientias diuinius. quarum ſi mihi detur optio, malim ego in hac eſſe perfectus, quàm in omnibus aliis. Quamquam quî fieri poteſt, vt ea ſolitaria potiare, ſi loquens ſapientia eſt? 1.

Laert. l. 2.

Ariſtoph. in Equitib.

a l. 4. conf. c. 2. & ſerm. 9. de verbis Dom.

Lact. l. 1 inſt. c 1.

D. Aug l. 9. conf. c. 2.

b l. 2. myſt. c. 18. ſect. 1.

c ſerm 41. in Cant.

Plut. in Catone.

2. Bene eſt (inquies;) veneror equidem viros dicendi facultate claros, atque vltrò concedo eorum monumenta locum aliquem in hoc Muſeo pro ſuo ſibi iure vindicare. At Rhetoribus, hoc eſt, iis qui dicendi præcepta tradunt, facilè caruerim, vtpote minùs neceſſariis, & ſine quibus haud ita difficulter poſſe quemlibet fieri eloquentem cenſeo. Erras vehementer (mi homo,) & tecum toto cœlo errant quicumque in ea ſunt hæreſi, vt putent eloquentiam ſitam eſſe in ſolis ingenij viribus, neque vllis artis præceptionibus eos indigere, qui præſtantis ingenij felicitatẽ naturæ beneficio ſortiti ſunt: facilè quidẽ à me euinces, gloſſogaſtoras, inſulsè garrulos, loquentes potius quàm eloquentes, qui quidquid venerit in buccam illud confeſtim effundunt, poſſe carere Rhetorum præceptionibus: ſed enimuero quàm neceſſe eſt eiuſmodi locutuleios frequenter impingere, & linguam detergere, dum ſpreto artis gubernaculo ſe totos permittunt æſtuantis naturæ vorticibus. Quid poſſunt facere vtiliter ad pugnam & ad aſpectum venuſtè, quotquot cæco impetu calamum & linguam ventilant Andabatæ oratores; quàm multis ictibus aëra incaſſum feriunt, viréſque & dicendi contentionem in ventos effundunt?

3. Quod Leontinus Gorgias temporario ſtylo amœnè dicere ſolitus, neruoſéque meruerit Delphis auream ſtatuã, & ſummam omnium admirationem & plauſum, haud vni ſolùm naturæ tantæ facilitatis & vbertatis gratia referenda eſt, ſed arti Rhetoricę, in qua perdiſcenda atque exercenda plurimùm operæ poſuerat & laboris, tantæque artis fuit eius eloquentia, vt quidquid rhetoricorum præceptorum tradidit Ariſtoteles, id Gorgiæ debeat totum, cui rei fidem facit D. Hieronymus[a]: *Legimus* (ait) *ô eruditiſſimi viri, in ſcholis pariter, & Ariſtotelea illa de Gorgiæ fontibus manantia.* Quòd ſi quis vellet extempore ſine prælibatis rhetoricis præceptionibus γοργιάζειν, & contemptâ arte ſolam naturam ducem ſequi; non omnes dies in quibus diceret ἑορτὰι, id eſt, feſta, nec eius orationes λαμπάδες nominarentur. Adiuuanda eſt, (mihi crede) vis ingenij, artis & præceptionum ſubſidio, & limandum accuratiùs quod naturalis vbertas abundantiùs prompſerit. Temporariæ dicendi argutiæ fulgetri inſtar extinguuntur, cùm micant; ſolſtitiales herbulæ ſunt, quæ quo die naſcuntur, eodem occidunt. Eruditis auribus nihil occidere moleſtiùs ſolet loquacibus iſtis citeriis: mittamus hæc omnia. Quiſquis aliter ſentit, is vel de eloquentia ſentit nimis abiectè, vel de humanæ mentis intelligentia nimis ſublimiter; ego, quemadmodum dicere conſueui, eam orationem in qua nec deſit dignitas in verbis, nec maieſtas in ſententiis, nec pondus in rationibus, nec in contextu iudicium, rem eſſe arduam & plenam ſummæ difficultatis; ita reſpuere conſcriptas à peritiſſimis & acerrimi iudicij hominibus Ariſtotele, Tullio, Quintiliano, & aliis de bene dicendi facultate præceptiones, quaſi ad eius perfectionem conſequendam putes in te ſolo poſita omnia, puto eſſe intolerabilis arrogantiæ. Tu itaque ſi me audis, collocabis in hoc armario quidquid Oratorum, vel Rhetorum ſeu Græcorum, ſeu Latinorum nanciſcère.

[a] apol. adu. Iouin.

Pauſan. in Heliac.

CAPVT

CAPVT XX.

Armarium vigeſimum.

Eius inſcriptio.

POETÆ.

INter non pauca quæ Plato in ſua Rep. delirauit, eſt iſtud fortaſſe non minimum, quòd Poëtas prorſus ab ea voluit exulare. Ego licèt religioſius putem eſſe hoc Muſeum, quàm illius Remp. in illud tamen Poëtas volens libens admitto: imò ſi Poëtis caruerit, meritò in ea requiram, παιδευτὰς σύμπαντος τοῦ βίου : ἱερόν τι χρῆμα καὶ θεοπρεπές· σεμνόν τι καὶ σοφίαν κλέπτουσαν, *communes vitæ inſtitutores, rem ſacram atque diuinam; graue quid & auguſtum, & ſapientiam ſuauiter homines pellicientem.* Quòd ſi poëſi nonnullorum improbitas vſa eſt peruerſè; nihil eſt propterea vnde illam magis oderis, atque reiicias quàm Philoſophiam, quàm Medicinam, quàm Eloquentiam, quas interdum quidam ſcelerati ſibi adhibent ad vſus nefarios. Recolendum illud Epicteti, ſingulis rebus anſas duas eſſe, bonam vnam, malam alteram, tantummodo prudenter videndum, quam prehendas. Poëſeos vim & vtilitatem, ſic apud Senecam [a] Cleanthes commendat. *Quemadmodum ſpiritus noſter clariorem ſonum reddit cùm illum tuba perlongi canalis anguſtias tractum patentiore nouiſſimè exitu effudit; ſic ſenſus noſtros clariores carminis arcta neceſſitas efficit: eadem negligentiùs audiuntur, minúſque percutiunt quandiu ſoluta oratione dicuntur: vbi acceſſere numeri, & egregium ſenſum adſtrinxere certi pedes, eadem illico ſententia veluti lacerto excuſſa torquetur.* hæc pro numero quæ eſt pars poëſeos. Quòd ſi ad numeri ſuauitatē acceſſerit ſub ingenioſæ fictionis integumentis recondita ſapientia, poëſis omne amœnitatis & vtilitatis punctum feret. Vis huc afferam graue teſtimonium hominis in ſtatuendo iudicandóque admodum cordati. is eſt Carolus Scribanius. *Nullum propè literarū genus eſt* (inquit [b]) *quod certiùs cultorē ſuum ornet, materiarúmque copioſiorem ad reliquarum ſcientiarum ornatum, admirationem laudémque ſuggerat. Hinc enim in omni narratione & ſcriptione illa mutuamur, quibus vt lucidiſſimis gemmis ſingularum ſcientiarum vertices tanquam cœli inoculantur, ſtellantúrque; quibus ſi deſtituantur, mortuos, aut cæcos ſcientiarum orbes arbitreris, oculis nimirum ſuis animáque viduatos, aut (vt modeſtiſſimè dicam) cultu omni naufragos. Et vt ſingulis natiuum quemdam largiar decorem, Poeſis tamen vna eſt, qua omnium gemmantur frontes: & certè quidquid probè vbique hiſtoriarum, quidquid reconditæ eruditionis, acuminis, facetiarum & ſalsularum, quidquid eruditarum ſententiarum, ad mores animúmque formandum ab vnius poëſeos locuplete penu hauriendum eſt.* Tamē quia prauus poëticæ facultatis vſus fatali quodam malo procliuis eſt, ingenioſiſſimo quoque Poëtâ frequenter ad res impuras ſtylum & animum conuertente; libet hoc loco compellare Poëtas religione Chriſtianos D Auguſtini verbis, cóſque breui hac parentheſi ab indigna præclaræ huius artis tractatione

1\.

Philo. Agath. l. 1. hiſt.

Pindar. in nem. Ode 7.

a ep. 108.

b in politico Chr. c. 14.

a ep.41. ctatione dehortari, *Si calicem* (inquit[a]) *aureum inueniſſes in terra, donares illum Eccleſiæ Dei: accepiſti à Deo ingenium ſpiritualiter aureum, & miniſtras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas teipſum. Noli, obſecro, ſi aliquando ſentias, quàm miſer, & miſerando pectore hæc ſcripſerim, & miſerearis iam mihi ſi tibi viluiſti.*

2. Si Poëta poëſim laudet, haud magnopere fortaſſe moueat; ſcruta enim ſua ſcrutarius commẽdat, vt vendat: ſed oratori poëſim magificis laudibus extollenti quis non credat? Atqui ſic Romanus orator [b]. *Sic à ſummis hominibus eruditiſſimiſque accepimus, cæterarum rerum ſtudia & doctrina, & præceptis, & arte conſtare: poëtam naturâ ipsâ valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam Spiritu afflari. Quare ſuo iure noſter ille Ennius* SANCTOS *appellat Poëtas, quòd quaſi Deorum aliquo dono ac munere commendati nobis eſſe videantur. Sic igitur, iudices, ſanctum apud vos humaniſſimos homines, hoc Poetæ nomen, quod nulla vnquam barbaria violauit.*

b Cic. pro Archia poeta.

3. Dic (amabo) quis vel maximè religioſus, Muſarum æde Poetis interdicat, ſi meminerit ſacrorum voluminum partem non minimam verſu conſcriptam fuiſſe ab iis hominibus, quos Spiritu Dei fuiſſe afflatos dubitare nefas eſt? Nam vt de Iobi libro, cantico Iſaiæ, lamentationibus Hieremiæ ſileam; audiamus ſuper hac re loquentem D. Hieronymum[c], *Quid pſalterio canorius, quod in morem noſtri Flacci, & Græci Pindari nunc Iambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc ſapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur.* Hęc ſufficiant, ne quis vlla religione impeditus aditu huius Bibliothecæ Poetas arceat. Si quis tamen aliqua fœditate poeſim contaminauerit, tanquam prophanus ſummouetor. Iterum hac de re poſtea.

c in præf. chron. Euſeb.

4. Cúr in hac deſignatione loculamentorum, Poetas finitimos oratorum eſſe voluerimus, non eſt operoſum definire: id præſtitit Tullius, qui nunc ait Poetis proximam cognationem eſſe cum oratoribus; nunc finitimum eſſe oratori Poetam multis ornandi generibus ſocium, & penè parem dixit, in hoc quidem certè propè eundem, nullis vt terminis circumſcribat, aut definiat ius ſuum, quo minus ei liceat, eâdem illa facultate & copiâ vagari, qua velit, ac proinde eloquentiæ ſtudioſis lectionem Poetarum eſſe longè vtiliſſimam apud Tullium[d] Craſſus monet, & Lucianus *in Lexiphani*; à quo nec diſſentit Dionyſius Halicarnaſſeus[e] idoneus harum rerum arbiter, aiens *eam orationem videri debere quàm optimam, quæ ſit poëſi ſimillima.* quod tamen quomodo intelligendum ſit, docet Fabius Quintilianus[f]. Sanè vnuſquiſque in ſe experitur grandes animos ſibi à Poetis inſpirari; quibus ceu plenis velis ad ſublimem eloquentiam prouehamur.

d 1. de orat. & 3. de orat.
e l. de ſtruct. verb.
f l. 10. c. 1.

CAPVT

CAPVT XXI.

Armarium vigeſimumprimum.

Eius inſcriptio.

GRAMMATICI.

SVa bona ſi bene norint Grammatici, non moleſtè ferent poſtrema ſibi ſubſellia attribui in hoc eruditorum conſeſſu; eſt enim eorum ſors eius generis, vt de illis rectè Poëta cecinerit, 1.

Grammaticos humiles ſolo qui cortice gaudent.

cortice, inquit, hoc eſt, ſyllabis, apicibus, interpunctionibus, literis, præpoſitionibus, aduerbiis, & aliis orationis partibus, accentibus, vocum notationibus, ſyncopis, eliſionibus, cõgrua, aut vitioſa oratione & aliis minutis rebus conſiderandis; quæ nihil aliud ſunt, quàm integumentum & cortex, quo medulla ſcientiarum continetur: vnde rectè appellabimus eos cum Seneca [a] *Latini ſermonis cuſtodes*; cum Nazian. Gregorio [b] θηρατὰς τῶν συλλαβῶν, *captatores ſyllabarum*; cum Alexandro Rhetore λεξιδίων θηράτορας, *vocularum aucupes*, & velut *capſarios noſtres*, quemadmodum Iudæos ſolicitè ſacra Biblia cuſtodientes D. Auguſtinus vocat. Verùm enimuerò cæcus amor ſui nonnullis ex hoc ordine Grammaticorum ita mentem emouit, vt ſe ſupra omne doctorum hominum faſtigium laudibus extulerint, ſicut Sextus Empiricus teſtatur, nóſque ex varia auctorum lectione animaduertimus. Quid opus eſt referre Alexarchum. Is cùm ſcientia fuiſſet Grammaticus, αὐτὸν κατεγραμματίζεν εἰς ἥλιον, *ſeipſum pinxit in Solis effigiem.* Nicolaus Serarius noſter [c] ipſo initio ſui Minerualis hæc habet: *Memini me audire cùm aliquando diceret Henricus Stephanus Grammaticam artium artem eſſe, qua penè rerum omnium continetur cognitio & ſcientia.* Enimuero præclare adferunt & pro adſtruenda nobilitate ſuæ artis illud Æſchyli [d],

a ep.95.
b or.18.
Clem. Alex. admon. ad gent.
c l.1. cap.1. Mineru.
d in Prometheo.

——γραμμάτων τε σύνθεσις
Μνήμην ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάτην.

literarum compoſitio memoriam produxit omnium opificem Muſarum matrem. nec obliuiſcuntur illud Quintiliani: *Grammaticæ profeſſio cùm breuiſſimè duas in partes diuidatur, rectè loquendi ſcientiam & Poëtarum enarrationem, plus habet in receſſu, quàm fronte promittit. nam & ſcribendi ratio coniuncta cum loquendo eſt, & enarrationem præcedit* emendata *lectio*, & (quo plurimum triumphant) *miſtum omnibus iudicium.* Vide Lector quod inde ſecutum ſit; quo quidem iudicio ita ſeuerè vſi ſunt veteres Grammatici, (vtinam ſoli illi, non etiam recentiores) vt non verſus modò cenſoriâ quâdam virgulâ notare, & libros qui falsò viderentur inſcripti, tanquam ſubditi tios ſummonere familiâ permiſerint ſibi, ſed & auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero: tunc verò præcipuè ſe grandiores humana ſtatura eſſe arbitrantur, dum recolunt dictum D. Auguſtini, *Quia Grammatica ipſo nomine profiteri ſe*

literas clamat (vnde etiam latinè literatura dicitur) factum eſt quidquid memoria dignum literis mandaretur, ad eam neceſſariò pertineret: itaque vnum quidem nomen, ſed res infinita, multiplex.

2. Hæc cùm animo replicant quidam ex hoc hominum grege, ita ſupercilium attollunt, ita promittunt barbam, tam thraſonicè incedunt, tam magnificè in ſellis ſuis brachiatis ſedent, tam loquuntur grauiter, tam glorioſè obtrudunt adſtantium auribus neſcio quos centones Latinos, vel Græcos, quos hinc inde collegerunt, tam putidè terunt neſcio quas formulas verborum, plenas ridiculæ venditationis, cuiuſmodi iſtæ eſſe ſolent. *Memini me legere: Poëta canit, docti in ſermonibus dictitant; olim mos fuit Epaminondas*; & ſexcenta id genus, quæ cùm apud imperitos habeant admirationem & plauſum, ſuperbè & intolerabiliter de ſeipſis ſentiunt & prædicant literatores inſulſi; & ne hoc finxiſſe cuiquam videamur, audiamus quid ſcripſerit Suetonius [a] de quodam huius pulueris bambalione. *Palæmon Grammaticus arrogantiâ fuit tantâ, vt M. Varronem porcum appellaret, ſecum & natas & morituras literas; iactaret, nomen ſuum in Bucolicis non temerè poſitum, ſed præſagiente Virgilio fore quandoque omnium poëmatum Palæmonem iudicem.* Quid eſt, (per Deum immortalem!) quid eſt hoc arroganti faſtu tumidius? Haud multo modeſtior Appion Grammaticus. hic quem Tiberius Cæſar appellabat *Cymbalum mundi?* cùm publicæ famæ tympanum videri poſſet, immortalitate donari à ſe ſcripſit, ad quos aliqua componeret. Propè etiam abeſt, vt ſe pares cœlitibus prædicent, & magnum Iouis incrementum, cùm apud Platonem [b] legunt Minoa regem iuſtitiæ gloriâ inclytum ab ipſo Ioue fuiſſe in Grammaticis inſtitutum. In hac oſtentationis palæſtra haud cuiquam ceſſit Druſius Grammaticus è nuperis noui Euangelij ſectariis, cùm eos Grammaticos qui ſacras literas (vt ipſe loquitur) enarrant, *diuinos* appellat. Et paulo pòſt adhuc ineptiùs atque intolerabiliùs. *Qui ſacras literas probè intelligunt, & ex mente Spiritus ſancti enarrare poſſunt, Grammatici ſunt diuini: ſiquidem vt Grammatici propriè vocantur, Poëtarum interpretes, quos & literatos dicunt, ita Grammatici ſacrarum literarum appellari poſſunt earum interpretes, hoc eſt, Theologi.* Quis non videt ab humili Grammatico hæc in ſuæ artis commendationem dicta putidè, & contra vulgarem huius vocis intellectum de qua diſputatio eſt? Quòd ſi vſurpatam metaphoricè contendit, éſtne adeò figuratum imperitus, vt ignoret vitioſam eſſe metaphoram quæ rei dignitatem immoderatiùs minuit, & longiùs à communi vſu eſt remota; qualem hanc eſſe nemo vel mediocriter Grammaticus inficias iuerit, cùm Grammaticus ſacrarum literarum ponitur pro diuinorum oraculorum interprete?

a de illuſtr. Gramm.

Plin. in præf. hiſt.

b in Minoe.

3. Quorſum hæc aduersùs Grammaticam? (inquies.) Tu verò erras, quiſquis putas Grammaticam hîc à me perſtringi & irrideri. Contrà, ego Grammaticos ſua claſſe & tribu in hac literaria rep. dignos pronuntio: qui tamen μικροφιλοτιμότατοι prærogatiuam honoris ambierint, ſolo capite cenſendos aio. Gratias potiùs cenſori habeat Grammatica, quòd ſe reliquarum artium ancillulam albo ciuium dignatus ſit. Ancillulam dico: eſt enim duntaxat adminiſtra ſermonis, quo liberales diſciplinæ

Serar. l. 1. c. 1. Mineru.

plinæ traduntur, interpres, & cuſtos. quam ſpartam ſi ſtudioſè procurauerit, ego clariſſimis verbis prædicabo cum Caſſiodoro [a] ſtudium Grammaticæ glorioſum, & humanis ac diuinis literis accommodatum, & πολύμνητον γραμματικὴν, *celeberrimam Grammaticam*, cum D. Gregorio Naz. [b]; cum Auſonio [c], *nobile nomen Grammaticorum* extollam; & vltro ſubſcribam Iſidoro [d] dicenti *Grammaticorum doctrinam poſſe proficere ad vitam, dum fuerit ad meliores vſus aſſumpta*; omnibúſque eius contemptoribus impingam in os illud Quintiliani, *Non ſunt ferendi qui hanc artem vt tenuem & ieiunam cauillantur, quæ niſi oratori futuro fideliter fundamenta iecerit, quidquid ſuperſtruxeris corruet, neceſſaria pueris, iucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & quæ ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quàm oſtentationis; ne quis igitur tanquam parua faſtidiat Grammatices elementa.* Scripſerunt in laudem Grammaticæ Suetonius [e], Diodorus [f], Martianus Capella [g], Mercurialis [h], Creſolius [i].

a præf. lib. de orthog.
b or. 14.
c in profeſſ.
d l. 3. de ſumm. bo. c. 13.
e de ill. gramm.
f l. 12. in Charondæ leg.
g l. 3.
h l. 6. var. cap. 19.
i l. 2. myſt. ſect. 2. c. 16.

Ad hoc armarium pertinent non tantùm illi, qui artem Grammaticam cuiuſuis linguæ ſcripſerunt, vt Donatus, Priſcianus, Aluarus, Deſpauterius, Auguſtinus Nebriſſenſis, Vilbonius Gymnaſiarcha Corfluentinus (is eſt Philibertus Monetus è Soc. IESV, vir in omni politiore literatura verſatiſſimus, ac de illa optimè meritus, editis immortalibus illis operibus, quæ ita ab omnibus teruntur, vt vix Typographi pares eſſe queant toties edẽdis;) ſed etiam Lexica huc referri volo, Dictionaria, Theſauros, Apparatus, Delectus Latinitatis, Nomenclatores, aliaque eius generis, quorum vſus ne doctiſſimis quidem indecorus eſt. Quotus enim quiſque eſt, qui profiteri auſit, ſe vel vnius duntaxat linguæ ſingula vocabula, eorúmque germanam proprietatem habere in numerato ex ſolius propriæ memoriæ theſauris? 4.

CAPVT XXII.

Armarium vigeſimumſecundum.

Eius inſcriptio.

PII, ASCETICI.

EX ſacrorum oraculorum voluminibus tanquam ex perenni & inexhauſta ſcaturigine deriuati ſunt quidam riuuli certorum librorum, quos voce ſatis ambigua ac minùs Latina vulgò *ſpirituales* vocant. eos appellare libet *Pios* & *Aſceticos*: ſunt autem ij, qui non tam diſcendarum artium & doctrinæ causâ aſſumuntur, quàm animæ ad veram & Chriſtianam pietatem informandæ, atque piorum affectuum excitandorum gratiâ. *Pios* & *Aſceticos* eos appellare placuit in inſcriptione armarij; vt indicarem duplex genus voluminum quæ huius loci ſunt propria. *Pij libri* ad quoſlibet Chriſtianos pertinent, quicunque tandem illi ſint, cælibes, coniugio iuncti, inaugurati, religioſi. 1.

Aſcetici verò eorum præcipuè hominum ſunt, qui perfectioris & religioſioris vitæ ſtudio, rebus ſæculi valere iuſſis diuino cultui & obſequio altiùs ſe conſecrant, & Euangelicæ perfectioni conſequendæ vota ſua, ſtudia, totiúſque vitæ rationem dirigunt; qui cùm toti ſint in virtutum exercitatione, ac in perpetuo velut pugilatu & lucta contra æternæ noſtræ ſalutis hoſtes, ideo à ſanctis Patribus Baſilio, Ephremo, Chryſoſtomo, Hieronymo, aliiſque veteribus, necnon etiam recepto iam communi vſu & acceptione huius vocis, *Aſcetæ* dicti.

in Catal. ſcript. Eccl. in proœm.

2. Horum librorum vtilitas quanta ſit, & qua mentis diſpoſitione legi debeant, dicetur obiter, ſi priùs de huius ſcriptionis charactere nonnihil præmiſero. Certè cùm in eo ſolùm occupentur vt mores componant ad Chriſtianæ pietatis, aut Euangelicæ perfectionis normam, longè potiori ratione in eos cadit, quàm in philoſophicos libros Ethnicorum illud quod Seneca monet, *Quæ veritati dat operam oratio, incompoſita eſſe debet & ſimplex, res potius, quàm ſe oſtendat.* Equidem indignari ſoleo cùm veniunt in meas manus illi libri, qui meram pietatem in fronte & titulo præferunt, in receſſu autem meras verborum phaleras & lenocinia, meras curioſitatum pompas, & inanium bullarum oſtentationem, vt putes Auctores tantummodo mutuari tituli & argumenti ſanctitatem, vt plauſibiliorem & vendibiliorem faciant ſuum ſtylum, ſuam concinnitatem, ſuos flores, ſuas placentas, ſuum mulſum, ſuum mel, ſuas veneres, ſuos calamiſtros, nec tam magiſtri morum, quàm propolæ cupediarij, & ſeplaſiarij videantur. D. Helladium *ſcribere renuiſſe* S. Iſidorus refert [a], *quia quod ſcribendum fuit, quotidianæ operationis paginâ demonſtrauit.* Prorſus hoc maximè nomine dignus videbatur qui ſcriberet, & cui Deus diceret quod Ioanni, *ſcribe.* In iſto enim genere ſcriptionis illi ſolùm excellere poſſunt, & aliis prodeſſe, qui in ſeipſis virtutum omnium ac ſolidæ pietatis exempla longo tempore ſtatuerunt, atque effecerunt, *ne dicta factis deficientibus erubeſcant.* hi (vt de ſeipſo loquitur S. Proſper [b]) *de accuratione dictionis elaboratæ non ſatagunt, nec illis pudori eſt, ſi diſputatio quæ fortè probatur in rebus aliquos inanium verborum ſectatores horrore incomptæ orationis offendat.* Recolant leuiculi iſti ſcriptores monitum eiuſdem S. Proſperi, *ſententiarum viuacitatem ſermone ex induſtria culto eneruari, & totam vim dictorum ſplendore elaborato euacuari; ſatiſque videri ornatam orationem, quæ conceptiones animi cum neceſſaria quadam perſpicuitate proferat, non quæ illecebris aurium deſeruiat; & vernantis eloquij venuſtate atque amœnitate luxuriet. prudentibus enim non placent phalerata, ſed fortia, quando non res pro verbis, ſed pro rebus enunciandis verba ſint inſtituta.* Vtinam nullis contingat, vel contigiſſet ſumere ſibi hoc ſcribendi genus, & deligere pium ac religioſum aliquod argumentum non tam vt proſint, quàm vt verborum exquiſitorum atque elegantiarum ſuarum myrothecia delicatulis olfacienda aperiant. Quàm indecens & alienum eſt iuuenes barbâ & comâ nitidos, & de capſula totos, de palæſtræ, de oris, & linguæ elegantia ſolicitos, ad res iſtas ſcribendas animum adiicere; cuius videris orationem ſolicitam & compoſitam, ſcito

a de viris illuſtr. c. 7.

Apoc. 1. & alibi.

Tertull. de patient. c. 1.

b l. 3. de vita contempl. c. 34.

ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum. Et hoc primum eſto; quod tamen fraudi ne ſit integritati dictionis moderatóque ornatui, ac ſtudio elocutionis, quæ ſenſa animi noſtri, & cordis effectus ſuauiter & efficaciter in auditorum, vel legentium pectora inſpiret,& proueliat. Nunc ad ea quæ propoſuimus accedendum; quod ad primum attinet,ideo breuiores erimus,quòd ea de re iam nonnihil dictum ſit libro primo [a], cùm de illo fine Bibliothecarum diximus, qui eſt morum inſtructio. a c.5. ſect.1.

3. Quanta ſit piorum librorum vtilitas,vel ex hoc vno conſilio D.Hieronymi [b] facilè liquet,admonentis, vt opes quæ eruuntur ex ſacrorum librorum lectione,non alibi aſſeruentur,quàm in mentis arca. *Locupletet(inquit) his opibus cellarium pectoris ſui*,magnum quiddam, & in primis ſalutare eſt oratio, ſiue precatio ad Deum; eius vis, & dignitas nullis terminis circumſcribi poteſt. Nihilo tamen minor videtur eſſe piorum librorum lectio, & quaſi pari gradu ferri,ac de præſtantia contendere. Siquidem haud facilè ſtatuas vtrùm nobilius, optabilius, atque fructuoſius ſit audire Deum nobis loquentem, vel nos cum Deo loqui; ſicut controuerſum eſt à grauiſſimis Patribus,vter in amore præſtiterit, ac felicior fuerit, Petrus an Ioannes, cùm ille plus reliquis Chriſtum diligeret, iſte a Chriſto præcipuè diligeretur. *Nos in lectione Deus alloquitur,in oratione loquimur Deo*; vti Ambroſius [c], Hieronymus [d], Auguſtinus [e], Climachus [f], Iſidorus [g] obſeruarunt. Æqui ſanè iuris, atque vtilitatis vtrumque videri, ex dicto S. Ephrem [h], & Petri Bleſenſis [i], haud obſcurum eſt.Ille *orationem* & *lectionem* ait eſſe duo vbera ſpiritualia,quibus animæ affectus, &(vt nos Chriſtiani conſueuimus loqui)*ſpiritus deuotionis* alitur: iſte, eſſe duos ramos contemplationis, in quibus duo pulli columbarum reſidere ſolent; hoc eſt,duo genera contemplatiuorum, quorum alij plus operæ dant orationi, alij magis indulgent lectioni in monaſteriis, ac ſæpiùs Deo ipſis loquenti aures mentis accommodent,quàm ipſi loquantur Deo. *nam libri ſacri*(DD.Ambroſio,& Gregorio teſtibus) *ſunt velut epiſtolæ à Deo de patria noſtra ad nos miſſæ.* Audiamus ſuper hac re, quæ attico-chriſtianè S.Gregorius Nazianzenus ſcripſit de magni Baſilij voluminibus in hæc verba,quibus mirificè vtilitatem lectionis piè euincit.paulò longius eſt quod referam,citra faſtidium tamen,puto,erit; tu fortaſſe cùm illud legeris,illud ipſum haud pigebit reguſtare.

b ep 7. ad Lætam.

c l.1. off. c.10.
d ep.22.&41.
e ſerm. 102. de temp.
f gr.27.
g l.3.ſen.c.7. Hier. ep.41. ad Ruff.
h tom.2. paræn.4.
i ſerm.9.

Cùm hexaemeron illius in manus ſumo, atque in ore habeo, cum Creatore coniungor, ac creationis rationes cognoſco, Creatorémque magis admiror ac ſuſpicio,quàm ſolebam, cùm ſolo aſpectu magiſtro vterer:cùm libros eos quibus hæreticorum ſcripta refutat lego, Sodomiticum ignem cerno,quo improbæ ac ſceleratæ linguæ in cinerem rediguntur,aut Calanæ turrim,vt malè constructam, ita rectè interruptam,atque deletam: cùm ea quæ de Spiritu ſancto ſcripſit,euoluo, Deum,quem habeo, nanciſcor, veritatem libero & fidenti animo prædico, illius videlicet Theologiæ ac contemplationi inſiſtens:cùm alias eius narrationes perlego,quas iis qui hebetiori ingenio ſunt,explicat,trifariam in ſolidis cordis ſui tabulis deſcribens, eò adducor, vt non in extremæ literæ cortice pedem figam, nec verborum tantùm ſuperficiem ſpectem,ſed vlterius progrediar, atque ex profun-

D.Gregor. Naz. or. 20. de laud. S.Baſil.

do in profundum tranſeam, abyſſum per abyſſum inuocans, ac per lumen lumen inueniens, quoad vſque ad ſummum tādem verticem perueniam. cùm Martyrum encomia lego, corpus contemno, & cum iis, qui laudibus efferuntur, animo verſor, atque ad certamen excitor: cùm orationes eas quæ de moribus ac bene viuendi ratione ſcripſit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templúmque Dei capax efficior, atque inſtrumentum muſicum à Spiritu pulſatum, diuinámque gloriam & potentiam canens per eas corrigor & concinnor, atque diuinâ quadam immutatione alius ex alio efficior. Itaque lectio pia maximoperè iuuat ad pios affectus concipiendos, atque ad exercitationem virtutis, firmitatémque in ſancto propoſito retinendam, vt velut ad ingerendum molario alueo mentis noſtræ triticum eximium, vt pura ſimila exeat: *lectionis quippe modum ſimilis meditatio ſequi ſolet*, inquit D. Bernardus [a], *de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum eſt, quod fideliùs digeratur, & rurſus reuocatum crebriùs ruminetur, quod propoſito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat.*

a ad Fratr. de Monte Dei.

4. Qui quidem piæ lectionis fructus, vt nobis conſtet, gemina cautio adhibenda eſt. Prima, vt animæ noſtræ ager priùs ſubigatur præparetúrque, quàm cœleſti illo ſemine conſeratur, ne ſi horreat ſpinis, aut ſaxis ſternatur; hoc eſt, ſi occupatur inutilium cogitationum vepretis, vel obduruerit prauæ conſuetudinis vſu, velítque etiam deinceps obſurdeſcere ad vota diuini agricolæ ſementem illam ſpargentis, nihil prorſus metat. *Sobriis mentibus & auribus omnino credenda eſt lectio; alioquin ante carnem diſciplinæ ſtudiis edomitam & mancipatam, aut ſpretam & abiectam ſæculi pompam & ſarcinam, indignè ab impuris lectio ſancta præſumitur.* Contaminatur ergo ſanctitas huius ſeminis, niſi idoneo ſolo mandetur; *quia lux incaſſum circumfundit oculos cæcos, vel clauſos; ita animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* hæc ferè ita ſe habent: fit tamen aliquando (quæ eſt virtus piæ lectionis, atque huius ſermonis vis, ac ſerentis poteſtas & ſcientia) vt duritiem omnem rumpat, obluctetur inter vepres & ſaxa, ac centeno fœnore fructificet. Altera admonitio tradi paſſim ſolet ab rerum Aſceticarum peritis, vt cibus piæ lectionis non auidiùs ingeratur; ſed quietè, ſedatè, atque etiam interruptè ſumatur. Omnino ſi aliis in rebus præcipitata lectio reprehenditur, ac librorum helluones minùs probantur: multò cauendum id magis, vbi potius ſtudetur affectui, quàm intelligentiæ. *Nihil ordinatum eſt, quod præcipitatur & properat*, inquit Seneca [b], pij iſti libri præſertim adhibentur ad mentis ſanitatem, & emendationem vitæ. Quotus verò quiſque eſt, qui Medicum ſibi deligat in tranſcurſu tantùm ſuos ægros videntem, & feſtinè lectos obambulantem, quaſi non vacet, & aliis rebus magis ſeriis occupatus ſit? Ludit in ſalute noſtra quiſquis hoc facit; talis feſtinatio circulanti aptior eſt, quàm rem magnam & ſeriam tractanti. Ac ſi alterutrum eligendum ſit, tarditatem malim; *facilius enim inſidit quod expectatur, quàm quod præteruolat. Tradere homines diſcipulis præcepta dicuntur; non traditur quod fugit. Quæ oratio ſanandis mentibus adhibetur, deſcendere in nos debet, remedia non proſunt niſi immorentur. Leniendæ ſunt quæ me exterrent, compeſcenda quæ irritant,*

b ep. 40.

tant, diſcutienda quæ fallunt, inhibenda luxuria, corripienda auaritia: quid horum raptim poteſt fieri? Igitur tantum feſtinandum, ac tantum piæ lectionis ſumendum eſt, quantum mens conficere poterit: ſatius eſt legere tractim, quàm feſtinanter. In aliis libris faciliùs hoc vitium tulerim, in iſtis haudquaquam. Quapropter altè in animo ſedeat nectarei Doctoris ſaluberrimum documentum. *Hauriendus eſt ſæpe de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* Quibus verbis & moram hanc quam præſcribimus commendat, & modum interpellandæ lectionis admodum ſalutarem indicat, videlicet orationem. cui monito iam olim præiuerat D. Hieronymus [a], *Orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio, & breue videbitur tibi tempus quod tantis rerum varietatibus occupatur.* húncque morem fuiſſe Origenis teſtatur. *Origenes diebus ac noctibus hoc egit, vt lectio orationem exciperet, & oratio lectionem. Quid nos ventris animalia tale vnquam fecimus? quos ſi vel ſecunda hora legentes inuenerit, oſcitamus manu faciem defricantes, continemus ſtomachum, & quaſi poſt multum laborem mundialibus rurſum negotiis occupamur.* quæ D. Hieronymi verba, & factum Origenis, licèt indicent longiorem moram interruptæ lectionis orationis gratiâ, longiorem, quàm quæ à librum tenente, & legente potius, quàm numini ſupplicante interponi ſolet; tamen hæc lectionis & orationis temperatio & vices quantopere proſint, ſatis declarant; quæ cum Deo familiaritas, atque vltro citróque colloquia non poſſunt non eſſe incredibiliter ſuauia, atque vtilia, iuxta illud Albini Flacci Alcuini [b]; *Lectio aſſidua purificat animam, timorem incutit gehennæ, ad gaudia ſuperna cor inſtigat legentis. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare, & legere; nam cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur.*

D. Bern.

a ep. 18.

b l. de virt. & vit. c. 5.

5. Prætermittóque alia præcepta ad fructuoſam lectionem piorum librorum, quæ apud myſticos Theologos paſſim obuia ſunt: cuiuſmodi eſt iſtud promptum ex eodem narthecio Clareuallenſi, de quo iam ſuprà aliquid accepimus. *Certis horis certæ lectioni vacandum eſt, fortuita enim & varia lectio, & quaſi caſu reperta non ædificat, ſed reddit animum inſtabilem, & leuiter admiſſa, leniùs recedit à memoria: ſed certis ingeniis immorandum, & aſſuefaciendus eſt animus.* faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare. item & iſtud, *Difficilium lectio ſcripturarum fatigat, non reficit teneriorem animum.* quod quidem licèt ſanctus Doctor loquatur de *animali, & nouo homine in Chriſto*, cui ex eiuſdem conſilio & verbis meliùs & tutiùs proponuntur legenda Redemptoris noſtri exteriora, & oſtenditur in eis exemplum humilitatis, prouocatio charitatis, & affectus pietatis. & de Scripturis ſacris, & Sanctorum tractatibus moralia quæque, & pla[..]ora: tamen & in hac parte ſancta ſimplicitas hominum maximè ſubtilium, & eruditorum, diuino Numini acceptiſſima eſt, & ipſis etiam perutilis. D. Thomas Aquinas quantumuis lynceus, & qui omnes difficultatum receſſus facile peruaſiſſet; non difficilem & arduum, ſed planum librum ad pietatis incentiuum ſibi delegerat, videlicet ſanctorum Patrum vitas, de quibus quotidie aliquid lectitabat. Proinde qui ſtylo, vel ſenſu, vel rebus difficultatem faciunt legenti, non ita proſunt, quia

Vide Hieremiam Drexelium Nicetæ l. 2. c. 3.
S. Bern. ad Frat. de Mõte Dei.
Ibidem.

quo

quo attentior eſt mens in rebus obſcurioribus, & ſublimioribus percipiendis,eo voluntas eſt tardior:exhauriuntur enim animæ vires, & minuuntur, hac contentione diſtractæ, & occupatæ. Dictum ſibi putabat, quâ erat modeſtiâ, Angelicus Doctor, quod D.Bernardus de tyrone dixerat. proponenda ſunt ei geſta & paſſiones Sanctorum, vbi nec laborandum ei ſit in ſerie hiſtoriali; & ſemper aliquid occurrat quod Nouitij animum excitet ad amorem Dei,& contemptum ſui.

6. Ex eadem nardina apotheca eſt & aliud ſingularis vtilitatis, & quod antiquiſſimum eſſe debet hominibus in ſtudio literarum occupatis:nimirum vt in animum ſuum inducant, idem propoſitum eſſe debere legenti,quod ſcribenti,id eſt,quemadmodum auctor velle præſertim debuit moribus prodeſſe; ita qui legit velle præcipuè debet in vera virtute proficere. *Non vitæ,ſed ſcholæ ſæpenumero diſcimus*, inquit Seneca[a]; quæ ratio diſcendæ eius ſcientiæ quæ tota ad mores refertur,ſanè præpoſtera eſt,& peruerſa,*In omni ſcriptura tantum diſtat ſtudium à lectione, quantum amicitia ab hoſpitio; ſocialis affectio à fortuita ſalutatione: ſi in lectione Deum quærit qui legit,omnia quæ legit cooperantur in bonum, & captiuat ſenſus legentis, & in ſeruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obſequium Chriſti.* Quiſquis in pia illa lectione eruditionem quæret ſtudioſius, quàm vitæ ſanctitatem, perturbato ordine leget, atque ad proprium profectum minùs vtiliter:ac illud etiam ſequetur, vt ſæpe minùs intellecturus ſit quæ leget; quo enim ſpiritu tales libri (ſicut de Scripturis dixit Bernardus[b])facti ſunt,eodem legi deſiderant.Virtus non ea ſolùm mente diſcenda eſt,vt ſciatur,ſed(quod apud Stobæũ dixit neſcio quis è veterũ ſapientium cœtu)vt poſſideatur,& exerceatur;rerum enim præclariſſimarum non tam ſcientiam,quàm vſum ſectari debemus. hic eſt modus tenendi libros illos,quorum argumentum *veram cum pia ſcientia iuſtitiam eſſe*, dixit Clemens Alex.[c] ſiue, vt Minutius ait,*qui docent non habitu,& verbis ſapientiam præferre, ſed mente;non eloqui magna, ſed viuere.* Denique,qui *ſcientiam Sanctorum*,vt cecinit regius Vates, ſiue, vt Siracides loquitur,*ſcientiam ſalutarem* complectuntur.Manum de tabula:vereor ne propoſitæ breuitatis fines tranſeam, ac mittam falcem in alienam meſſem. Relinquamus iſta myſticæ philoſophiæ Profeſſoribus, ſiue (vt loquuntur) ſpiritualis vitæ Magiſtris, de his in *ſchola affectus* diſputantibus:nemo illorum hoc argumentum intactum relinquit;quia piorum librorum lectio haud poſtremum locum tenet inter adiumenta ad Chriſtianam & Aſceticam perfectionem conſequendam. Grande & diffuſum ſenſu licèt pauculis verbis comprehenſum piæ, ſeu ſpiritualis lectionis elogium oris aurei pater tibi ſuppeditat. *Tanta ſunt*, inquit[d], *& tam frequẽtia quæ vel iam accepimus ab hoſtibus noſtris vulnera, vel quæ quotidie in nos torquẽtur à malo dæmone ſpicula, vt vix ſit quo tegere nos poſſimus, niſi confugiamus ad pios libros.* En ipſa eius verba, οὐ γάρ ἐστιν οὐκ ἔστι τινὰ σωθῆναι μὴ συνεχῶς ἀναγνώσεως, ἀπολαύοντα πνευματικῆς. *non enim fieri poteſt, non, inquam, fieri poteſt, vt quiſquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuò verſetur in lectione ſpiritali.* Indat huic capiti coronam idem Chryſoſtomus gemmeis his verbis ad *lectionis*(vt ipſe loquitur)*ſpiritalis* commendationem. Quemadmodum arma *regalia repoſita etiamſi nemo fuerit qui poſſideat; tamen iis*

qui

a ep.106.

b ſup.

c l 6. ſtr.c.8. & l.1.c 4.

Ludouicus Granatenſis de hoc argumento piè & vtiliter in Introd.

d S.Chryſ. hom.3. de Lazaro.

qui habitant in ædibus vbi repoſita ſunt, multam præbent cuſtodiam ac tutamen: ſicubi fuerint libri ſpirituales βιβλία πνευματικὰ, illinc expellitur vis omnis diabolica: ipſe autem per ſe librorum aſpectus ſegniores nos reddit ad peccandum.

Iam liquet (puto) qui libri referendi ſunt in hoc armarium; haud 7.
illico quidem illi, quos pio aliquo titulo inſcriptos videris: in multis enim qui meram pietatem in fronte præferunt, nihil aliud interdum reperies, quàm phaleras linguæ vendibilis, & inanis curioſitatis nundinas: & hi ſi in hoc Muſeo locum habebunt, is eſſe debebit inter Philologos, vel Rhetoras. Alij libri pia, ſacra, & diuina argumenta ita tractant, vt intellectum potius informent, quàm voluntatem; atque ex propria ratione & inſtituto in ſola cognitione ſiſtant. Et hi inter Theologos, vel controuerſiarum Eccleſiaſticarum diſceptatores, vel Scripturæ interpretes, alióſque id genus cenſentur: at *myſtica* iſta Theologia longè diuerſa eſt *à ſpeculatiua*; nec continuò vt quiſquis in hac excellit, excellit pariter in illa; ac vtriuſque diſcendæ alia & diuerſa ratio eſt. Nam ſicut ſpeculatiua, ſiue ſcholaſtica intellectum præcipuè perficit, & myſtica, ſiue affectiua voluntatem; ſic illa ſpeculatur diuina, hæc amplectitur: illa tanquam auditu cognoſcit Deum, hæc quodammodo odoratur, & deguſtat; illam docet lectio, hæc vnctio: illa diſcitur in ſcholis, hæc in ſecreto diuinæ contemplationis, & Spiritus ſancti magiſterio. in illa cognitionem interdum affectus excipit, in iſta pius mentis in Deum affectus alteri cognitioni bonitatis diuinæ præit, cámque ſcientiam velut dirigit, & intellectum erudit, qui quodammodo foris ſtans ipſo voluntatis guſtu & experimento ſummæ bonitatis dulcedinem agnoſcit, iuxta illud regij Vatis, *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus*; quemadmodum perceptà cibi alicuius ſuauitate qualis quantáve ea ſit intellectus poſtea agnoſcit. Plura de vtriuſque huius Theologiæ natura & diſcrimine Ludouicus Granatenſis [a] ſuo more neruosè & ſapienter. Hæc occaſione *piorum & aſceticorum librorum* dicta ſunto, quorum verus vſus eſt, *ſi vnuſquiſque pingat actibus paginam quam legerit*, quemadmodum de ſancto Epiphanio refert Ennodius [b]. Caput iſtud de libris piis & aſceticis ἱερᾶ circumſcribat D. Hieronymus [c], *nihil nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi Dei ſcientia coronetur*; & gemmam hanc de imperatoria dactyliotheca pro ſymbola conferat Conſtantinus [d] ὁ μέγας ἄναξ, *non infirmus neque imbecillus clypeus eſt* ſcientia earum rerum, quæ Deo gratæ ſunt; ea porrò *è ſacris*, piis, & aſceticis libris præcipuè eruitur.

Pſalm. 33.

a conc. 2. de S. Franciſco.

b in vita Epiph.

c ep. 128.

d orat. ad ſanct. cœt. c. 12.

CAPVT XXIII.

Armarium vigeſimumtertium.

Eius inſcriptio.

CODICES MANVSCRIPTI.

1. AQua quæ in ſuo fonte hauritur, dulcior, clarior, & purior eſſe conſueuit: idem euenire ſolet libris, quibus magnam commendationem accerſit, magnámque fidem & opinionem integritatis conciliat vetuſtas & propria manus Auctoris. ideo ab omni æuo doctorum virorum mos fuit & receptus vſus, vt magnifaciant Codices manuſcriptos, præſertim ſi ſint ipſum (vt loquitur Martialis [a]) Archetypum. D. Hieronymus [b] teſtatur ſe Pamphili Martyris ſcripta ipſius manu notata cuſtodire, atque anteferre omnibus Crœſi theſauris. Raderus noſter [c] ait ſe accepiſſe ab iis qui viderant, Baſileenſes oſtendere ſanctum Athanaſium ipſius manu ſcriptum; quod tamen haud ita facilè ſe credere dicit, cùm charta ex linteolis recentiore inuento confecta dicatur. Hercules Cieſanus in vita Ouidij memorat Iſabellam Pannoniæ Reginam oſtendiſſe Angelio Bargæo nobili Poëtæ calamum Ouidij argenteum haud multò antè repertum in quibuſdam ruinis cum hac inſcriptione, *Ouidij Naſonis calamus*. Ptolemæus Philadelphus non priùs alimenta ſuppeditauit Athenienſibus laborantibus annonæ penuria, quàm ſibi tragœdiarum Sophoclis, Euripidis, & Æſchyli autographorum poteſtatem feciſſent, pro quibus tamen præter vectigalium immunitatem, quindecim talenta iis oppignerauit, & eadem poſtea cùm ex ſcriptis exemplaribus eis dono dedit, eiuſmodi monumenta *auctoris calamo ſui notata*, vulgò plurimi fieri ſolent, *Ac illis pretium facit litura*. Dictys Cretenſis ſex libros à ſe conſcriptos de bello Troiano moriens ſecum ſepeliri iuſſit, iíque poſtea in Gnoſſo ciuitate per terræmotum ſepulchro aperto inuenti ſunt. in ſimili ferali arca libros Numæ Pompilij de iure Pontificum & Philoſophia repertos Plutarchus refert: item in obſcuro antro in quo Mercurij Triſmegiſti corpus humatum fuerat, reperta eſt inter ipſius manus tabula illa ſmaragdina quam ſcripſerat περὶ τῆς χυμείας. Idiographum Virgilij, id eſt, librum ipſius manu ſcriptum, de quo Gellius [d], quis non magni æſtimet? Lotharius Imperator Innocentium II. Pontificem reducens, & Rogerium Siciliæ Regem qui Anacleto II. Antipapæ fauerat, bello perſequens, Salernum bello mari oppugnabat. Piſani quadraginta ſex triremes omnibus rebus inſtructas eiſdem lictoribus admouentes infeſtam omnem oram maritimam habuerunt. Pridie Nonas Auguſti cùm adorti Amalfim eſſent, vrbem primo impetu expugnarunt: ex omni autem præda vrbis nihil niſi rem vnam eximij loco beneficij à Lothario petierunt. Hoc fuit iuris ciuilis Pandectarum volumen olim à Iuſtiniano Imperatore conditum, & priſcis admodum literis exaratũ; quod

[a] ep. 10.
[b] de ſcript. Eccl.
[c] in ep. 10. Mart.
Melch. Guilland. l. de papyro. Henr. Salmulth ad Guidonis Pancir. l. 1.
Mart. 16.
[d] l. 9. c. 14.
Sigon. l. 11. reg. Ital.

quod in hanc diem Piſis Florentiam tranſlatum, ibi magnâ, vt ita dicam, religione ſeruatur, tanquam remedium infinitorum errorum quibus ita ſcatent libri iuris, vt plerũque nullus à doctiſſimis, vel ingenioſiſſimis elici poſſit ſenſus. Veteres illi codices vulgò *libri Piſani* dicuntur. Amo Ioannis Capnionis Pforcènſis ſingularem erga libros voluntatem, cui præ literario inſtrumento res aliæ quæ vulgò expeti ſolent ab hominibus, minimi momenti inſtar fuerunt. Miſſus eſt aliquando cum aliis, Legatus ad Cæſarem Fridericum tertium ab Eberardo Barbato Principe VVirtenbergenſi; Capnion cùm ſibi, quemadmodum & legationis ſociis, oblata eſſent lautia phialæ aureæ, equi magnificè ſtrati, & alia id genus, vna ſolùm antiquiſſima Biblia Hebraica eleganter ſcripta accepit, eaque pluris fecit, quàm vllum aliud munus quantumlibet aureum ac imperatorium. Eâdem erga literas propenſione, atque manuſcriptorum Codicum æſtimatione Alphonſus Aragonum Rex extruendæ Bibliothecæ admodum ſolicitus recepit à Coſmo Mediceo Florentinorum Principe, quas dono offerebat Liuij decadas; idémque à Venetis ſummi muneris loco brachium Titi Liuij obtinuit; vt in auctoritatibus publicis Patauij perſcriptum eſt.

Caleag de cauſ corrupt. artium. Braſſicanus præfatione in Saluianum.

Panormit. de reb. geſtis Alphonſi.

Non erit abs re confirmare duobus exemplis quantum pondus inſit ad faciendam fidem, & quanta auctoritas archetypis codicibus, vel iis voluminibus, quæ ſunt finitima temporibus Auctoris omniúmque vetuſtiſſima. Eugenio quarto Rom. Pont. habitum eſt Florentiæ Concilium, cui Græcorum Imperator Ioannes Palæologus interfuit, & in quo Græci cum Latinis de proceſſione Spiritus ſancti diſputarunt. Latini allata iam olim Conſtantinopoli exemplaria Græca Athanaſij, Cyrilli, Didymi, Chryſoſtomi, atque in primis magni Baſilij è Bibliothecis Italiæ prompta protulere, quibus euicerunt Spiritum ſanctum ab vtroque procedere: Græci exemplaria producta criminari, ac vitioſa eſſe dictitare: ſua ipſos promere Latini iubent: aliquot illi quidem propoſuere, verùm ea variæ lectionis; alia à Patre filiéque procedere, alia à Patre, nec poſtea quidquam addebant. cúmque Imperator multa ſe huiuſmodi in Græcia habere diceret, Cardinalis Iulianus Cæſarinus ſapienter reſpondit: Cùm Maieſtas tua ſciret in certamen ſibi ſuíſque deſcendendum, oportuit arma non domi relicta, ſed in campum allata. Vides quanti momenti fuerint vel ipſa autographa, aut vetuſtiora exemplaria. Non ita pridem ſingulariter in Chriſto gauiſus ſum, fuítque mihi vehemens incitamentum & ſtimulus ad ea accuratè implenda, quæ inſtitutum Societatis IESV à me poſtulat. In regia MSta Bibliotheca S. Laurentij Eſcurialis eſt autographum exemplar operum ſanctæ Tereſiæ ipſiuſmet manu ſcriptum, quod ego & vidi & tenui. Capite vigeſimooctauo hæc ſcripta ſunt, quæ ſummâ fide totidem ferè verbis in Latinum ſermonem conuerſa tibi exhibeo. *De hominibus ordinis Patris illius, qui eſt Societas* IESV, *toto ordine congregato res magnas vidi: vidi eos in cœlo manibus aliquoties candida vexilla preferentes: alias res, inquam, de illis vidi valde mirabiles; quamobrem ordinem iſtum magna veneratione proſequor, quia cum illis multùm egi, & animaduerto eorum vitæ rationem cum iis rebus quæ mihi à Domino ſignificata ſunt, conſentire.*

2. Æmilius l. 10.

3. Cæterùm licèt primigenia volumina, cuiuſcumque tandem illa generis ſint, poſtea tranſcribantur à Notariis, ac deinde typis excudantur à chalcographis; tamen nemo inficias iuerit, archetypa meritò cenſeri debere inter Bibliothecarum theſauros, quia ſunt monumenta tantorum virorum ſuam ipſa ex ſeſe auctoritatem præferentia, ad quæ prouocari poſſit in rebus dubiis & controuerſis, quæ de exſcriptorum veritate oriri poſſunt.

4. Alij MSti codices ab exceptoribus deſcripti niſi eos ipſemet auctor recognouerit, & emendauerit, non ſunt tanti apud me, vt eorum cupiditate æſtuem. Nam frequenter euenit, vt ſint pleni mendis, vtique ab imperitis & mercede conductis ſeruulis, & non ſemel inter ſcribendum oſcitantibus & conniuentibus ſcripti. Secus pronuntio de illis codicibus MStis, qui nunquam prælo typographico ſubiecti ſunt: quamuis enim credibile ſit optimum quemque auctorem iam factum eſſe iuris publici, à quo tempore ars typographica inuenta eſt; tamen quotidie eruuntur è ſitu & tenebris inæſtimabiles theſauri literarij, qui hactenus delituerant. hos ego magnifacio, ac velim diligenter conquiri, recognoſci, ac prælo mandari à præfectis Bibliothecarum ad Dei Opt. Max. gloriam, & bonum literariæ reip. Plurima literariorum fœtuum velut emortua cadauera iacent in iiſdem ſepulchris, atque ipſorum auctores viri eruditiſſimi, quiſquis eorum ſe vindicem præſtat, ac vel aborſu editos, vel deinde longa obliuione ſepultos ad vitam & lucem reuocat, magnus is mihi eſt Æſculapius; atque inter heroas literarios meritò numerandus videtur. Quanto id ſtudio præſtiterit D. Hieronymus [a], docet ipſius epiſtola ad Florentium. huic præcipuè generi manuſcriptorum librorum hoc armarium aſſigno, niſi fortè ſit ad id anguſtius, ac deſignandum proprium conclaue his codicibus, vt in Bibliotheca Regia S. Laurentij Eſcurialis ſapienter factum eſt; qua de re in fine huius operis dicetur fuſiùs.

[a] ep. 6.

5. Finis ſit huius capitis Photij Pſeudoepiſcopi Conſtantinopolitani digna plurium palmarum præſtigiatore veteratoria techna, vt diſcas nõ continuò vt aliquis codex obſoletus & carioſus fuerit, ſitúmque & vetuſtatem redoluerit, eum reipſa vetuſtum eſſe. Duplex eſt genus mangonij, alterúmque altero nequius; alterum vetuſtis rebus nouitatem inducit, alterum nouis vetuſtatem. Venio ad rem. Photius iam decennio Conſtantinopoli exul, vt Imperatoris Baſilij beneuolentiam ſibi conciliaret, & obtineret reditum, hiſtoriam finxit qua Imperatorij ſtemmatis per ſtirpes deſcriptionem (Genealogiam appellamus) deduceret à Tiridate magno illo Armeniorum Rege, fictíſque ac ſubiectis ad arbitrium nominibus peruenit vſque ad patrem Baſilij, eiúſque filium talem exortu & naſcendi ſorte expreſſit, qualis reipſa fuit: ac nomina totius familiæ imperatoriæ Baſilij Imperatoris, vxoris Eudociæ, filiorúmque Conſtantini, Leonis, Alexandri, ac Stephani, voce B E C L A S ex ſiglis, ſiue primariis literis compoſitâ indicauit; eíque ſummam felicitatem annos longiſſimos ſupra Reges maiores ſuos præſagiuit. Et, quod caput eſt, ac præcipuus huius ſtrophæ ludus, ſeriem hanc agnatorum & Imperatorij ſtemmatis deſcriptam in vetuſtiſſimis membranis

Nicetas in vita Ignatij.

Conſtantinus Manaſſe.

Baronius an. Chr. 878. num. 7.

membranis charactere Alexandrino, atque detractis papyris antiquiſſimis ex codice peruetuſto inuolutam per Theophanem quemdam in Bibliotheca palatij depoſuit. Theophanes idoneus huius fabulæ actor nactus eius edendæ occaſionem reperti abs ſe ingentis illius theſauri Imperatorem certiorem facit, negans aut ſe, aut alium vllum quem noſſet, præter vnum Photium exulem, poſſe inuſitatam illam ſcripturam interpretari. Ad Photium extemplo mittitur. Negauit veterator ſe haud velle aperire arcanum, præterquam ei quem membrana deſignaret, nimirum Imperatorem: qua re vehementiùs deſiderio ſciendi ardere cœpit, ac continuò ludionem ab exilio reuocatum, facilè credita commenti interpretatione chariſſimum exinde habuit. Quàm verear ne hac ætate plurimi haud abſimili ludificatione multis mortalibus imponant, qui cùm noui ſint, & prorſus obſcuri, inſerunt ſtirpem ſuam illuſtribus familiis, atque Eumæorum nepotes ab heroibus genus ſuum ſe ducere mentiuntur, pręſidio adulteratatum quarumdam chartarum, quibus ipſi nudiuſtertius vetuſtatem dederunt.

Non poſſum tenere ſtylum quin furfurarios neſcio quos Criticos, & moroſulos Ariſtarchos reprehendam, qui in librorum retractatione, & cenſu ſe putant cœlo addidiſſe nouum ſydus, vel labem aliquam in ſole factam repleuiſſe, cùm voculam vnam nullius momenti addunt, aut demunt, dicúntque: In codice MSto amici mei Titij, vel Sempronij non legitur *ac*, ſed *&*; non *attamen*, ſed *tamen*; afferúntque nobis varias lectiones ſimilium futilitatum. Gaudeo noſtram ætatem incœpiſſe contemnere archetypas illas nugas, quas nonnulli ſuperiore ſæculo putidiùs captabant. Quis non gemmis chariores habeat plumbeos illos libros Salomonicis characteribus, id eſt, Arabicis Orientalibus antiquiſſimis cultiſſimo idiomate in laminis orbiculatis ſcriptos, multis rerum præteritarum ſacris hiſtoriis, multis futurarum arcanis prædictionibus refertos, qui Clemente VIII. Pont. Max. & Philippo II. Hiſpaniarum Rege anno Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto ab illuſtriſſimo Domino de Caſtro & Quiñones Archiepiſcopo Granatenſi, labore diutino per altos montis ſacri cuniculos & latebras iuxta Granatam inuenti ſunt, atque hoc anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo in hanc regiam vrbem Madritenſem allati. Non poſſum omittere quod vidi, & miratus ſum. Illuſtriſſimus Adamus Cinturion Marchio de Eſtepa eorum interpretandorum atque intelligendorum ſtudio, non ſolùm duos interpretes Arabicæ linguæ peritos aluit, verumetiam eo conſilio linguam Arabicam ipſe didicit, bis térve omnes propria manu literis Arabicis ſummâ elegantiâ & venuſtate ac labore pluſquam Herculeo accuratè tranſcripſit, atque in Latinum ſermonem conuertit. Habuit doctiſſimus Dynaſta in hoc ſtudio æmulum atque amiciſſimum incentorem P. Petrum Lanſelium è noſtra Societate, Hebrææ linguæ Profeſſorem in regiis ſtudiis Madritenſibus, quem mors in hos codices ſtrenuè incumbentem nobis eripuit. hæc è re nata obiter. 6.

Capvt XXIV.

Armarium vigeſimumquartum.

Eius inſcriptio.

HEBRÆI, CHALDAICI, SYRIACI, Arabici, Æthiopici.

1. Licèt non ſit mei inſtituti excurrere longiùs in commendationem earum linguarum, quas præfixus titulus indicat: par eſt nihilominus ſuum quoque eſſe huic armario elogium, quemadmodum factum eſt in cæteris; quod præſtabo ſi priùs rationem tibi expoſuero Philomuſe, quamobrem Hebræos, Chaldaicos, Syriacos, Thalmudicos, Rabbinicos, Arabicos, Æthiopicos libros ſeorſim à Latinis & Græcis ex vulgari occidentalium nationum ſermone conſcriptis codicibus ſepoſuerim, & collocauerim in peculiari armario. Cauſa eſt tum maieſtas, tum raritas, & pretium iſtorum voluminum; tum commoditas illorum, qui harum linguarum peritiam ſibi comparare volent, aut etiam eas in Academicis pulpitis tradituri ſunt. Licèt enim in variis facultatibus & ſcientiis editi ſint aliqui libri his linguis, ij tamen perpauci ſunt, atque vtplurimum haud tam leguntur eruditionis, Philoſophiæ, Philologiæ, Medicinæ, Matheſeos gratiâ, quàm perdiſcendarum harum linguarum ſtudio, & ad germanum Scripturæ ſenſum cognoſcendum, vel ad fidei noſtræ myſteria his vehiculis importanda ad regiones orientales; erroréſque non paucos earum gentium refellendos.

2. Itaque pertinebunt ad hoc armarium Talmud & Talmudiſtæ, omnes non exiguo numero, Alcoranus, Auicenna, & Auerrois opera Arabica, itẽ Geographia Arabica; varia Dictionaria Hebraica, Dauid Kimhi, & Ioſeph Caſpi, Pagnini, Forſteri, Auenarij, Marci Marini; Chaldaica, & Rabbinica Eliæ Leuitæ; Syriaca Andræ Maſij; Thalmudica R. Nathan, Pentaglotta Valentini Schindleri OEderani; Arabica Franciſci, & Iuſti Raphelengij, & Thomæ Erpenij; Radices Hebrææ Ioannis Iordini noſtræ Societatis; Grammatica Hebræa Cardinalis Bellarmini, & Georgij Mayr, item è noſtro Ordine, multorúmque aliorum, qui has linguas cum magna laude calluerunt, vel profeſſi ſunt, Ariæ Montani, Genebrardi: Plato Arabicè verſus.

3. Pauca hæc quæ referam debeo piæ memoriæ Franciſci Boutoni Sequani, Magiſtri in Scriptura & Hebræa lingua mei, adeóque conſcientiæ meæ Præſidis, viri in paucis ſancti; necnon virginitatis, doctrinæ, & Martyrij laureola inſignis. Lexicon Hebraicum ingentis omnino operæ, ſed vſus fructúſque non minoris, quo quàm legitimè vulgatus Interpres Hebræum textum expreſſerit, quámque Rabbini, & Hebraizantes clanculatij Latinæ editionis ſuffoſſores aberrarint, accuratè demonſtrat. hoc opus iampridem cenſorum diligentiam interpellat, vt edatur. Cogitabat etiam Lexicon Syriacum adiungere bonus Pater; ſed

eam

eam publici boni acceſſionem mors præpropera, & nimius in lambendo & perpoliẽdo Hebraico Lexico labor ſubduxit; nam dum nunquam ſibi facit ſatis, immenſum laborem vaſti voluminis ſexies, vt minimum exſcribẽdi, deuorauit. Cùm Dolæ in Comitatu Burgundiæ, vbi Scripturam ſacram, & linguam ſanctam magna cum laude è ſcholaſtico ſuggeſtu docuerat, atque hoc opus, aliaque ſcripſerat, Lugdnnum Galliæ profectus eſſet, commodioris editionis gratiâ, orta eſt tetra illa lues, quæ in ciuitate populoſiſſima bene multas hominum centurias quotidie ſternebat. hîc ſe prodidit flagrantiſſima charitas Patris Franciſci, & earum virtutum heroica facta, quas totâ vitâ ad omnium exemplum atque admirationem impensè coluerat. Nam ſuperiores exorauit, vt vnus eſſet ex lecto illo manipulo, cui iuuandorum ægrorum prouincia credebatur: in quo miniſterio inuictiſſimè & ſanctiſſimè mortuus eſt. Plura de hoc Athleta Chriſti Theophilus Raynaudus in mantiſſà ad Indiculum Sanctorum Lugdunenſium, vnde hæc totidem ferè verbis exſcripſimus.

Redeamus ad viam, ſi tamen diuerticulum hoc fuit: de harum lin- 4.
guarum ſtudio, & peritia quid dicemus? obuium eſt quod S. Paulus ſcripſit in hanc rem ad Corinthios, numerans inter χαρίσματα, τὰ τῶν γλωσσῶν γένη genera linguarum: quod tum præſertim verum eſt, quando ſunt adiumenta & ſubſidia ad Dei Opt. Max. gloriam, noſtrámque, & aliorum ſalutem procurandam. Si enim plures linguas callere diuinæ mentis munus eſſe dixerunt ſancti Eccleſiæ Patres Ambroſius [a], & Cyrillus [b]. Si Ennius ideo dictus eſt ab antiquis tria corda habuiſſe, quòd tres linguas Græcam, Latinam & Oſcam noſſet: ſi Mithridates Ponti Rex ampliſſimo dignus habitus eſt imperio, quòd viginti & duarum gentium ore, quibus imperabat, loqueretur: ſi Caſſiodorus [c] linguarum peritiam nominat *Diadema eximium, & notitiam impretiabilem*; ſi Philaſtrius [d] *Angelicam gratiam* vocat. Si magnum beneficium eſt nunquam obſurdeſcere, contrà ac euenit in aliena lingua quam quiſque ignorat, vt eſt in prouerbio; quid ſentiendum de illius linguæ cognitione, qua eloquia diuina magnam partem conſcripta ſunt, vel qua Seruator noſter eſt locutus, & Beati in cœlis æternùm locuturi; quæ tot habet myſteria, quot literas, quot apices, quot puncta; vnde veritas in ſuo fonte hauriatur, quæ ex ſeſe plena eſt auguſtæ maieſtatis, quæ reliquis omnibus antiquitate antecellit, quæ κατ' ἐξοχὴν *lingua ſancta* appellatur; vtpote quę ab amico numine primùm Sanctis indita eſt, non autem, vti reliquæ, ab irato; vel quæ ore Chriſti, & in titulo Crucis primo loco conſecrata, vel quæ maximæ partis diuinorum oraculorum cuſtos eſt? Ex his capitibus duci poſſent eximiæ laudes Hebraicæ linguæ, atque eius cognatarum Chaldaicæ, & Syriacæ. Equidem Hebrææ linguæ non exigua commendatio, & dignitas Principem eſſe trium inſignium linguarum, *quibus Sacramentum voluntatis Dei, & beati regni expectatio prædicatur, & regnum Chriſti ſcribitur*, quemadmodum dixerunt D. Hilarius [e], & Arnoldus Abbas Bonæuallis [f] de Hebraica, Græca, & Latina lingua loquentes, de quibus intelligendum eſt illud D. Auguſtini [g] monentis, *accedentem ad interpretationem diuinarum Scripturarum oportere*

a in 1. Cor. 13.

b l. 17. contra Iulian.

c l. 11. ep. 1.

d de hæreſ.

e prol. in Pſ.

f tom. 1. Bibl. vit. PP.

g l. 3. c. 1. de dectr. Chr. Idem de Hebr. l. 2. c. 11. & 12.

tere præmunitum eſſe ſcientia linguarum, ne in verbis locutionibúſque ignotis hæreat.

5. Arabicam verò linguam didiciſſe quantum profuit cùm laminæ Granatenſes in monte ſancto repertæ ſunt Arabico ſermone & characteribus exaratæ? Notum eſt decretum Pauli V. Rom. Pont. præcipientis, vt in omnibus celebrioribus Academiis ſit vnus Arabicæ linguæ profeſſor; videlicet cuius cognitio magnum adiumentum ſit ad Orientis plagas, vbi latiſſimè patet, traducendas ad ſanctæ fidei noſtræ profeſſionem, & caſtum veri numinis cultum. Res eſt præterea plena ingenuæ voluptatis & eruditionis, necnon vtilitatis noſſe etymon plurimarum vocum, quibus Mathematici & Medici in ſua ſcientia vtuntur, ſuaque inſtrumenta & pharmaca cognominant. Arabes enim duas præſertim facultates, Aſtrologiam & Medicinam, ſtudioſiùs & ſanè accuratè excoluerunt. Si quos etiam nactus eris libros Æthiopica & Illyrica lingua conſcriptos, cuius vtriuſque in toto Oriente maximus eſt vſus, in hoc armarium illos referes.

SECTIO II.

Alia quædam exquiſita ad Muſei perfectionem.

I. PERTINENT ad Bibliothecæ perfectionem nó ſolùm boni libri omnis generis; verùm etiam quædam inſtrumenta & ſupellex, ſine quibus libri vix ſatis intelligi poſſunt, nec quædam ſcientiæ comparari. item quædam alia, quæ inſtar librorum ſunt, vnde plurima petuntur ad veteres ritus ac hiſtoriam intelligendam adiumenta. alia denique nonnulla quibus ingenua curioſitas hominis eruditi delectari ſolet tanquam proprio paſtu animi liberalis. his rebus tribuimus quatuor illa intercolumnia, quæ ſunt propinquiora foribus Muſei, & quæ è regione orientalium feneſtrarum ſunt ad Occidentem. In ſingulis autem vacuis illis ſpatiis inter pictas columnas, ſingulos elegantes toreuticos abacos eleganti ferreo inſtructu, feris, armariis inſitiis & exemptilibus capſulis, atque ſcriniis (vti mos eſt) affabrè inſtructos. Primus erit, qui Muſeum ingredienti dexter ianuæ adiacet; ſecundus qui ex alia parte oppoſitus, ſiniſter; tertius qui primo contiguus; quartus qui ſecundo. E regione ſingulorum ſuus eſſe poterit erectus pluteus, ſi videbitur, vel (quod fortaſſe opportunius erit) oblongi quadri menſa, quæ fungi etiam vice armarij, aut arcæ poſſit.

CAPVT

CAPVT I.

Abacus primus.

Eius inſcriptio.

INSTRVMENTA MATHEMATICA.

Geometrica. Circinus, regula, quadrans geometricus, quadratum geometricum. Radius, quem vulgò Baculum Iacob vocant; triquetrum; circinus proportionis; inſtrumentum partium; pantometræ; norma. Trignometrum; graphometrum; holometrum; henrimetrum. Radius Latinus; inſtrumenta ad ſectiones conicas Aguilonij, Guidonis, Vbaldi, & Barochij, &c. 1.

Aſtronomica. Globus cœleſtis. Sphæra armillaris. Radius aſtronomicus. Annulus aſtronomicus. Aſtrolabia vniuerſalia Ioannis de Rojas Hiſpani, Cornelij Gēmæ Friſij. Particulare Ioannis Stœflerini Iuſtingenſis, & Odonis Malcotij Belgæ è Societate IESV, quibus omnibus terram mobilem cœlo ſtante in cryſtallina lamina cælatam ſubdidit P. Claudius Richardus Regius Profeſſor Matheſeos in Collegio Imperiali Madritenſi noſtræ Societatis, non quòd terram moueri circulariter putet, imò naturaliter ſic moueri poſſe pernegat; ſed quòd ſi diuinitus moueretur, gyrationes & conuerſiones huiuſmodi explicaret lamina illa tranſparens, terræ circulos continens ſub cœlo ſtelliſque conſiſtentibus. Eiſdem ſtellas omnes in cryſtallo etiam ſculptas ſuperaddit duobus hemiſphæriis, vt operationes omnes aſtronomicæ per quamliber ſtellam ſicuti in globo perfici poſſint. Alia etiam adinuenit ac diuerſa Aſtrolabia proiiciendo ſphæræ ac terræ circulos in diuerſis planis, & oculo conſtituto in verticibus Horizontis, in punctis Solſtitiorum adductorum ad quemlibet maximum ſphæræ circulum. quæ omnia iuſto volumine demonſtrata breui prodibunt, cum fundamentis etiā innumera alia Aſtrolabia proprio Marte adueniendi.

Geographica. Globus terreſtris. Circinus valgus. Tabulæ geographicæ, &c.

Optica. Dioptræ.

Catoptrica. Specula plana, ſphærica, cylindrica, conica, conuexa & concaua, vſtoria, &c.

Dioptrica. Tubus opticus, vitra concaua, conuexa, trigona: perſpicilia polygona; ſpecula vſtoria vitrea: inſtrumentum ad refractiones menſurandas.

Nautica. Verſoria, ſeu pyxis, vel acus nautica: tabulæ hydrographicæ; bolides.

Gnomonica. Declinatorium; horologia portatilia, vniuerſalia, & particularia. Annuli, cylindri, & quadrantes horatij.

Mechanica. Libella: perpendiculum: libra: ſtatera; vectis; trochlea: polyſpaſtus: axis in peritrochio: cuneus: cochlea: pancratium: gloſſocomum: ergata: ſuculæ, ſcythalæ.

Hydraulica, & ſpiritalia. Cochleæ aquaticæ Archimedis:Syphon diabetes:Meteoroſcopium:Machina Cteſybica:Chorobates.

Muſica. Monochordium.

Arithmetica. Calculi;Rabdologi,vel virgulæ Neperi:Logocanon.

CAPVT II.

Abacus ſecundus.

Eius inſcriptio.

NVMISMATA ANTIQVA.

1. QVia Muſeum debet eſſe promptuarium omnis ingenuæ voluptatis,atque multiplicis eruditionis theſaurus; ideo antiquitatis ſtudioſi iure me reprehenderint,niſi armarium vnum atttribuerim ſigillaribus numis iconicis & ſymbolicis, in quibus veteres vrbana ſua facta & caſtrenſia inſculpebant; præſertim cùm Plinius haud obſcurè ſignificet olim mores fuiſſe ex auro, argentóve, aut certè ex ære (vt ego quidem reor) *nummario* dicare in Bibliothecis illos, *quorum immortales animæ in iiſdem locis locuntur.* Si nihil foret in illis numiſmatis præter metalli pretium,& veſtigium inutile meræ antiquitatis,non magnopere illa deſiderarē: at quoniam ex eorum conſideratione & intelligentia antiquarij multa diſcunt, putauerim proprium locum huius antiquitatis numariæ eſſe Muſea.

2. Verè & ſapienter; quiſquis hæc ſigillaria numiſmata dixit eſſe *expreſſas hiſtorias*, longè melius, quàm quæ calamo exprimuntur in chartæ foliis; atque eſſe velut *oculares indices factorum heroicorum* fideliores conſcriptis hiſtoriis, quòd hæ à priuatis hominibus ſcribantur, haud rarò præpoſterè affectis, & audacter mentientibus; numi verò auctoritate publica & conſulto ſenatus,vel iuſſu Principum cudantur: proinde manifeſtum eſt, eos qui ſe exercent in hac antiquitatis palæſtra, longè certiùs & feliciùs hiſtoriæ veritatem indagare & nanciſci. Sunt etiam in illis frequenter expreſſæ leges & ſenatuſconſulta, vnde non exigua vtilitas obuenit iuris & rei politicæ ſtudioſis: in illis omnium veterum Deorum imagines,non leui poëticæ & philologicæ facultatis adiumento. In illis miræ ſpecies arborum, animalium genera incognita,herbarum,florum,aliarúmque rerum naturalium mirabiles formæ.quibus Phyſiologorum obſeruationes pulcherrimè locupletantur: in illis omnis ſacrificiorum apparatus,ludorum, bellorum, triumphorum; tripodes,aræ,litui, thenſæ, lectiſternia, dedicationes, crateres, ſympula,Pontificum veſtes,acerræ; vexillorum, armorum caſtrorúmque multiplices formæ; prælia,victoriæ,ſpolia,triumphi,trophæa, coronæ,ouationes,currus triumphales,congiaria,donatiua,viſcerationes, Circenſes ludi,theatrales,& reliqui; ſepulchra,Mauſolæa,apotheoſes; omnium menſurarum genera,frumentariæ teſſeræ; coloniæ, municipia,prouinciæ,luſtra, vrbium initia aliáque innumerabilia, de quibus

Chrono

Chronologorum & Philologorum ſcientia diſputat: in illis virtutum & vitiorum icones, de quibus morales Philoſophi: in illis gentes & agnationes integræ, & ſingularium illuſtrium perſonarum natiuus oris habitus & conformatio velut mutæ & tacentis naturæ vox: atque (vt vno verbo abſoluam) præter liberalem & honeſtiſſimam voluptatem quæ in eiuſmodi rebus tractandis & cognoſcendis percipitur, accedit ad varias artes & ſcientias fructus haud exiguus. Hubertus Golzius meritò deflet barbariem inductam à Gothis, Hunnis, VVandalis, Alanis, Longobardis, qui omne artificium & elegantiam perdiderunt, & hæc velut ſacroſanctæ antiquitatis monumenta magnâ congerie conflata incredibili bonarum artium damno obſoleuerunt. Franciſcus Gualdus Ariminenſis, miles S. Stephani, & Leonis X I. intimus Cubicularius, plurima Pontificiorum diplomatum ſigna plumbea antiqua quæ in priuato ſuo Muſeo habebat, in Vaticanam Bibliothecam, ne interirent, tranſtulit; aliqua inciſa exhibentur tomo ſecundo de vita & rebus geſtis Pontificum & S.R. Eccleſiæ Cardinalium *pag.* 1993. Alia item ad eoſdem Romanos Pontifices ſpectantia ex ſuo Muſeo deprompſerunt Franciſcus & Brutus Gottofridi Patritij Romani, quorum interpretationem ibidem habes *pag.* 1995. *& ſequentib.* Studium harum rerum & peritia ſaltem mediocris hominem eruditum prorſus decet, & perquã honeſtum eſt ſi earum notas & ſigla facilè interpretari poſſit, ac veros nummos ab adulterinis diſcernere.

Maximo numero eius generis numiſmata ſolent frequenter reperiri 3.
in vrnis condita, vel in armariis parietariis incluſa, vel in veterum ædificiorum fundamentis ſepulta, vel etiam temere proiecta in vineis & agris; præcipuè in illis vrbibus, quæ vetuſtate, & habitatione priſcorum Romanorum nobiles ſunt, cuiuſmodi eſt Bibracte, ſiue Auguſtodunum Æduorum, Veſontio Sequanorum, Lugdunum Galliæ, & aliæ vrbes; vbi vix paulo altiùs effodere humum poſſis, aut ſolum euderare; quin illico in talia permulta incidas.

Dignum eſt ſcitu quod Ioannes Funcius [a], ſeu (vt Delrio ſcribit [b]) 4.
Stumphius in Chronico Heluetico refert. Leonardus neſcio quis ingenio ſimplex & voce balbus, ſartoris cuiuſdam filius, Lienimannus vulgò dictus, incertum qua arte cryptam illam quæ Auguſtæ Rauracorum patet ingreſſus, & vlterius quàm vlli alij vnquam potuerant progreſſus miranda quædam ſpectra referebat. Cereo accenſo in cryptam deſcendit, ac primò tranſiit per ferream portam, inde ex vna concameratione in aliam, atque etiam in hortos pulcherrimè virentes. Narrabat in medio aulam magnificè ornatam videri, & virginem formoſiſſimam pube tenus, aureo diademate caput cinctam, crinibus ſolutis, inferno in horridum ſerpentem deſinentem, à qua manu ad ſcrinium ferreum deductus eſt. Scrinio duo moloſſi nigri incubabant, & terribili latratu arcebant accedentes. At virgo minabundæ ſimilis eos compeſcuit. Tum clauium faſce quem collo alligatum geſtabat, ſoluto, arcam recluſit, & inde omnis generis numiſmata aurea, argentea, ærea deprompſit: quorum non pauca oſtendebat ſibi à monſtroſa illa virgine donata. Addebat Lamiam illam ſemiferam ſibi dixiſſe, regio ſe ortam ſtemmate diris

a Ioan. Func. in Chron. Helu.
b l. 2. q. 12. de diſq. mag.

carminum imprecationibus in tale monſtrum mutatam, neque aliam recuperandæ priſtinæ formæ rationem ſupereſſe, quàm ſi quis illibati pudoris adoleſcens ter ſibi daret oſculum; liberatori verò pretij loco ceſſurum omnem theſaurum qui ibi eſſet; poſt geminum oſculum tam horrendum in modum exiliit ſpe & deſiderio optatæ libertatis, tam veſanos geſtus edidit, vt miſer pauore propè enectus, & metu ne ab empuſa tortuoſa laniaretur, aufugerit. Deinde à quibuſdam ganeonibus in popinam deductus, poſtea nunquam reperire cryptam, nedum ingredi potuerit. Magúſne fuerit, an ſui haud ſatis compos, non ſtatuo: laruam illam, & geminos moloſſos fuiſſe malos dæmones cuſtodes theſauri, facilis coniectura eſt: numiſmata verò à monſtro accepta non difficile negauerim, vtique numinis permiſſu factum; ſed enim verò nolim tanto periculo eiuſmodi ſymbolicis numiſmatis hunc abacum implere.

——*Timeo Danaos, & dona ferentes.*

hoſtium δῶρα, ἄδωρα.

5. Celebre eſt in Italia antrum illud Mantuanum quod *Specus Dominæ* appellatur; de quo frater Hilarius de Coſte [a] ex Ordine ſancti Franciſci de Paula hæc habet. Iſabella Herculis ſecundi Ferrariæ Ducis eo nomine primi, & Eleonoræ Aragoniæ coniugis filia, & Franciſci Gonzagæ Mantuæ Marchionis vxor, Federici Mantuæ Ducis primi mater, magnanima, docta, ſingularium rerum & exquiſitarum in primis ſtudioſa, ſuæ illius eruditæ curioſitatis monumentum reliquit in cella quadam ſubterranea excauata in ipſa rupe, doctas veteris temporis numarias reliquias, quas ex variis locis quæ vel ipſa peragrauerat, vel vnde eas magno pretio coëmptas Mantuam ad ſe adferri curauerat, hoc genere literariarum delitiarum mirificè delectata. Iſabellam hanc Carolus V. Imperator inter ſuæ ætatis Principes fœminas ſingulariter laudauit. Ioannes Iacobus Chiffletius Eques, Medicus Cubicularius Regis Catholici & Sereniſſimæ Infantæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, philologus & ſcriptor plurimæ ac reconditæ eruditionis, Muſeum habet antiquitatibus iſtis numariis, quarum peritiſſimus eſt, nobile.

a in Elogiis Gallicis illuſtrium fœminarum pag. 276.

CAPVT III.

Abacus tertius.

Eius inſcriptio.

ERVDITA RVDERA PRISCI TEMPORIS.

1, *Eſt nunc Briſei quem venoſus liber Acci,*
Sunt quos Pacuuiúſque, & verrucoſa moretur
Antiopa ærumnis cor luctificabile fulta.

Sunt (inquam) qui tum maximè ſe diſertos putant & elegantes, ſi reuocent

reuocent in vſum obſoleta quædam verba,eaque ſuæ orationi tanquam gêmas illigent,dicántque cum Lucretio, *Terrai frugiferai* : ſunt quibus nullus propè panis ſapiat niſi mucidus;nullum vinum niſi fugiens;nulla caro niſi marcorem redolens;nullum oleum niſi vetus,& in vnguentum degenerans ; nulli fructus niſi condititij ; ac tum demum ſe loqui putent,ſi orationem ſuam vermiculent Ennianis vocibus,aut duodecim Tabularũ deſuetis loquendi modis;ſi vſurpent aliquod dictum exaratũ in falce Saturni, primáſque atque inconditas Romuli voces replicent.

Quod multi faciunt in ſtylo & verbis, plurimi quoque facere conſueuerunt in rebus : vſque adeò enim amant rudera antiquitatis, vt ſi quid eius generis nacti fuerint,illud cupidiſſimè ſectentur,tractẽt,& in ſanctiore ſua cella inter ſuas delitias reponãt;non quòd ſemper antiqua præſtent recentibus, ſed quòd res antiquæ cuiuſcumque pretij & valoris ſint,videantur eſſe conſanguineæ heroicorum temporum, & proinde ſacroſanctæ ac plenæ venerationis; rubiginem ipſam amant, inductum ſitu muſcum, & quidquid retinet aliquod veſtigium priſcæ ætatis,illud in primis venerantur.hoc ſtudium dummodo modus adſit,non diſplicet : imò ſimilibus rebus aſſeruandis haud grauatè abacum vnum in hac Bibliotheca attribuerim : adeò vt ſi nactus fueris quædam præcipuè, de quibus frequentior ſolet eſſe inter doctos mentio, vel etiam controuerſia,ea hîc recondas.In hoc genere ſunt lacrymatoriæ phialæ antiquorũ;veræ purpuræ aliqua lacinia, hoc eſt,particula panni infecti ſanguine muricis,aut purpuræ piſcium ; fibularis nobilium Athenienſium cicada; lunnla in ſenatorio aſtragalo; aliquid æris Corynthij, cortina, vel tripus delphicus;ſoccus cornicus,tragicus cothurnus; Ciceronis Hermathena ; Epicteti Philoſophi lucernula fictilis tribus drachmarum millibus vendita : Theodoſij lucerna quæ ſe ſua ſponte accendebat,ac miro artificio affundebat oleum, ne ſacrorum librorum legendorum ſtudioſiſſimus Princeps vllum è familia noctu excitaret. Calamus Dionyſij Carthuſiani, quo vno omnia ſua opera ſcripſiſſe dicitur. 2.

Lucianus Syrus.
Niceph.l.14. c.3.

Huius loci præcipuè erunt quædam ſingularia quæ ad libros, vel priſcam & exoticam ſcribendi rationem pertinent ; cuiuſmodi ſunt, cortex arborum antiquo more literis exaratus;ceratæ tabulæ;ſtyli oſſei, vel ferrei;pugillares citrei,eburnei, cerei membranei, encauſtum Imperatorium, volumen priſci moris circumplicatum bacillo, vel cylindro cum vmbilicis & cornibus eleganter pictis ; lintei libri veterum; plumbeæ lamellæ ; volumina plumbea, ſiue charta plumbea; ſyndones vbi Indi ſcribebant, vt eſt apud Philoſtratum[a] ; Palimpſeſtus charta memphitica,Auguſtæa,quæ regia eſt Catullo,hieratica,quæ ſolis ſacris literis ſeruiebat;Thebaica,literę ſolida materia fabrefactę,pueros legere docendi gratiâ, de quo more eſt elegans illud monitum D.Hieronymi ad Lætam[b] :*Fiant ei litera buxea,vel eburnea,& ſuis nominibus appellentur;ludat in eis, vt & luſus ipſe eruditio, & memoria nominum in canticum tranſeat;ſed & ipſe inter ſe crebrò ordo turbetur, & mediis vltima, primis media miſceantur, vt eas non ſono tantùm, ſed & vſu nouerit.* Affine eſt iſtud Quintiliani[c], *Ad diſcendum irritanda infantia gratiâ eburneas etiam litera-* 3.

Front.l 3. c.13.
Plin. l.13. c.11.
Nero apud Suet.c.20.
a in vita Apoll.
Turn. l.5. c.11.
Stat. l.4. ſylu.
b ep.15. l.2.
c l.1.c.1.

Auſon. ep. 91.

rum formas offerre notum eſt. Hermiones zonæ textum ἐλεγεῖον; Phylacterium Phariſaicum lege inſcriptum; veſtis parthica item literis picta; autographa, vel apographa quarumdam priſcarum epiſtolarum encyclicarum, formatarum, ſyſtaticarum, & alia id genus olim variis ex cauſis ab Epiſcopis ad diuerſos ſcriptæ; laureatæ literæ miſſæ ad Senatum à victoribus; ſagittis exaratæ epiſtolæ; laconica ſcytale, de qua Gellius [a]; hieroglyphicæ literæ Ægyptiorum; exceptum aliquod, vel inſtrumentum ſiglis notatum; ſuffragatoriæ tabulæ ad antiquandas, vel admittendas rogationes; teſſeræ militares ſcriptæ, frumentariæ, numariæ, hoſpitales, luſoriæ; ſigillum Auguſti ſphinge inciſum, vel Gentilitium Galbæ cane è prora nauis proſpectante figuratum; ſcyphi Homerici verſibus inſcripti; ſpongia deletilis; calamus Demoſthenis: Imperatoris Turcarum epiſtolę literis aureis Arabicis in linteo ſcriptę; Chinenſis codex; abacus rationum Romanorum, quem *Tabulam Pythagoricam* appellant; congius antiquus menſura ad multas alias menſuras intelligendas valde vtilis: ſed quis non rependat auro & gemmis, & ſiquid his rebus pretioſius eſt, thoracem illum è lino textilem, quem Amaſis Ægyptiorum Rex miſit ad Crœſum frequentibus ex auro lanáque verſicoloribus figuris? in eo ſcriptæ erant eius venationes, quarum ſingulæ habebant tricenas ſexaginta beſtiolas, exiles illas quidem, ſed quæ tamen conſpici poſſent. Quis non magni æſtimet librum illum quem Toleti anno Chriſtiano MCC XLIII. in prædio ſuo intra concauum cuiuſdam rupis ſine vllo fiſſuræ veſtigio Iudæus reperit. Hebræis, Græcis, ac Latinis literis ſcriptus erat, folia tabellis ligneis ſimilia, magnitudo inſtar pſalterij. Argumentum de triplici mundo ab Adamo vſque ad Antichriſtum; tertij mundi initium ab Chriſto ordiens ſic habet, *Filius Dei naſcetur ex Virgine Maria, & pro ſalute hominum patietur*; quod cùm Iudæus legiſſet, Chriſtianam fidem vnà cum tota familia amplexus ſacro Baptiſmo tinctus eſt. Erat autem inſuper in eo libro ſcriptum, Ferdinando in Caſtella regnante repertum iri. Alphonſ. de Spina in fortalitio fidei, & alij. Libenter quoque habeam opera quatuor Doctorum Eccleſiæ eâ editione, qua primùm vnquam edita ſunt ab Ioanne Amerbachio. Item primum illud Typographiæ exemplum quod arte recèns inuentâ editum eſt. Alij fuiſſe aiunt *officia Ciceronis*; ita refert P. Ramus: alij fuiſſe aſſerunt *libros D. Auguſtini de ciuitate Dei, & Lactantium*; ſic Amedeus Salyus in breuiario Chriſtianæ Chronologiæ parte ſecunda [b]. Codex ille textus ſacri Euangeliorum in cortice ſcripti, qui repertus in ſepulcro Caroli Magni vnà cum eius enſe, & cornu venatorio Aquisgrani. Eiuſmodi codex in quo Suetonius deſcriptus eſt, Mantuæ aſſeruatur. Tabulæ aſtronomicæ Alphonſi Caſtellæ Regis, cognomento ſapientis, ad meridianum Toletanum ideo ab ipſo ordinatæ, quòd in ea vrbe IX. Kal. Oct. anno MCCXXI. natus eſſet, ſitque Hiſpaniæ vmbilicus. extant etiamnum in Eccleſia Hiſpalenſi, promuntúrque in ſolemnioribus feſtorum, ac ſupplicationum pompis.

Porta l. 2. c. 21.
a l. 17. c. 9.
ex Lyſandro Plutarchi.

Herod. in Melpom.

Ramus l. 2. proœm. mathem.
b col. vlt.

Salazar de Mendoça l. 3. c. 1. de origine dignitatum ſæcularium Caſtellæ & Legionis.

CAPVT

CAPVT IV.

Abacus quartus.

Eius inſcriptio.

QVÆDAM NATVRÆ ET ARTIS MIRACVLA.

QVàm varia ſunt mortalium ingenia & mores. Sicut quibuſdam ſuperſtitioſis (qui vulgò ſolent eſſe natura timidi) innocentia niſi in metu non placet ; & vix vlla religio niſi circumfuſa horrore , & tenebris ; *nec magis auro & fulgentia ebore ſimulacra , quàm lucos & in ipſis ſilentia adorant* , inquit Plinius [a]. Alij ſunt ſimplices , & minimè mali, qui aliena commenta illico ſibi in animum inducunt , nedum inducuntur ipſi , vt quidlibet credant ; nec perſpiciunt quid in quaque re verum ſyncerúmque ſit; homines vtplurimum integri, atque ad fallendum minus inſtituti ; ſed tamen deceptu admodum faciles, & verſabiliores cothurno. ita non deſunt qui oculis duntaxat fidem habent, nullam auribus; audaces inficiatores earum omnium rerum , quæ vel habent aliquid admirabilitatis, vel olent aliquid peregrinitatis : & hi ferè nunquam pedem extulerunt è natali ſuo ſolo, fuerúntque in patriis laribus aſſidui. Diſcant tales increduli , non continuò prout quidpiam eſt inuſitatum & inauditum, ita etiam falſum eſſe , & incredibile. Pleraque fabuloſa eſſe putauerunt maiores noſtri , qui ſi reuiuiſcerent nunc eos ſuæ incredulitatis pœniteret, puderétque fortaſſis : ſic Plinio & Herodoto multæ commentitiæ narrationes attributæ ſunt , & eorum ſcriptis derogata fides & authoritas , cùm tamen ſecuta ſæcula & profectiones in remotas oras ſuſceptæ quotidie veridicos probent. Quorſum hæc! Eò pertinent, vt ingenuam curioſitatem rerum inuſitatarum atque admirabilium ſiue artis, ſiue naturæ opera ſint, Philomuſo commendem, eaque non ſolùm ſuis oculis videat cùm ſe dabit occaſio; verùm etiam penes ſe habeat , & peculiare illis armarium in Muſeo deſtinet , ad quæ prouocari poſſit , cùm de naturæ, aut artis viribus, vel de authorum fide dubitari contigerit. Eſt quidam vir nobilis in Gallia eiuſmodi rerum adeò locuples, vt ipſe Rex Chriſtianiſſimus Ludouicus XIII. cùm fortè eſſet in ea vrbe vbi is degit , in eius ſe domum contulerit, liberalem illam naturæ ſimul & artis tabernam, vel apothecam viſurus; quâ accuratè conſideratâ diſcedens balteum ibi ſuum reliquit, tamquam ſymbolum, poſt illas oculorum epulas & monumentum Regiæ humanitatis. Porrò vt meliùs intelligas , cuius generis ſint ea quæ huc referri debeant, afferam tibi quædam exempli gratia, ex quibus facilè ſimilium facies coniecturam. 1.

[a] l. 12. c. 1.

Aſtrapæum, ſiue fulguralem lapidem è fœta nube editum inter fulmina & tonitrua ſi nactus eris , eum tu hîc aſſeruato. Petrus de Lancre Curiæ Burdigalenſis Senator , talem ait eſſe in æde Regia S. Laurentij 2.

Eſcurialis

Eſcurialis ſex pedes longum miſſum ad Carolum V. Imperatorem è Guineæ finibus, eóque factum fuiſſe ſymbolicum ſcutum eiuſdem Cæſaris.

3\. Anſelm. Bootius l. 2. c. 3.

Refert ex Rueo Anſelmus Bootius Rhodolphi ſecundi Imperatoris Medicus, & eiuſdem Dactyliothecæ Præfectus, eſſe adamantes, qui alios identidem ex ſeſe progenerent adamantes, atque diuite partu enitantur; ac dominam Heuerenſem ex Luxemburgorum illuſtri genere duos habere hereditarios, qui alios crebrò producant, vt eos quicumque ſtatis temporibus intuetur, inquit συγγενῆ, ideſt, congenerem ſibi prolem eniti palàm iudicet. Idem Bootius habere ſe Achatem ſcribit haud maiorem vngue medij digiti, in quo eſt perfectiſſimus circulus atro colore, quo perfectior exarari nequit; ac in circuli medio accurata effigies Epiſcopi mitra redimiti; cúmque ea gemma variè conuertitur, variæ quoque humanæ imagines apparent. Quis non inſatiabiliter ſpectet hoc naturæ artificium.

4\. Audio in Muſeo cuiuſdam viri ingenuè curioſi eſſe piſciculum illum qui à Latinis remora, à Græcis ἐχενηΐς dicitur, cui ea vis & facultas à natura indita eſt, vt ruant venti licet, ſæuiant procellæ; imperet tamen furori, viréſque tantas compeſcat, & cogat ſtare nauigia quibus adhæſerit, quod non vlla poſſunt vincula, non anchoræ irreuocabili pondere iactæ. prorſus digna res quæ in æde mentis & ſcientiæ indagatoribus rerum naturalium proponatur. Nō alienus erit etiam ab hoc loco Cynocephalus Niloticus piſcis, quem Horus ait diem latratu partiri in vigintiquatuor horas velut rotati horologij tintinnabulo. Et quoniam de piſcibus ſermo eſt, ſi Nereidem, vel Tritonem, vel Sirenem, aut etiamſi ſylueſtre aliquod monſtrum, Satyrum, Faunum, Hippocentaurum, Nympham exhibere poſſis, quod fecere nonnulli curioſi, qui capta ſalitáque, aut melle & aromatibus condita diu aſſeruarunt, illico auctoritatem dares Plinio, & multis auctorum narrationibus; quæ vulgò ab imperitis præpropera iudicia ferentibus, fabuloſæ putantur; veterémque inter Philologos, & Phyſiologos hodieque repetitam controuerſiam, vtrùm reipſa eiuſmodi animalia aliquando extiterint, momento dirimeres; atque ipſa editione rei de qua diſceptatur, euinceres id genus monſtra non eſſe rem commentitiam, aut nudas dæmonum præſtigias; ſed vel luſum naturæ nudam humanam effigiem illis animalibus communicantis, vel humani & bellumi concubitus infauſtum partum, vti Baronio [a] viſum eſt; qua de re eruditè Theoph. Raynaudus [b] adductis in eam ſententiam permultis hiſtoriis, aliíque bene multi. Si mihi foret copia videndi huiuſmodi piſces, vel feros homines, equidem ſuauiùs paſcerer tali ſpectaculo, quàm ſi quis edendas mihi apponeret omnes maris terræque cupedias. Neque alibi opportuniùs aſſeruari poſſunt, aut ſpectanda proponi, quàm in Muſeo, vel in adiuncta Muſeo alicuius cubiculi appendice, vt ibidem vbi viri docti mentis acie multa conſpiciunt quæ vulgus hominum prorſus ignorat, ac longè plura intelligunt eſſe, quæ de infinita diuini Numinis vi ſapientiáque neſciunt, aliquid inuſitatum cernere inſuper corporeis oculis queant: vt quoniam aſſuetudo cæteris rebus auctoritatem ademit, ex inſolitis iſtis in admirationem

a tom. 3. an. Chr. 343. n. 3.
b diſt. 2. n. 34. 35. 36.
Fernandius c. 8. didaſc. Roſuedius in Onomaſt. verb. Hippocentaurus.

rationem Dei, venerationémque excitentur; quemadmodum pulchrè piéque animaduertit Nicolaus Orlandinus [a] in hiſtoria Societatis IESV, vbi narrat in Inſula Manaria ducentis ab Goa leucis anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, retibus captos ſexdecim homines marinos, nouem fœminas, mares ſeptem veris hominibus magna ex parte ſimiles, quos P. Henricus Henricius noſtræ Societatis, & Dimas Boſques Proregis Medicus aduocati à piſcatoribus rei nouitate attonitis conſpexerunt. Res digna eſt quæ legatur. hæc & ſimilia prodigia naturæ & artis ſunt proprij Muſeorum inſtructus, aut certè pinacothecarum, ſiue aliarum cellarum, quæ adnecti ſolent tanquam appendiculæ Bibliothecis.

a part.2.l.4. n.276.

5. In genere volucrum eſt quòd eruditi & ſapientis viri mentem paſcat inſolitis figuris & proprietatibus; cuiuſmodi eſſe poſſit auis illa cryſtallo criſtata, quæ in palude Mexicana viſa eſt prænuntians aduentum Hiſpanorum ad illas oras. Auis *Monocodiata*, quæ licèt nec ex aëre, nec ex rore generetur, nihilominus tamen in aëre producitur, neque vnquam vel in rupibus, vel in arboribus, vel in ſolo tectíſve ſidit, librata ſemper & ſuſpenſa nubis modo; res olim fidem ſuperans, nunc certa & explorata. Adde auem illam Indicam quæ ipſa ſe roſtro ſummæ arbori affigens, ſolidos menſes ſex exanimi ſimilis, ac forſan omnino mortua cernitur; tum deinde reuiuiſcit & refixo propriis viribus roſtro auolat. Franciſcus Hernandus Archiater Philippi ſecundi id compertum eſſe digniſſimorum hominum teſtimonio, & non vno in loco comprobatum publica ſcribarum auctoritate. imò ſeruatam non ſemel intra cubiculum illam auem affixam ſtipiti pependiſſe mortuam, aut mortuæ penitus ſimilem, donec ſtato tempore velut refloreſcens, ſibique ipſi ſuperſtes mirabili anaſtaſi de morte ſublimis per aëra triumphauit. Sunt quædam in India noctuæ quas *Cucuyo* vocant, quibus binæ in oculis, binæ infra alas ſunt, ſtellæ adeò fulgentes, vt Indi ad earum ſplendorem noctu texant, neant, ſerant, pingant, choreas ducant, venentur, piſcentur; Hiſpani ad hoc lumen literas legant, multáque id genus paſſim fiant ab omnibus. circumgeſtari ſolent è manu pendulæ tanquam laterna.

6. Habebis in tuo Muſeo quod mirere, & cuius videndi gratiâ multi te conueniant ſi nactus eris *agnum* plantam, cuius proprietates & figuram cum agno animali propè indiſcretam refert præter Sigiſmundum in deſcriptione Moſcouitica, Olaum magnum, & Scaligerum, Surius [b] in comm. an. M D IV. *Roſas Engaddi*, quæ etiam in ſectæ intra parietes domorum ipſa nocte Chriſto naſcenti ſacra florent quotannis: item *Granadilla* plantæ genus quę cruciatuum Chriſti Domini inſtrumenta, ſiue (vt Chriſtiano more loquar) paſſionis Dominicæ myſteria in claniculis, ſoliis, fructúque ac flore expreſſa exhibet; aliaque id genus naturæ ludentis, aut caſu aliquo exerrantis, vel diuerſarum rerum permixtis confuſiſque ſeminibus fœtæ opera; atque haud rarò *domini naturæ* (vt loquitur D. Chryſoſtomus [c] hoc eſt, Dei Opt. Max. quem *naturam naturæ* appellat B. Petr. Damianus [d]. Plurimæ huius generis res paſſim ſe offerent auctores legenti. non paucas ſuppeditabit Ioannes Euſebius

b exer 181. art.29. & 30.

c in Pſ. 138.

d ep.4.

Nierembergius in erudita proluſione ad prælectionem hiſtoriæ naturalis, & in eiuſdem *Curioſa Philoſophia*, ex quarum contemplatione erit quòd inſatiabiliter mirere ac ſuſpicias diuinæ illius mentis quæ omnia molitur ac perficit, vim & intelligentiam, necnon ex conſideratione doctior, adeóque ſæpe melior euades.

7. Sua quoque eſt humanæ arti in naturæ æmulatione admirabilitas. Viſa eſt Architæ columba geometricis ponderibus volitans. Tibicines æneóſque ſerpentes eiuſdem artis præſidio fabricauit Boëtius, qui ventorum flatibus percuſſi reſonabant. Albertus fecit caput æneum geometricis rationibus voces humanarum ſimiles proferens, piláſque ſua ſponte ſaltitantes æneáſque virgines ſuper abacum choreas ad numerum ducentes; & hanc Geberti inuentionem poſteritas laudat. hæc exempli gratia proferre libuit, vt ſcias quid in hoc abaco placeat aſſeruari. adde & inſigne tentorium Federico Imperatori à Soldano miſſum, in quo Solis & lunæ imagines artificiosè motæ curſum ſuum ſpatiis debitis peragebant, & diei noctíſque horas ſignabant.

Anton. Zara ſect. 2. membro 4. de anatomia ingeniorum.

Capvt V.

Globus & ſphæra in medio Bibliothecæ ne deeſto.

1. INter crimina ingrati animi erga terram, cui vni rerum naturæ partium eximia propter merita cognomen indimus maternæ venerationis, & hoc non leue ſcelus duxerim, (inquit Plinius [a]) *quòd naturam eius ignoramus.* hoc peccatum erit inexpiabile, ſi non vtamur præclaris ſubſidiis quæ nobis ſupperunt ad agnoſcendam hanc matrem noſtram. Extant geographicæ deſcriptiones in mappis tam luculenter explicatæ, vel in globis circumductæ, vt Geographos earum auctores propè vocauerim *orbis terrarum plaſtas* & *architectos.* Illi vniuerſitatem hanc & terrarum ſola tam accuratè dimenſi ſunt, & tam ingeniosè pinxere, vt quiſquis attentè conſiderauerit eorum tabulas, peregrinari poſſit ſine vlla defatigatione per ſingulos maris & terræ tractus, per omnes plagas, ac ſeſe coniicere, atque intendere per immenſam & interminatam regionum magnitudinem. Nihil attinet dicere quantopere Geographia conducat ad hiſtoriam, ad poëſim, ad politicam, ad artem bellicam, ad ſacrarum literarum intelligentiam: cæcus eſt qui hoc non videt; ac iniquus rerum æſtimator, qui negauerit eam fuiſſe rectè vocatam à ſapientibus *Oculum hiſtoriæ*, *ſpeculum* in quo hanc vniuerſitatem velut ſubiectam oculis intuemur, *manum* qua expanſam propè in infinitam molem concludimus. Plinius [b] auctor eſt in nuce incluſam fuiſſe Iliada, & Myrmecidem ex ebore feciſſe quadrigam, quam muſca integeret alis, ac fabricaſſe nauem quam apicula pinnis abſconderet. Iunius Hadrianus [c] ſcribit ſe vidiſſe Mechliniæ ceraſi calculum in modum quaſilli exculptum, quo continebantur quindecim alearum paria ſuis punctis affabrè diſtincta, itaut acie oculorum dignoſci potuerint clarè. Lógè maiora audent Geographi, ſiue ſitus orbis pictores

a l. 2.

b l. 7. c. 21.

c animadu. l. 1. c. 7.

pictores Geometræ, immenſitatem terræ perexiguâ tabellâ comprehendunt, longè mirabiliori artificio & ingenio quàm cum pictura magnitudinem coloſſi in anulo includit. Nam Geographi regiones viſas ac inuiſas, maria, promontoria, ſinus, freta, Iſthmos, flumina, oſtia, inſulas, montes, portus, populos exprimunt in anguſto ſpatio, atque otioſis & ſedentibus mundum retegunt in globo. Magna equidem laus eſt terras & quę circumfunditur Amphitritem cogere in vnius tabellæ, vel globi anguſtias.

Laus longè maxima cœlum ſuſtinere humeris, quod Athlanti olim tributum eſt ob eximiam cognitionem Aſtrologiæ. Audax ſimiliter inuentum pauculis circulis cœlorum motus conuerſionéſque aſtrorum, plantarum oppoſitus, & eam quam ſuſpicimus orbium cœleſtium amplitudinem circumſcribere, & ex variis ſyderibus effeciſſe in cœlis *ſtabula alta ferarum,* quas ibi tam ingenioſè & ſubtiliter Aſtrologi affinxerunt, & quarum motus, progreſſiones, magnitudinem, humilitatem, altitudinem, craſſitiem, diſtantiam, ortus, interitus, tam certò ſciũt, vt propè videri poſſint fuiſſe adhibiti à diuino Numine ad molitionẽ cœli, aut ſaltem ſuffurati cognitionem eorum corporum, quæ præpotens huius vniuerſitatis opifex Deus voluit eſſe ab hominum oculis remotiſſima. Ob id iratus Iupiter in ſphæram Archimedis pulcherrimo epigrammate inducitur à Claudiano, 2.

Iuppiter in paruo cùm cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad ſuperos talia verba dedit.
Huccine mortalis progeſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor?
Iura poli rerũmque fidem legẽmque virorum
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium, mentitur ſignifer annum,
Et ſimulata nouo Cynthia menſe redit.
Iámque ſuum voluens audax induſtria mundum,
Gaudet, & humana ſydera mente regit.
Quid falſò inſontem ſonitu Salmonea miror?
Æmula naturæ parua reperta manus.

Hanc ſphæram prout eam Archimedes machinatus eſt ſubſecuta ipſum ſæcula vehementer deſiderarunt, ac tandem feliciter, imò etiam perfectiore ratione proximè ſuperiori anno Alexius Syluius, ſacerdos natione Polonus, inſignium Mathematicorum indicio inſignis Mathematicus, nobis familiariter notus Madriti in Collegio Imperiali Societatis Iesv abſoluit & reliquit: quoties eam video, ſatiari videndo non poſſum, nouáque ſemper voluptate & admiratione afficior. Eſt autem huiuſmodi:

Ponderum lapſu ac vario rotarum implexu diurnas, annuas Solis & lunæ conuerſiones, latitudines, ſynodos, oppoſitiones, aſpectus tantâ fide exhibet, vt in ſumma motuum anomalia per plura ſæcula nullus error qui ſenſui obnoxius ſit, deprehendi poſſit: rotulis quibuſdam 3.

induſtriâ ſingulari reſtituentibus motum, vbi ſcrupulis, qui negligi ſolent, coacervatis, temporis lapſu à vero deflexerit. Tardiſſimas quaſdam motiones cochlearum beneficio conſtruxit, quæ id efficiant, vt rota vna, ſole & luna diurnos curſus agentibus, per duodecim annorum millia conuerſionem vnam non abſoluat. Sed & hoc admiratione dignum eſt, eandem machinam ingenioſum illud Ariſtarchi Samij exhibere commentum, quod auorum noſtrorum ætate Nicolaus Copernicus inſtaurauit; ſole nimirum quieſcente, & ſphærâ terræ loco conuerſa, eadem euenire omnia quæ in ſtantis terræ hypotheſi contingerent. Porrò Aſtrologiæ vtilitate, ac voluptate illectus Iulius Cæſar ſic apud Lucanum locutus eſt,

——— Media inter prælia ſemper
Stellarum, cœlique plagis ſuperiſque vacaui.

Animi quidem voluptas in hac arte tanta eſt, vt è veterum ſapientium cœtu vnus pronuntiare auſus ſit, ob ſolam cœlorum contemplationem homines à diuino Numine fuiſſe procreatos, in qua conſideratione, alij duodecim, alij quadraginta continentes annos è ſummis montibus iucundiſſimè poſuerunt. quæ mens Ouidio fuit ita canenti,

Fingit in effigiem moderantum cuncta Deorum,
Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

a Faſt. l.1. el.5. & alibi [a],

Felices animæ quibus hæc cognoſcere primùm,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Admouere oculis diſtantia ſydera noſtris,
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo:
Sic petitur cœlum, non vt ferat Oſſan Olympus,
Summaque Peliacus ſydera tangat apex.

Quantopere hæc ſcientia ad componendos mores iuuet, quámque ſit ſtudioſorum, ſeu virtute præditorum hominum propria, idem Naſo indicat his verſibus, quibus vitam Aſtrologorum à venereis voluptatibus, ab ambitione & gula, atque ab auaritia alienam laudat.

Non Venus & vinum ſublimia pectora fregit;
Officiúmque fori militiæque labor.
Non leuis ambitio, perfuſaque gloria fuco,
Magnarúmque fames ſollicitauit opum.

Commoda verò ex hac ſcientia ſi plura reſcire deſideras, Metaphyſicos conſule, Medicos, Poëtas, nautas, adeóque ipſos agricolas: ſed inprimis Eccleſiam Catholicam, quæ faſtos ſuos admodum perturbatè ordinaret (ſi tamē in perturbatione vllus eſſe ordo poteſt) niſi accederet præclaræ & cœleſtis huius ſcientiæ præſidium. Quorſum hæc omnia? vt moneamus Philomuſum accurandum ei eſſe ne deſint in Muſeo *terræ globus*, & *ſphæra cœleſtis*, rectè & ordine, & quantum fieri poteſt emendatè perfecta, atque eleganter picta: erunt enim ſtudenti opportuna innumeris vſibus: collocabuntur in media Bibliotheca in idoneis baſibus,

baſibus,ac ne quid à puluere recipiant detrimenti, eleganti & apto integumento operientur. Nihil mihi longius eſt, quàm vt citò prodeat affectum opus geographicum, & hydrographicum Patris Ioannis de la Feille Antuerpienſis, è Societate noſtra, regij Matheſeos Profeſſoris in Collegio Imperiali Madritenſi, in quo nunc ſimul degimus & docemus: adeò placuit vel ſola eximij illius operis delineatio quam in familiari ſermone mihi expoſuit, vt pro certo habebam nihil in eo genere hactenus viſum eſſe accuratius, nihil doctius, nihil ingenioſius, lectúve & Bibliotheca dignius.

SECTIO III.

Libri aditu Bibliothecæ interdicendi, vel etiam cremandi.

OMNIBVS promiſcuè ſcriptoribus haud aperiendas eſſe Bibliothecas, iam ſuperiùs ex Ouidio didicimus, qui omnino prohibitus eſt aditu Palatinæ Apollinis, & velut prophanus repulſus è ſacrario. Nobis eadem cautio eſſe debet, vt ne auguſtum templum diuinæ ſimul ac humanę ſapientiæ polluatur quorumdam auctorum indignis monumentis. Semper placuit dictum Epiſcoporum cuiuſdam Synodi Alexandrinæ, *reſpuendam penitus eſſe lectionem, quæ plus eſt nocitura inſipientibus, quàm profutura ſapientibus.* Et ſapientiſſimè à Bibliothecarum profectis conſtituti ſunt *rogi & carceres*, quibus addicantur nocentes libri. Nos ſequentibus capitibus certos indicabimus eius furfuris, quos æternùm ab hac rep. literaria proſcribimus, tanquam Societate magnorum ingeniorum indignos. hi autem octonario numero ferè comprehenduntur; ſúntque hi omnino *Magici, Impij ſiue Athei*, hæretici *famoſi, fures, inutiles*, de quibus ſingulatim dicere aggredior. I.

Sulp. dial. 1. §. 3.

CAPVT I.

Libri magici è Bibliothecis proſcribendi.

I.

ADſum profundæ rupis vmbroſo è ſpecu,
Vbi conſueto ſolus afflatu Iouem
Affigo ſtygium, nomen eſt Æthon mihi.
Ego nigranti conditos Manes domo
Extrahere poſſum lucis ad ſuperæ loca.
Ego ſi potenti ventilo virgam manu,
Concutitur axis ſi mihi exoſa eſt dies,
Refugus coruſcum Phœbus obſcurat iubar.
Super aſtra flatibus voce ſuſpenſi meâ
Terris minantur. Ego triumphatâ Styge,

Claudo & recludo Ditis inferni ſeras.
Si leuiter hiſco, vel moueo nudum pedem,
Aut irretorto lumine adſpicio æthera;
Tonitru remugit raucus horrendo fragor,
Ruptáque nube fulgurant triſidæ faces.
Frænare maria, inhibere torrentes aquas,
Renocare lapſos ad ſuum fontes caput,
Atrare lunam, quatere terrarum ſola,
Excutere ſummis ſyderum flammas polis,
Terebrare cœlos, numini leges dare;
Quid plura? vbique poſſe dominari, meum eſt.
Immurmurare ſi quid infauſtum libet;
Confuſus Orbis redit in antiquum chaos,
Proinde ſceptri conſcius Pluto mei
Supplex petiuit regna tutari vt velim
Tanaria, Iberus dira queis princeps breui
Exitia, ſolitudinem & clades parat, &c.
——rebus afflictis opem
Afferre noſtrum eſt: auſibus tantis moram
Iniicere, Chriſtum figere iteratò cruci,
Eiicere Petri ſede Romanum Patrem.
Meum eſſe quiſquis neſcit, efficio vt ſciat.
Nunc per negatos extrahere calles placet
Vmbras ſilentum. Quotquot habitatis domos
Acherontis, aure theſſalos pronâ modos
Audite. Seu vos atra Styx liuentibus
Coërcet vndis, ſiue Cociti vada,
Aut æſtuanti vos tenet Phlegeton ſinu.
Regina Baratri, noctis æternæ arbiter,
Diræ ſorores, ſontium ſeu quæ timor,
Humana ſeu quæ penſa fatali colo
Ducitis; auari portitor Ditis ſenex,
Cæcique cuſtos atrij monſtrum triſaux,
Audite, ſedis agitur infernæ ſalus.
Interquieſcant antra tartareæ domus,
Compeſcat vnda murmur, & fauces canis.
Manes profundos carmen Æthonis ciet, &c.

6. Euocatis Magus ex baratro ſcelerum ſuorum adminiſtris, atque ad omne nefas inflammatis, interea cùm ſibi iam videretur ipſo numine potentior; nedum cœlitibus par, ſéque certam tenere victoriam putaret, repentè ad clangorem venatorij buccini aduentante religioſo Principe vera in Deum fide & pietate inclito, ſceleſtus animo & viribus concidit, híſque verſibus teſtatus eſt trepidationem ſuam, & futilitatem magicarum artium aduersùs eos, qui verè Chriſtum colunt, vt ipſemet olim Cacodæmon reſpondit Cypriano incantationibus & veneficiis Iuſtinam ad obſcœnos amores pellicere ſatagenti,

——quæ buccina,

Et

Et vnde? quis fragor auribus noſtris ſtrepit?
Súmne ipſe qui iam iam fui? quod me ſolum,
Quæ regio, quàm ſubitus tremor totum occupat?
Concuſſum ab imo pectus Æthoni ſalit;
Langueſcit atrox animus heroes? Dij?
Hebet ira, totis palpitat fibris iecur.
Æthon at vbi es? vbi? vix tenes veſtigia;
Horreſcis excors mente ſtupefactâ ſonum,
Qui mox ſuperbâ voce quatiebas polos.
Artus inundat ſalſus attonitos liquor, &c.

Sic aliquando Magum ſuæ artis miracula (ſcilicet) prædicantem in 3.
ſcena dedi, ac ſubinde impiæ & impotentis arrogantiæ imbellem væ-
cordiam difflatam leui halitu veræ pietatis. hîc tartareæ illius diſci-
plinę libros philologico ſtylo configo, & remoueo ex omnibus Muſeis.

Magiæ nomine hoc loco intelligo eam facultatem, ſeu artem, qua ex 4.
pacto inito cum malo dæmone mira quædam, & humanis viribus ma-
iora efficiuntur: quæ quàm nefanda ſit, quàm ſeuerè legibus humanis
ſimul ac diuinis prohibita, quótve eius ſpecies, non perſequor. Eſt in
omnium manibus Martini Delrij noſtræ Societatis commentarius,
quem nec Typographi ſat ſæpe in lucem edere, nec viri docti deponere
è manibus poſſunt. Non defuere ſcriptores iam ab antiquis temporibus
qui protulerint in lucem rem dignam perpetuis tartari tenebris; &,
quod longè teterrimum eſt, quoſdam ſanctiſſimos viros, Adamum, Abe-
lem, Enochum, Abrahamum, Paulum, Cyprianum, Albertum Magnum,
mendaciter & impiè auctores faciunt; horúmque omnium primarium
Doctorem Pazielem Angelum, Adami præſidem. Salomoni quoque
neſcio quam *clauiculam* & *annulum* affingunt; & alterum ingens volu-
men in ſeptem partes diſtinctum, quod (vt auctor eſt Delrio) Iudæi &
Arabes in Hiſpania ſuis poſteris relinquebant iure hæreditario, cuius
ope res inſolitas & prodigioſas edebant. Ei abolendo ſedulam operam
Inquiſitores nauarunt. Agrippæ, Magi ſuperiore ſæculo notiſſimi qua-
tuor libros ac attributam Trithemio Steganographiam periculi & ſu-
perſtitionis pleniſſimam, alióſque eius diſciplinæ codices quàm longiſ-
ſimè arcendos è Bibliothecis edico: imò & ſi magiæ naturalis inſcri-
ptionem præferant, non ſine maxima cautione admittendos cenſeo,
quia non rarò certiſſima venena ſpecioſo titulo contegunt.

c. 19. Leu. & 20. Deut. c. 18. 4. Reg. c. 1. Par 2. c. 33. Vide Pinedā de reb. Salom. Contra hanc *clauiculam* doctè & piè Baptiſta Segnius l. de vero ſtudio Chriſtiano c. 7. De hac magia naturali agunt Proclus l. de ſacrif. & magia. D. Aug. 21. ciu. c. 4. & 5. Albert. 2. mineral. tract. 3 c. 1.

Nec eſt quòd quiſquam ſuæ curioſitati, vel impietati cauſam præ-
texens contendat magiæ etiam tartareæ libros nequaquam eiiciendos
eſſe è Bibliothecis; quandoquidem eius cognitio haud abſolutè mala
eſt, & eius ſtudium non ſolùm tolerabile videri poteſt, verùm etiam 5.
laudabile; alioqui nec dæmonis præſtigias detegere, nec impias ſuperſti-
tiones confutare, nec ab nefando eius vſu homines deterrere queas,
niſi perfecta & explorata tibi ſit Magorum diſciplina, ac niſi eo-
rum libros teras. Quod ne quis temerè dictum putet, adiri & au-
diri poteſt Tertullianus de hoc ipſo ſtudio ſic pronuntians [a].
*Quid ergo diſcemus Magiam? quam omnes penè fallaciam, ſed ra-
tio fallaciæ ſolos non fugit Chriſtianos, qui ſpiritalia nequitiæ non quidem
ſociâ*

[a] l. de anima.

ſociâ conſcientiâ, ſed inimicâ ſcientiâ nouimus; nec imitatoriâ operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus multiformem hanc luem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter, animæque vaſtatricem. Et Ioannes Picus Mirandulanus, *Quo quis eſt Magiæ peritior*, inquit, *eo clariùs cernit quantum inter magorum, & Chriſti atque Sanctorum miracula interſit.* Ex quibus hoc rectè infertur, nec eius artis libros proſcribendos eſſe, cuius cognitio & ſtudium laudabile eſt, imò & neceſſarium. Equidem non negauerim expedire interdum reip. Chriſtianæ certis hominibus cognitas eſſe infandas illas artes, ea mente & conſilio, quo dixit Tertullianus, Túque ipſe dixiſti; nimirum vt eius inanitatem prodant, & impium vſum aboleant: at neque habere debent eiuſmodi codices niſi priùs facta poteſtate ab eo, penes quem dandæ ius eſt; neque vnquam in publicis locis exponendi ſunt, vnde quiuis legere eos poſſit, ſolo vtplurimum deſiderio explendæ inanis cupiditatis ſciendi, atque haud leui periculo humanæ imbecillitatis ſuapte iam ſponte fraudibus ſatis obnoxiæ. Porrò vt nihil eſt exitialius eiuſmodi librorum Magicorum lectione; ita nihil eſſe ad legendum illecebroſius, ipſæ voces *Curioſitas*, aut *curioſæ artes*, quibus Magia appellatur, ſatis innuunt. Videndus ſuper hac re eruditum caput trigeſimum ſextum Laurentij Ramires de Prado *in pentecontarcho.*

6. Longè conſultiùs foret Epheſinorum exemplo tales libros flammis tradere. Fuerant Epheſini magicis artibus infames Apollonio Thiançeo eas ibi profitente tanto plauſu, vt non ſolùm ſtatua donatus ſit, verùm etiam cultu religionis. hinc *Epheſinæ voces & notulæ*, quas qui ſibi adhibebant in medio conflictu armorum manebant illæſi; hinc nata parœmia *literæ Epheſinæ.* Tamen incitati diuinitus Epheſini, & Apoſtoli Pauli præcepto animati, ac generoſa animi inductione collatam in publicum horum librorum multitudinem, quæ quinquaginta millibus denariorum æſtimari poterat, hoc eſt, vt interpretatur Budæus, nouem millibus librarum monetæ Francicæ, flammis combuſſerunt. Extat in iure Pauli Iuriſconſulti reſponſum[a], atque Vlpiani[b] de comburendis magicis libris, & ſanctiſſimè ab Eccleſia Catholica in mores receptum, ne quis Magus in eam cooptetur, niſi ſuos de magia libros priùs cremauerit, quod de Cypriano teſtantur Athanaſius[c], Auguſtinus[d], & Nazianzenus[e], & de Theuda Damaſcenus[f].

Philoſtr l 4 Vide Suidam in Lexico. Pluth. in Symp. l. 7. 4.5.
a ad legem Cornel. de ſicar. & veneſ.
b l.4. §. tantundem. ff. famil. erciſ.
c de incarn. Verbi.
d in Pſ.61.
e orat. in Cypr.
f in hiſt. Barl.& Ioſ. c 32.

7. Et ſanè ſi in Chriſtianos falsò magiæ accuſatos ab ipſiſmet Ethnicis igne ſæuitum eſt; quid facere Chriſtianos par eſt libris illis, qui ab ipſis hominibus vano numinum cultu imbutis ſunt damnati? Sunt enim fontes omnis maleficij, imò etiam & impiæ ſuperſtitionis: nam vix quemquam reperias magicis artibus irretitum, quin ſe quoque addicat impio & ſacrilego cultui, etiamſi fuerit Salomone ſapientior, de quo ſic Gregorius Venetus[g], *Ideo ſe ſubiecit ad poteſtates illis idolis ſeruientes, vt magiam perficeret, quam moliebatur.* idémque alio loco[h] explicatiùs ait illum *inebriatum deſiderio ſapientiæ humanæ coluiſſe idola.* Conſentaneè Apoſtolus[i] idolorum ſeruitutem cum veneficiis coniungit; itaque ſi illud ſtudium appellatur à Plinio homine Ethnico[k] *vanitates magicæ, & fraudulentiſſima artium, ars inteſtabilis, irrita, inanis*; à Tertulliano[l]

g problemate 136.
h probl.78.
i Gal.5 20.
k l.30.c.1. & 2.
l l.de anim. c.vlt.

Enervis

Enervis & otioſa curioſitas. in iure, *ars damnabilis.* à Quinto Curtio & omni ſapientium cœtu, *vaniſſimi cuiuſque ludibrium*; omnino longiſſimè relegandi ſunt, imò penitus abolendi eius facultatis libri; eoque id præſtandum diligentiùs, quòd plus in ea periculi eſt, vtique (vt loquitur Plinius) *artium omnium imperioſiſſima.* Ad hunc locum pertinet quod Delrius refert [a], vnde alieno periculo quiuis diſcat, quàm funeſta & feralis ſit librorum magicorum lectio etiam illi, qui eos animi gratiâ duntaxat euoluiſſet, non autem exercendæ tartareæ illius artis ſtudio. ſic habet. Cornelius Agrippa aliquò profecturus vxori claues ſui Muſei tradidit, addita prohibitione ne quem ingredi ſineret. Inconſultus quidam adoleſcens, quem Magus habebat conuictorem, importunis precibus impetrauit à muliercula vt ſe ingredi ſineret: ingreſſus incidit in librum coniurationum, legit; en illi pulſatio ad ianuam, turbatur; ſed pergit legere. pulſat iterum neſcio quis, & nihil reſpondente rudi harum rerum iuuene, dæmon ingreditur; quærit cur vocatus? quid fieri iubeat; iſti metus vocem intercludit, fauces dæmon; ſic miſer luit pœnam nefariæ curioſitatis: redit interea domum Archimagus, videt exultantes ſuper eam dæmones, vtitur ſolitis artibus, adſunt vocati, narrant rem, vt geſta eſt. Ille homicidam iubet cadauer ingredi, & per forum Louanienſe (vbi cæteri ſtudioſi ſolebant frequentiùs conuenire) aliquoties obambulare, tandémque corpus deſerere. Ambulauit ille ter quatérve, tum corpus concidit, diffugiente eo qui regebat. Creditum diu hunc ſubita correptum morte expiraſſe; ſed indicia initio rem ſuſpectam fecere; poſtea tempus omnia aperuit.

[a] l. 2. diſq. q. 29.

8. I nunc & talia volumina in Muſeo tuo habe, ſi habere deſideras laqueos, quibus incauti à malo dæmone ſtrangulentur: verùm & ceteris quid ex ea lectione emolumenti? diuitias ſibi comparant? nihil enimvero minùs; ídque ſatis teſtatur inopia & ſordes mancipiorum dæmonis. rerum admirabilium ſcientiam inde hauriunt, ac velut aquilæ noctuas viſu, ſic iſti intelligentia ſapientibus hominibus antecellunt? Quàm vereor, vt qui hac infandæ curioſitatis lectione ſperant ſe conſecuturos ſublimem aliquam ſcientiam, atque aquilarum perſpicacitatem, duplo obtuſiores fiant, quàm eſſent antea. Vis huius rei exemplum. L. Lucianus Patrenſis, ſophiſta ſatis notus, ſcripſit ſe Magiæ flagrantem ſtudio Theſſaliam petiiſſe, ibíque dum ſe in auem verti cuperet, in aſinum à Palæſtra ancilla, virtute vnguenti neſcio cuius transformatum; atque ita in Aſinina illa effigie, humano tamen ſenſu & mente retenta, multa eaque grauiſſima ſe perpeſſum; donec guſtatis roſis in priſtinum Lucium reformaretur. Hic luſus eiuſdem & Apuleij de aſino aureo. Si opes & potentiam? perditi imperij? vitæ & animæ Iuliano cauſa fuit magia cuius fuerat ſtudioſiſſimus. Valeriano item fraudi fuit. Nam captus à Sapore Perſarum Rege, & caueâ ferreâ incluſus orbis ludibrio patuit. Cæterùm quid faciendum libris magicis accipe ex facto S. Cypriani, quod refert S. Gregorius Naz. [b] *Magicos libros publicè proponit, de imbecillitate pernicioſi theſauri triumphum agit, amentiam prædicat; ingentem ex illis flammam excitat, diuturnámque impoſturam quæ ne vni quidem carnis flammæ opem afferre potuerat,*

Grillandus tract. de ſortil. c. 3. n. 9. Delr. l. 2. q. 12.

Peroal. in Apul.

[b] in Cyprian.

 igne

igne abſumit, & à dæmonibus ſecedit. qui magiam admirati fuerant, volumina comburunt.

Capvt II.

Libri impij, ſiue Athei è Bibliothecis arcentor.

1. Theophilus Raynaudus cauſas afferens ſuſcepti à ſe conſilij Theologiæ naturalis conſcribendæ, hæc ait. Propè refugio efferre probrum noſtri æui, ſed tamen dicendum eſt. In ea tempora incidimus, in quibus *dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*; non tantùm enim rediuiui terrigenæ cum Deo & auita religione coniuratis animis bellant; ſed neque deſunt, qui ita naturæ repugnent, vt ſibi patiantur exculpi ex animo eam, quam illa conſignauit mentibus noſtris, Dei informationem: quod ſcelus haud ita pridem duō flammis expiarunt in duabus præcipuis Galliæ vrbibus. neque id quidem mirum; nam iam olim Clemens Alexandrinus monuit *hæreſeos ſedimentum eſſe Dei abnegationem.* qui prorſus Deum eſſe negauerint, fuerunt apud antiquos omnino pauci, de quibus Suidas in Lexico, & Laërtius [a] de vitis Philoſophorum. Eminent inter θεομάχους duo inſignes, Theodorus paſſim Atheus dictus, impuriſſimus pariter ac impudentiſſimus ſophiſta, & Lucianus omnium numinum, omníſque religionis procaciſſimus irriſor, meritóque ob impietatem diſcerptus à canibus. Noſtris verò temporibus tanta eſt horum piorum multitudo, vt Leonardus Leſſius aſſerere non dubitet, nullam ſectam, nullam religionem eſſe locorum amplitudine, vel regionum & prouinciarum diuerſitate ſecta ἀθεότητος numeroſiorem, id eſt, eorum qui numinis prouidentiam, vel animarum immortalitatem tollunt. Adlaborat autem cacodæmon, vt in polytheiſmi locum, quem Christvs Dominvs ſuo aduentu diſcuſſit, Atheiſmum ſubſtituat, haud minus vero numini iniurioſum. Ego cùm accuratè quæſiuiſſem, & quid tandem homines deuoluat in imum barathrum tam horrendæ cæcitatis, nullum aliud pondus reperi quo agantur præcipites, quàm innumerabilium & grauiſſimorum ſcelerum longâ peccandi aſſuetudine aggeſtam molem; cui ferendæ, adeóque etiam in dies augendæ vt pares eſſe poſſint, imminentem ſibi Deum vindicem excutere ex animo ſuo nituntur: ita Clemens Alexandrinus [b], vt *Deus ignoretur,* inquit, *efficit vitæ inſtitutum; & quomodo fieri poteſt vt victus à voluptatibus Domino aſſimiletur? aut Dei habeat cognitionem.* præiuerat regius Vates, eandem cauſam afferens inteſtini huius murmuris in corde impij. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum.* Quæ verò ſolent afferri petita ex numinis prouidentia & bonitate, quæ ſi aliqua foret, nec illa bonos ſineret eſſe miſeros, & improbos felices; nec illa quicquam in orbe mali pateretur; hæc, meo quidem iudicio, minoris ſunt momenti, atque ab ipſis Ethnicis ſatis refutata, à Seneca *libro de prouidentia*, Plutarcho *libro de ſera numinis vindicta*, & Platone apud Origenem [c], vbi *quòd ſerò molant Deorum molæ & quòd impij*

Pſalm. 13.

a l. 2. & 9.

b 3. ſtr. c. 4.

Pſal. 13. 1.

c lib. 6. cont. Celſum ante med. & l. 8. circa med.

impij grauiſſima pœna ſit ipſa impietas, docet: licèt falſum ſit omnino bonos ſemper eſſe infelices, quod de Conſtantino Magno probat D. Auguſtinus [a]. Rem hanc totam paucis tractat, ſed validè, idem Theophilus Raynaudus *in naturali Theologia*, vbi *os loquentium iniqua* obſtruit; cum tu conſule, & eos qui magno numero ab eo citantur conuellentes (vt loquitur D. Auguſtinus) *opinionem plenam inſaniſſimi & dementiſſimi erroris.* Ad alteram partem de bonitate numinis mala eſſe in hoc orbe permittentis, vix aliter cenſuerim reſpondendum quàm Triſmegiſti verbis [b], *indignam omnino eſſe cui quidquam reſpondeatur.* habebunt tamen à me iſti impij iniquitatem in excelſo loquentes, quod ſuppeditat Theodoretus aduersùs Græcos [c]. *Magnæ facultatis eſt*, inquit, *etiam ea quæ malè facta ſunt in vſum aliquem bonum conuertere, & quæ nos informia fecimus, ea in formam pulchram poſſe redigere, & perfecta exhibere.*

a de ciuit. l.5.cap.15. Pſalm.62.

D.Aug.1. de ord.c.1.

b in Aſcl. cap.7.

c l.6 ſub finem.

Nunc ad rem. poſſúntne eſſe tanta impietate conſcripti libri, vt quod inſipientes in ima tantùm mente timidè immurmurant, illud ipſum aliqui ſcriptores librorum ſuorum frontibus audacter inſcribant, *non eſt Deus. hoc enim nemo audet dicere,* (inquit Chryſoſtomus [d]) *etiamſi auſus fueris cogitare.* Mihi certè (verum vt fatear) integros ſuper ea re libros videre non contigit: & ſi qui non ſcripti ſunt, non eſt quod Athei Deum quem ignorant, metuant; ſed quòd reformident retro omnium ſæculorum & ſapientium conſenſum, ne deſipere ſoli videantur. Si enim (vt dixit Saluianus [e]) *nullum eſt hoc crimine Deum prouidentem negandi vel irrationabilius, vel inſanius,* quod fecere Epicurei otioſam *ſtupentem* neſcio quam *diuinitatem* (vt loquitur Tertullianus [f]) animo informantes, quam iure merito vereri debent, ne extremè dementes, & penitus bruti etiam apud imperitos audiant, protſúſque luce qua fruimur indigni, ſi Deum eſſe præcisè negent. Sunt nihilominus quædam apud certos auctores, tam impiè ſcripta, vt expiatorio ferro, & igne, ſi viuerent, illis opus foret. Atheus eſt Euripides, de quo vide Theoph. Raynaudum *diſt. 5. num. 162. Theol. natur.* Malum eſt illud Plinij [g], *Quiſquis eſt Deus, ſi modò eſt alius,* (vel vt alij legunt,) *ſi mundo eſt alius,* &c. tum paulo pòſt, *Irridendum verò agere curam rerum humanarum iſtud quidquid eſt ſummum: ánne tam triſti & multiplici miniſterio non pollui credamus dubitemúſque?* Cornelius Tacitus [h] quando hiſtoriæ ſerie interrupta, & pro more, ſtatuens de ſingulis velut arbiter, poſt ſuas in vtramque partem diſceptationes quærit dubitátque, *fatóne res mortalium & neceſſitate immutabili, an ſorte voluantur.* idem alio loco diſſerens de cladibus quibus afflicta eſt Italia ſub exceſſum Neronis, Deos crudelitatis & inuidiæ in hominum genus politicus teterrimus accuſat. *Nunquam atrocioribus,* ait [i], *Populi Rom. cladibus magiſve iuſtis indicijs approbatum eſt, non eſſe curæ Dijs ſecuritatem noſtram, eſſe vltionem.* Impium eſt hoc carmen,

2.

d in Pſ.13.

e 4.de prou.

f lib. cont. Valentin. cap.7.

g l.2.c 7.

h l.6.ann.

i lib.1.hiſt.

Marmoreo Licinus tumulo tegitur, Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus eſſe Deos?

Affine eſt iſtud Claudiani, ſi voluntaria fuit eius dubitatio, quod facilè cenſuerim, fuit enim (teſte Auguſtino [k]) paganus, & quidem (referente Oroſio [l]) peruicaciſſimus.

k 5.de ciu. c.26.

l 7.hiſtor. c.35.apud Raynaud. diſt.8.

Claud.l.1. in Ruff. *Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem*
Curarent ſuperi terras,&c.

Talis eſt Lucretij de Deo querimonia,

——fulmina mittat,& ædes
Ipſe ſuas diſturbet,& in deſerta recedens
Sæuiat,exercens tecum quod ſæpe nocentes
Præterit,examinátque indignos inque nocentes.

Eiuſdem Epicurei porci grunnitus expreſſus eſt libro quinto contra Dei prouidentiam,& diuinam mentem in huius orbis molitione. Tales ſunt denique quotquot negant iuſtitiam Dei cohærere cum ipſius prouidentia, & quicumque eximunt res creatas prouidentiæ diuinæ; quotquot aliquid ſeu vitij, ſeu indigentiæ Deo affingunt, aut volentes de his rebus & diuinis perfectionibus ambigunt; ſicut *dubius in fide hæreticus eſt.* Quotquot (inquam) de Deo malè ſentiunt, *impij* ſunt,& *Athei.*

3. Dic tandem (inquies) quid faciendum iſtorum hominum libris? Paucis definio quod mihi videtur. Si ex inſtituto id pugnant, vt extinguant lumen diuini vultus quod ſignatum eſt ſuper nos proſcribantur longiſſimè è Bibliothecis; præſertim ſi horum deteſtabilium operum artifices inter Chriſtianos degant: bellum enim quod cum Deo gerunt, tanto exitiabilius eſt humano genere, quò propiores ſunt, & aërem illum quem haurimus tetro & peſtilenti ſuo ſpiritu recentiùs corruperunt. De antiquis auctoribus mitiùs ſtatuo,quia minùs eſt ab iis periculi,vtpote multorum iam ſæculorum iudicio damnatis, atque tam fœdè irretitis multis aliis erroribus, vt eorum dicta fidei ſint quamminimæ. Cautio tamen erit Præfecti Bibliothecæ, locis quos exempli causâ indicauimus, aliíſque qui legenti occurrent, apponere ad marginem quædam velut ſtigmata, ex quibus lector intelligat vel prætereundum locum infamem, vel cautè & animo Chriſtiano percurrendum. ſic geminum illum locum Taciti, quem retulimus, Iuſtus Lipſius compunxit notâ pluſquam Threiciâ. alterum quidem appoſitâ hac voce ἀπικεΐζει; alterum γνώμη ἀσεβής, *impia ſententia.* Iacobus
a in c.7. l.2. Daleſcampius [a] etiam placuit in poſteriore Plinij Atheiſmo: nam retractans dictum illud Plinij impium de prouidentia, hoc appinxit, *hîc*
b in Hamartigenia. *ſibi caueant verì ac pij Chriſtiani.* Aptum erit, & illud Prudentij [b], ſi fortè occurrerit impia aliqua contra Deum accuſatio, veluti ſi diceretur auctor peccati,

Damna aures pater alme meas,& claude meatus
Obbruteſcentis capitis,ne peruia tales
Concipiat flexura ſonos,&c. vel,
Quis ferat hæc iniecta Deo conuicia?

4. Vis alia quædã ſpicula & cauteria inurendis atheorum ſcriptis, cùm legenti ſe offeret quidpiam talis notæ? Si incideris in alicuius Auctoris locum quo labefactare nitatur diuinam prouidentiam, etiam circa res minimas; paginæ illius marginem inſcribere poteris hac ſententia
c Enn.2. l.9. cap.16. Plotini [c]. *Dubitare an detur omnium etiam minimorum prouidentia, non eſt prudentis, imò cæci cuiuſdam potiùs, & omnino neque ſenſum habentis,*

neque

neque mentem, procúlque ab ipſa intelligibilis mundi cognitione ſemoti, quippe cùm hunc mundum minime videat. vel hæc Clementis Alexandrini[a], *pœnas meretur qui quærit probationes an ſit prouidentia.* vel iſta Saluiani[b], *Epicureorum, & quorumdam etiam Epicurizantium deliramenta, qui ſicut voluptatem cum virtute, ſic Deum cum incuria & torpore iunxerunt, vt appareat eos, qui ita ſentiunt, ſicut ſenſum Epicureorum, atque ſententiam, ita etiam vitia ſectari.* vel iſtà D. Auguſtini[c] de Philoſopho Ethnico, *De prouidentia Plotinus Philoſophus diſputat, eámque à ſummo Deo, cuius eſt intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, vſque ad hæc terrena & ima pertingere floſculorum, atque foliorum pulchritudine comprobat; quæ omnia quaſi abiecta, & velociſſimè pereuntia decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi inde formentur vbi forma intelligibilis & incommutabilis habens ſimul omnia perſeuerat.* Ad Euripidianum ſacrilegium abiuratæ diuinitatis, quod ſuprà retulimus, appingi poteſt hoc Plutarchi dictum[d], *Euripides Areopagitarum formidine non omnino ſe aperuit, ſed Siſyphum induxit quaſi huius opinionis protectorem*; ſic contrario cuniculo impium illum cuniculum excipies, vel illud D. Chryſoſtomi[e], *Qui hæc dicunt, perinde faciunt, ac ſi quis meridie quærat ſolem videre, & dubitet de luce*; vel illud Auguſtini[f] de metempſichoſi loquentis huc trahi poteſt. *Impiorum in circuitu ambulantium commenta*; vel, *magnorum magna deliramenta doctorum.* Si ſceleſta aliqua vox contra Deum bonos interdum infelices eſſe permittentem occurret, Plotinus[g] Atheios oppilabit. *Dæmones tanquam fullones Dei permiſſu bonarum mentium ſordes in hac vita eluunt per incommoda.* Lupatum quoque erit iſtud Maximi[h], *Deus per huiuſmodi incommoda vult abradere præoccupantis voluptatis venenum.* Si felicitas improborum probis obiecta erit ad contemptum numinis, non abſurdum erit iſtud, *Quæ ad aram ducuntur victimæ, coronantur.* Si quid contra animarum noſtrarum immortalitatem leges, Seneca[i] opponendus erit. *Dies iſte quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. per has mortales moras illi meliori vitæ longiorique præluditur: hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele.* Innumerabilia iſtius generis ſuppetent contra Terrigenas ſupremo numini obloquentes, quibus vti poterunt præfecti Bibliothecarum, cùm procax impietas Deum diſputet in libris.

a 5. ſtr. c. 10.
b l. 1. de prou.
c 10. de ciu. c. 14.
d 1. de plac.
e in Pſ. 4.
f l. 12. ciu c. 17. & ſerm. 143. de temp.
g Enn. 4. l. 3. c. 16.
h cent 1. ex variis c. 86.
i ep. 102.

Non debeo videri fuiſſe hac in parte longior; quandoquidē Atheiſmus infinitarum nationū mentes noſtro æuo imbuit: vigere in Iaponia, Sinarum regno, India, Tartaria, atque in aliis barbaris gentibus tradunt ſcriptores: pleroſq; Mahometanorū omnia fato tribuere Chalcōdilas & alij auctores teſtātur. Hæretici quoque vbi diu multúmq; fluctuati ſunt in incerto ſuæ religionis Euripo, ad hæc capharea ſaxa impietatis plerumque deferuntur; & eam ſtationem licèt malè fidam ſuæ iactationis quærunt, in qua nihil credant; vt de quodam Atheo Caluiniſta Lutetiæ combuſto memorant, qui ſcripſit librum *de arte nihil credendi*, in quo illud vnum (vt refert Maldonatus) veriſſimè dicebat, *oportere priùs Caluiniſtam fieri, qui Atheus eſſe vellet*; præſtat enim Deum nullum eſſe profiteri, quàm auctorem peccati ipſum credere, vt alius quidā Atheus ex Caluini ſchola Metis à iudice interrogatus, confeſſus eſt; & ex eodem Babylonis Caluinianæ proſtibulo Marinus ille cui Trinitas luſus fuit; 5.

Renanus Barrenſis ad librum Nouatiani de Trin. apud Rayn. in Theol. nat. diſt. 5. n. 160. Conſule Serrarium c. 2. prolog. Bibl. q. 2. & Petrũ Gregor. cõment. de Deo c. 1. Laërt. Lactant. de ira Dei cap 9. Euſebius in Chron. Suid. a 1 de nat. Deor.

Deum quoque ridere ſolitus *magnum Portugallenſem* appellans. O tempora! vtinam nec eſſent inter Orthodoxos qui Catholicam religionem ſuo Atheiſmo impiiſſimè obtendunt, eò nocentiores, quò occultiores, quibus Dei cultus, æterna beatitudo, animæ immortalitas, Inferorum cruciatus, denique quidquid religioſiſſimum eſt, & diuinum, ludus eſt, & ſcena duntaxat, atque iis promiſcuè vtuntur, & adorationes ſuas accommodant pro temporibus & locis. Illi omnes ſi virus ſuum chartis illiuerint, & Bibliothecæ aditum poſtulauerint, contra eos ex noſtra lege ſeuerè agitor; & pudeat Chriſtianos remiſſiores videri quàm Ethnicos, qui Protagoræ βιβλία κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ ὑπὸ κήρυκα ἀναλεξάμενοι παρ' ἑκάστου τῶν κεκτημένων. in foro combuſſerunt libros à ſingulis, qui eos habebant, præconis voce collutos, ea ſolùm de cauſa, quòd eos ſic orſus fuiſſet, περὶ θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔτε ὡς εἰσὶν, οὔτε ὡς οὐκ εἰσίν. De Diis neque vt ſint, neque vt non ſint, habeo dicere ſi aſſeueranter & definirè negaſſet numen eſſe quid homine illo fuiſſent Athenienſes, à quibus præter librorum exuſtionem, Reip. finibus eiectus eſt. ex quo equidem exiſtimo (inquit M. Tullius[a]) *tardiores ad hanc ſentẽtiam profitendam multos eſſe factos, quippe cùm pœnam ne dubitatio quidẽ potuiſſet effugere.*

Capvt III.

Libri hæretici Bibliothecis interdicendi.

1. S. Greg. Naz. ep. ad Cledon.

IAmpridem obſeruatum eſt, non ſine numine factum eſſe, vt hæretici, quorum ingenium τῷ πλήθει βιβλίων φιλοτιμούμενον, gloriam apud poſteros multis ſcriptorum lucubrationibus quærit, ſua ſpe fruſtrati vix relinquant vllum literarum monumentum, quod vetuſtatem vnius ſæculi ferat. Vidit Eccleſia ab ipſo ſui naſcentis exordio myriadas hæreticorum bene multas, quibus tamen morientibus vix vllus liber ab ipſis ſcriptus ſuperfuit, qui praua ſectæ dogmata contineret: imò ea nobis ferè eſſent prorſus incognita, niſi ex ſanctis Patribus ea refutantibus eruerentur; rémque ita habuiſſe omnino conſentaneum erat, vt omnis

Matth. 15. v. 13.

plantatio, quam Pater cœleſtis non plantauerit, eradicetur; & qui nihil ferè aliud propoſitum habent *hæreſiarchæ, quàm vt tyrannicis moribus no-*

Idem or. 12.

men ſuum illuſtrent, familiam ducant, ſectarum conditores ſint, principes opinionum & duces, ſolo vtplurimum gloriæ ſtudio incitati; mulctentur libris, in quibus ſibi extruxerant præcipuum vanitatis præſidium. Accedit perpetua Eccleſiæ, & Chriſtianorum Imperatorum conſuetudo comburendi omnes libros qui aduersùs Catholicam fidem prodi-

b l. 1. c. 6. c l. vlt. C. Th. de hær.

rent. Extat apud Socratem[b] Conſtantini reſcriptum[c], quo Arij & quæcumque alia ſcripta Arianorum cremari iuſſit, pœnâ capitis aduersùs occultatores ſanctâ. Eorum exemplo Carolus V. Imperator graui edicto propoſito per omnes ditiones ſuas hæreditarias Germaniæ in-

Pithæus edidit. Laurent. Sur. in comm. an. 1539.

ferioris omnibus interdixit librorum Lutheri, & aliorum hæreticorum, pœnâ item capitis in ſecus facientes decretâ. Imò etiam, diuino numine ita diſponente, fuit reſcriptum Diocletiani, & Maximiani aduersùs ſcripta Manichæorum. plura huius moris exempla quærentem oporret tantùm

tantùm eccleſiaſticas hiſtorias aperire: quod cùm ſatis intelligerent hæretici, ac vltrices illas flammas reformidarent, excogitauerunt aliud artificium quo impias de Deo ſententias, & ſua monumenta propagare poſſent, ac venenum ſuum incautis propinare; eſt autem huiuſmodi: ſuos, vel ſuorum contribulium commentarios inſcripſerunt illuſtrium Catholicorum nominibus, quod factum à Ruffino Aquileienſi presbytero hæretico pluribus locis innuit D. Hieronymus[a]: idipſum in Euagrio Pontico Origeniſta grauiter reprehendit, qui vt fidem verbis ſuis adſtrueret, & hæreſis ſuæ fautores pro grauibus & ſanctis viris venditaret. Sancti Ioannis Anachoretæ vitam ſuis libris præfixit, & venefici, (inquit ex Lucretio) priùs oras pocula circum contingunt flauo mellis dulcíque liquore. Sic Ægyptiorum templa propylæis pulcherrimè ſubſtructis, varióque marmore incruſtatis exornata erant, in quæ cùm intrares, crocodilum, aut felem, aut hircum, vel aliquod aliud fœdum animal inueniebas: ita pneumatomachi hæretici libellum Tertulliani de fide Trinitatis malè ſentientem, ſub Cypriani martyris nomine paſſim vendiderunt, exiguo ære, vt ad plures perueniret: ſic Apollinarij ſcripta attributa fuerunt magno Athanaſio ab Neſtorianis & Eutychianis. Rem narrant Marulus[b] & Sabellicus[c], cuius hoc loco participem volo lectorem. Quidam Sabinianus hæreſiarcha poſt mortem D. Hieronymi opuſculum quoddam execrandi dogmatis à ſe confectum Hieronymi nomine ediderat, vt maiorem errori ſuo adſcriberet auctoritatem. Cæterùm Syluanus Nazarenſis Epiſcopus palàm illum arguens falſitatis, conditione propoſita teſtabatur idipſum Hieronymi præſentia ſe comprobaturum: cùm enim mentienti capitalis pœna inferri deberet, niſi ſequenti die id probaret, Syluano ex pacto in ſupplicium ducto morique parato, illico Hieronymus præſtò fuiſſe dicitur, cunctíſque ſpectantibus ſpiculatoris manum ad feriendum erectam tenuiſſe, hæreticum acerrimè doli ac fallaciæ accuſans. Sabiniani caput nemine percutiente ab humeris reuulſum in terram procidit; hinc & orthodoxi gratias Deo egerunt, & reliqui ad Syluanum confugientes illius fidei ſe dedidere. Dicerem hoc loco quàm proprium ſit hæreticorum addendo, vel demendo corrumpere orthodoxorum Patrum libros, niſi Iacobus Gretſerus noſter[d] hoc ipſum argumentum tractaſſet. Certè S. Clementi Romano Apoſtolico viro, imò penè Apoſtolo, Coadiutori Pauli, & cuius nomen fuiſſe in libro vitæ idem teſtatur Apoſtolus, hæretici quædam affinxerunt in recognitionibus quæ libris vitæ contraria ſunt, inquit Ruffinus. Emſerus Iobum Gaſtium Lutheranum *munus decem falſariorum functum fuiſſe* in eiuſmodi adulteriis ſcribit. *Alius manu ſcripturas, alius ſenſu expoſitiones interuertit: neque enim ſi Valentinus integro inſtrumento vti videtur, non callidiore ingenio, quàm Marcion manus intulit veritati; hæc ſunt ingenia de ſpiritualibus nequitia, cum quibus luctatio nobis eſt fratres*, &c. Nouiſſimè Caluini opus editum eſt præfixo nomine Alcuini præceptoris Caroli Magni ad eumdem Auguſtum. Sic Henrici Bullingeri liber contra viſibilem Eccleſiam adſcriptus S. Athanaſio de vera & pura Eccleſia: ſic opuſculum Buceri Ioanni Epiſcopo Rofenſi, de miſericordia Dei. Sic cóciones Italicæ Bernardini Ochini apoſtatæ, Thomæ Epiſcopo

a ep. ad Cteſ. & in Hierem. 22. & in Ezech. 18. Baron. an. 142. n. 5.

Rufin. in apol. pro Orig.

b l. 2. c. 11.
c l. 5. c. 4.

d c. 6. l. 1. de iure prohibendi libros hæreticos & noxios.

Tertull. l. de præſcr. c.
Catech. 6.

Ioan. Bapt. Cardona Epiſc. Dertoſanus opuſc. de expung. hæret. nomin. b.

Conſule Iac. Gretſerum l.2.de iure & more prohibendi, & expurgandi libros hæreticos & noxios c.5.
D. Ambr. in Luc.l.2.c.10.
a ſerm.66.in Cant.
Idem in Cãt. ſerm 65.
Idem in c.3. epiſt. ad Tit.

Epiſcopo Iuſtinopolitano Ordinis Prædicatorum. Ex quibus omnibus liquet, quæ cautio neceſſaria ſit in librorum delectu. hi enim ſcopuli eò ſunt perioculoſiores, quò tectiores,& inuolutum pacis nomine bellũ aperto Marte formidabilius ita mentito nomine, hæretici *caput petunt, iugulum inuadunt, vitalibus vulnus infligunt, corpore ſaluo animam interimunt*.huc pertinet dictum D.Bernardi [a]. *hi ſunt qui boni videri, non eſſe; mali non videri,ſed eſſe volunt:mali ſunt,& videri boni volunt,ne ſibi ſint mali,etenim minùs malitia ſemper ſibi palàm nocuit, nec vnquam bonus niſi boni ſimulatione deceptus eſt. ita ergo in malum bonorum,boni apparere ſtudent,mali nolunt, vt plus liceat malignari*.eiuſdem eſt iſtud; *longè plus nocet falſus Catholicus, quàm ſi verus appareret hæreticus.* hæc eadem cauſa eſt, cur hæretici verba Dei,ſeu ſacram Scripturam ſuis libris inferciant in prauos ſenſus malitioſè detortam: *per verba legis legem impugnant, proprium enim ſenſum verbis legis adſtruunt, vt prauitatem mentis ſuæ legis auctoritate commendent; ſciens enim impietas auctoritatem legis multùm valere, fallaciam ſub nomine eius componit; vt quia res mala per ſe ipſam acceptabilis eſſe non poteſt,bono nomine commendetur.* prorſus hoc vnum,videlicet ementiri Sanctorum nomina, eaque imprimere fronti ſuorum operum, atque aburi velleribus ouium, & verbis ſcriptorum Canonicorum, vt quis liberiùs Eccleſiam Dei infeſtet, falſi prophetæ manifeſtum argumentum eſt, qui intrinſecus ſit lupus rapax.verba ſunt Lirinenſis: *vt faciliùs incautis ouibus obrepant,manente luporum ferocia deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe diuinæ legis ſententiis*(adde & Sanctorum ſcriptorum nominibus) *velut quibuſdam velleribus obuoluunt,vt cùm quiſque lanarum mollitiem præſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat.* & in librorum hæreticorum veſtibulis quàm venuſtè tecti, ſed quàm exitiales laquei?Seuerus hæreticus improbè ſacras literas tractauit,& ad peruerſas ſuas perſuaſiones detorſit, vt eſt apud Anaſtaſium ἐν τῷ ὁδηγῷ, ſiue viæ duce; & tamen librum ſuum inſcripſit hoc titulo φιλαλήθης,vel,vt alij ſcribunt,φιλαληθής.

2. Dies mè deficiat ſi velim afferre cauſas quamobrem Bibliothecæ aditu hæreticorum libros interdicimus;γράμματα τῆς κακίας, *improbitatis literas* eos vocat D.Greg. Nazianzenus [b]. Quis enim ſine ſcelere in domum ſapientiæ *doctrinam dæmoniorum* introducat? (ſic D.Paulus [c] nominat hæreſim.Quis *caudas titionum fumigantium*(ſic D.Hieronymus [d]) in ædem lucis & intelligentiæ? Quis *dæmonum organa* (ſic D.Gregorius Nyſſenus [e]) Quis in caſtæ & incorruptæ veritatis ſacrarium *feralem meretricem* (ſic D. Ambroſius [f]) & *lupam procaciſſimam.* Quis in hortum omni ſapientia conſitum διαβόλου παραφυάδες, *Dæmonis propagines, & omnia depaſcentes apros*? Quis in medicam animorum officinam certiſſima toxica introducat? Quis mures diuinas iſtas merces labefactaturos? nullus enim tam comeſor mus ponticus, quàm qui Euangelia corroſit Marcion, inquit Tertullianus [g]. Quis de ludo literario gladiatoriam arenam faciat, in qua hæretici decretoriis & parricidialibus armis contra Eccleſiam matrem ſuam volitant? & ſicut ſecutores, vel retiatij quotquot ſuis laqueis capiunt, eos diti inferno mactant. Quis fatalem equum fœtum incendiario milite, intra mœnia literariæ ciuitatis admittat? Quis tetro fœtore aërem ſui Muſei inficiat? quam graueolen

b or.1.
c 1. Tim.4.
d Eſ.7.
e or in ſuam ordin.
f in Pſ.118.
S. Ignat. mart. ep. ad Trall.
g l.1. contra Marc.c.1.

graueolentiam reipſa exhalabunt neſcio qui, Origenis hæreſi infecti, quos S. Pacomius perſanctè admonuit, vt reſipiſcerent, & Origenis libros in fluuium proiicerent; & (vt dixit S. Theophilus [a]) *deſinerent vnguento cœleſtium doctrinarum ſaniem & pedorem ſui fœtoris immiſcere.* Si D. Ioannes Apoſtolus pedem è balineo retulit, quòd Cherintum lauantem audiuiſſet, ne peſtiferi hominis olfactu, aut contactu eiuſdem aquæ malum aliquod ſibi arceſſeret: ſi S. Polycarpus, Ioannis Apoſtoli diſcipulus, haud facilius cum Marcione hæretico, quàm cum primogenito diaboli conuerſandum cenſuit: ſi Beata Virgo Deipara vtroque Beato Ioanne comitata renuit intrare in cellam Cyriaci Abbatis [b], quòd diceret inibi inimicum ſuum eſſe, Neſtoriũ videlicet, in fine cuiuſdã voluminis colligatũ; fas nobis erit eos, *qui non ceſſant ore impio & ſacrilego animo Euangeliorum ſinceritatem corrumpere*, admittere in contubernium cum Chriſto, & ſanctiſſima eius Matre, quos eminere in Bibliotheca noſtra voluimus; & cum ſacris ſcriptoribus, cum quibus capitale bellum gerunt? Auſcultandum potiùs monito Beati Iſaiæ Abbatis [c]. *Si librum inueneris* (inquit) *qui dicatur eſſe hæreticorum, caue ne illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat: ſed in ea doctrina, quam in Eccleſia ſancta didiciſti, ita perſiſte, vt ei nihil addas, nihil detrahas.* Cauſam eandem aliâ metaphorâ affert S. Iſidorus [d]: *Melius eſt enim eorum peruerſa dogmata ignorare, quàm per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere.* Non legerat Neſtorij librum Cyriacus, ſed illum dumtaxat cum quo erat compactus in eodem volumine: tamen quando illud retulit B. Iſichio Presbytero Hieroſolymitano, ſic eum alloquutus eſt. *Accipe librum tuum frater, neque enim ex eo tantum vtilitatis accepi, quantum detrimenti*: re quæ contigerat intellectâ, Iſichius præſcidit Neſtorium è volumine, & igne tradidit. Quid ſi curioſiùs Beatæ Virginis hoſtem legiſſet? De Beato Pachomio hæc Dionyſius Exiguus*. *Vniuerſos fratres ſolicitus admonebat, vt non ſolùm ipſius Origenis monumenta non legerent, ſed ne legentibus quidem aurem penitus admouerent: vnde fertur aliquando reperiſſe volumen eius, & in aquam merſiſſe continuò, teſtatus his verbis: Niſi ſcirem nomen Dei in eo eſſe conſcriptum, omnes garrulitates blaſphemiarum eius ignibus concremaſſem.* Ludouicus Creſolius [e] refert ſe vidiſſe Religioſum & Doctorẽ in Theologia qui cùm opus principis è Gallia hæretici detuliſſet in cubiculum, quòd in ſchola neſcio quid refutandum eſſet, nullam partem nocturnæ quietis potuit capere, quaſi dæmonem ipſum habuiſſet in cubiculo eorum inuentorum fontem, & parentem: itaque vbi illuxit, abominandum illud volumen ſubitò è Muſeo eiecit & exturbauit. Quid enim aliud ſunt hæreticorum commentaria, quàm *βλασφημίας ἐργαστήριον, blaſphemiarum officina.* Quis ſecurus dormiat ſi ſe ſciat habere viperam in cubiculo, nedum in ſinu? at Tertullianus [f] hæreſim *viperam venenatiſſimam* appellat. Quis libenter commoretur in Muſeo olido, putenti, ſordibus ſtrato; baſilicis & ſcorpionibus referto? Tales ſunt hæreticorum libri: vnde & idem Tertullianus [g] ait, *horreo planè ſpurcum blaſphemiæ adflatum de hæretico ore fœtentem.* Quapropter hæreticorum libros non aliò quàm in *tartari Blibliothecam* mittendos ait Aloyſius Nouarinus [h].

Simeon Metaph. in vita S. Pacomij.
a ep. 2. contra Origeniſtas.
D. Iren. l. 3. cap. 3.
D. Hier. de ſcript. Eccl.
b in prato ſpir. c. 46.
S. Hilar. ad Conſtantium Auguſtum.
c hom. 4.
d in reg a.
*Dion Exig. in Pacho. p. 1. vitæ SS Patr & Metaph. in Pachom. vita c. 27.
e l. 3. cap. 1. ſect. 3. myſt.
Euagr. l. 1. cap 2.
f l. de Bapt. cap. 1.
g in Scorp. cap. 27.
h in præf. ad lect. tom. 1.

3. Ribad. l. 5. vitæ Ign. c. 5. Aliud quiddam monebat conditor Ordinis noſtri S. Ignatius, non eſſe conſultum euoluere etiam bonos libros hæreticorum, aiens *placere primùm librum, deinde paulatim auctorem amari; tum adamato auctoris ingenio doctrinam quoque omnem placere, verámque putari etiam eam quæ ſit damnata, niſi principiis occurratur.* quapropter Eraſmum & eiuſdem furfuris ganeones vetuit legi in noſtris Gymnaſiis. Mirari mihi contigit haud ſemel cur tam pauca ſuperſint monumenta veterum hæreticorum, non quidem de ſuis impietatibus, verùm de multis aliis argumentis conſcripta, vt de Phyſicis, Mathematicis, de re medica & ſimilibus; cùm tamen nemini dubium eſſe poſſint, quin pleraque ab iſtis hominibus laborantibus prurigine ſcribendi edita fuerint, vt ex D. Gregorio Naz. ſuprà obſeruauimus. Ego puto eandem fuiſſe mentem antiquis Eccleſiæ Patribus, quæ poſtea ſancto Ignatio fuit: indéque factum, vt plerique hæretici ſcribendi voluntatem depoſuerint; vel ſi quid ſcripſerunt, aut ediderunt in lucem, illud non fuiſſe ſæpiùs editum.

4. Rurſus ne nominandos quidem hæreticos, licèt per eos profeceris, cenſet Nicolaus Serarius [a]; & hoc addit Ioannes Bapt. Cardona Dertoſanus [b], libros hæreticorum, licèt nihil prauum doceant, ſic admittendos eſſe ad Bibliothecas, vt eorum nomina propria priùs expungantur: vterque iiſdem ferè cauſis perſuaſus eſt, tum quòd hæretici digni ſint, quorum nomina in ſempiterna obliuione iaceant, & excidant illâ gloriâ, quam in libris ſcribendis aucupantur. Quid? communi Aſiæ conſilio olim decretum eſt, vt nomen eius qui templum Dianæ Epheſiæ incenderat, nullus vnquam nominaret. nos eorum nomina conſecrabimus, qui templis noſtris faces iniecerunt, & etiamnum Eccleſiam Dei, templum Spiritus ſancti euertere nituntur? Nobis non liceat quod ſolemne eſt Iudæis, quibus ſi contigerit citare aliquem Rabinum qui ſemper adhæſerit Synagogæ, hæc verba addunt, *cuius memoria in benedictione eſt.* Si verò à Synagoga ad nos felici ſeceſſione tranſierit, hæc vel ſtylo, vel voce adiungunt eius nomini, *cuius memoria in putredine ac fætore ſit.* Nos mitiùs tractabimus veræ religionis hoſtes hæreticos, quàm Iudæi ſuæ peruicaciæ deſertores? Memoria iuſtorum cum laudibus, nomen impiorum putreſcet. Quid ſuper hac re definiendum ſit, iudicium eſto penes duos illos quos adduximus: eos adi, ſi libet, hoc ſolùm dico, *Camelus quærens cornua etiam quas habet aures meritò amittit.* Tu hæreticos animalia gloriæ haud conuenientius punire poſſis, quàm ſi fiant ἀνώνυμοι, ſiue, (vt Gellius loquitur) *innominabiles.* ego ſanè nulli Scriptori auctor ſim, vt eos vnquam nominatim appellet cum aliquo honoris adiuncto. Video enim hîc in Hiſpania, quæ (vt cum Baronio loquar [c]) *hoc planè ſibi vendicat in Orthodoxæ religionis integritate, vt non ab erroribus tantùm, ſed à ſuſpicionibus ſuos ſemper voluit eſſe immunes.* hîc (inquam) video diſplicere auctores, qui pluſculi in hac parte ſunt, & Hiſpanis ab hæretica fece abhorrentibus moleſtum accidere cùm nominantur frequentiùs hæretici, ac prorſus intolerandum quando cum aliqua laude appellantur. Ac proinde paſſim videas lituris inductos eorum Catholicorum libros, qui ſibi hac in parte minus temperant. Iconomacho Leoni hæc ſcripſit Gregorius, καλὸν καὶ ὁ προσφέρειν το,

αἱρετικὸν

a l. 1. cap. 6. minerual.
b de expugn. hæret. nom.
Serar. ibid.
Prou. 10. 7.
c ann. 566. tom. 7.

αἱρετικόν σε ὀνομάζεσθαι. Turpe eſt nec vtile, aut conueniens hæreticum te nominare. Ita neque ſcriptori orthodoxo honeſtum hæreticorum nomina ſuis ſcriptis cum honorificis epithetis inſerere. Quæ Photius in Bibliotheca de Philoſtorgio hiſtorico & Ariano ſcribit, *ἱστορεῖ ἐναντία σχεδὸν ἅπασι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἱστορικοῖς, ἐξαίρει τοὺς ἀρειανίζοντας ἅπαντας, λοιδορίαις πλύνει τοὺς Ὀρθοδόξους· ὡς εἶναι τὴν ἱστορίαν μᾶλλον, ἀλλ' ἐγκώμιον μὲν τῶν αἱρετικῶν ψόγον δὲ γυμνόν, καὶ κατηγορίαν τῶν Ὀρθοδόξων ἀνὴρ πάνυ ψευδολόγος. Narrat ferè contraria omnibus Eccleſiaſticis hiſtorijs, laudibus attollens quos nouit Arianiſmo infectos, & conuitijs orthodoxos perfundens: vt eſſe hoc eius opus non tam hiſtoria videatur, quàm hæreticorum laudatio, cum nuda & mera vituperatione atque accuſatione Catholicorum*, &c. Diſſimulent ſuam hæreſim, aut impietatem illi ſcriptores quantum voluerint: at enimuero *ſeriùs ociùs ſoluetur iſta nix, & tum (Deus immortalis!) quantum cogetur luti?* Et quia *mutuum muli ſcabunt*; ideo nihil ſolet eſſe acceptius, nihil ab hæreticis proferri crebrius quàm iſtorum amphibiorum peſtilentes hiſtoriæ. Nos Catholicæ Eccleſiæ filij non ſolùm hæreticorum libros, ſed & iſtorum in religione proteorum commentarios auerſemur tanquam *aſpidum oua* (vt S. Gregorius Nazianz.[a] loquitur) non ſanè inania & ſubuentanea, ſed è quibus baſiliſcus ſemper aliquis erumpit.

[a] or. 2. de pace.

§. Nec hoc ſatis. Verùm etiam licèt hæreticorum libri hæreſim ex inſtituto non doceant, ſed in alio argumento verſentur, ſuſpecti tamen nobis eſſe debent, timendíque Danai etiam dona & vera ferentes, & peſtilentis doctrinæ hamus ſub eſca alicuius eruditionis & elegantiæ. Heu quot mala intulerunt in orbem Chriſtianum quatuor illa volumina Scythiani genere Saraceni (de quibus S. Cyrillus[b]) ceu quatuor venenatæ pyxides ſpecioſis titulis inſcriptæ; primum, *Euangelium* vocauit, non quòd eius actiones contineret, ſed ſolùm nomen; alterum *capitum*; tertium *myſteriorum*; quartum *theſaurorum*: tertius enim illorum librorum poſſeſſor *Curbico*, qui ſe *Manem* nominauit, inde velut ex Pandoræ arcula (Heſiod. initio libri qui inſcribitur *ἔργα καὶ ἡμέραι*) prompſit peſtilentium perſuaſionum deliria quæ infinitos mortales in ſempiternum exitium præcipitarunt. Sapienter Theodoſius & Valentinianus Imperatores[c] in ea lege quam aduersùs Porphyrij & Neſtorij libros tulerunt. *Omnia prouocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus.* Lepidum eſt, & huius loci, quod S. Ephrem pio dolo de Apollinari hæretico in ipſius libris ſupplicium ſumpſit. Rem in hæc verba Nyſſenus narrat[d]. Apollinarium leuem, imò dementem atque inſanum nuncupabat, qui res nouas moliens multa impia Scripturæque ſacræ aduerſantia duobus comprehenſa libris è ſuo eructans ventre admodum inſulsè & temerè proloqueretur: illos libros cuidam, quam in delitiis habuiſſe ferebatur, fœminæ adſeruandos commiſerat; quæ cùm magno innotuiſſent Ephrem, ipſe ſe eiuſdem opinionis eſſe confingens fœminam quæ libros cuſtodiebat adit, & de ſe quis ſit, quàm fauſta ei afferat ex eremo patefacit, aliaque id genus adiiciens rogat, vt præceptoris ſibi ſcripta publicæ vtilitatis causâ exhibeat, vt nobis ſcilicet, quos tunc hæreticos vocabat, repugnare commodiùs poſſet.

[b] Catech. 6.

[c] in Cod. Iuſt. de ſumm. Trin. l. 3.

[d] in vita S. Ephrem.

Perſuaſa fœmina libros præbuit, eos tamen ſibi quamprimum reſtitui rogans; cæterùm magnus hic Iacob dementem ſupplantans Eſau, ac flagitioſa illa primogenita rapiens prudenter oppreſſit. nam piſcis glutino omnes illinens, ita folium cum folio contexuit, vt vna pars ab altera planè ſeiungi nequiret, & in vnam quaſi tabulam ſinguli libri apparerẽt redacti; ſícque eos mulieri à qua eos commodatò acceperat, reddidit; quæ quidem artificij huiuſmodi, vti mulier, ignara, cùm formam eorumdem exteriorem ſaluam cerneret, quid intrinſecus eſſet diligentiùs inſpicere neglexit. paucis pòſt diebus cum orthodoxis quibuſdam defertur ſanctus ſenex, qui Apollinarium acciuiſſet, & cum eo ſermones contuliſſet: in iudicium itaque vocatus, impiis illis libris fretus ad ſtatutum diem venit, ac dicere quidem pro ſe, quòd graui iam ſenio premeretur renuit, poſtulauítque ideo ſibi proferri libros vt ex illis reſpondere poſſet, atque contradicere: cùm ergo iſtius delatoris ſocij promentes in medium libros produxiſſent, inueteratus ille dierum malorum iniuſtitiæ iudex, vnum ex iis in manus ſumens aperire atque explicare nitebatur: ſed quod glutino vinctus non cederet, ad partem eius mediam aperiendam eſt aggreſſus; verùm eodem euentu, ac proinde ad alterum ſe contulit; iterúmque eluſus, tanto rubore atque pudore ſuffuſus eſt, atque animo perturbatus, vt ex eo conſeſſu abiens quaſi mentis atque conſilij inops & exanimatus in morbum prolapſus ſit; illámque ludificationem & derídiculum tam moleſtè tulit, vt valde parum abfuerit, quin tum moreretur.

CAPVT IV.

Obſcæni libri è Bibliothecis exulent.

1\. Ouid. l. 1. Triſt. el. 8.

ASpicite vt veniant ad candida tecta columbæ;
Vt capiat nullas ſordida turris aues.

Bibliothecam meam volo eſſe columbarum domicilium, non coruorum cadaueribus inhiantium diuerſorium; Muſarum ſacrarium, non ſirenularum fornicem; Parthenonem, non proſtibulum; ædem pudoris, non gurguſtium nequitiæ. Nec minùs verecundiæ poſtulo ab ingreſſuris in hanc Bibliothecam, quàm in palatinam Apollinis, quò Ouidius[a] reus proditæ & iugulatæ caſtitatis pedem nunquam inferre potuit. foris canes, Deorum crimina in templis picta ſunt (inquit Seneca[b].) *Sed quæro abs te, vtri plus peccauerunt, vel Sacerdotes recipiendo, vel pictores inferendo?* Faciant quidquid volent troſſuli Floræ, nepotuli Cupidinis, & è Veneris Ida Satyri, aut è Priapi hortis Sotadici; nunquam à nobis qui Muſas colimus pudiciores impetrabunt in hanc Bibliothecam aditum; nunquam eorum ſpurcitias conſecrabimus. Nihil huc niſi caſtum, integrum, atque ex omni parte ſincerum adſpiret. Clamat Naſo,

Summouero dotes impius ipſe meas.

Et ego huc eas inferri patiar? Surena Dux Parthorum Craſſo interfecto, Craſsíque filiis ac plurimo milite inter prædam Mileſia Ariſtidis reperit, eorúmque infamiam Romanis vehementer exprobrauit. Eiuſmodi

a l. 3. Triſt. el. 1.

b decl. 5. l. 1. contr. 10.

probrum

probrum & dedecus homo Chriſtianus non metuet, ſi quid librorum iſtius generis in ſuo Muſeo habuerit?

At (inquies) carebis multis iiſque pereleganti bus operibus, quæ ars & natura coniunctis viribus & ingeniis pepererunt. Quid ais bone vir? næ tu videris eſſe ex eorum numero, qui tam dementes ſunt, vt cùm in ipſo ſterquilinio volutentur, ſe putant verſari in mediis roſis, & immundum ſuem nobis pro pontico mure obtrudunt. *In hoc libro* (opponunt Priapi flamines) *multa ſunt bona. ſunt ne propterea mala in eo deleta?* (reſpondet Gerſon. *lib. contra impurum quemdam librum Romantij*) *tectus ignis eſt periculoſior, hamus nocet piſci, ſi coopertus ſit eſca. Gladius vnctus melle ferítne minus?* Verùm quod opus poteſt eſſe perelegans (vti loqueris) quod ſanie ſtrumoſorum, & vomitu intemperantium, ne quid fœdius dicam, adſperſum eſt? Nunquam potui inducere in animum meum, vt gemmas in cloaca quærerem, aut veſcerer dapibus quantumlibet exquiſitis in diſco fecibus circumlito: haud me tamen propterea pauperiorem arbitror, macriorem, indoctiorem; & ſi ob hanc cauſam forem tenuior, egentior, & minus è re literaria inſtructus; ego meam illam mundam tenuitatem, ſeu tenuem munditiem prætulerim omnibus diuitiis per ſpurcitias quæſitis. Diuinè Auguſtinus [a], *Sunt quædam quæ neſcire, quàm ſcire ſit melius.* Venuſtatem habet poëſis niſi à Venere nullam? nullæ margaritæ, vniones niſi è camarina nulli? nulla hortorum amœnitas præterquam Adonidis? nulla potus ſuauitas præterquam Ganymedei? nullum acumen niſi à Cupidine? nullus verſus afficit, niſi qui inficit? nulla voluptas niſi voluteris in ſordibus? Falleris quiſquis hoc cenſes; nec meminiſti quod Crobylus refert. Sirenes voluptatum conciliatriculas à virginibus Muſis cantu fuiſſe ſuperatas, & victrices, à victarum pennis corollam ſibi texuiſſe. Neſcis quod ſcriptum eſt in Argonautis de Orpheo? noluiſſe diuinum vatem ad arborem alligari, neque cerâ aures obducere, cùm Leucoſiam inſulam præterueheretur, vbi cantu inſidiabantur Sirenes; ſed acceptâ lyrâ, Dei Opt. Max. laudes ceciniſſe; quo cantu, vtpote diuino, monſtra impura ita in deſperationem egit, vt muſica inſtrumenta, quibus multos perdiderant, in mare proiecerint. Laudatur à Theodoreto Ephrem Syrus, qui ad inhibēdum ſcelerum ſua ætate eluuionem, & ad hæreſes reprimendas, adiecit animum ad ſcribēdas odas de rebus diuinis. Intelligebant multò plus eſſe ingenij in caſta poëſi ſcribenda, multóque plus voluptatis in legenda, quàm in ſordibus tractandis. *In cœno & ſordibus* (inquit Arrianus [b]) *pulchritudo non ineſt, nec in cœno ſe equus volutat, aut generoſus canis, ſed ſus tantùm, & putidi anſeres, vermiculi item & aranei.* Ioannes Picus Mirandula libros amorum ab ſe compoſitos exuſſit. Laurentius Gambara, Petrus Bembus, Franciſcus Petrarcha, Torquatus Taſſus, Petrus Ronſardus pluréſque alij acerbè demum deplorarunt quidquid olim calamo minùs verecundo exarauerant.

Rurſus audio Idaliæ ſyluæ aprum grunnientem Apuleium. quaſi vllum ſpecimen morum ſit (ait [c]) verſibus ludere. Catullum ita reſpondentem maleuolis non legiſti?

Quid me ex verſiculis meis putatis

2.

[a] in enchir. ad Laur. c. 27.

Hieremias Drexelius Nicetæ l. 1. c. 5.

[b] l. 4. ſerm. c. 11.

[c] in apol.

Quòd ſint molliculi, parum pudicum?
Nam caſtum decet pium poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.

Apul. Pergit è grandulibus ſuis laribus immunda ſus volutabro ſuo ſic patrocinati: *Hadrianus cùm Voconij amici ſui poëta tumulum verſibus veneraretur, ita ſcripſit,*

Laſciuus verſu, mente pudicus erat.

quod nunquam dixiſſet ſi lepidiora carmina habenda eſſent pro argumento impudicitiæ: verſus quanto apertiores ſunt, tanto ſanctiores, tanto pudiciùs compoſiti, quanto ſimpliciùs profeſſi: namque & omnia id genus diſſimulare & occultare peccantis, profiteri & promulgare ludentis; quippe naturæ vox, innocentiæ,
a 2. Triſt. *ſilentium maleficio attributum.* Idem de ſe profitetur Ouidius [a],

Deme mihi ſtudium, vita quoque crimina demes;
Crede mihi diſtant mores à carmine noſtri:
Vita verecunda eſt, Muſa iocoſa mihi eſt.

Quis tu Apulei, quis ille Hadrianus quem tu nequitiæ tuæ ſuffragãtem inducis? vtrumque excipio: vterque inteſtabilis eſt, alter altero eſt nequior. Superi præclarum honeſtatis defenſionẽ Hadrianum, qui turpitudinem ipſam, ſacra Eleuſina ſuſcipiens, apertè profeſſus eſt; qui Antinoum conſecrauit, aram, templum, feſta, Cinædo dicauit. Si nihil aliud ſit Apulei, quis te illo pudiciorem putet qui eius ſuſcipis patrocinium? Tu etiam Catullum mihi profers. Enimuero dignum patella operculum, & egregium verecundiæ præconem; Catullo (conſentaneè ipſius nomini) laſciuire & ſcribere idem eſt. Vos tergemina Veneris proles Catulle, Hadriane, Apulei, addamus, & Ouidium; dicitis poſſe animum incorruptum cuſtodiri, licèt curſus pruriat. itáne verò? Siccine ſecreti eſtis ab omni humana contagione, vt non inquinemini? *prætextata vobis verba & animus Sibylla caſtior?* Nunquam vobis etiam per omnes Deos veſtros iurantibus credam, Aphrodiſeum eſt iuſiurandum veſtrum; malo auſcultare Soloni apud Laërtium dicenti, τὸν λόγον εἴδωλον τῶν ἔργων,

(De obſcœnitate horum ſacrorum Tertull. aduer. Valen. c. 1. Arnob. adu. gent. lib. 5. Euſeb. in Chron. Athenag. adu. gent.)

b in 2. Rhet. adu. Platonẽ defenſione. Eurip. in Troade. *ſermonem ſimulacrum eſſe operum.* Aſſentior potiùs Ariſtidi [b], οὐκ ἀποστατεῖ γὰρ ἡ παροιμία τούτων, ἡ λέγουσα οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτον εἶναι καὶ λόγον, καὶ πάλιν τὸ ἕτερον ὡσαύτως. *non diſſentit ab iis adagium, cuiuſmodi ſunt mores, eiuſmodi orationem eſſe: & rurſus, qualis ſit oratio, tales mores.* potiùs Iſocrati quàm vobis ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν. Potiùs Euripidi,

Σιγᾶν ἄμεινον τ' αἰσχρά. μηδὲ Μοῦσά μοι
Γένοιτ', ἀοιδὸς ἥ τις ὑμνήσει κακά.

c pro Cœl. Potiùs M. Tullio [c]. *Quantum à rerum turpitudine abes*, inquit, *tantum te*
d l. 1. de morib. Perſarũ. *à verborum libertate ſeiungas.* De eodem ſenſu Herodotus [d], ὁπόσα ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. & quod ſcirè Muretus in iuuenilibus apud
e l. 1. ep. 5. Raderum [e],

Raro moribus exprimit Catonem,
Quiſquis verſibus exprimit Catullum.

Bapt. Mantuan. Verùm eſto: negare vllus poſſit ſcriptionis laſciuiâ creari lectoribus exitium?

Si proba vita tibi, laſciuiaque pagina, multos:

Efficis

Efficis inceſtos, in Veneremque trahis.
Verba mouent animos, oris laſciuia pectus
Pulſat, & in venas ſemina mortis agit.

Puduit & pœnituit Æneam Syluium ſolutioris ſcriptionis, ac ætate maturior ſummúſque Pontifex factus, ſuę pœnitudinis carmen in hanc formulam canebat: *Seni magis quàm iuueni credite; Pontificem pluris, quàm hominem priuatum facite; Æneam reiicite, Pium* (ſic in Pontificatu vocatus eſt) *ſuſcipite.*

Quid itaque ſtatuemus? Duo. Alterum omnes eos libros, qui ex proprio inſtituto obſcœni erunt, prorſus ab hac Bibliotheca arceri, & flammis tradi volo. quod ne acerbiùs cuiquam doleat, & conqueratur, ſeueriùs cum illis agi; audiendus D. Bernardinus Senenſis [a], *Librum de arte amandi*, inquit, ab *Ouidio conſcriptum quis apud Chriſticolas non dicat eſſe prohibitum, cùm etiam apud carnales infideles execrabilis putaretur?* Alludit ad pœnam quæ meritò irrogata eſt Ouidio Naſoni impudicitiæ Magiſtro, & incentori libidinis, exulare iuſſo ab Auguſto Cæſare in Geticis frigoribus, vbi venereos illos ardores quibus ad inſaniam torrebatur, temperaret. Hîc exclamat Gerſon. [b] in has voces. *O Deus, ô Sancti, ô Sanctæ, ô deuota Chriſtianæ Religionis curia, ô præſentis temporis mores: & inter Chriſtianos tale* (Ouidiani amores) *aut peius opus ſuſtinetur, laudatur, defenditur?* Quod dixi de Ouidio, dictum quoque eſto de eius ſimilibus; nec prætermittamus referre edictum ſacroſancti Concilij Tridentini. *Libri qui res laſciuas, aut obſcœnas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, cùm non ſolùm fidei, ſed & morum qui huiuſmodi librorum lectione facilè corrumpi ſolent, ratio adhibenda ſit, omnino prohibentur, & qui eo habuerint, ſeuerè ab Epiſcopis puniantur.* Alterum, ſi qui erunt non quidem vſquequaque laſciui, tamen aliquibus locis impuri, cuiuſmodi ſunt, Tibullus, Horatius, Martialis, Propertius aliíque eius generis, ne proſtent in Bibliotheca, niſi perpurgati. integros ſi qua ex cauſa eos retineri viſum erit, ſub claui habentor. Quidam grauiter & admodum moleſtè ferunt detrahi quædam ex Poëtis, & incidi affecta quædam membra ex reliquo corpore pertractura in contagiem quæcumque attigerint. Audiant illi diſputantem ſuper hac re Ioannem Ludouicum Viuem [c]. Scilicet, inquit, intolerabilem faciet humanum genus iacturam, ſi ex ſpurco poëta partem abſcindas noxiam? & id facias in libello, quod in tuo ipſius corpore facere non dubites, ſi res exigat? Detruncauit Iuſtinianus Cæſar tot Iuriſcõſultos, & nefas erit detrahi ex Ouidio eos verſus queis adoleſcens fit nequior? imò verò amiſſa ſunt tot Philoſophorum & ſacrorum Auctorum monimenta; & graue erit, & non ferendum facinus ſi Tibullus pereat, aut ars amandi Naſonis? Vtique non de præſentibus modò ac poſteris præclarè merebitur, ſi de poëtica arte ac Poëtis ipſis quiſquis eam repurgationem erit aggreſſus: haud aliter quàm de hortis qui venenis illinc eruncatis ſolas reliquerit herbas ſalutares. ita & ignominia erit Poëtis detracta, & malum virus legentibus. Itaque tales Poëtæ qui non ex inſtituto ſcholam nequitiæ aperiunt, ſed ſolùm obſcœna ſuis carminibus identidem interſerunt; ne proſtent in Bibliotheca niſi repurgati: ſin minus, aſſeruentur in peculiari loco clauſi. Puto hanc fuiſſe

3.

a tom. 1. ſerm. 3 fer. 2. Dom. Quinquag. art. 3. c. 1.

b l. contra Romantium de Roſa.

Contra obſcœnos poetas, vide egregiã diſſertationem Macarij Murij Camertis apud Poſſeuinum Bibl. ſel. l. 17. c. 21. & Drexelium noſtrum Nicetæ l. 1. c. 5.

c l. 3. de trad. diſc.

a l.3.conſtit. c.5. fuiſſe mentem Clericorum Regularium ſancti Pauli [a], quorum hæc eſt ſapientiſſima cautio. *Libros turpitudini ac laſciuiæ accommodatos, otioſorum hominum commenta continentes, ſæcularibus moribus ſeruientes, ſiue noſtros, ſiue alienos in Collegio eſſe Præpoſitus non ſinat. Si quid verò in huiuſmodi genere, quod tamen apertè turpia non contineat, vſui eſſe poſſe, puta ob linguæ elegantiam, exiſtimetur; id in Bibliothecæ ſcrinio cuius poteſtas tutò & iuſta cauſa alicui concedi poſſit.* Faceſſant igitur ex his Muſarũ aluearibus *mella venenum tegentia*, vt loquitur Lactantius [b]: faceſſat propinatum à meretrice Babylonica *venenum turpilogij in aureo calice* cultæ *locutionis*, vt dixit Origenes*. Summoueantur ab hoc loco *ebrij illi Doctores*, qui vinum erroris in vaſis electis, & pretioſis propinãt; qua de re queritur D. Auguſtinus [c], addens, ob id & ſe adoleſcentem cæſum fuiſſe niſi bibiſſet, nec licuiſſe appellare ad aliquem iudicem ſobrium. De hoc argumento iterum pleniùs in oratione quam ſubiicimus ad calcem huius operis. Satis erit hoc loco afferre in teſtimonium confeſſionem Iuuenalis [d], quam recta ratio, & virtutis vis ab ipſius, cæterùm haud ita pudici, ore expreſſit; quos ſi voles inſcribere Bibliothecæ foribus, non repugnabo.

b l.5.diu.inſtit.init.
*Orig.hom. 1. in Hierem.51. v.7.
c 1.conf. c.16.
d Sat.14.

Nil dictu fœdum, viſúque hæc limina tangat.
Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici:
Ne profuſa luto ſit porticus, & tamen vno
Semodio ſcobis hæc emendat ſeruulus vnus.
Illud non agitas, vt ſanctam filius omni
Aſpiciat ſine labe domum, vitióque carentem.

Lacedæmonij libros Archilochi è ciuitate ſua exportare iuſſerunt, quòd eorum parum pudicam ac verecundam lectionem arbitrarentur. Noluerunt enim eâ liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm prodeſſet ingeniis: itaque maximum poëtam, aut certè ſummo proximum, quia domum ſibi inuiſam obſcœnis maledictis lacerauerat, carminum exilio mulctarunt.

Val.l.6.c.3.

4. Non erit alienum è re nata hîc apponere quod aliquando dictauimus in Gymnaſio Rhetoricæ, cùm de vſu Metaphoræ ageremus, vt Suadæ alumnos dehortaremur non ſolùm à verbis impudicis, ſed etiam fœtidis, atque (vti loqui conſueuimus) *inciuilibus*, gurguſtium & ſellam familiarem (honos ſit auribus) redolentibus. hæc nos tum diſcipulis:

Vnam Metaphoræ cauſam eſſe putauerim honeſtatem & verecundiam: multa enim interdum coguntur dicere oratores, quæ minùs vrbanè & minùs honeſtè propriis nominibus appellantur, & ab iis tantùm audiuntur, ſine rubore qui erubeſcere neſciunt. Pudeat ingenuum oratorem, & liberaliter inſtitutum vna voce camerinam mouere, & tetro odore adſtantium implere nares. Parthenius vates hac in parte, vt ſemper, adeò religioſus fuit, vt pro fimo *lætamen* dixerit; pro, ſtercorare *Effœtos cinerem immundum iactare per agros.* Chriſtianos adoleſcentes deterrere à verbis obſcœnis, & impuris non aliter libet, quàm D. Pauli magni profectò oratoris, & magiſtri monito præcipientis, vt ne impudicitia nominetur quidem. Arnobius [e] negat inter aures caſtas fas appellare non præfatis auribus res certas, tametſi non vtamur propriis nomi

Ehef.5.
e 3.cont. gent.

nominibus : imò ne apta quidem & modeſta circumlocutione vel leuem quantum fieri poteſt obſcœnitatis cogitationem obiicere debemus. *ῥίζα αἰχρῶν, radix turpidinis eſt verborum obſcœnitas*, ait Clemens Alex. [a] *abeſt enim propè à flagitio, qui lingua & auribus flagitium iam admiſit.* a l.2.pæd. cap.6. Vnde Varro [b], *virgo de conuiuio abdicatur*, inquit, ideo quòd maiores noſtri virginis acerbæ (id eſt, adoleſcentulæ) *aures venereis vocabulis imbui noluerunt.* b in Agathon. apud Non. Imprudenter qui ſe gerit in verbis aut proferendis, vel audiendis, ſeſe exercet & comparat ad factorum impudentiam. Apage è Chriſtianorum adoleſcentium Athenæo Bizontes & Zenones Sitiæos quandiu nullam verbis vllis ineſſe obſcœnitatem defendent, dummodo nullum ſit in rebus flagitium. Digna enimuerò canibus ita philoſophia, quibus etiam immundum animal in impudentia concederet : impudentiæ aram Athenis ponat Epimenides. Quod ad me attinet (Adoleſcentes) ita vos amo, vt ſatius vobis eſſe exiſtimem æſtu febríque anhelantes aſperam & nigram linguam exertare, quàm in oratione virulentam & impudicam. Nigra enim & aſpera lingua febrientium inteſtinum corporis ardorem ſignificat; at effectus quidam eſt conceptæ febris, non cauſa : petulans ſermo corruptæ mentis effectus & ſimul cauſa eſt. Vtinam ſaltem quotquot ſunt perfrictæ frontis & impudici oris, maris ſimiles eſſent; quod dum efferueſcit, algam & muſcum & fluitantia cadauera ita in littus eiicit, vt ſic ſe expurget & exoneret : qui autem conceptum animo libidinum virus virulentis verbis euomunt, ſeu captantes riſum, ſeu contumeliis quempiã afficientes, ſeu ipſa turpitudine delectati, ſordes quidem impuro eiectant ore, & internæ fœditatis ſaniem euomunt, verùm tamen eò magis ſe inquinant, turpémque Feſcẽninorum conſuetudinem altiùs imbibunt animo, ac medullis infigunt, quæ poſtea identidem vbi vel minima occaſio ſe obtulerit apparear. Sermo fructus eſt cogitationis (ait Clemens Alexandrinus [c].) inſolenter ſe in nominibus gerere, facit vt meditemur inhoneſtè facere: in voce autem eſſe modeſtum, eſt ſe ipſum exercere ad ſuſtinendam libidinis impreſſionem. c l.2.pæd. c.5. & 6. Sacroſanctas Chriſtianorum aures & linguas ſpurcitiis contaminari quale nefas? eam præſertim linguam, quæ tam ſæpe inter diuinas epulas figitur intra Chriſti vulnera, & ſanguinem eius ſugit, ſubinde ſordibus pollui, quis ferat? Einſmodi fœditate verborum & obſcœnitatibus Lutherani & Caluiniani pingi conſueuerunt, quod aliàs dictum eſt de poëta Æſchylo; & libidinum ſuarum ac intemperantiæ furias vltra naturæ iura mittunt in chartam : miſeram chartam tantarum ſordium ſtabulum, Augiæ bubili inquinatius : infinita enim maledicta in Romanam Eccleſiam & Romanæ Eccleſiæ deuotos homines ac caſtimoniam voto profeſſos hauriunt vel ex ganea & gurguſtio, vel ex libidinibus. Nec mirum. nam Lutheranus, aut Caluinianus integer & caſtus, in illa ſecta monſtrum eſt. horret animus meminiſſe, & ſtylus ſcribere refugit, quæ Theodorus Beza, alter Geneuæ (ſi Superis placet) Pontifex, chartis mandauit de Candida ſua & Aubertulo contaminatiſſimis : noluit (puto) vlla in parte cedere Caluino qui ſtigmaticus infandæ libidinis indelebi-

 les

les notas in ſcapulis prætulit. Talibus magiſtris quid dare poſſunt

> *Diſcipuli quàm quod turpes hircos fœteat,*
> *Quod luſtra & fœdi gurguſtia fornicis afflet,*
> *Et caſtas nares inimica verberet aura.*
> *Cùm noua fœtenti demens excludet Erynnis*
> *Oua Erebo: patris monumenta æterna probroſi*
> *Stigmatico in dorſo relegant relegántque nepotes.*

Epiphan. hær.50. Baron.ann. 74. a l.1.c.20. b orat. contra Arianos & de ſent. Dionyſ.

Nihil nouum in hominibus hæreticis & hæreticorum coryphæis: præiuerant his Epicuri de grege porcis præcipites in omne volutabrum Ebionitæ, Baſilides, Aëtius, Eunomius, Carpocras. De Ario Sozomenus [a] narrat librum ſcripſiſſe, cui inſcriptio *Thalia*, id eſt, conuiuium, ſeu crapula, in quo impuriſſimus hæreſiarcha numeris ita laſciuiebat, vt quamuis de rebus diuinis diſputaret, tamen Sotadicorum carminum turpitudines & formam imitaretur. quæ ſæpiùs S. Athanaſius Arianis exprobrat [b].

5. Redeamus ad noſtram Bibliothecam de qua iterum tritum illud per parodiam pronuntio,

Iuuen.14.

> *Nil lectu fœdum viſúque hæc limina tangat.*

Lucian. in dial. Vener. & Cupid. c ad Iouium fratrem.

Amor nunquam aditum ad Mineruam & Muſas habere potuit; quia & hæ ſemper occupatæ, & illa graui fronte animóque inexpugnabilis eſt. O vtinam quotquot Chriſtiani legendis, vel ſcribendis libris animum addicunt, Paulino [c] auſcultent ita Iouium fratrem admonenti. *Vacat tibi vt Philoſophus ſis; non vacat tibi vt Chriſtianus ſis; verte potiùs ſententiam, verte facundiam, vt ſis Dei Philoſophus, & Dei vates; eſto Peripateticus Deo, & Pythagoreus mundo, veræ in Chriſto ſapientiæ prædicator, & tandem tacitus vanitati.* tum addit quod præcipuè ad hunc locum pertinet, *Pernicioſam iſtam inanium dulcedinem literarum quaſi illos patriæ obliteratores de baccharum ſuauitate lotophagos, vt ſirenarum carmina, blandimentorum docentium cantus euita; habent in ſpecie lenocinium, in guſtu venenum, quorum vſus crimine, pretium in morte numeratur.* Poëticas iſtas obſcœnitates S. Hieronymus [d] *porcorum ſiliquas* interpretatur, quas filius prodigus volutatus in cœno libidinum appetebat. *Poſſumus*, inquit [e], *& aliter ſiliquas interpretari. Dæmonum cibus eſt carmina Poëtarum. hac ſua omnes ſuauitate delectant; & dum aures verſibus dulci modulamine currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt.* Idem alio loco Ægyptias *ollas & virulentias, poëtarum carmina* dicit; *propter quæ Domini igne torremur, efficimúrque ſepulchra dealbata plena omni ſpurcitia.* Quod de obſcœnitate & virulentia dicit; idem intelligendum de omnibus libris turpibus quocumque tandem genere orationis ſoluto, ſtrictóve conſcripti ſint; & de *oblectamentis inanium fabularum,* quæ (vt loquitur D. Iſidorus [f]) *mentem excitant ad incentiua libidinum.* Muſarum virginum ædi ianitricem præfecimus *Verecundiam*; illis (quod Seneca ſapienter dixit) ſeruiendum eſt ſub quodam ſacerdotio: ecquid verò mirum ſi Muſei claues verecundiæ tradimus; vt ab eius ingreſſu arceat meretricios Gnatones, & ganeones natos abdomini, non bonis literis: non ſinunt ſe vinci Muſæ ab apibus, quarum ſanitas cùm æſtimetur hilaritate

d ep.146. ad Damaſum. e D.Hier. de 40.manſionib.manſ. 13. f in l.3.ſent. de ſummo bono c.13.

hilaritate & nitore; ſuis aluearijs cuſtodes adhibent vigilantiſſimos, ne fuci, ne araneæ, ne vllæ denique ſordes introeant.

Capvt V.

Libris famoſis locus in Bibliotheca ne eſto.

HVius loci eſt fabula Cadmææ ſegetis: Cadmus draconis interfecti dentes ſeminauit, momento efflorucrunt duæ Terrigenarum 1.
acies infeſtis gladiis armatorum, qui poſtea iacto fatali diſcordiarum ſaxo mutuis ſe vulneribus confecere. huius fabulæ hic eſt ſenſus ſanè argutus. Cadmus cùm exiſtimatus ſit literarum inuentor, & ſexdecim primùm elementa tradidiſſe Græcis, hinc iactatum vulgò eſt ſeminaſſe dentes ſerpentium, qui ſexdecim habent omnino dentes; ex quibus natæ tot pugnæ, quot modò ardere non ſolùm inter doctos, verùm etiam inter Principes frequenter videmus, ob literas & libellos. hinc *dentata* dici paſſim ſolent *mordacia*. ita Tullius [a]; *Calamo & atramento temperato, dentatâ etiam chartâ res agetur.* Profectò quiſquis ſcribendi arte & ſcientia abutitur, præſtaret eum omnino neſcire literas, quod dixit Quintilianus de illis, qui ſunt lingua effræni, atque intemperanti, mutos naſci & egere omni ratione ſatius fuiſſet quàm prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere. Vſqueadeo autem perniciosa viſa eſt hæc ſtyli maledicentia, vt propterea quidam μισογράμματοι fuerint; optauerintque nunquam inuentas fuiſſe literas: qui licèt hac in re nimis ſeuerè ſtatuant (neque enim præcidendæ omnibus hominibus linguæ, quòd quidam petulantiùs loquantur, neque continuò extirpandæ vites, quòd nonnulli ſe vino ingurgitent, ſed illa frænanda; iſtud (vt ille aiebat) aquæ propiùs admouendum, & ſi quis alterutro abutatur, plectendus;) tamen in maledicos ſcriptores rectè hac ratione animaduerti poſſe reor, ſi omnino excludantur è Bibliothecis. Alias pœnas in phanaticum iſtud hominum genus conſtitutas ab Imperatoribus & legiſlatoribus non refero. *Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis tractauit, commotus Caſſij Seueri libidine, qui viros fæminásque illuſtres procacibus dictis diffamauerat. Apud veteres facta arguebantur, dicta impunè erant*, ait Tacitus [b]: quod poſtremum non credo; fuerunt enim antiqui legiſlatores & moderatores reiump. ſapientiores, quàm vt linguæ & ſcriptorum licentiam inultam paterentur. nam plerumque lingua & ſtylo plus lædis quàm gladio: corpus quidem ſica vulnerare potes, animum non potes, niſi verbis, aut ſcriptis, linguâ, vel ſtylo fauet Tullius: *quamquam*, inquit, *id quidem etiam duodecim Tabulæ declarant condi iam tum ſolitum eſſe carmen, quod ne liceret fieri in alterius iniuriam leges ſanxerunt.* Rurſus 4. de Rep. *Noſtræ XII. tabulæ cùm perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putauerunt, ſi quis actitauiſſet, ſiue carmen condidiſſet, quod infamiam afferret flagitiúmque alteri.* præclarè. iudiciis enim ac Magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis debemus, nec

Herm. Hugo in præfat. de ſcrib. orig.

a ad Quint. fratr. l. 2.

b in ann. Vide Dionem l. 56. & Iuriſconſultos quorum hæc propria cognitio eſt.

probrum audire, niſi ea lege, vt reſpondere liceat, & iudicio defendere En ipſam legem *Si quis carmen occentaſſit, actitaſſit, condidiſſit quod alter flagitium faxit, capital eſto.* Accedit Horatius [a],

a in ep. ad Aug. l. 2.

——Doluere cruento
Dente laceſſiti, fuit in tactis quoque cura
Conditione ſuper communi, quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi.

& l. 2. Sat. 1.

Sed tamen & monitus caueas, ne fortè negoti
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum,
Si mala condiderit in quem quis carmina ius eſt
Iudiciúmque eſto.

b in Sat. 1. Perſij.

Pſeudocornutus Perſij [b] interpres docet fuſtuarij, aut capitis pœnam fuiſſe maledico poëtæ. Porrò iſtæ leges carminum, aut Poëtarum mentionem duntaxat faciunt: cuius rei cauſa eſt, quòd plerumque *genus irritabile vatum* liberiùs ſcribat, proſcindat mordaciùs, faciliùs mendacia interpolet, & audaciùs ſpargat. hinc idem Horatius [c],

Horat. l. 2. ep. 2.
c Ode 6. epod.

Caue, caue: namque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua;
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.

loquitur de duobus Poëtis admodum virulentis: alter eſt Archilochus, quem alio loco ſic depingit apertiùs,

in Poët.

Archilochum proprio rabies armauit Iambo.

Fuit autem adeò maledicus, vt Lycambem ſocerum cum Iribus filiabus ad laqueum adegerit, ſi Terentiano credimus. Alter Hipponax qui Scazonte ita appetiuit Anthermum Chium & Bupalum clariſſimos ſculptores, à quibus ob inſignem vultus fœditatem fuerat expreſſus, & laſciuiæ iocorum propoſitus ridentium circulis, vt illos ad voluntarium ſuſpendium compulerit. quod tamen falſum eſſe docet Plinius [d], aiens poſtquam ab Hipponacte probris confixi ſunt, complura in finitimis inſulis ſimulacra feciſſe, quibus ſubiecerunt. *Non vitibus tantùm cenſeri Chium, ſed operibus Anthermi & filiorum.* Vt vt ſit, maledicentiæ nomine infamem fuiſſe Hipponactem conſtat, & planè timendum, cùm proceſſit armatus ſuo illo ſcazonte quem inuenit. meritóque dictum à Tullio [e], *Senarios verò & Hipponacteos effugere vix poſſumus*; *magna enim parte ex iambis conſtat noſtra oratio*; quæ famoſa ſcripta quantopere crudelia ſint accipe ex Horatio [f],

d l. 36. c. 5.
e de orat.
f l. 1. ep. ad Mecœn.

—— verſibus oblinit atris,
Et ſponſæ laqueum famoſo carmine nectit.

g ad Att.

Perſequamur pœnas olim conſtitutas in maledicos. Tullius [g] auctor eſt, Eupolim fuiſſe præcipitatum in mare, quòd Alcibiadem carmine perſtrinxiſſet, cautúmque ab eodem ne quis deinceps nominatim quempiam ſuis carminibus perſtringeret. ſatis arguit quàm pridem lege lata actum ſit aduersùs famoſos ſcriptores, ex quo factum eſt (inquit Gyraldus [h]) vt priſcæ comœdiæ acerbitas in leniorem formam

h dial. 6. hiſt. poet.

immuta

immutaretur. Eſt etiam Pauli Iuriſconſulti ſententia de famoſis carminibus,& in Codice [a] mentio. Labienus ille,qui eluctatus per multa impedimenta ſummę egeſtatis, ſummæ infamiæ,& ſummi odij,tandem ad famam ingenij peruenerat, tanta fuit libertate, vt libertatem excederet,vt (quia paſſim ordines hominéſque laniabat,) *Rabienus* vocaretur. Animus per vitia ingens, & ad ſimilitudinem ingenij ſui violentus: in hunc primum excogitata eſt noua pœna; effectum eſt enim per inimicos,vt omnes eius libri incenderentur. *res noua, atque inſueta, ſupplicia de ſtudiis ſumi. Bono hercle publico iſta in pœnas ingenioſa crudelitas inuenta eſt.* Quàm conſultum foret multorum ſtudiis faces ſubdere, quibus eſt *canina eloquentia,ſcriptorúmque ſuorum velut pomparum ferculis procedunt in publicum,vt caninam eloquentiam exerceant.* Laborant dentitione, ni alienæ famæ genuinum infingant:torquentur Ætnęis ignibus, ni fel in venenato pectore accenſum in aliquem euomant. Scribere neſciunt, niſi calamum intingant in pyxide Megeræ,nec ſacris, nec prophanis parcunt, & ſolem ipſum tenebris & tetra caligine obducere conantur ſæpiæ iſtæ virulentæ.

a l. 5. tit. de iniur. & l. 1. C. de famoſ. lib. llis. Sen. l. 10. cōtrou initio.

Saluſt. apud Non. Marc. dict. Rabula. S. Hier. ad Ruſticum Monachum.

Fuere præter ſuperiùs memoratos in ſcriptis ſuis amarulenti *Theon*, 2.
de quo Auſonius,

Hic eſt ille Theo poëta ſalſus,
Bonorum mala carminum lauerna,

cuius dens ponitur pro canino alienam famam arrodente. hinc Horatius [b], *Dente Theonino qui circumroditur. Lucilius* quoque de mordacibus fuit; *——ſecuit Lucilius vrbem*

Te Lupe,te Muti,& genuinum fregit in illis. Perſ. Sat. 1.

b in epiſt.

hoc tetræ loliginis ſucco paſſim fuiſſe videntur ebrij *Archilochi* poëtæ ciues,ſiue populares, nam & *Archilochi patria*, pro cœtu maledicorum, & contumelioſorum audire ſolet. Certè in illud vitium proniores eſſe quoſdam populos, & quaſdam ciuitates hac etiam ætate animaduertimus, vt tum ſe putent epulari lautiſſimè, cùm aliorum famam laniant; quarum ferarum morſus incredibile eſt,quàm pernicioſus ſit,ſicut adulatorum inter cicura animalia. Aiunt Valeriam neſcio quam cum dentibus natam exitio ciuitati fuiſſe in quam deportata eſt;ego nihil puto eſſe Rebuſp. exitialius obtrectatoribus, qui dentes in bonorum vitam exerunt, & maledicè in omnes graſſantur,'ac vix ſcio quomodo regna & ciuitates ferant diſtortos iſtos, & tranſuerſarios homines, qui nihil poſſunt rectis oculis aſpicere;quíque ad deterenda quælibet laudabiliter facta dictáve incitantur. Similes illi ſpeculo, quod fama eſt fuiſſe in Smyrnæ templo,(ἐπιῤῥόγχιον, vel παράχροον vocant) in quo res omnes quantumlibet excellentes & pulchræ, deformatæ & turpificatæ apparebāt. Boues neruicos quorum cornua ſunt in humeris,etiam time:hoc eſt,eum calumniatorem qui non recta fronte, ſed obliquus ferit, caueto. Abigamus ranas laudibus benemerentium importunè obſtrepentes ex hoc Muſeo. Tu cùm ab iſtis maleferiatis Cynicis quæſieris,cur tandem intemperanter bonos allatrent? ſi ex animi ſententia reſpondere velint,nihil ferè aliud dicunt, quàm ſe ideo maledicere quia,malefacere non poſſunt.

Cauſſ. ſymb. 58. l. 12.

Ælian. l. 5. hiſt. anim.

2. Hæc labes oritur ex variis cauſis. S. Cyrillus Alex.[a] ait, hoc in more poſitum hoſti humani generis, vt quoties veritatis doctrinam adulterare nititur, excitet in primis ſycophantas qui probris impetant propugnatores veritatis Catholicæ, hos præmittit tanquam fundibularios antequam explicata acie pugnet, híſque vtitur emiſſariis. S. Hieronymus[b] eos ita alloquitur: *Maledictorum pannos hinc inde conſuitis, & eorum carpitis vitam, quorum doctrinæ reſiſtere non valetis: non idcirco vos non eſtis hæretici, ſi nos quidem aſſertione veſtra crediderint peccatores? & os fœdum non habebitis, ſi cicatricem in noſtra aure potueritis monſtrare?* In aliis hoc vitium prouenit ex quadam mordacitate ipſis velut innata, quæ liberalia quædam ingenia ſæpenumero in tranſuerſum agit: in aliis ex inuidia & liuore, qui res pulchras ſua ſanie aſpergere ſtudet, fœdas verò, quia iam fœdæ ſunt, intactas relinquit: in aliis ex odio & maleuolentia, quæ dentes acuit, & linguam ſi ſe aliter vindicare non poteſt. Vnde fit, vt admodum difficile ſit hominum maledicentiam effugere. Nec ipſi Chriſto Domino ſi ad nos redeat, prout res ſunt, criminatores deſint, & quadruplatores gratuiti. Erunt ſemper manipulares milites qui incumbentes ipſi regio Antigoni tabernaculo, facient, quod homines & periculosè & libentiſſimè faciunt, de ſuo Rege malè ſentient & loquentur. Erunt Therſites qui dicent, vel ipſi Philippo Macedonum Regi, nihil ipsũ gratius facere poſſe populis, quàm ſi ſe ſuſpendat. Erũt Timagenes, qui eo quòd in Auguſtos & Auguſtas ſcripſerint diligantur ab omnibus, eíſque nullum limen precludatur, ſi ob id Principis domus eis non pateat; nemo quaſi fulguritos refugiat, imò eos cadentes multiplex mollis ſinus excipiat. Contra iſtos rabioſos ſcriptores ego puto, ſæpe conſultum eſſe, & conuenientiſſimum repungendi genus nequaquam repungere, cum ab iis laceſſitus fueris. *Non eſt quòd cum illis paria faciamus* (inquit Seneca[c],) *illud non venit in dubium, quin ſe exemerit turbæ, & altiùs ſteterit quiſquis deſpexerit laceſſentes; proprium eſt magnitudinis veræ non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpexit; ſic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat.* Si tamen iuxta monitum Sapientis[d] interdum reſpondẽdum eſt ſtulto iuxta ſtultitiã ſuam; velim ita fiat, vt intelligat minorem ſe fuiſſe, quàm vt ſerenitatem noſtram obduxerit: plus enim læſo nocitura eſſet ira quàm iniuria. Hæc quoad famoſos libros, quos ab hac æde longè arceo, & Biliandri monitum[e] lectori meo repræſento. cui eſt ſtylus acuminatus, pugionis more, prouidendum eſſe ne quis innocens eo appetatur, neu ſtringatur bonis ciuibus, ſed adhibeatur vt gladius auctoritati militis, qui ex imperio ducis in hoſtes ſtringitur, ad tuendam remp. proferatur: ſtringatur ſtylus, ſed in perditos, & in defenſionem bonorum.

a apol. ad Theod.

b ep. 68.

Sen. l. 3. de ira, c. 21. 22. 23. & 24.

c ibid.

d Prou. 26.

e l. de ratione communi ling. c. de ſtylo & pœna.

3. Venio ad caſtigationes, animaduerſiones, emendationes, notas literarias, quas Seratius noſter[f] ſapienter ait facere ad veritatem plurimum, *ſcientiarum ſepes eſſe ingeniorum frænos, curæ diſciplinæque ſtimulos*; vix eſt, aut ne vix quidem, qui inoffenſo pede decurrat curriculum literarium: latent infiniti ſcopuli in ſingularum facultatum pelago, quos omnes ita vitare, vt ne vel leuiter impingas, non eſt humanæ artis, vel ingenij. vix velum quadrigarium quantumuis nobilem reperias, qui auſit

f l. 2 mio. c. 4.

auſit gloriari ſe ſumma ſemper induſtria metas circumflexiſſe. Ridere ſoleo, imò etiam interdum deſpuere conceptam à Seneca de ſcriptis ſuis opinionem ſanè fatuam. *Ex iis*, inquit, *nihil addi ſine iniuria, nihil detrahi ſine labe poteſt.* Ama te quantum voles, mi Seneca, & blandire tibi in tua illa perſuaſione, quantumlibet tu tibi magnus videaris: ego illi haud difficile acceſſerim, qui te *calcem ſine arena* vocitabat; ſed magnopere Quintiliano [a] aſſentior, qui incorruptè, & ſapienter pronuntiat, *te in elocutione habere corrupta pleraque, atque eo pernicioſiora, quo abundas dulcibus vitiis: qui ſi rerum pondera minutiſſimis interdum ſententiis non fregiſſes, conſenſu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobareris.* Fatetur nihilominus idem Fabius *multa in te eſſe clariſſima, multa admiranda, téque dignum eſſe qui meliora velles, quàm quæ voluiſti.* Senecam ſtatui pro exemplo, vt homines nos eſſe meminerimus, ac proinde nihil humani putemus à nobis alienum. Quid autem magis humanum quàm identidem errare, dormitare, oſcitare, cæcutire, offendere etiam in æquo & plano loco? multa peccantur, vel à maximè circumſpectis: at verò in re literaria longè plurima. Ille enim maximè felix eſt (inquit Auguſtinus) qui omnium minimè eſt infelix; ille etiam maximè doctus, qui pauciora ignorat, maximè in qualibet arte perfectus, qui peccat rariùs: at qui nihil ignoret, qui nihil peccet, non eſt huius vitæ, non eſt humanarum virium. Quapropter æqui bonique conſulere debent, quicumque libros in publicum emittunt, adeóque quotquot literas tractant, vt ſi quando fortè ceſpitauerint, admoneantur. Placuit ſemper atque apud me, nec hilo minor eſt princeps Medicorum Hippocrates, qui (vt eſt apud Cornelium Celſum [b]) in explorandis ſpecillo fractis oſſibus, à Saturis ſe deceptum memoriæ prodidit; *more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium: nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multa nihilominus habituro conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio; præcipuéque in eo miniſterio, quod vtilitatis causâ poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis deceptus eſt.* Maior ſe ipſo videtur mihi D. Auguſtinus quòd retractans, ſeu denuo recognoſcens opera ſua, mutauit, & expunxit, addidit, detraxit quod poſteriores curæ, & cogitationes, quæ ferè ſolent eſſe ſapientiores, prioribus ſuaſerunt, ἡμέραι ἐπίλυποι μάρτυρες σοφώτατοι. Secus facere, eſt ingenij valde infelicis, animi admodum anguſti & inanis, atque de ſua tenuitate ſibi conſcij. Eò magis ſolœciſmis, atque barbariſmis offenduntur homines, (inquit D. Auguſtinus [c]) *quo infirmiores ſunt*; & eo ſunt infirmiores, quo doctiores videri volunt. Nolle agnoſcere errorem tuum, atque iraſci cùm moneris, cuius ſuperbiæ eſt? ſed & illud quàm ſolenne & frequens inter ſcriptores huius ætatis? Diſſentit interdum homo à ſeipſo, quid mirum ſi interdum ab aliis diſſentiat? Verùm aliter fit ac deberet; mutua illa diſſenſione condiendæ eſſent mutuæ virorum doctorum conſenſiones; atque ex illo contrariarum opinionum attritu & conflictu elicienda veritas. Nunc non ſic viuitur. Monitorem ſuum, obtrectatorem ſuarum laudum, & certum hoſtem plerique appellant, & quamuis non ſit, eum tibi faciunt. Nam ludicris armis in amica & vrbana velitatione laceſſiti, decretoriis & infeſtis rem conficiunt; exulcerantur vtrimque

Calig. apud Suet.

a l.10.c.1.

b l.8.c.4.

c apud Poſſeu.l.1. de cult.ingen. c.50.

vtrimque voluntates, cùm diſſentire ſolùm deberent iudicia:alium aliter ſcripſiſſe, quàm tu ſcripſeris, eſt indixiſſe graue & diuturnum bellum,quod nunquam conficietur,niſi poſt infinita examina,cenſuras,notas,defenſiones,apologias,criminationes,actiones, actionum depulſiones,litium conteſtationes,& mera plerumque puerorum iurgia,& peruicacium mulierculárum ridiculas cōtentiones:nam (quod deterrimum
Hor.1.ep.19. eſt)cùm initio lis *eſſet de lana ſæpe caprina*,ita excandeſiunt vtrimque animi,vt ex ſermone altercationes fiant, quæ vix niſi *fortè virum quem conſpexere ſilent.* imò nec intercurſu vllorum diſceptatorum, & iudicum vnquam ſedantur ſimultates iſtæ interdum pluſquam Vatinianæ. Non animo ingenuo & liberali,fateor,ſed planè hoſtili, & maleuolo ac contumelioſo ſæpe ſuſcipiuntur iſtæ reprehenſiones ab Zoilis & Ariſtarchis:quo in genere proteruiæ,maledicentiæ & fœtentium conuitiorum inſignis fuit Ioſephus Scaliger ſterculio & cloacinæ tam arctè auctoratus, vt ego malim cum Eumæo ſolidum diem loqui, quàm vnam horam legere putentia ſcripta ſordidiſſimi hominis, quorum hîc,vel minimam partem referre pudor ſit; nec,niſi planè coactus, velim repurgare rediuiui Augiæ inquinatiſſimum ſtabulum. Tales homines digni ſunt Delriis & Serariis caſtigatoribus. Ex hoc genere Criticorum Alaſtorum,qui nullo vnquam tempore defuerunt, nec deerunt. Fuit *Iulianus Imperator* cognomine *Apoſtata*,vir haud dubiè doctus, amans literarum, ſed iudicij minùs æqui erga illorum ſcripta quos oderat. Eſt
a 28 Oct. in apud Metaphraſtem[a],quod de illo refero. Inter alias iniuſtiſſimas leges
actis Arte- quas nefarius deſertor tulit contra noſtram religionem, hæc fuit; ne
mij martyr. Chriſtianis liceret humaniores literas & liberales diſciplinas docere; quòd, è re nata falſorum numinum fabulas, & figmenta diſcipulis ſuis patefacerent, & confutarent. Apollinaris Syrus, vt pluribus prodeſſet ad exemplar Homerici poëmatis Hebræam hiſtoriam vſque ad regnum Saulis carmine heroico complexus eſt;& præter alia pleraque,etiam librum edidit de veritate contra Iulianum, & Philoſophos gentiles, in quo ſine vllis ſacrarum literarum teſtimoniis planè oſtendit,vehementer & ridiculè ab illis errari in Deorum perſuaſione & cultu.Legit hunc librum animo maleuolo,& inuido Iulianus;& qua erat dicacitate,Epiſcopis eius temporis tribus verbis ſcripſit, ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων. *legi, intellexi, reprobaui.* Epiſcopi haud multò pluribus reſcripſerunt, ἀνέγνως ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως. *legiſti quidem, ſed non intellexiſti; nam ſi intellexiſſes, non reprobaſſes.* Vides non tam hominis iudicium in reprehendendo, quàm ipſius inuidiæ. Verùm quid tandem efficiunt Cynica iſta arbitria?Ego equidem quidquam illis ſeu ſeri, ſeu meti nō video niſi dedecus & ignominiam. nam euenire ſolet, quod pro Cicerone de Antonio dixit Velleius, *Famam gloriámque factorum & dictorum adeò non abſtuliſti, vt auxeris: omnis poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur.* Cæterùm acerbiùs & inſolentiùs inſurgere ad notam inurendam,& imitari Clodium illum Albinum, qui adhuc puer,quòd eſſet animi iam militaris ac ſuperbi, ſæpe in ſcholis inter æquales Virgilanum illud terebat,

Arma amens capio, nec ſat rationis in armis.

Arma

Arma amens capio. maledicta plenis plauſtris deonerare, eſt feri ingenij, & prorſus alieni à Muſis, quorum fores ſunt expertes omnis inuidentiæ; nunquam rixantur inter ſe, & optimè illis cum Apolline conuenit, καὶ αἱ Μοῦσαι ἐννέα συγχορεύουσιν ἀλλήλαις καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ οὐδεμία αὐτῶν ἀγανακτεῖ πρὸς τὰς ἄλλας ὅτι μὴ μόνη σοφία ἐστὶ, μηδὲ αὐτὴ μόνη προστετύκονται εἰ ποιηταί. Non pigebit exſcribere Quintiliani [a] iudicium de conuiciatoribus patronis, vt tam illi, quàm ſcriptores, & quotquot literas profitentur, diſcant quàm fœda ſit & illiberalis iſta impotentis linguæ effrænatio. *Quidam ſi ſuſceperint negotia paulum ad dicendum teniucra, extrinſecus adductis ea rebus circumliniunt, ac ſi defecerint alia, conuicijs replent vacua cauſarum; ſi contigerit, veris; ſi minus, fictis: modò ſit materia ingenij, mercatúrque clamorem dum dicitur. Quod ego adeò longè puto ab oratore perfecto, vt eum ne vera quidem obiecturum, niſi id cauſa exigat, credam: ea eſt enim prorſus canina (vt ait Appius) eloquentia, cenſuram maledicendi ſubire, quod facientibus etiam malè audiendi patientia præſumenda eſt. Nam & in ipſos ſit impetus frequenter qui egerunt, & certè patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora ſunt ipſo illo vitio animi, quo maledicus à maleficio non diſtat niſi occaſione. Turpis voluptas & inhumana & nulli audientium bono grata; à litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui vltionem malunt quàm defenſionem. Sed neque alia multa ad arbitria eorum facienda ſunt. hoc quidem quis hominum liberi modo ſanguinis ſuſtineat petulans eſſe ad alterius arbitrium? Atqui etiam in Aduocatos partis aduerſæ libenter nonnulli inuehuntur: quod niſi fortè meruerint, & inhumanum eſt reſpectu communium officiorum, & cùm ipſi qui dicit inutile, (nam idem ius reſponſuris datur) tum cauſæ contrarium, quia planè aduerſarij fiunt & inimici, & quantulumcumque ijs virium eſt, contumelia augetur. Super omnia perit illa quæ plurimum oratori & auctoritatis & fidei affert, modeſtia; ſi à viro bono in rabulam latratorémque conuertitur, compoſitus non ad animum iudicis, ſed ad ſtomachum litigatoris. Frequenter etiam ſpecies libertatis deducere ad temeritatem ſolet, non cauſis modò, ſed ipſis quoque qui dixerint periculoſam. Nec immeritò Pericles ſolebat optare, ne quod ſibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur. Sed quod ille de populo, id ego de omnibus ſentio, qui tantumdem poſſunt nocere. nam quæ fortia dum dicuntur, videbantur; ſtulta, cùm læſerint, vocantur.*

[a] l. 12. c. 9.

Sæpe optimum factu erit, vt *literaria inuidia* ſcriptis alienis adlatrans contemnatur potius, quàm cum illa decertetur: eſt enim portentum adeò ferax malorum, & peſtium, vt cùm vnam exſecueris, ſubitò multæ nocentiores progerminent. Proinde omnibus ſcriptoribus auctor ſim, vt cùm ſuum opus abſoluerint, illud tradant iudicioſis & candidis cenſoribus diligenter examinandum; ſi probauerint, & duxerint fore è publico bono ſi edatur, edant: deinde ſi moroſi carpant, ſi ſemidocti eleuent, ſi docti inuideant, ſi ſcioli ſemipleno ore laudent, ſi rarus ſit Flaccus qui 4.

Det veniam maculis quas aut incuria fudit, Horat.

aut humana parum cauit natura; ne magnopere laborent; defenſiones haud facilè ſuſcipiant: ſe ipſam inuidia conficiat, & liuore proprio

diſrupta crepet. ſi facere apologiam viſum erit; ſentiat aduerſarius ſe à nobis ſuperari humanitate & modeſtia. hæc ſcriptori: cenſori iſta. Meminerit quod ſcitè Chryſippus dixit: qui cum altero decurrit ſtadium, ſic currat, vt æmulum ſuum, ſi poteſt, longo poſt ſe relinquat interuallo: contendat quammaximè poterit, vt vincat: at ſupplantare eum qui certat, aut manu depellere, nullo modo debet. ita adhibenda eſt omnis animi contentio in literario certamine vt emineas; tamen famam aucupari ex concertantium infamia, obſcurare alterius nomen, vt tuo nomini ſplendorem excites, velut vmbrâ & receſſu; bene currenti tranſuerſarium incurrere vt cadat: vno verbo, deformare conuiciis alterius doctrinam, aut vitam, vt tu pulchrior & formoſior videare, eſt puſilli hominis & Muſarum contubernio prorſus indigni. Dictum Tullij antiquiſſimum eſſe deberet omnibus doctis. *Et refellere ſine peruicacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.* Pudorem iniicere debet dictum Ioannis Ludouici Viues [a]. Enimuero turpiſſimum eſt nobis, inquit, latrones, & lenones maiore inter ſe conſenſione viuere, quàm eruditos: tum ſtatim huius mali cauſam innuit & remedium: ſed nec eruditis vnanimitas & beneuolentia deerit, ſi diſciplinas integrè & ſanctè coluerint, non ad gloriam, vel ad quæſtum: nam vbi harum rerum cupiditas inualuit, difficile eſt ſanctam ſeruare ſocietatem. Conſultum eſſet omnibus literas tractantibus altè infixum animo eſſe & perſuaſum quod apud eundem Viues Plato dixit. *Tanto præſtat diſputatione vinci quàm vincere, quanto eſt melius magno malo liberari, quàm liberare; quid enim exitialius poteſt homini contingere, quàm falſa opinio? Vt ſit hoc fortaſſe liberatori glorioſius apud nonnullos, liberato certè vtilius eſt.* Illi ſunt profectò in literatorum ordine intolerabiles, qui ſunt tam tenera & infirma conſcientia, vt licèt aliò ſpectes, tamen ſe ſemper peti ſuſpicantur cùm aliquid ab eorum ſenſu alienum dixeris; equis vlceroſis ſimiles qui ſtrigile audita actutum concitantur. Sed illi ἄμουσοι omnium intolerabiliſſimi, de quibus loquitur Syneſius. Decertatum eſt, inquit, pro Muſis contra ineruditos, οἳ καὶ κακοήθως ἀποδιδράσκουσι τὸν ἔλεγχον τῆς ἀμαθίας ὡς καταφεύγειν ἐπὶ τὴν λοιδορίαν ὧν ἀγνοήκασιν. *qui malitioſè declinant crimen ruditatis & imperitiæ, dum confugiunt ad vituperia eorum quæ ignorant.* Præclarum documentum continent hi Naſonis verſus [b], quibus hoc caput abſoluo.

a de vita & moribus eruditi.

b l. 4. de Ponto el. 9.

Scribentem iuuat ipſe fauor, minuitque laborem,
Corrigere at res eſt tanto magis ardua, quanto
Maior Ariſtarcho magnus Homerus erat.

CAPVT VI.

Plagiarÿ ſcriptores in Bibliothecam ne admittuntor.

1. SApienter Vitruuius, *Quemadmodum non mediocres, ſed infinitæ his gratiæ agendæ ſunt*, inquit, *qui non inuidioſi ſilentes cogitata ſua tradere poſteris per commentariorum relationes, vti ea non interirent; ſic contrà qui*

eorum

eorum ſcripta furantes pro ſuis prædicant, ſunt vituperandi, quique non proprijs cogitationibus nituntur ſcriptorum, ſed inuidis moribus aliena violantes gloriantur, non modò ſunt reprehendendi, ſed etiam quia more impio vixerunt pœna condemnandi. Hæc ille. Vt autem explicet quomodo hæc ſcripta fuerint vindicata ab antiquis, affert ea quæ hîc attexo. *Reges Attalici magnis Philologiæ dulcedinibus inducti cùm egregiam Bibliothecam Pergami ad communem delectationem inſtituiſſent: tunc item Ptolemæus infinito zelo, cupiditatiſque incitatus ſtudio, non minoribus induſtrijs ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparere. Cùm autem ſumma diligentia profeciſſet, non putauit id ſatis eſſe, niſi propagationibus in ſeminando curaret augendam: itaque Muſis & Apollini ludos dedicauit; & quemadmodum athletarum, ſic communium ſcriptorum victoribus præmia & honores conſtituit. his ita inſtitutis cùm ludi adeſſent, iudices literati, qui ea probarent, erant legendi. Rex cum iam ex ciuitate ſex lectos habuiſſet, nec tam citò ſeptimum idoneum inueniret, retulit ad eos qui ſupra Bibliothecam fuerant, & quæſijt ſi quem nouiſſent ad id expeditum: tunc ei dixerunt eſſe quemdam Ariſtophanem qui ſummo ſtudio, ſummáque diligentia quotidie omnes libros ex ordine perlegeret: itaque in conuentu ludorum cum cæteris Ariſtophanes citatus, quemadmodum locus ei fuerat deſignatus ſedit. Primò poëtarum ordine ad certationem in ludo, cùm recitarentur ſcripta, populus conatus ſignificando monebat iudices quòd probarent. itaque cùm ab ſingulis ſententiæ ſunt rogatæ, ſex vnà dixerunt, & quem maximè animaduerterunt multitudini placuiſſe, ei primum præmium, in ſequenti ſecundum tribuerunt; Ariſtophanes verò cùm ab eo ſententia rogaretur, eum primum pronunciari iuſſit qui minimè populo placuiſſet: cùm autem Rex & vniuerſi vehementer indignarentur, ſurrexit & rogando impetrauit, vt paterentur ſe dicere. itaque ſilentio facto docuit vnum ex his eum eſſe Poëtam, cæteros aliena recitauiſſe; oportere autem iudicantes non furta, ſed ſcripta probare: admirante populo & Rege dubitante, fretus memoria è certis armarijs infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo coëgit ipſos furatos de ſe confiteri. itaque Rex iuſſit cum his agi furti, condemnatóſque cum ignominia dimiſit; Ariſtophanem verò ampliſſimis muneribus ornauit, ac ſupra Bibliothecam conſtituit.* Sic Vitruuius. Quid fingi poteſt ad præſentem de furibus & plagiariis è Bibliotheca excludentis diſputationem conuenientius? Igitur habemus in eos ſapientiſſimi Regis præiudicium, atque in illo iudicio ſummam æquitatem. *Cui enim graue admodum non ſit* (inquit Ludouicus Viues [a]) *ſeruos ſibi ſuos abduci, nedum filios? vtinam & de hoc plagio cautum aliquid eſſet lege Fannia.* Ariſtophanes [b] iam olim conqueſtus eſt ſe in alienos ventres ingreſſum, quòd ſcilicet ea carmina quæ faciebat alij recitarent. nam στερνομάντεις & ἐγγαστρίμυθοι ſunt, qui pleni Phœbo fundebant oracula. Idem queſtus eſt de Fidentino fure Martialis [c] hoc diſticho,

Quem recitas meus eſt, ô Fidentine, libellus,
Sed malè cùm recitas incipit eſſe tuus.

Idem Seneca [d]. Cùm enim multi accuſaſſent Parrhaſium pictorem Athenienſem, quòd vnum captiuum ſenem Olynthium ex his quos Philippus vendebat à ſe emptum perduxiſſet Athenas, torſiſsétque, atque ad exemplar eius pinxiſſet Promethea; periiſsétque in tormentis

Vitruu. l.7. in proœm.

a l.5 de tradendis diſciplinis.
b in Ranis.
c apud Sophocl.
d contr. l.10 contr.5.

Olynthius,& ille tabulam poſuiſſet in templo Mineruæ; multi ex accuſatoribus in eoſdem ſenſus incurrerunt: vnus ex iis Glycon nomine dixit, τῦρ ϗ ἄνθρωπ☉ Περμηθεῦ τὰ σά τι δῶρα βασανίζει. Triarius quidam ex Actorum centuria vnus, hoc aliqua ex parte cùm ſurripuiſſet, inflexit. Seuerus Caſſius qui hoc facerent dicebat ſimiles ſibi videri furibus, alienis poculis anſas mutantibus. Multi ſunt qui detracto verbo, aut mutato, aut adiecto putant ſe alienas ſententias luctureciſſe. Idem ferè dixit Piſo apud Ciceronem [a]. *Stoici*, inquit, *non vnam, aut alteram è Peripateticis, ſed totam ad ſe Philoſophiam tranſtulerunt, atque vt reliqui fures earum rerum quas ceperunt, ſigna commutanti; ſic illi vt alienis ſententijs pro ſuis vterentur, nomina tanquam rerũ notas mutauerunt.*

a l.5. de finibus, & Victorinus l.7. variar.lect. c.7.

2\. S.Baſilius [b] eiuſmodi literaria furta *ſuppoſititios partus* appellat: rectè Græci ὑπολιβομαῖνα. *Nec verò*, inquit, *ad diſcendum verecundum eſſe oportet, nec ad docendum malignum, quod ab alio tute didiceris nequaquam clam habendum, cuiuſmodi facere mulieres improbæ ſolent, quæ ex alijs ipſæ quæſitos liberos ſubijciunt, patrem ementientes; auctorem verò ipſum prodere grata commemoratione decet, verúmque ipſius ſcientiæ parentem.* Horatius Celſum quemdam ex cohorte Tiberij Cæſaris aliena opera pro ſuis edentem, bellè comparat cum ridicula cornicula ſuperbiente alienarum auicularum plumis; noti ſunt verſus,

b ep.1. circa medium tomo vlt.

Hor. l.1. ep.5.

> *Quid mihi Celſus agit monitus multúmque monendus,*
> *Priuatas vt quærat opes, & tangere vitet*
> *Scripta palatinus quæcumque recepit Apollo;*
> *Ne ſi fortè ſuas repetitum venerit olim*
> *Grex auium plumas, moueat cornicula riſum*
> *Furtiuis nudata coloribus.*

Idem Flaccus Demetrium quemdam ridet quòd aliena carmina pro ſuis cantitaret, ac *ſimium* appellat.

> ——*ſimius iſte*
> *Nil præter Caluum & doctus cantare Catullum.*

Martialis eoſdem confert cum *plagiarijs*, hoc eſt, cum illis furibus, qui ſiue liberos, ſiue mancipia ſupprimunt, furantur, & vendunt pro ſuis, de quibus eſt in iure mentio. Sic ergo Valerius,

C. ad l.Fabiam de plagiariis, & alibi paſſim. Cuiacius l.9. Cod. Iuſt tit.20. Mart. epigr. 53. Idem l.1. ep.62.

> *Commendo tibi Quintiane noſtros,*
> *Noſtros dicere ſi tamen libellos*
> *Poſſum, quos recitat tuus poëta, &c.*
> *Imponat plagiario pudorem.*
> *Non ſex paratur, aut ſeptem ſophos nummis*
> *Aliena quiſquis recitat, & quærit famam,*
> *Non emere librum, ſed ſilentium debet.*

Erant enim quidam ſycophantæ qui Poëtarum inſignium recitata exciperent, quæ poſtea in aliis Athenæis apud alios auditores pro ſuis pronunciabant, eaque per plagium ſibi tribuebant: de quibus Plinius iunior [c], *enotuere quidam tui verſus, & inuito te clauſtra refregerunt, hos niſi retrahis in corpus quandoque vt errones, aliquem cuius dicantur, inuenient*; quod contigit Virgilio: placet rem narrare in gratiam principis Poëtarum ipſiúſque modeſtiæ in qua par erat.

c l.2. ep.10. ad Octauiũ.

Diſti

Diſtichon fecerat in felicitatem Auguſti, ac tacito nomine auctoris 3.
valuis infixerat: cùm autem Imperatori mirum in modum placuiſſet; erat verò eiuſmodi,

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula manè;
Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.

eius auctor diligenter quæſitus eſt, nec tamen inuentus; quæ cauſa fuit, vt Bathyllus neſcio quis, poëta tolerabilis, non autem eximius, in ſummo illo ſilentio illud ſibi adſcripſerit; nec caruit ſua laude & præmio: quod tamen haud æquo animo ferens Virgilius, iiſdem valuis affixit quater hoc principium,

Sic vos non vobis nidificatis aues,
Sic vos non vobis vellera fertis oues,
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Auguſtus poſtulauit vt hi verſus complerentur. quod cùm fruſtrà tentatum eſſet à nonnullis, Virgilius hoc hexametrum illis præpoſuit,

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honorem.

hinc patefactum furtum Bathylli, qui aliquandiu Romæ poſtea fabula fuit, Maro verò honoratior. Amarulentior paſſim eſt in ſuis epigrammatis Martialis [a] contra Fidentinum ſuorum carminum furem, quem nunc cum *Ægle puella edentula* confert artificioſos & emptitios dentes ſuarum gingiuarum lacunis inſerente; nunc cum mulierculis purpuriſſo & ceruſſa rugas ſuas, & nigredinem inducentibus; nunc cum *caluis* factitio crine comam fingentibus; nunc cum *coruis inter olores errantibus*; nunc cum *improbis picis* luſcinias æmulantibus. Qui Fidentinus, cùm ex ſe ipſo aliquid promebat, ſe ipſo fure longè erat inferior, vnde facilè arguebatur furti. Quapropter ſic acutè in illum Martialis,

Iudice non opus eſt noſtris, nec vindice libris,
Stat contrà dicitque tibi tua pagina, FVR ES.

Auſonius iſtos expilatores *Lauernas* vocat.

Hic eſt ille Theo poëta falſus,
Bonorum mala carminum LAVERNA.

Portò fuit Lauerna velut Germana Mercurij, furum & furtiuarum fraudum præſes, vt docet Arnobius [b]: éſtque apud Horatium hæc furis precatio,

Pulchra Lauerna da mihi fallere.

Ingenioſè luſit in iſto argumento Famianus Strada [c], poëtas iſtos 4.
comparans cum *mangonibus*, ſeu *veteramentarijs*, qui priſcorum reliquias conquirunt, foris intima, intus extima conuertunt, quadrata rotundis, & rotunda quadratis permutant, veſtéſque ad ſpeciem nóuas ex collectitiis centonibus ſibi inducunt, & ita ſibi videntur belli ac formoſi, vt ne Graecchulus quidem Æſopicus pulchrior ſit. Scitè etiam Cauſſinus [d] noſter ipſos raptores ait *Philoxeno famoſiſſimo helluoni* ſimiles eſſe, de quo Athenæus [e]. Aſotus ille, & menſarum omnium aſſecla, ſi fortè nidore alicuius culinæ tangeretur, inuerecundè intrò ſubibat; & aſperſis obſonio leuibus condimentis, quorum vſum in primis callebat, totam

a ep. 73. l. 1.
ep. 54 l. 1.
b 4. & 7. adu. gent.
c l. 3 proluſ. 1. Momus.
d Paral. l. 3. c. 11.
e l. 1. Deip.

dei[illegible] patinam ſibi vindicabat. Syneſius cum *ſepulchrorum perfoſſoribus, & expilatoribus* eos confert, adeóque ſceleratiores eſſe pronuntiat, hac ſententia, ἡγῦμαι δὲ ἀσεβέστερον ἀποθανόντων λόγους κλέπτειν, ἢ θοιμάτια ὃ καλεῖται τυμβωρυχεῖν. *Magis impium eſſe reor mortuorum lucubrationes, quàm veſtes furari, quod ſepulchra perfodere dicitur.*

5. Contra iſtius generis Lauerniones & Autolycos lege plagij meritò agendum cenſeo: minimum ſaltem, aditu Bibliothecæ arcendos, niſi ſtigmate notentur in frontibus ignominiæ cauſâ. Quid? Adoleſcentulus ridebitur in ſchola, accuſabitur furti ab æmulis, ſi Homeri, vel Maronis verſum incautiùs ſurripuerit; fures iuſtorum voluminum in Muſeis dedicabuntur inter ſcientiarum principes? Certè tyrunculi rectè poſſent torquere in iſtos magnos fures illud quod ab Diomede in Alexandrum aliquando dictum eſt: *Ego quia vno myoparone rem facio Pirata appellor; tu quia integris claſſibus piráticam exerces, Imperator nuncuparis.* Nos, ſi quod ſegmentum, vel laciniam ex alterius veſtiario noſtræ ſyntheſi aſſuimus, continuò iniuriosè tractamur à condiſcipulis: vos qui chlamydes, qui trabeas, qui paludamenta, qui diphtheras alienas vobis furtiuè attribuitis, literarum duces, Reges, Imperatores, Ioues vocitamini. Prô quàm ſæpe hoc contingit, & quàm iuſta eſt iſta querimonia. Legi apud Herodotum [a] Phocenſem neſcio quem, cui nomen *Theſtorides* hoſpitio ſuo excepiſſe Homerum mendicato cibo victitantem, ac promiſiſſe domi ſuæ nihil vnquam defuturum, ſi quos verſus meditabatur, pateretur deſcribi, & alios ſubinde faciens ad ſe deferret. En vnum paupertatis incommodum, de quo non meminit Satyricus: Homerus inopia compulſus accepit conditionem, & minorem illam Iliadem fecit, cui initium Ἴλιον ἀείδω: Theſtorides aliènis plumis conſpicuus in Chium conceſſit, ibíque aperto ludo Homerica carmina pro ſuis recitans famam & fructum haud vulgarem conſecutus eſt. Lucius Apuleius totum ferè Lucianum in Aſino aureo exſcribit, nullibi tamen auctoris memor, perinde ac ſi totum illud opus ob aliquas permixtas fabellas ipſius foret. Chryſippus Solenſis rapto viuere, & populari alienos fundos conſueuerat adeò fidenter, vt totam Euripidis Medeam cuidam ſuo opuſculo inſeruerit: quamobrem nec effugit ingeſtum ſibi ab Apollodoro probrum. *Si quis tollat de Chryſippo* (ait) *quæ aliena ſunt, vacua illi charta relinquetur.* imò nec alterius deridiculum, qui cùm haberet in manibus Chryſippi opera, & interrogaretur quid legeret? reſpondit, *Euripidis Medeam.* item nec Carneadis iram, furem & paraſitum illum appellantis, quòd ſcripta Epicuri iiſdem verbis & numeris furaretur. Simili plagio Cn. Flauius libertinus & ſcriba Appij Clodij viam ſibi fecit ad Ædilitatem & Tribunatum, librum continentem formulas actionum ciuilium patrono ſurreptum populo exponens. Eſt apud chymicos *aqua aurariæ diremptionis*, quæ cùm inſtillatur metallis conflatis ex vario foſſilium genere, illico ſecernuntur, & cognoſcitur quid ſinceri ſit, quid impuri. O ſi nobis eſſet in manibus & valde familiaris decretoria illa aqua explorandis auctorum operibus, eſſent proculdubio cautiores in adulterandis commentariis; fierétque frequenter, vt bene magna & cubitalia volumina, quæ iſti fraudulenti conflatores ſibi tota tribuunt, fe-

creto

[a] in vita. Homeri.

Laërt. l. 7. & Volaterr. l. 14. c. 12.

creto eo quod alienum eſt, in libellos manuales decreſcerent; aut (quod iſtis aurariæ conflaturæ artificibus ſæpe euenit) in fumos & tennes auras abiret. Quàm furaces fuerint Græci diſce ex Clemente Alexandr. qui libro ſexto ſtromatum permulta furta literaria retegit, additque, *ἐπιλείψει με ὁ βίος εἰ κατ' ἕκαστον ἐπεξιέναι αἱροίμην τὴν Ἑλληνικὴν διελέγχων φίλαυτον κλοπὴν, καὶ ὡς σφετερίζονται εὕρεσιν τῶν παρ' αὐτοῖς καλλίστων δογμάτων, ἣν παρ' ἡμῶν εἰλήφασι. Vita me deficeret ſi velim ſingillatim perſequi Græcorum furta, quæ à nimio ſui amore profecta, & quemadmodum pulcherrimorum quæ ſunt apud ipſos decretorum ſibi vendicant inuentionem quam à nobis acceperunt.* Itaque (vt vides) iam pridem rapto viuitur. Iouius[a], & Cuſpinianus [b] auctores ſunt Leonardum Aretinum Procopij Gothicam hiſtoriam à ſe verſam ſuppreſſo auctoris nomine tanquam ſuam, & ex variis hiſtoriis hinc inde collectam Iuliano Cæſariano Cardinali dedicaſſe; ſed furti conuictum à Chriſtophoro Perſona Romano, qui eumdem Procopium Latinè loquentem fecit. Bartolum in iure ciuili principem, & Ioan. Andream Bononienſem in Canonico laudatiſſimum non nemo inſimulat alicuius fraudis, & ab vtroque factam iniuriam illis auctoribus, quorum inuenta ſibi vindicarunt tacitis nominibus; ab illo quidem Nicolaum de Marullis Mutinenſem; ab ipſo Oldradum Laudenſem minùs dignè tractatum. Muretus [c] Macrobio, & Agellio idem plagij crimen attribuit: *Eamdem artem factitarunt* (inquit) *quam plerique hoc ſæculo faciunt, qui ita humani nihil à ſe alienum putant, vt alienis æquè vtantur ac ſuis.* Non ſum ego ex opulentis rerum exquiſitarum poſſeſſoribus, ac multò etiam minùs maleuolè, & inuidè comprimo, ſi quid aliquot annorum ſtudium, & aliquanta librorum lectio mihi peperit: tamen cùm in Collegio noſtro Dolano apud Sequanos, *Artem ſcutariorum inſignium* anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo diſcipulis meis Rhetoricæ candidatis interpretarer paulo fuſius & ornatius quàm feceram Lugduni quatuor, aut quinque annis antè; imò etiam de illa materia Latino & Gallico ſermone dictarem, quæ haud eſſent vulgaria, & quæ honorariorum auditorum numeroſæ cateruæ Philoſophorum, Iuriſconſultorum, & Theologorum ſtudioſè ſcribendo exciperent; atque aliis poſtea exſcribenda domi traderent; admonitus ſum ab amicis, viderem ne rem, quam illi plauſibilem & eximiam vocabant, facilius & ſimplicius quàm par eſſet in Gymnaſio publicarem: periculum eſſe ne Mercurioli fures editionem meam occuparent, & fortaſſe nec vel leuiter digitum intenderent in eum, à quo non modò Gallicas ſcuti interpretandi formulas reconditiores didiciſſent, verùm etiam Latinas, in quibus plus videbatur eſſe eruditionis & peritiæ, & eas ſibi quaſi auctoribus tribuerent. hæc amici: vix tamen potui animo meo imperare, vt mihi ſoli quidquam ſcirem, & hoc ſolùm reſpondi: Si quis Lauernio iſta furabitur, centum ampliùs auditores qui eadem excipiunt, & quotquot ab iis deſcribunt, furi verecundiam facient, & manum inicient.

a in Elogiis.
b in Iuſtin.
Vide theatrum mundi tit. Legiſlator.
c in Sen l.3. de benef.

Ælianus Eupolidi Comico fabulas quaſdam ſurreptas refert ab Ephialte ſeruo; ſed furem in ſcelere deprehenſum Augeas moloſſus canis ab Augeo Eleuſino dono datus Eupolidi arreptum mordicus tandē interfecit. 6.

interfecit. Ecquis mihi donet eius generis canem qui pro foribus meæ Bibliothecæ excubet? non quidem dilaniandis iſtius criminis affinibus, ſed ſaltem deprehendendis, & per omnium eruditorum ora ignominioſè traducendis ad præfectum loci, vt pro ſua poteſtate plagiarium (quicumque tandem ille ſit Theologus, Iuriſconſultus, Philoſophus, Hiſtoricus, Poëta, Philologus) ingreſſu interdicat; vel ſi quam ob cauſam videbitur admittendus, inſcribatur in eius fronte quod ſeruis furacibus olim conſueuerat, *fur eſt.* Eſt enim prorſus ſeruile hoc modo furaciter ſcrutari literarias apothecas, & aliorum opibus, nec gratiâ quidem verbo dictâ, rem ſuam augere. Vitium iſtud ingrati animi Plinius ſic exagitat[a]. *Quemadmodum benignum eſt, & plenum ingenui pudoris fateri per quem profeceris; ita obnoxij & infelicis ingenij eſt deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præſertim ſors fiat ex vſura.* Mandraitus Prienenſis cùm inaudita quædam & ſubtilia de cœlo à Thalete Philoſopho didiciſſet, offerrétque ſine vlla exceptione mercedem; *hoc mihi pro luculento mineruali eſto*, (inquit Thales) *vt quoties ea quæ à me didiciſti, apud alios proferes, me huius rei agnoſcas auctorem.* Lipſius[b] ſuum lectorem idem popoſcit; vt ſi criticis ſuis animaduerſionibus adiutum ſe ſenſerit, ſi depulſam caliginem, ſi tentatum vadum, gratum ſe ac memorem duobus his verbis exhibeat, *Lipſius inuenit.* Verùm enimuero fierine poteſt, Iuſte Lipſi, vt quam ab aliis mercedem iuſtè exigis, eandem tute aliis non perſolueris? hoc de tua liberali & modeſta indole vix mihi perſuaſerim. Tu (ait Iulius Cæſar Bulengerus[c]) ſcripſiſti Saturnalia, de Amphitheatro, & de Gladiatoribus eleganti ſi quis eſt alius ſtylo: ſed Petrus Faber Tholoſani Senatus princeps vir longè doctiſſimus aduersùs te vindicias inclamat: è ſemeſtribus ſuis illos inſigni plagio ſubiectos eſſe defendit, quos orationis flore conueſtieris, ne ſemel auctore appellato. Alij Strategica abs te repetunt, & manum iniiciunt, nonnullis de commentariis in Tacitum litem intendunt: ego non interponam iudicium ſuper hac re meum. Iacobus Guterius IC.[d] eumdem Lipſium ſuggillat ſuppreſſi nominis Caroli Sigonij, à quo magna ex parte mutuatus fuerat quæ habet *lib.*1. *cap.*29. electorum de antiquorum imaginibus; tum addit comiter & feſtiuè Guterius: *quod ſciens dolo malo non fecit, bonæ enim fidei Iuſtus poſſeſſor eſt, qui lege Fabia non tenetur. neceſſe fortè non putauit Sigonij nomen proferre, quod ingenij elegantia operúmque varietate ſtatim monſtratur.* Ego, quod ad me attinet, longè facillimum puto in iis argumentis philologicis quæ Iuſtus Lipſius tractauit, & quæ alij ſimul illuſtrarunt, eadem obſeruari, eoſdem ritus indicari, atque ad eos probandos eadem Auctorum teſtimonia à ſingulis proferri. Cui enim animo propoſitum eſt, exempli gratiâ de veterum imaginibus ſcribere, de Amphitheatro, de circo, de oraculis, de calceo, de re veſtiaria, de militia, de funeribus cæteríſque id genus argumentis, nunquid eos veterum ſcriptorum fontes adit, vnde ſperat ſe aliquid in ſuam rem deriuare poſſe? Auctores autem iſti haudquaquam multitudine innumerabiles ſunt, ſed pauci; & quotquot inter eos habent aliquid ſingularis alicuius bonitatis, non ignorantur à Philomuſis, ſed ſtudioſè adeuntur, leguntur, excerpuntur; & cùm hæc Philologorum opera ferè conſtent

a in præf. ad hiſt. nat.

b præf. ad Critica.

c l.11. hiſt.

d de iur. man. lib. 1. c. 22.

D. Aug 2. de doctr Chr. c. 28. & ep. 34.

multi

multiplici illa eruditione quam varia lectio ſuppeditat, ingenioſa diſpoſitione atque eleganti ſtylo certum aliquem in finem & alicuius argumenti tractationem ordinatâ, vix, aut ne vix quidem fieri poteſt, quin ſæpenumero duo ſcriptores eidem materiæ commentariis illuſtrandæ intenti multa ſimilia, imò eadem afferant. Quod præcipuè ſingulorum proprium eſſe debet, eſt illa, quam diximus, diſpoſitio & ſtylus, & tractandi ratio, vbi plagium manifeſtius deprehenditur: nam auctoritates, & loca quæ ad probandum id de quo quæſtio eſt citantur, ex eodem (vti diximus) fonte à pluribus eodem, vel diuerſo tempore ſcribentibus peti facillimè potuerunt. Quod ne perperam dictum videatur, accipe Bellarmini luculentum ſuper hac re teſtimonium. *Arianâ hæreſi quondam graſſante* (inquit [a]) *ſcripſerunt accuratè & copiosè tum Græci, tum Latini propemodum infiniti, Athanaſius, Baſilius, Epiphanius, Didymus, vterque Gregorius, vterque Cyrillus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Bæticus, Idacius, Clarius, Phægadius, Fulgentius, & alij: ita verò conueniunt inter ſe, & quaſi conſpirant, ſiue teſtimonia Scripturæ pro Catholica fide adducant, ſiue ad hæreticorum argumenta reſpondeant, vt eadem omnes repetere atque inculcare, & omnes etiam ab vno accepiſſe videantur: neque id illis vitio verti ſolet, aut poteſt: nam quòd multi ſcriberent, cauſa erat ardor fidei & zelus religionis, quem in eorum pectoribus Spiritus ſanctus accenderat: quòd eadem ſcriberent, inde fiebat, quòd antidotum veneni eiuſdem ex eodem fonte, eodem ſpiritu hauſerant: & ex iiſdem præſidijs aduersùs hoſtes eoſdē de poſſeſſione eadem, eodem auctore ac duce Deo pugnabant.* Vnū horreo referre, quia impium delirium eſt. Auſi ſunt iactare aliquando Philoſophi Platonici, Christvm Dominvm ex Platonis libris hauſiſſe graues illas ſententias, quibus percellebantur ſacrilegi & impij quadruplatores Enimuero is in quo abſconditi erant omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, veſtris ſcrutis indigeat, & doctrinæ Oceanus ſtillam veſtram deſideret, vt creſcat. hanc aduersùs Christvm impudentiſſimè & ſceleſtiſſimè ſtructam calumniam deſtruxit D. Ambroſius libris illis quos de Philoſophia, ſeu de ſacramento regenerationis inſcripſerat, & nobis periiſſe dolet D. Auguſtinus [b]. Contra verò ipſum Platonem & Ethnicos furaciter ſacros libros contrectaſſe docent veteres Patres S. Ambroſius [c], Iuſtinus [d], Clemens Alex. [e] Theodoretus, Tertullianus [f], Origenes [g], Euſebius [h], Tatianus [i], Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Arnobius, D. Auguſtinus de ciuitate Dei, aliíque qui conſcripſerunt aduersùs Gentes apologias pro Chriſtianis.

7. Excludimus igitur à Muſarum aluearibus deſides fucos laborioſarum apum mella inuerecundè diripientes: nam, vt dixit Beliſarius apud Procopium [k], ἐ δίκαιον τὲς κηφῆνας μὲν ἐφ' ἑτέρων πόνων μεγάλων ἀπολαύεσθαι· ἄλλες δὲ τοῦ μέλιτος ἰδίας ταλαιπωρίας ὀνίνασθαι. & iure laudandus Nepotianus, ac Nepotiani ſimiles, de quo ſic Hieronymus [l]. *Sermo eius per omne conuiuium de Scripturis aliquid proponere, libenter audire, reſpondere verecundè, recta ſuſcipere praua non acriter confutare, diſputantem contra ſe magis docere quam vincere, & ingenuo pudore qui ornabat ætatem, quid cuiuſque eſſet ſimpliciter confiteri. atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando eruditiſſimus habebatur. Illud, aiebat, Tertulliani, il-*

a tom. 1. contr. præf. ad lect.
b 2. retr. c 4. & 2. contr. Iulian. c. 5. & 7.
c ſerm. 18. in Pſal. 118.
d in paræn. & in orat. ad Anton.
e 1. 5. 6. ſtrom.
f c 47. apol.
g l. 6. contr. Celſ. Theod. l. 2. adu gent.
h de præp. l. 9. cap. 3. & toto propè l. 11.
i in fine or. cont Græc.
k l. 2.
l ad Heliod.

lud Lactantij, illud Hilarij eſt: ſic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt locutus Arnobius: me quoque, quia pro ſodalitate auunculi diligebat, interdum proferebat in medium. Quiſquis hunc in modum ingenuè laudat eos Auctores per quos profecit, *auctoritatem & humilitatem ſuam commendat*, ait D. Bonauentura [a] loquens de Magiſtro ſententiarum.

a prolog. l. 1. ſent. 4. Conſule Paulum Sherlogum in Cantica anteloq. 11. ſect. 2. fuſè & doctè de hoc argumento diſſerentem, præcipuè quod pertinet ad SS. Patrum ſcripta.

8\. Priuſquam amoueamus de hoc capite manum, ſatisfaciendum eſt cuidam Suadæ alumno me interroganti. Hæc quæ dicis, inquit, pugnare videntur cum iis, quæ tradi & præcipi ſolent in eloquentiæ Gymnaſiis: *Oratori abſtinendum citatione auctorum frequenti.* Viri auſcultandum, Suadæ, an tibi? ſi tibi, pecco contra præceptiones Rhetoricæ artis: ſi illi, crimen plagij incurro, ac metuo ne ſi pro Domino rerum pulcherrimarum me gero, iure merito térque quatérque aliquis clamitet, & imponat plagiario pudorem. Nam multi qui eadem quibus vtor apud eoſdem Auctores legerint, aſſertores erunt, ſatis præſtabunt, dicéntque vernas illos alterius eſſe, & ab alio manumiſſos: denique quēadmodum nolle legere eos, qui aliquod argumentum tibi commune tractant, turpis arrogantiæ eſt; ita diſſimulare cùm legeris, turpioris eſt ambitionis; beneficium inficiari, turpiſſimum ingrati animi vitium. Amo ingenium tuum & ingenuitatem tuam, quiſquis es qui mihi iſta obiicis: & hunc tibi ſcrupulum ſic eximo. Ita eſt omnino vt dicis. rectè te tuus in eloquentia myſtagogus admonuit. non debes in illis orationibus quæ totæ ſunt in ornatu & delitiis, cuiuſmodi ſolent eſſe laudationes, ſæpiùs interpellare ſtylum, & frangere numeroſos periodorum ambitus crebra auctoris, libri, capitis, ſectionis citatione, niſi rei neceſſitas, perſonæ grauitas, & ipſum pondus conceptorum verborum ita vehementer vrgeat, vt agere videaris ex chirographo, & cum aduerſario prolatis obſignatis tabulis experiri: dandaque opera eſt vt illæ auctoritates, quæ afferuntur, ſint illuſtres, & ex recondita quadam doctrina promptæ: in ſacris pulpitis ſacra Scriptura, & ſanctorum Patrum teſtimonia, quia in auctoribus & in verbis eſt plurimum momenti, vtiliter afferuntur: in cauſis forenſibus quæ ad probandum componuntur, ex recepto iam more leges aptè citati poſſe cenſeo; ac proinde memoria valde commendatur in Iuriſconſultis: in auctorum commentariis & prælectionibus magnam habet dignitatem varietas auctorum qui nominatim appellantur ad eam ſententiam, quam explicamus: at in orationibus non videmus hoc factitatum ab antiquis, & ſi interdum fieri contigit, lòngè alia eſt citatio oratoria à philologia, & academica; nimirum quòd illa ferè ſit figuratior ornatiórque. Mihi certè cùm veniunt in mentem priſci illi ſcientiarum Genij & heroes, ſuccurrit quoque animo tritum illud,

Virg. *A longè ſequere, & veſtigia pronus adora.*

Tamen agamus bonum patremfamilias; hæreditas maior à nobis ad poſteros tranſeat; ac licèt inſtructi ſimus rerum pulcherrimarum copia, quas ex librorum lectione didicimus; nihilominus neu ſemper libeat aliorum veſtigiis inſiſtere: & hoc ſaltem efficiamus; inuentorum ab aliis vſus & diſpoſitio noua ſint: mutemus in ſuccum & ſanguinem noſtrum

Sen. ep. 83.

noſtrum variam illam eruditionem, quam libri nobis ſuppeditant. Tamen ſi te adhuc conſcientia furti exagitat; ſcito, à quo tempore Bibliothecæ ſunt, & libros & ipſamet ingenia facta eſſe publicam rem. Deinde ſi quid ſcribis edendum in lucem, locos eos quos imitatus es, vel quos integros lectori tuo repræſentas, pateris ad marginem indicare, atque etiam in contextu, ſi res feret.

Hæreticis δίδακτρον, ſeu minerual deberi à Catholicis prorſus vllum, ſeu ex pacto, ſeu ex grati animi beneuolentia, negat Serarius [a]: quoad primum, vbi ſtipulationes & reſtipulationes, vbi pacta, vbi conuenta, quæ ad aliquid rependendum me obligent? Quoad alterum, nego beneficium ab iis in nos conferri vllum, in nos (inquam) quos cuperent eſſe omnium literarum rudes. argumento ſunt probra quæ partiariorum doctiſſimi plenis & fœtentibus buccis, euomunt in Catholicos ſcriptores longè præſtantiſſimos. Cur igitur ſcribunt (inquies) niſi prodeſſe volunt? Nec tu meminiſti quæ ſuprà diximus, hæreticos inſanabile ſcribendi cacoëthes tenet. *Morbo ſuo morem gerunt*; hunc in modum impetiginem ſuam defricant. 9.

a l. 5. cap. 4. min.

CAPVT VII.

Libros inutiles & ineptos è Bibliotheca ſummoueto.

LIbros non refert quàm multos habeas, ſed quàm bonos, ſcripſit Seneca [b] ad Lucilium. Ampliùs dico, intereſt non ſolùm marſupij tui, verùm etiam (quod pretioſius eſt) otij tui & profectus, vt careas multis libris inutilibus, vel ineptis, ex quorum lectione nihil aliud hauries, præter imam pœnitentiam, nihil aliud diſces, præter inſcitiam, aut rerum dediſcendarum neceſſitatem. Scio quidem dictum eſſe à Plinio *nullum eſſe librum tam malum, in quo boni aliquid non inuenias*. Eſto. At, illud vnum, aut alterum quod in magni libri lectione reperies, eſtne tanti, vt ſit pretium diuturni laboris & temporis in quærendo, & in eruendo faſtidij? præſertim cùm ſint in promptu diuites auri venæ, in quibus perexiguo labore, vel prorſus nullo, aut eo certè admodum grato ingentes theſauros reperias. Quid laceras tibi manum in dumetis & vepribus, vt racemulum neſcio quem inter ſpinarum aculeos colligas? quid in exilibus & macris ſaxetis excolendis elaboras, in quibus quidquid tandem facias, 1.

b ep. 45.

Arida ieiunis ſeges interlucet ariſtis, cùm
Hic ſegetes, illic veniant felicius vuæ.

Virg. 1. Georg.

Tu quoque cùm diu multum certos libros volueris, euolueris, triueris, non tantùm inde referes vnde impenſam reficias.

Eſt autem duplex genus librorum quibus nolo patere hanc Bibliothecam. Alij ſunt de rebus inaniſſimis conſcripti, quos *inutiles* voco: alij de rebus magnis, ſed peſſimè; hos appello *ineptos*: priorum auctores magno labore magnas nugas agunt, quas cùm diligenter ſublegeris, & in publicum protuleris, non doctior videare, ſed moleſtior; ſi apud 2.

Sen. de breu. vitæ c.13. te contineas, nihil tacitam conſcientiam iuuent. Infelicem hanc curioſitatem & intemperans ſtudium reprehendit in quodam familiari
a l.13.c.14. ſuo Gellius [a], qui non minimam partem ſuæ ætatis contriuerat in euoluendis cothurnatis quibuſdam ineptiis,

Mart.l.14. *Inque apinis tricíſque & ſi quid vilius illis,*

quæ tamen ſunt quorumdā grammaticulorū miracula. Cuiuſmodi ſunt; quo nomine fuerit qui primùm Grā̃maticus appellatus; quam ob causā̃ Telemachus cubans iunctam ſibi cubantē̃ Piſiſtratū non manu attigerit, ſed pedis ictu excitarit, Εὐρύκλεια Telemachū quo genere clauſtri incluſerit: & hæc cùm inſtitores diobolarij diuendunt, auro & gēmis æſtimant. Quídni? & ſcruta quidem vt vendat ſcrutarius laudat. Pręfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam ridebis lector ſi tibi protulero aliquas eius notæ volantes quiſquilias, venti ſpolia quæ iſti Eclogarij verè nugigeruli reponunt in ſuis theſauris ſanctioribus. Agedum, fa-
b de breu. vitæ c.13. xo; præibit mihi Seneca [b] quantumlibet ſtoicè ſerius. *Nemo dubitabit quin operoſè nihil agant, qui in literarum inutilium ſtudijs detinentur, quæ iam apud Romanos quoque magna manus eſt: Græcorum iſte morbus fuit quærere quem numerum remigum Vlyxes habuiſſet; priùs ſcripta fuiſſet Ilias, an Odyſſea; an? Ecce Romanos quoque inuaſit ſtudium ſuperuacua diſcendi.* Non auſus eſt (puto) Seneca Tiberium Cæſarem inſimulare iſtius pue-
c in Tiber. c.71. rilitatis; de illo ſic Suetonius [c] tanto liberiùs, quanto ab eius ætate fuit remotior. *Tiberius Imperator maximè curauit notitiam hiſtoriæ fabularis, vſque ad ineptias & deriſum: nam & Grammaticos (quod genus hominum præcipuè appetebat,) eiuſmodi ferè quæſtionibus experiebatur quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines fuiſſet? quid ſirenes cantare ſint ſolitæ.* Ad hiſtoriam item fabularem pertinent ea quæ Didymus Grammaticus quatuor librorum millibus complexus eſt, in quibus de Homeri patria quæritur; de Æneæ vera matre; libidinoſior Anacreon, an vinoſior vixerit; an Sappho pudica fuerit, & alia id genus ſtudia quæ ne extremis quidem digitis à pueris, multo verò minùs à viris attingenda ſunt. Enimuero longè doctiſſimus euadam ſi diu diſputauero quot fuerint Niobes liberi; nam pueros puelláſque eius Homerus bis ſenos fuiſſe dicit; Euripides bis ſeptenos; Sappho bis nouenos; Bachilides & Pindarus bis denos; quidam alij ſcriptores ſolùm tres fuiſſe dicunt: cui tandem rei profutura eſt talis ſcientia? quid eſt nugari, ſi
d in præf. hoc non eſt? vt de Diodoro Plinius dixit [d], qui nihilominus ſuam *Bibliothecam* inſcripſit. hæc aliaque ſimilia, quæ piget referre, vix emiſſitio oculo conſpexerim, nedum Bibliothecæ meæ inſeruerim.

2. *Debet quidem eſſe diligens hiſtoriarum enarratio,* (ait Quintilianus [e]) *non*
e l.1. inſt. cap.14. *tamen vſque ad ſuperuacuum laborem occupata: nam receptas & certè claris auctoribus memoratas expoſuiſſe ſatis eſt; perſequi quidem quod quiſque vnquam contemptiſſimorum hominum dixerit, aut nimiæ miſeriæ, aut inanis iactantiæ eſt, & detinet atque obruit ingenia meliùs alijs vacatura. nam qui omnia etiam indignas lectione ſchedas excutit, anilibus etiam fabulis accommodare operam poteſt. at qui pleni ſunt eiuſmodi impedimentis Grammaticorum commentarij, vix ipſis qui compoſuerunt ſatis noti. Nam Didymo quoque, quo nemo plura ſcripſit, accidiſſe compertum eſt, vt cùm hiſtoriæ cuidam*

tanquam

tanquam vanæ repugnaret, ipſius proferretur liber qui eam continebat : quod euenit præcipuè fabuloſis vſque ad ridicula quædam etiam pudenda; vnde improbiſſimo cuique pleraque fingendi licentia eſt; adeò vt de libris totis & auctoribus, vt ſuccurrit, mentiatur tutò, quia inueniri qui nunquam fuere non poſſunt : nam in notioribus frequentiſſimè deprehenduntur à curioſis, ex quo mihi inter virtutes Grammatici habebitur aliqua neſcire. Ego ex hoc ſermone Quintiliani iſtud infero. Si virtus eſt Grammatico fabuloſa & inania neſcire : ſi Aulus Gellius iudicauit iſtud *ridicularium* (vti loquitur) & *nugatorium* doctrinæ genus non conuenire ſuis noctibus; quare iſtud ponemus in clara luce, & omnium oculis intra Bibliothecæ noſtræ ſacraria? Si Seneca[a] Lucilium ſuum his verbis monet. *Erige te Lucili virorum optime, & relinque iſtum ludum literarium Philoſophorum, qui rem magnificam ad ſyllabas vocant, qui animum minuta docendo diminuunt, & conterunt; fies illis ſimilis, qui inuenerunt iſta, non qui docent, & id agunt vt philoſophia potius difficilis quàm magna videatur.* Nunquid conſentaneum eſt, vt claudam fores Muſei mei iſtis gerronibus, ni & ego congerro efficiar, ſi libros longè leuiores illis, de quibus Seneca loquitur, ſubite intrò patiar? [a] ep.71.

Nihilominus nolim hoc ita accipi, vt ſi quid eiuſmodi è re nata & appoſitè afferatur, modò inſit ſemper aliquid ſalis, & acuminis, & ingenij, illud omnino reſpuam. Non omnino diſplicet illud Apionis Grammatici, licèt leuiculum ſit; ab eo obſeruatum eſt, vel potiùs coniectatum, Homerum vtrâque materiâ conſumptâ, Iliade ſcilicet, & Odyſſeâ, vnum principium operi adieciſſe, quo eſt Troianum bellum complexus: eius rei argumentum eſſe, quòd duas literas in primo verſu poſuiſſet ex induſtria, quæ librorum ſuorum numerum continerent, ſcilicet M. & H. quæ literæ numerum quadrageſimum octauum conficiunt. Animaduerſum quoque ab aliis Caluini inſtitutionem incipere ab hac voce *Tota*, claudi iſtâ *impietati*; perinde ac ſi totum illud opus eſſet *anathema appenſum impietati*: in re vera luſus minimè illiberalis. hæc de prima parte. 3.

Lil.Gyrald. de poet.hiſt. dial.2.

At inquies : pictores rerum humilium ſua non carent laude, vt nec *phantaſtici* qui liberiùs indulgentes ſuis vigilantium vt dormientium ſomniis penicillo exprimendis, chimæras pingunt. imò videmus iſta ludicra & miſcella, quantumlibet vulgaria ſint, curioſè expeti, ipſámque artificis exercitationem placere, & tenere oculos: quidni etiam ſcriptori fas ſit in humilibus argumentis verſari, atque etiam interdum fabulares hiſtorias comminiſci, anagrammata componere, iocularis ingenij euagationes, & deliria literis conſignare, vt fecerunt rerum equeſtrium fabulatores hiſtorici Amadiſij, Heliodori, Barclaij, quorum commenta ſunt in omnium manibus? Neutrum tibi abnuo, dummodo in eiuſmodi rebus ſuus ſeruetur modus, & inuentio ſit plena ingenij, electio elegantiæ, textura artificij, nihilque ſit à bonis moribus alienum; ſed ſenſus inſit cum vtilitate coniunctus : atque huius rei non deſunt apud veteres exempla & auctoritates, non ſolùm ſophiſtarum, verùm etiam ipſorum quoque Philoſophorum. Phauorinus grauis Philoſophus non putabat in leuibus iſtis argumentis ſe fieri ineptum, vel friuolum, qui op- 4.

Gell.l.17. c.12.

pidò in eas materias dicebat,ratus vel ingenio expergefaciendo, vel exercendis argutiis,vel edomandis vſu difficultatibus eſſe idoneas,ſicut cùm Therſitæ laudes quæſiuit, & cùm febrim quartis diebus recurrentem laudauit; lepida ſanè multa non friuola inuentu in vtramque cauſam dixit, eaque ſcripta in libris reliquit. Phaïnas laudauit vrticam, Plin. l.22. c.17. & l.16. c.19 Ælian var. hiſt.l.17.c.4. Chryſippus braſſicam,Syneſius caluitium, Ouidius pſittacum, Lucianus muſcam, Pittacus vnus è ſeptem ſapientibus Græciæ molam, Homerus ſcripſit βατραχομυομαχίαν, murium cum ranis pugnam:ſunt alia id genus permulta,quæ interdum ſiue ſcribi, ſiue legi non vetuerim exhilarandi, vel exercendi ingenij gratiâ. Memini tamen dictum à Quintiliano[a] eos qui in declamationibus,quas eſſe veritatis diſſimillimas volunt,ætatem multo ſtudio ac labore conſumunt, comparari poſſe cum illo homine, qui grana ciceris ex ſpatio diſtante miſſa in acum continuò & ſine fruſtratione inſerebat.Quem cùm ſpectaſſet Alexander, donaſſe eum dicitur eiuſdem leguminis modio,quod præmium fuit homine digniſſimum,& idoneum de arte friuola, & ſuperuacanea,quam ματαιοτεχνίαν vocant,iudicium. Nihilominus ſi rarò,ſi ingenioſè, artificioſè,& eleganter iſtiuſmodi opera fiunt, admiſerim. eſt enim magnæ virtutis in paruis rebus magnum eſſe,atque (vt loquitur Sidonius in hanc rem) *ingenij facultatem negotiorum probare difficultatibus.*

a l.2.c.21.

5. De fabulatoribus hiſtoricis quos Hiſpani *libros de caualleria*, Galli *Romans* appellant,quales ſunt qui de Ganeleone, Meluſina, Arturo Rege,& rotundæ menſæ torquatis Equitibus de Rolando, de Caroli Magni paribus duodenis, de Scotiæ Rege Perſeforetio & ſimilibus, idem ſentio;quæ figmenta ſi ſunt ingenioſè excogitata, pulchrè digeſta,venuſtè & eleganter ſcripta, & cum bonis moribus conſentientia, non reſpuo: verùm qui ſcopas diſſoluunt, qui repugnantia locuntur, qui ἀδύνατα comminiſcuntur, qui decori rationem non ſeruant, qui aliena à perſonis & temporibus fingunt; qui incondita & abſurda formant; qualia ſunr ea viſa,quæ inter vigiliam & adultam quietem, in quadam, (vt aiunt) primi ſomni nebula ſe nobis offerunt, magnitudine & ſpecie diſcrepantia,& prorſus monſtroſa; iſtis(inquam) qui ἀτεχνίαν profitentur,qui Andabatarum more ruunt,ac ſtylo auras verberant,quarum rerum & auctorum ſunt pleraque volumina inſulſa & inepta in plebis manibus, non dignabor ingreſſu meæ Bibliothecæ. *Sunt enim quadam quæ neſcire,quàm ſcire ſit melius*,inquit D.Auguſtinus[b].Inſtabis:nihilominus inconditæ picturarum variationes & parerga, delirationes portentoſæ,& delphinis capitibus appictæ ceruices equinæ. ἄδοξα, cuiuſmodi fuerunt chimærica deliria excellentiſſimi pictoris cui nomen *De boſco*, locum obtinent honoratiſſimum in Principum pinacothecis:item non in pictura ſolùm, ſed etiam in operibus toreuticæ lignariæ elegantioribus,abacis,doſſuariis ſcamnis,aliiſque ornamentis, quàm multæ ſunt imagines, ac incertæ ſpecies ex nullis finitis rebus, cùm pro columnis ſtatuuntur calami, pro faſtigiis harpaginetuli ſtriati; candelabra ædes ſuſtinentia,ex florum coliculis exeuntia ſigilla alia humanis,alia beſtiarum capitibus ſimilia, eiúſque rationis innumera, quæ nec fuerunt vnquam,nec eſſe poſſunt? At homines hæc falſa attentiùs aſpicientes non

b c.17. enchir.

repre

reprehenduntur,ſed delectantur,nec animaduertunt, ſi quid eorum fieri poteſt,necne:cur non idem mihi licitum ſit in ſcribendo,quod pictoribus, & inteſtini operis opificibus in ſua arte licet:Reſpondeo nec iſta quoque talium artificum inſomnia, vel ſtertentium meditationes probari peritis hominibus, & harum rerum iudicibus idoneis: ſi enim pictura & toreutice eſt indoctorum liber, ecquid è re falſa haurietur lucis? pictoribus quidem ſemper magna fuit audendi poteſtas, dixit Horatius, Vide Buleg. de pict. & ſtat.c.1.l.1.

Sed non vt placidis coëant immitia,non vt
Serpentes auibus geminentur,tygribus agni.

Neque picturæ probari debent, quæ non ſunt ſimiles veritati; nec ſi factæ ſunt elegantes ab arte,ideo de his debent ſtatim iudicari, niſi argumentationis habuerint rationes ſine offenſionibus explicatas, ait Vitruuius[a].Magna iſta vitia indecentia, auctores inſipientiæ accuſant. a l.7.c 5. Hæc ſi minimè ferenda ſunt in picturis,multo etiam minus in ſcribendis libris. Artifices enim illi excuſant rem artificioſam ac ſæpe ſymbolicam, & de induſtria quæſitam ingenioſam abſurditatem, atque repugnantium rerum cohærentiam. at in operibus ingenij, placere hominibus ingenioſis,nihil poteſt niſi aut verum, aut vero ſimile, qui eſt ſolus paſtus animorum noſtrorum:nullam autem reapſe partem veritatis,aut probabilitatis quæ dicuntur habebunt, niſi ſingula rectè & ordine inter ſe nectantur,& ratio decori conſiſtat. Vt vt ſit,non ſum ita moroſus & difficilis, vt ſi mihi des ingenioſè diſſolutas ſapienter & acutè deſipientis ingenij exertationes,eas non admittam.

Sunt alij Auctores qui de rebus quidem bonis & vtilibus ſcripſerunt, verùm tam inſulsè, tam perturbatè, tam confusè, tam imperitè & indignè,vt lectori vel mediocriter erudito bilem moueant, dum videt res pulcherrimas peſſimo ſtylo, peſſimo ordine,ita deformari, vt natiua ſua venuſtate, aut veritate, perfectionéque omnino excidant, víxque retineant rudiora quædam ſui lineamenta, cùm è manibus tam imperitorum artificum exeunt. Alexander edicto vetuerat, ne à quoquam in gemma ſcalperetur præterquam à Pyrgotele clariſſimo huius artis;idem noluit ſe ab alio pingi quàm ab Apelle, à nullo fingi quàm à Lyſippo;quia tam ſui diſſimilis exprimebatur à pleriſque artificibus, vt nec aquila ſit noctuæ diſſimilior,plurimúmque de regia maieſtate amitteret. Quàm vellem idem cautum eſſet in literaria repub. ne quis ſtylum ſumeret,niſi ſcribendi bene peritus. Inueterauit iam à longo tempore illa ſcabies,vt notum eſt ex vulgari Perſij verſu, 6. Plin.l.37. c.21.

Scribimus indocti doctique poemata paſſim,

atque haud ſcio an in vniuerſis aliis artibus tantum peccetur,quantum in hac ſola. Non audent artifices proferre quidquam in publicum, nec vlli operi inſcribere ſuum nomen, niſi ita abſolutum ſit, vt allegi mereantur in Collegium artificum: & nihil verentur plerique ſcriptores ſui amatores ſtolidiſſimi,præpropera & tumultuaria quædam volumina ſenſu malè digeſta, ſtylo & oratione deterrimè veſtita publicare, & in ſuo nomine edere.Bellè in eos cadit illud Horatij,

Ludere qui neſcit campeſtribus abſtinet armis,

Indoctúſque

Indoctúſque pilæ, diſcive, trochive quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impunè coronæ,
Qui neſcit verſus, cur audet fingere.

Affatim eſt bonorum librorum, quos huc admitti par ſit: reliqui faceſſant, & licèt glomerati Bibliothecæ oſtium circumſtent ingreſſum poſtulantes, reiiciantur in culinam ad integumenta ſcombrorum & cardillarum, vel ad vendentem thus & odores, vt cucullos ex eis faciat: aut certè detineantur in librario carcere velut mancipia in ergaſtulis, vt ſi quis fortè ſeruus Bibliothecarius iis indigebit, paratos ad quemuis vſum reperiat.

7. Lege mi Lector, quæ Famianus Strada [a] pereleganter diſputat de libris in Parnaſſi Muſeum non admittendis, vbi & Inquiſitorem adhibet, qui chartas ineptas partim deſtinat flabellis ad ventulum captandum, & abigendas muſcas concinnandis; alias feneſtrarum velamentis contra ventum & pluuiam, & ſolem opponendis; alias valuarum nimis obſtruendis; alias Mecœnatum pyris à funerum curatoribus incendendis; vt nec literularum glutinatoribus Anagrammatariis, nec pomercalium nugarum inſtitoribus, nec mendaciloquis, nec adulatoribus deſit pœna ſuæ futilitati, vanitati, & impudentiæ conueniens: inter cætera iſtud placuit, conſultum fore putat reip. literariæ, ſi deterrimus quiſque codex ſuſpendatur in media Bibliotheca, ac tam diu illâ ignominiâ afficiatur, dum alius liber illo deterior acceſſerit, qui eum loco trudat, ipſéque ſuccedat. hoc pœnę genus probo, dummodo irrogetur extra Bibliothecam, in alterutro ex illis locis, de quibus capite ſequenti dicturi ſumus. Conſultius, meo quidem iudicio, erit, & magis conſentaneum, vt Muſeum ſit Pritaneum honorarium; atque hæc Baſilica Apollinea tantummodo deſtinetur benemeritis ſcriptoribus recipiendis, nulla autem ratione morologis, pſeudologis, alogis, onologis, logodædalis, & ineptis auctoribus pœna, vel ignominia afficiendis.

[a] l. 3. prol. 1. Momus.

Capvt VIII.

Carcer & rogus Bibliothecæ.

1. Dvabus rebus omnis bene temperata ciuitas continetur, *præmio*, & *pœnâ*: idipſum in rep. literaria debere eſſe ſapientes adiudicauerunt. Quapropter & conſtituti ſunt carceres, & excitati rogi; vt alij libri contineantur ne liberiùs volitent, alij vſquequaque deterrimi omnino aboleantur, atque in fumum & cineres abeant. *Carcerem librarium* volo eſſe conclaue quoddam ſera & claue egregiè munitum, quò nullus niſi integerrimæ fidei, probitatis & excellentis ſcientiæ pedē inferat: in illa autem cuſtodia aſſeruabuntur duo genera librorum: primum illi, qui ex proprio inſtituto non ſunt mali & noxij; ſunt tamen eiuſmodi, vt eodem ore calidum & frigidum ſpirent, multa bona malis, multis malis plurima bona permixta contineant: eius generis erunt Mathematicorum, Poëtarum, Chymiſtarum, Philologorum, Hiſtoricorum, adeóque etiam ex aliis facultatibus non pauci, quos hæc omnino perdere

conſultum eſt, neque etiam ſub omnium manus & oculos ſubiicere. Item his clauſtris & repagulis tenebuntur quidam ſceleſti & impij, Athei, hæretici, Machiauelliani famoſi, vt refutari poſſint ab hominibus eruditis. Nam ſicut licèt leges ſeuerè animaduertant in eos homines, qui necandi hominis cauſa venena conficiunt, aut vendunt, verùm etiam in eos, qui domi penes ſe habent: tamen certis pharmacopolis & iuratis pigmentariis auctoritate publicâ licet eiuſmodi toxica antidotis componendis idonea aſſeruare: ita intereſt boni communis vt ſcriptores venefici, hoc eſt, hæreſeos, impietatis, ſuperſtitionis & peſtilentium dogmatum propinatores, hoſtes probitatis ſiue aperti, ſiue clanculatij terantur à viris probis & bene doctis, qui alexipharmaca infectis præbeant, & ſanis mentibus præcaueant pancreſtis medicamentis, & omne faſcinum ab lectoribus obnoxiis depellant. ex hoc numero Auerruncorum & Alexicacorum numinum fuit Dionyſius Alexandrinus, qui legere ſe dicebat hæreticorum libros & traditiones, & quamuis videretur ad tempus pollui nefandis illis ſacrilegiis, tamen haud leuem fructum inde ſibi obuenire, quippe qui incircumciſum Philiſtæum ſuomet ipſius enſe ſtrenuus aduerſarius perimeret proferens tabulas, agens ex chirographo, & concepta verba recitans. Admonitus verò à nonnullis id ne amplius faceret, per viſum audiuit diuiniorem quemdam monitorem iubentem pergere, & legere quidquid veniſſet in manus, quia is erat cui initio hæc fuerat cauſa credendi, ac probare ſingula & diſcernere poſſet. porrò ad quos pertineat facere poteſtatem legendi damnatos libros, aut quis eorum cenſor legitimus, hîc non diſputo. adeundi ſuper hac re Delrio [a], Gregorius Tholoſanus [b] & alij. Non omne butyrum & mel ſummæ eruditionis & probitatis comederunt, vt ſciant reprobare malum, & eligere bonum: quibus difficile eſt ſeruare hunc modum, *piam ruſticitatem potius eligant, quàm doctam blaſphemiam, ne in eos cadat illud propheticum, Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum; qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum.* quod ſi ad auctorum hæreticorum improbitatem fraus & dolus acceſſerit; Deus immortalis quantum incautis, indoctis, & minùs piis periculi, at illis curæ eſſe vt venenata pocula quodam melle prælinant, ne vſquequaque ſentiantur inſuauia, quæ ſunt futura mortifera, & per illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione ſeductos laqueis cuiuſcumque erroris inuoluant, monet S. Leo [c] proſcribens quoſdam libros Priſcillianiſtarum, qui ad certiorem fraudem *Canonici* inſcribebantur.

l. Cornel. de ſicar & venef.

Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 6.

a diſq. l. 5. ſect. 17.
b de rep. l. 12. c. 7.
D. Hieron. ep. 76.
Iſai. 5.

c ep ad Turib. c. 15.

2.

Flammis iam pridem addici ſolitos eos libros, quos omnino perire decretum eſſet, teſtatur ex Iudæis Ioſephus [d], qui Ioacimum Iudæorum Regem Hieremiæ prophetæ volumen per Baruch ſcribam miſſum in conſpectu Principum ſuorum igni cremauit: teſtatur liber primus Machabæorum, vbi Antiochus Epiphanes occupatis aſtu Hieroſolymis, inter cætera ſuperbi & impij victoris nefaria ſcelera diſcerptos legis libros combuſſit igni. Teſtantur Athenienſes qui Protagoræ ſophiſtæ literaria omnia monumenta flammis corruperunt, auctore agro Athenienſi & vrbe pulſo; teſtis Alexander pſeudomantis, qui libros

d l. 10. antiq. c. 8.

c. 1. v. 59.

Vide Eraſm. prou. *ficulnus* pro re fragili & inutili.
Valerius l. 1. c. 1. & Plut. in Numæ.
a l. 10. contr.

bros Epicuri exurens ficulnis lignis ſignificauit Philoſophum eſſe nullius pretij. Teſtis Romanus Senatus, qui libros Numæ Græcos de diſciplina ſapientiæ, quia aliqua ex parte ad ſoluendam religionē pertinere videbãtur, per victimarios facto igne in cōſpectu populi cremauit. Vnde ſæpenumero miratus ſum Senecam [a] ſcripſiſſe excogitatam fuiſſe nouam & inſuetam pœnam aduersùs Labienum, ſupplicia de ſtudiis ſumendi, nimirum vt eius libri incenderentur. Bono hercle publico (inquit) iſta in pœnas ingenioſa crudelitas poſt Ciceronem inuenta eſt. Quid enim futurum fuiſſet, ſi ingenium Ciceronis Triumuiris libuiſſet proſcribere? Et cùm vehementiùs & iracundiùs inuectus eſſet in iſtum morem, & eius auctores, qui ingenium quod natura maximè ſubduxit à patientia perduxerunt ad corporis mala, hæc addit, quæ viſum eſt hîc inſerere, quia ſunt elegantia, ſcitu digna, & ad rem noſtram. *Facem ſtudijs ſubdere, & in monumenta diſciplinarum animaduertere, quanta & quàm non contenta certâ materiâ ſæuitia eſt? Dij melius, quòd eo ſæculo iſta ingeniorum ſupplicia cœperunt, quo & ingenia deſierunt. Eius qui hanc in ſcripta Labieni ſententiam dixerat, poſtea viuentis adhuc ſcripta combuſta ſunt, iam non malo exemplo, quia ſuo. Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec ſuperſtes eſſe ingenio ſuo voluit, ſed in monumenta ſe maiorum ſuorum ferri iuſſit, atque ita includi, veritus ſcilicet ne ignis qui nomini ſuo ſubiectus erat, corpori negaretur: non finiuit tantùm ſe ipſe, ſed etiam ſepeliuit. Illo tempore quo libri Labieni ex SC. vrebantur, Caſſij Seueri hominis Labieno iunctiſſimi bellè dicta res ferebatur. Nunc me viuum vri oportet,* (inquit) *qui illum edidici.* Succenſet ſine cauſa Stoicus. quæcumque enim calumnioſè & impiè & pernicioſè ſcripta ſunt, haud merentur aliam lucem, quàm flammatum vltricium.

3. Extant ſuper ea re ſapientiſſimorum Imperatorum reſcripta, & leges Theodoſij, Valentiniani & Martiani contra libros hæreticos. Scripta Porphyrij aduersùs Religionem Chriſtianam cremata ſunt; item & Neſtorij contra Orthodoxos; item Eutychetis, Apollinaris & Manichæorum & Photij, de quibus conſulenda hiſtoria Eccleſiaſtica, pontificalis liber & leges: quod certè neceſſarium eſt ad diuinum cultum caſtè retinendum, & bonos mores conſeruandos. Nec tantùm hoc factitatum à Chriſtianis, verumetiam ab Ethnicis: ac in primis Romæ cautio Ædilium erat prouidere ne quid in vulgus ederetur turpe, vel impium quod Religioni officeret. id ex Tacito [b] perſpicuum eſt in damnatione Cremutij Cordi, viri ſapientis & docti, quem Tiberius Cæſar ad mortem compulit, & eius libros incendi iuſſit. Egreſſus dein Senatu, inquit, vitam abſtinentia finiuit. libros per Ædiles cremandos cenſuere Patres, ſed manſerunt occulti & abditi. Volo hîc exſcribere diuinum edictum Conſtantini, qui capitale eſſe voluit Sotadeas Cinædias & impietates publicare, quod vtinam omnem ſuam vim noſtra hac ætate obtineret, & impia, ſceleſta, & in diuinam maieſtatem, in ſanctiſſimam Euchariſtiam, in Beatiſſimam Virginem Deiparam, ac Sanctos, in Chriſti Vicarium ac res ſacras horrendè contumelioſa ſcripta Lutheri, Caluini, & contaminatiſſimis hæreſiarchis auctoratorum partiariorum libri rogalibus flammis addicerentur, & offerretur genus iſtud

Euagr. l. 1. c. 12. Socrat. hiſt. Eccl. c. 6. & l. damnato de hæreticis. & l. quicumque S. eod. tit.
b ann. l. 4.

iſtud holocauſti diuino Numini haud dubiè acceptiſſimum. Itaque Thaliani (vti ſuprà diximus) Arius buſtuarius & impuriſſimus hæreſiarcha ad ſimilitudinem Sotadæ Ægyptij in lucem ediderat. eam ob cauſam Conſtantinus ita reſcripſit.

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. EPISCOPIS ET POPVLO.

Cùm Arius Scriptorum & impiorum hominum conſuetudinem imitetur, eandem cum illis ignominiæ & turpitudinis notam meritò ſubire debet. Quemadmodum Porphyrius capitalis hoſtis pietatis, qui nefarios libros contra pietatem Chriſtianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & einſmodi quidem, vt apud poſteriora ſæcula non ipſe ſolùm maximis probris vexatus fuerit, & turpiſſima labe infamiæ aſperſus: verùm etiam impia eius ſcripta deleta, & penitus extincta; ſic etiam viſum eſt Arium & eius ſectatores Porphyrianos nuncupare, vt quorum ſecuti ſunt mores, eorum nomen habeant; quin etiam ſi quod opus ab Ario ſcriptum reperiatur, illud cremandum eſſe. Illud etiam mandamus, vt ſi quis librum ab Ario ſcriptum occultaſſe deprehenſus ſit, & eum non ſtatim in medium adductum igne combuſſerit, morte mulctetur; nam mox vt deprehenſus ſit, plectatur capite. O edictum, cui omnis vere Catholicus meritò adſcribere poſſit, *Bonum factum.*

SECTIO IV.

Inſtructio priuatarum quarumdam Bibliothecarum.

FORMA literariæ illius ædis, quam hactenus ſtylo moliri ſumus, eſt potius deſcriptio publicæ Bibliothecæ, quàm priuatæ: quamquam ſi quis priuatus tale ſibi Muſeum reipſa extruxerit, eáque varietate librorum quos in ſua armaria diſtribuimus, inſtruxerit, non repugnabo; laudabo potiùs. Tamen quia quiſquis Bibliothecam ſibi vni condit, vt plurimum ſolet ſibi comparare eos ſolummodo libros, qui vitæ ſuæ inſtituto & profeſſioni magis conueniunt, minus ſolicitus eorum, qui res alias tractant, quos velut corollarij duntaxat & acceſſionis loco habet: ideo viſum eſt eſſe mearum partium paucis hac ſectione indicare, quibus libris priuatæ Bibliothecæ certi cuiuſdam generis hominum conſtare debeant. Quicumque profitentur penitiorem eruditionem & vitam ſtudiis, diſciplinis, vel ſcribendis libris; eos certè par eſt nullum ferè alium deligere ad habitandum locum, quàm Bibliothecam publicam omni librorum copia affluentiſſimè inſtructam, quod feciſſe dicitur in Collegio Romano noſtræ Societatis P. Ioannes Lorinus, nobilis Scripturæ inter- 1.

 pres;

pres ; quandoquidem doctrinæ omnes ita connexæ ſunt inter ſeſe, vt ſingulæ vniuerſis,& vniuerſæ ſingulis opitulari debeant,quo exire poſſit è docentis, vel dicentis, vel ſcribentis ore & manibus dignum aliquod operæpretium, & abſoluti alicuius operis effectus. Verumtamen vnumquemque præcipuè abundare conuenit libris illius facultatis, quam ſpecialiter excolit & ornat, Medicum Medicis, Theologum Theologis,Iuriſconſultum Iuriſconſultis, Philoſophum Philoſophis, Phyſiologum Phyſiologis, Philologum Philologis, Oratorem Oratoribus,Mathematicum Mathematicis.Conſilium meum eſt hac ſectione definire quibus præſertim libris ornari debeat duplicis hominum generis Muſeum ; primò perſonarum Eccleſiaſticarum : deinde Principum. nam de aliis ſatis liquet.

Capvt I.

Eccleſiaſticorum Muſeum quos libros præcipuè admittat.

1. PRæcipuam atque hominum ſermonibus minimè obnoxiam, imò planè neceſſariam Eccleſiaſticorũ ac Religioſorũ in proximi ſalutem incumbentium ſupellectilem,libros eſſe debere, omnes pij & prudentes ſtatuunt, quandoquidem (quod eſt in iure) *imperitia illis culpa adnumeratur.* Solummodo videndum ex quo genere librorum confici debeat iſtius generis hominum Bibliotheca. Quod Rupertus [a] ſacerdotali pietate de ſuis libris dixit, *Opera mea ſic æſtimo & ſic æſtimari cupio, tanquam ligna quibus nutriri poteſt ignis charitatis in altari Domini.* idem optauerim eſſe in votis cuilibet homini ſacris initiato, vt omne ſuum ſtudium ξυλοφορίαν efficiat, hoc eſt, lignorum congeriem, quæ tam ipſi,quàm aliis hominibus proſit ad concipiendas cœleſtes flammas, & alendum diuinæ charitatis perenne incendium. Id vt præſter, primùm neceſſe eſt putet ad ſe maximè pertinere illud Stoici : *Plus ſcire velle quàm ſatis eſt, intemperantiæ quoddam genus eſt.* Illúdque Taciti de Agricola, *Studio ſcientiæ flagrantem animum coërcuit, tenuitque quod eſt difficillimum, ex ſcientia modum.* At nunc heu (quemadmodum iam ſua ætate D.Hieronymus lamentatus eſt,) *etiam ſacerdotes Dei omiſſis Euangelijs & Prophetis videmus comœdias legere, amatoria Bucolicorum verſuum verba canere, tenere Virgilium, & id quod in pueris neceſſitas eſt, crimen in ſe facere voluptatis.* Quod profectò ab homine conſecrato eſt alieniſſimum Ciceronem intemperantiùs lectitaſſe, D. Hieronymo multis iíſque grauiſſimis plagis ſtetit : mirificè narrat reus quàm ſeuerâ animaduerſione prophana ipſius lectio coërcita ſit, ac præclarum in ſe omnibus Religioſis & Eccleſiaſticis ſtatuit exemplum, neu velint neglecto rerum ſalutarium ſtudio in literas à ſua profeſſione abhorrentes incumbere. Sic habet epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis. *Quæ communicatio luci ad tenebras, quid conſenſus Chriſto cum Belial? Quid facit cum Pſalterio Horatius, cum Euangelijs Maro? cum Apoſtolis Cicero?*

a de glorif. S. Trin. ad Pont.Max.

Sen.ep.89.

D. Hier. ep.22.

Cicero? nónne ſcandalizabitur frater ſi te viderit in Idolio recumbentem, & li-
cèt omnia munda mundis, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione
percipitur; tamen ſimul bibere non debemus calicem Chriſti, & calicem dæmo-
niorum. Referam tibi meæ infelicitatis hiſtoriam. Cùm ante annos plurimos do-
mo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod his difficilius eſt, conſuetudine lautioris
cibi propter cœlorum me regna caſtraſſem, & Heroſolymam militaturus perge-
rem; Bibliotheca quam mihi ſummo ſtudio ac labore confeceram, carere omnino
non poteram: itaque miſer ego lecturus Tullium ieiunabam poſt noctium crebras
vigilias, poſt lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum extimis
viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus; ſi quando in me ipſum reuer-
ſus Prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus, quia lumen cæcis oculis
non videbam, non oculorum putabam culpam eſſe, ſed Solis. Cùm ita me anti-
quus ſerpens illuderet, in media ferinè Quadrageſima medullis infuſa febris cor-
pus inuaſit exhauſtum, & ſine vlla requie, quod dictu quoque incredibile ſit, ſic
infelicia membra depaſta eſt, vt oſſibus vix hærerem: interim parantur exe-
quiæ, & vitalis animæ calor toto frigeſcente iam corpore in ſolo tantùm tepente
pectuſculo palpitabat, cùm ſubitò raptus in ſpiritu ad tribunal iudicis pertrahor,
vbi tantum luminis, & tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris; vt
proiectus in terram ſurſum adſpicere non auderem: interrogatus de conditione,
Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille qui præſidebat, mentiris, ait, Ciceronianus
es, non Chriſtianus, vbi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum: illico obmutui, & Matth. 6.
inter verbera (nam cædi me iuſſerat) conſcientiæ magis igne torquebar, illum me-
cum verſiculum reputans, In inferno autem quis confitebitur tibi. Clamare au- Pſal. 6.
tem cœpi, & eiulans dicere, Miſerere mei Domine, miſerere; hæc vox inter fla-
gella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua prouoluti qui adſtabant, preca-
bantur vt veniam tribueret adoleſcentiæ, & errori locum pœnitentiæ commoda-
ret, extracturus deinde cruciatum, ſi Gentilium literarum libros aliquando le-
giſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo vellem etiam maiora promittere,
deierare cœpi, & nomen eius obteſtans dicere: Domine ſi vnquam habuero co-
dices ſæculares, ſi legero, te negaui. In hæc Sacramenti verba dimiſſus reuertor ad
ſuperos, & mirantibus cunctis oculos aperio tanto lacrymarum imbre perfuſos, vt
etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò ſopor ille fuerat, aut vana
ſomnia, quibus ſæpe deludimur: teſtis eſt Tribunal illud ante quod iacui, teſtis
iudicium triſte quod timui: ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæ-
ſtionem; liuentes fateor habuiſſe me ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tan-
to dehinc ſtudio diuina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram. Huc vſque
D. Hieronymus, cuius curioſitas tam ſeuerè diuinitus caſtigata ſi Sacer-
doti prophanorum auctorum pluſquam ſat eſt auido nihil proderit,
minùs ſanè proderunt monita Petri Bleſenſis[a]. & intentatæ ab ipſo mi- a ep. 6. ad
næ Priſcianus & Tullius, Lucanus & Perſius iſti ſunt dij veſtri, vereor ne in Ludimag.
extremæ neceſſitatis articulo vobis improperando dicatur: Vbi ſunt Dij tui, in
quibus habebas fiduciam? Surgant & opitulentur tibi, & in neceſſitate te prote-
gant. Vtinam (exclamat Alcuinus[b]) Vtinam Euangelia quatuor, non Ænei- b ep. 18.
dos duodecim pectus impleant tuum, & te auehat quadriga ad cœleſtis regni pa-
latium. Qui ſecus faciunt Sacerdotes, & qui (quod Ammianus Ethnicus
in quibuſdam Romanis item Ethnicis reprehendit) deteſtantes vt venena
doctrinas Iuuenalem & Maximum curatiore ſtudio legunt, nullaque volumina,

præterquam iſtius generis in profundo otio contrectant, cùm multa & varia pro amplitudine gloriarum & generum lectitare deberent. Quid illis (inquam) fu-
a coll. 14. c. 12. tilium literarum ſtudioſis Sacerdotibus eueniat, accipe ex Caſſiano [a], *Mens poeticis velut infecta carminibus illas fabularum nugas, hiſtoriáſque bellorum orationis etiam tempore meditatur, pſallentique vel pro peccatorum indulgentia ſupplicanti, aut impudens poëmatum memoria ſuggeritur, aut quaſi bellantium heroum ante oculos imago verſatur.* Adi ſuper hoc ipſo argumen-
b l. 2. par. 2. c. 11. to Iacobum Aluarez de Paz. [b] nam hoc loco ſatis.

Hi libri Sacerdotum ordini minùs conuenientes licèt reiiciantur,
2. non deerunt tamen vnde locupletare Muſeum ſuum vir religioſus, aut eccleſiaſticus poſſit, quod vt faciat, libróſque ſibi neceſſarios ad Dei obſequium perfectionémque propriam, atque ad ſalutem animarum procurandam ſtudioſè ſibi comparet, magnopere hortor; exemplo eiuſdem D. Hieronymi proprio periculo cautioris; qui licèt rebus omnibus ſæculi valere iuſſis, ac paupertatem voluntariam, voluptatúmque omnium contemptum profeſſus, tamen magnum ſtudium & diligentiam poſuit in condenda Bibliotheca, & aceruandis ſibi neceſſariis libris. Quos fuiſſe non exiguo numero idem epiſtola ad Florentium docet, petens
D. Hieron. ep. 6. ab eo Beati Rheticij Auguſtodunenſis Epiſcopi commentarios, vnà cum aliis quos non habebat, ſibi mitti, hanc ſuæ petitionis cauſam afferens. *Noſti* (inquit) *hoc eſt Chriſtianæ animæ pabulum, in lege Domini meditetur die ac nocte: cæteros hoſpitio excipis, ſolatio foues, ſumptibus iuuas; mihi ſi rogata præſtiteris, cuncta largitus es. Et quoniam largiente Domino multis ſacræ Bibliothecæ codicibus abundamus; impera viciſſim, & quodcumque vis, mittam. Nec putes mihi graue eſſe ſi iubeas; habeo alumnos qui antiquariæ arti ſeruiunt (intelligit eam artem qua occupatur in deſcribendis antiquis codicibus.) Neque verò beneficium pro eo quod polliceor poſtulo.*

3. Itaque ſtata & ſolennis palæſtra ſacerdotalis ſtudij hæc eſto. Theologi ſcholaſtici & morales, Scripturæ interpretes. Ius canonicum, hiſtoria Eccleſiaſtica, tractatus pij & Aſcetici, ſancti Patres; illi denique auctores, quorum ſcriptis Sacerdos iuuari poterit ad ſuſtinendum onus dignitatis ſuæ, & commiſſi muneris: harum rerum lectione alere animum ſuum debet, in ea conquieſcere, in ea feriari; ex ea prodire velut ex armamentario contra hæreſes, contra peccata, contra ignorantiam; in eo labore impalleſcere & immori, glorioſum; *in illis diſcendum quod*
S. Hieron. ep. 2. *doceat; in illis toto corde & animo verſandum, vt ſuccus ſpiritalis cibi in omnes*
S. Ambr. l. 2. de Abel. c. 6. *ſe venas animæ diffundat.* Nã ſi cõuerſatio Sacerdotũ debet eſſe in cœlis, τῶν γραφῶν ἀνάγνωσις, τῶν οὐρανῶν ἐστὶ ἄνοιξις. *Scripturarũ lectio, cœlorum reſeratio*
S. Chryſoſt. hom. 2. de verbis Iſa. *eſt.* Si Sacerdos veluti quidam ἐπίγειος θεὸς, *terreſtris Deus* à Clemente Romano [c] appellatur, & in diuinis oraculis tritum eſt illud, *Ego dixi:*
c conſt. l. 2. c. 26. & 30. *Dij eſtis, & filij Excelſi omnes; Diis non detrahes, Deus ſtetit in Synagoga Deo-*
Pſ. 81. *rum.* quas loquendi formulas Doctores paſſim de Sacerdotibus interpretantur. S. Iuſtinus Martyr [d] hanc Sacerdotum apotheoſim, ſeu enectionem in Deum, diuinæ Scripturæ attribuit, cuius peruolutatio de-
d or. 2. contr. 62. bet eſſe hominibus inauguratis penè aſſidua. quam proinde S. Ambro-
e l. 3. de fide c. 7. ſius [e] *ſacerdotalem* librum appellat, hæc non Poëtas (inquit) efficit, non Philoſophos reddit, neque oratores excellentes, ſed inſtruens facit

τοὺς

τοὺς θνητοὺς ἀθανάτους τοὺς βροτοὺς θεοὺς, è mortalibus immortales, ex *hominibus Deos:* ſi Sacerdos eſt *lucerna* quam Deus accendit vt fulgeat ſermonis & vitæ ſanctitate, *ἅπτει λύχνον ὁ θεὸς ἱερέα, ἵν' ἐξαστράπτῃ φωτισμόν.* Si Sacerdos eſt animarum *medicus*, ſi *pater S. Iudex*, vnde, amabo, haurire debet neceſſariam tantis muneribus obeundis ſcientiam, niſi ex ſeuerioribus, & grauioribus illis diſciplinis, quas indicauimus, ex quarum facultatum libris, corúmque iugi lectione id conſequetur, vt quod de Nepotiano presbytero ſcripſit ad Heliodorum D. Hieronymus, *pectus ſuum Bibliothecam efficiat Christi.* S. Iuſtin. ſup.

Verumtamen non eò hæc à me dicta ſunt, vt penitus excutere ſatagam è Sacerdotum, vel Religioſorum manibus prophanos ſcriptores, quando aliena vtilitas, vel obedientia id præceperit. imò etiam breuiculam ad tempus eiuſmodi rerum animi laxandi causâ lectionem non reprehendo, dummodo ei ſtudio quod primarium eſſe par eſt, nihil efficiat: tamen ſumma cautione in eiuſmodi libris, præcipuè in poëtis, & auctoribus minùs caſtis terendis, opus eſt Sacerdoti; qui non immeritò Clementis Alexandrini verbis [a] compellare ſe, & dehortari à tali ſtudio identidem deberet, ſi ſe ſentit ad illud propenſiorem. *Nos Deo donati & dedicati ſumus pro Christo. genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus peculiaris; qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui (vt ait Ioannes) non ſumus ex iis, qui ſunt inferiùs, ſed Dei œconomiam, ſeu carnis ſuſceptæ diſpenſationem comprehendimus; qui vt in vitæ nouitate ambularemus nos exercuimus. Deorum itaque nuptiæ, & liberorum procreationes, & puerperia, & adulteria quæ canuntur, & conuiuia quæ à comicis recitantur, & riſus qui in potu inducuntur*, &c. *quid ad nos?* Quòd ſi neceſſitas interdum ad aliquem auctorem ſuſpectiorem legendum impulerit, non minùs paratus ſis, ô Sacerdos, (ait Plutarchus [b]) quàm qui ad vitandam ebrietatem amethyſtis de collo pendentibus vtuntur. Amethyſtus ſacerdotalis quo vitabitur ebrietas ex vino erroris & impudicitiæ quod propinatur in malis libris, hic erit; promptus ex diuite dactyliotheca S. Gregorij Nazianzeni, qui ex eo quòd proprium Sacerdotum ſit diuinas laudes modulari, infert ſuperſedendum eſſe prophanis cantibus & occupatione indigna tanto dignitatis apice. *Organum Dei ſum*, inquit [c], *ac bene modulatis carminibus, Dei, quem omnia metuunt, laudes cano. Cano, inquam, non Troiam, non Argonautas, non aprinum caput, non celebrem Herculem, non quomodo aptiſſima compage terra cum mari cohæreat; non gemmarum ſplendorem, non cœleſtium orbium curſum, non furioſos amores, non eximiam iuuenum lyram prioribus digitis molliter pulſantium formam: verùm Deum illum magnum Trinitatiſque numen cano, magnóſque Angelorum hymnos, quibus propiùs ſtantes certatim Deum celebrant: cano etiam mundi concentum, & quidem præſentis vitæ concentu longè præſtantiorem, quæ omnibus rebus in vnum finem properantibus auidè excepto; cano inſuper immortalem Chriſti paſſionum gloriam, quibus me, humanam formam cœleſti admiſcens*, &c. *Hæc ſunt quæ lingua mea cithara cuiuſdam inſtar modulatur. Quo magis nobis, qui ſacerdotij munus obimus, prouidendum eſt, ne quem vllum ſonum edamus, qui ab huiuſmodi concentu diſcrepet. Equidem ipſe puris ſacrificiis, quibus magnum illum Regem mortalibus concilio, puram linguam ſeruabo: neque enim committam, vt ab aliena*

4.

a exhort. ad Gentes.

b de ratione legendi poëtas.

c in carm.

aliena lingua fœdáque, & obſcœna mente viuificum illud ſacrificium puriſſimo Deo mittam, ex vno eodémque fonte non ſimul & dulcis & amarulenta aqua ſcaturiet; purpureæ veſti cœnum minimè conuenit,&c. Hactenus Nazianzenus. Idem paucis attigit D. Auguſtinus[a]: *Videte ſi iuſtum eſt*, inquit, *vt ex ore Chriſtianorum*, nedum Sacerdotum corpus Chriſti ingreditur, *luxurioſum canticum quaſi venenum diaboli proferatur.* Quod duo SS. Præſules de ore & cantu dixerunt, hoc ipſum de oculis & lectione Sacerdotis dictum ſit. *Erubeſcat ſuperbus, & infelix peccator*, ſed præſertim Epopta, Theorus, Hierophanta, hoc eſt, Sacerdos ſupremi Numinis, *cui plus placet ars Ariſtotelis, quàm ſcientia de Apoſtolis; plus codex Platonis, quàm liber diuinus, quem nulla lectio lætificat, nulla ſcientia ædificat, nullus ſermo ſapit, niſi fuerit grammaticè conceptus, dialecticè imaginatus, rhetoricâ purpuratus: ſtultus es qui hæc ignoras & erras; quoniam qui talia agunt, & in talibus dies ſuos conſumunt, peccatum ſibi generant, & mortem parant, quia ex ſimili ſtudio ſimilem concipiunt ſcientiam; hoc eſt, folia colligunt, non in fructus; ſcilicet verba, & non virtutes.* Hæc D. Auguſtinus[b], quibus verbis conſonat B. Petri Damiani parænesis ad Aripandum Monachum[c]. *Noli huiuſmodi ſapientiam quærere quæ tibi cum reprobis & Gentilibus valeat conuenire. Quis enim accendit lucernam vt videat ſolem? quis ſcolacibus vtitur, vt ſtellarum micantium videat claritatem? Diſcumbis frater ad menſam Dei, ſufficiant tibi dapes cœleſtis eloquij: abiice lolium, quod in veſaniam comedentium mentes inebriat. Suſcipe frumentum quod eſurientium animas ſobria refectione confirmat. Nec fauces animæ tuæ vitalis eſcæ faſtidiant alimentum, ſed procul abiiciant falſitatis ineptias, & quiſquilias vanitatum.* Ne committant (per Deum immortalem, & hierarchici apicis dignitatem) Sacerdotes, vt in eos ſtringatur, quod D. Gregorius Nazianzenus aliquando in quemdam contorſit. *Quid tibi accidit vir ſapientiſſime, vt ſacris & dulcibus libris, quos quondam populo lectitabas, calcatis atque proiectis, aut etiam ad ſummum ſuſpenſis, non ſecus atque nauium gubernaculis, & ligonibus hyemis tempore, ſalſos & amarulentos in manus ſumpſeris, ac Rhetor vocari, quàm Chriſtianus malueris?* verum quidem eſt à diſciplinis encyclicis totum animæ ornatum pendere, (inquit Philo[d]) quæ ſunt quaſi dealbationes, tabellæ pictæ, marmoratæ incruſtationes, quibus & parietes & pauimenta ornantur: ſed tamen hæc aut nihil, aut perparum ad firmitatem conferunt, ſed ſolùm ad delectationem habitantium. Sicut idem alio loco[e] dixit, eum qui ſoli Encyclopædiæ dat operam, *inquilinum, non ciuem eſſe ſapientiæ*, & per hanc contemplationem ſuaueolentiam quidem aliquam aſpirare; at verò cibis, non odoribus ad ſanitatem opus eſt: aut ſi grauius etiam teſtimonium requiris, ſtatue vtrùm conueniens ſit Sacerdoti in ludo & palæſtra, & pugnæ ſimulacris ſemper verſari, & nunquam, aut rarò in campum & ſolem prodire, ſeriò certamen initurum. Id ne faciat Seleucum monet S. Gregorius Nazianzenus[f], *poſteaquam mentem variorum ſcriptorum lectione tanquam in palæſtra priùs mediocriter exercueris; tum deinde in literis à Spiritu ſancto profectis certamen ſuſcipito, geminorúmque fœderum ingentes opes colligito, quorum alterum vetus eſt, alterum ſemper nouum.* Aſſentior quidem D. Baſilio dicenti[g], *Quemadmodum vites clauiculis ſuſtentantur; ita fidem externis diſciplinis fulciri*: inde tamen conficio haud maiore cura

a ſerm 215. de temp.

b tract. 9. ſpec. peccat. c. 6.

c opuſc. 45. c. 8.

d l. de Cherub.

e de ſacrif. Abelis & Caini.

f carm. de recta educatione.

g l. 5. hex.

Sacerdotis

Sacerdoti ſatagendum de prophanis ſcientiis, quàm agricolę de vitium clauiculis. *Omnino terrena ſapientia diuinæ ſeruiat*, clamat cum recta ratione D. Gregorius Nazianzenus [a], *nec inſletur ancilla vano conatu, ſed ad miniſtrandum conuenienter & decorè condoceſiat.* non arceo humanas diſciplinas à Sacerdotis Muſeo, quod eſſe debet ſapientiæ diuinæ velut conclaue & cella ſanctior; ſed modum præſcribo; neque frequentiorem illis ingreſſum intra ſacra hæc penetralia permitto, quàm quantum neceſſitas, & obſequij dominæ ab ancillis perſoluendi ratio poſtulauerit. Modum autem hunc & rationem Ricardus ſic definit [b]. *Sæculares ſcientiæ ſpiritualibus ſtudijs ſubſeruiant; & nihil quod veræ deuotionis lucris non militet, homo Deo conſecratus in ſuis exercitijs præſumat:* ſi hæc lex diligenter & religiosè ſeruabitur, mirum in modum nobilitabuntur, imò conſecrabuntur prophanæ artes à ſcientia Crucis Chriſti, *necnon ſalſa illa & impotabilis Mara per vitæ lignum edulcabitur:* qui ſecus facit Sacerdos, & Gentilium doctrinis totus immergitur, quàm longè abſit a domo & familiari conſortio ſummi Regis Dei eleganter docet R. Moſes Ægyptius [c]. *Scito fili mi*, inquit, *quòd dum ſtudueris in ſcientijs diſciplinalibus, & in arte dialectica, eris de illis qui circumeunt domum Regis quærentes portam ipſius, ſicut dixerunt ſapientes in parabola: adhuc filius Auenzoma eſt foris; cùm verò intellexeris naturalia, tunc iam intraſti munitionem Regis, & ambulas per atrium: cùm verò perfectus fueris in naturalibus, & intellexeris ſpiritualia; tunc iam intraſti in domum Regis, & eris cum ipſo in eadem domo; ſed nondum vidiſti eum. hic autem eſt gradus ſapientum, diuerſi tamen ſunt in ſuis perfectionibus. Qui verò poſtquam perfectus fuerit, exercuerit cogitationes ſuas, & in omnibus actibus ſuis intenderit in Creatorem, & poſtpoſuerit omnia alia, & potuerit omnia opera intellectus ſui in omnibus creaturis ad ſciendum ex ipſis Creatoris eſſentiam; ille eſt de illis, qui ſemper ſunt cum Rege, & vident faciem illius, & hic eſt gradus Prophetarum.* Statuat nunc Sacerdos quo nomine appellandum ſit ipſius Muſeum, & vbi habitet, vbi commoretur; vtrùm foris in platea, vtrùm in propylæo, vtrùm in atrio, vtrùm (quod ipſius dignitas & vitæ inſtitutum exigit) in Regij cubiculi penetralibus.

a ſuprà.

S. Paſcaſius l. 3. in Matth.

b de eruditione interioris hominis.

S. Gregor. Naz orat. ad Cathedr. Conſtantinop.

c lib. 3 ductoris dubit. 52.

Capvt II.

Principum & Nobilium Muſeum quo genere librorum inſtrui debeat.

Regum maximi ac ſapientiſſimi licèt dominarentur in populis, tamen ad cumulum gloriæ & maieſtatis ſuæ, ſeruire literis voluerunt, nec ea ſolùm mente didicerunt ſermonem Latinum vt communicare cum exteris poſſent; etſi hoc etiam frugi eſt, (ait Æneas Sylnius [d]) ſed quia omnis bene viuendi ratio literis continetur, *& ſine literis omnis ætas cæca eſt, nec alieno carere ducatu poteſt illiteratus Princeps.* Cùm tamen (vt Ariſtoteli placet) debet eſſe *lex animata*; & (quemad- 1.

d l. 1. ep. 105.

modum, Vegetio viſum eſt) *nullus ſit quem oporteat vel plura, vel meliora ſcire.* Quapropter Principem librorum amantem eſſe prorſus conuenit, vt fuere propè omnes quotquot cum aliqua laude imperauerunt, Philippus & Alexander Macedones, Iulius Cæſar, Octauius Auguſtus, Theodoſius, Carolus Magnus, Alphonſus Aragonius, Carolus V. Philippus II. Catholicus, aliíque plurimi.

2. Porrò amens ſim ſi velim Principem in ſtudiis conſeneſcere, & neglectâ adminiſtratione Imperij deſidere in Muſeo, & in commentatiunculis, vel ſcriptiunculis immori. *Non deerant ſtudia doctrinæ proceribus* Romanis (inquit Valer. Max. [a]) *ſed tamen exiſtimarunt eſſe indignum, illecebris & ſuauitate literarum imperij pondus & auctoritatem domari.* Meritò Iulianus apoſtata reprehenditur tanquam philoſophis plus æquo addictus, & (quemadmodum Ammianus [b] loquitur) quòd *Graculus literio* audierit: meritò Michaëlem Imperatorem Ducæ filium ſapientes criminantur, quòd inſigni ſuo dedecore & Imperij probro ita ſe conſecrauit libris, adeóque vehementer artes liberales complexus eſt, vt artem Principis neglexerit, illis Imperium regentibus qui regi debuerant. Contrario vitio laborant Principes qui planè ἄμουσοι ſunt, atque à libris tanquam à conſorte imperij abhorrent. Si Marcius Cariolanus & Caius Marius Muſis Gratiíſque identidem litaſſent, non impetu præcipites tam turpem fœdúmque ſuis rebus exitum dediſſent. Ludouicus IX. Francorum Rex Carolum filium ſuum eſſe voluit rudem & imperitum omnis doctrinæ, ne (vt aiebat) in conſiliis capiendis peruicacior eſſet, & tenacior ſui ſenſus: hoc quidem aſſecutus eſt, at non ſine indignatione ſubditorum, ac regni damno, cùm Regem duo tréſve homunculi, atque illi ex gregariis huc illuc pro ſuo arbitratu circumagerent, inquit Lipſius [c]. Modus itaque quidam tenendus eſt, vt nec omnino Princeps à libris & Muſeo alienus ſit, nec ita tamen ſe tradat ſtudiis, vt reip. adminiſtrationi tantummodo ſe commodet. Aureum & regium hunc modum præſcribit ex Tito Liuio Iuſtus Lipſius. *Erudiatur artibus quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur.* Artes autem illæ ſunt quæ ad *ſplendorem*, ad *prudentiam* atque ad *virtutem* Principe dignam conferunt: ex hoc ternario numero regiorum ornamentorum facilè intelliges quibus libris Regis, vel Principis, vel Dynaſtæ, vel nobilis Muſeum inſtruendum ſit.

a l.2.c.27.
b 17.
c in c.10. ad lib.1. pol.

3. Ad *ſplendorem* pertinent illi libri, qui de ſcutis gentilitiis, ſiue ſymbolicis inſignibus nobilium familiarum tractant; quæ ars (vulgò Artem heraldicam, ſiue *Blaſones armorum* vocant) *Ars nobilium* meritò appellatur: ac proinde quandoquidem nobilitatis radij deriuantur à Principibus velut à fonte omnis ſplendoris & maieſtatis, valde conſentaneum foret eos peritos eſſe huius artis, & intelligere illa virtutis & heroicorum facinorum ſymbola, quæ ipſi benemeritis concedunt in ſcutis expreſſa hæreditario iure tranſmittenda ad poſteros tanquam auitæ magnitudinis perennia monumenta. Ferunt Renatum Siciliæ Regem adeò fuiſſe intelligentem huius artis, adeóque ea delectatum, vt non ſolùm ipſe non indigeret fecialium principe, (quem *Regem armorum*

morum vocant) ſi quem in nobilium ordinem adſciſcere vellet, eíque nobilitatis inſignia concedere; ſed etiam propria manu venuſtiſſimè & ſcientiſſimè pingeret ſymbolicis teſſeris & imaginibus ſcuta eorum, quos præcipua gratia & beneuolentia dignabatur. Nunquid venuſtum foret, ſi Princeps commentarios omnes de hac arte ſcutaria tum typis excuſos, tum manu fecialium ſcriptos, atque illuſtrium totius orbis familiarum inſignia egregiè depicta haberet in voluminibus, vel in tabulis, eorúmque propriis verbis interpretationem, atque ſignificationem (quæ eſt medulla huius artis) ſubiectam ſingulis ſymbolis, metallis, coloribus, velleribus ex fecialium, ſiue heraldorum præceptis & regulis rectè noſſet? expediret in primis vt nobilitatis fiduciario iure ſibi obnoxiæ ſcuta gentilitia ordine per ſuas prouincias & claſſes digeſta explicaret in aliqua porticu, vel procœtone: adſpectus ſanè nobilis, & occupatio planè regia, ac Nobilium ad amandum colendúmque ſuum Principem vehemens incitamentum, cùm animaduerterent ſe tanti fieri, vt ipſorum laudes & præclarè facta expreſſa in teſſerariis illis parmis perpetuò Principis oculis obuerſentur: eò etiam meliùs res haberet, ſi conclaue typis illis ſcutariis ornatum facilè pateret Nobilibus; nam ex tali proſpectu (quod monuit Tacitus [a]) *licèt magiſtris aliis exuti, ſatis amplis doctoribus inſtruerentur, nimirum maioribus ſuis*; quorum virtutem & animos viderent ſymbolicè expreſſos illis inſignibus. Renatum Siciliæ Regem huius artis fuiſſe in primis ſtudioſum memorant. Audio item Carolum Emmanuelem Ducem Sabaudiæ, & apud Hiſpanos vltimum Ducem del Infantagdo, eam cum magna animi ſui voluptate didiciſſe. Marchio de Caſtelrodrigo miſſus in Vrbem Catholici Regis Orator inter cætera ornamenta quæ Dynaſtam ad magna natum ſingulariter commendant, vt hac quoque ſcientia egregiè præditus eſſet, effecit; & ſi quid librorum de hoc argumento editur, ſi quid MStum reperitur, illud ſibi ſtudioſè comparat, velut luculentæ illius Bibliothecæ quam poſſidet, atque ſtudij principe viro digni ſummè proprium. Is pro ſua humanitate me aliquando de huius generis libris interrogauit. In hunc ordinem librorum refero numiſmatum antiquorum codices, Imperatorum ac illuſtrium perſonarum iconas, & elogia, emblemata, literaria graphicaque ſymbola, in quibus & breuitas ad legendum allicit, & acumen delectat, & eximiarum rerum delectus ad imitandum inuitat: vnde nec ſolùm ad ſplendorem faciunt libri iſtius generis, verùm etiam plurimùm ad vtilitatem.

a in ann.

Prudentiæ & bellicæ artis comparandæ idonei ſunt libri qui ſecuntur. 4.
Geographici, vix enim credi poteſt quantopere ad conſilia & prudentes deliberationes iuuet noſſe ſitum, portus, opes, ingenium, ac mores diuerſarum gentium: item quicumque de re bellica diſputarunt, de vmbraculi gladiatura, de aucupio & venatione, de militia equeſtri ac pedeſtri, de vrbium munitionibus, de officio Imperatoris, de re tormentaria, de Catadromo & palæſtra equinæ domituræ, de apto vſu omnis generis telorum atque armorum munientium, de caſtrorum deſcri-

ptionibus. præſertim verò regium Muſeum abundet ſelectioribus hiſtoricis; qui quo ſtudio comparandi ſint, atque à Principibus legendi, diſce ab vno Principe, is eſt Baſilius Macedo Imperator in monitis paræneticis ad Leonem filium futurum in Imperio ſucceſſorem, *ἱστορίας ἀρχαίας ἐξέρχεσθαι μὴ κατόκνει· ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσεις ἀκόπως, ἅπερ ἕτεροι συνῆξαν ἐγκόπως, καὶ μάθοις ἐκεῖθεν τάς τε τῶν σπουδαίων ἀρετὰς, καὶ τὰς τῶν φαύλων κακίας, τάς τε τοῦ βίου πολυτρόπους μεταβολὰς, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων τὰς ἐναλλαγὰς, καὶ τοῦ κόσμου τὸ ἄστατον, καὶ τὸ τῆς ἀρχῆς εὐμετάπτωτον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τῶν μὲν φαύλων τὰς ἀμοιβὰς, τῶν δὲ σπουδαίων πράξεων τὰς ἀντιδόσεις· ὧν τὰς μὲν φύγῃς ἵνα τῆς ἐκεῖθεν δίκης πεῖραν μὴ λάβῃς τὰς δὲ κατορθώσῃς τῶν ἐντεῦθεν ἐπάθλων καταξιωθῇς. Per hiſtorias veteres ire ne recuſa. ibi enim reperies ſine labore quæ alij cum labore collegerunt, atque illinc hauries & bonorum virtutes & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuerſiones, mundi huius inſtabilitatem, & rerum præcipites caſus: &, vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas & bonorum præmia; quorum illa fugies, ne in diuinæ iuſtitiæ manus incidas; hæc amplecteris vt præmijs quæ ea comitantur, potiaris.* hæc Baſilius Imp. Si gerendum bellum, diſcet Princeps ex libris hiſtoricorum fortitudinem Alexandri, calliditatem Annibalis, tempeſtiuam cunctationem Fabij, Scipionis prudentiam, Iulij Cæſaris diſciplinam, Sertorij & Marcelli audaciam, Iugurthæ ſagacitatem, Caroli Magni heroicam pietatem, Caroli V. ineluctabilem in vtraque fortuna æquabilitatem: & pro vniuerſo vitæ ſuæ inſtituto diſcet ſuperiorum Principum vitia ac virtutes, funeſtas plurimorum mortes & earum cauſas, Imperiorum ruinas & excidia, quis temeritati eſſe exitus ſoleat, quis prudentiæ; quo loco eſſe imperium (quem *ſtatum* vocant) debeat, quo religio; quam grauiter ſeriùs ociùs decepti ſunt quotquot peruerſo ordine hanc illi, non illud huic accommodarunt. Diſcet ex hiſtoria facta Principum in vtramque partem iuri hiſtoriæ obnoxia eſſe, & ſexcenta id genus: non indicabo vllum hiſtoricum nominatim; quia qui Bibliothecam Principis componere poſſint, plurimi ſunt & eximij; tales ſcriptores vt frequenter Princeps adeat Polybius & Ariſtoteles præceptis ſuadent: Alexander Imperator

a l. 1. exemplo. Polybius [a], *ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίας μάθησιν, veriſſimam diſciplinam exercitatio-*

Rhet. cap. 5. *némque ad res ciuiles hiſtoriam eſſe.* Philoſophus, *χρήσιμοι πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλὰς, αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφόντων ἱστορίαι, vtiles ſunt ad publicas deliberationes rerum geſtarum hiſtoriæ.* Alexander Imperator omni-

Lamprid. in Alex. bus ſuis conſiliis literatos adhibebat, & maximè eos qui norant hiſtoriam.

5. Quod præſtant exemplis hiſtorici, hoc præceptis efficiunt Philoſophi morales, ſiue qui monaſticas, ſiue qui politicas, ac regias virtutes complectuntur. Quamobrem auctorum huius generis monumenta eſſe debebunt non minima pars Bibliothecæ Principis: longiſſimè tamen ab ea arcendi Bodini, Machiauelli, Lanoüei & cæteræ rerump. peſtes, quibus ſi Princeps aſſueuerit, certam inde ſibi ſuiſque ſubditis perniciem hauriet.

Libros

Libros pios in quibus officium Chriſtiani hominis & probi Principis explicatur, & voluntas ad illud implendum permouetur, cum enumero poſteriore loco, eos impenſiùs commendo. Baſilius Imperator monet è Ieſu Syracidæ libris ciuiles ac regias virtutes colligi. Ioan. de Auila Concionator idémq; primæ notæ politico-Chriſtianus diuina illa epiſtola quam de optima Reipubl. procuratione Prætori Hiſpalenſi ſermone Hiſpanico ſcribit, ei omnibúſque rerump. rectoribus aliquam ſacrorũ Codicũ lectionem ſuadet; è quibus non ſolùm illuſtria priuatæ vitæ rectè inſtituendæ documenta hauriuntur, verùm etiam alienæ: & vbi proborum Regum quæ Principes imitentur exempla, & improborum pœnæ cernantur, quas metuant. Nec abs re (inquit) præcepit Deus volumen legis Regibus ab Sacerdotibus porrigi, nimirum vt Principes meminerint, regna & imperia à Deo eſſe, atque ex diuinarum legum præſcripto adminiſtranda. Inſuper monet præcipuè profuturam lectionem Prouerbiorum, Eccleſiaſtici, Sapientiæ, hiſtoriæ Regum, & ſingularium quorumdam locorum ex Prophetis, ac in primis noui Teſtamenti, vtique referti excellentioris doctrinę. Proinde Gloſſam aliquam ordinariam locis difficilioribus interpretandis in promptu eſſe operæ pretium fore: præterea quorumdam Eccleſiæ Conciliorum, nec non & Paſtoralis S. Gregorij, eo quòd in eiuſmodi libris non ſolùm tractantur quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpiritualium rerum & diuini Verbi tradendi rationem pertinent, verumetiam quæ ad publicæ rei procurationem. 6.

Selectioribus harum facultatum libris inſtrui præcipuè debet Muſeum Principis, qui quidem ſi Latinam linguam callebit eatenus, vt quamuis non adeò expeditè loqui poſſit, ſaltem quæ legerit facilè percipiat, dici non poteſt quantopere hæc peritia ei profutura ſit; ſingulares enim ac præcipui libri ferè Latino ſermone conſcripti ſunt: & vix vnquam eſt, vt verſio vim illam & indolem retineat, quæ congenita eſt primigeniæ auctoris menti & ſcriptioni: multa concepta ſunt in diuinis literis Hebraico ſermone ſumma perſpicuitate & elegantia, quę dũ in Græcam linguam transferuntur, συγχύσιν τινὰ ἀπεργάζεσθαι, quandam cõfuſionem parere monet D. Gregorius Niſſ.[a] nec Hebrææ locutiones puram & elegantem compoſitionẽ æquari phraſi attica. Idem de cęteris linguis dictum eſt. O quàm beati erunt Principes & felix Reſpublica ſi auſcultent Æneæ Syluio breue hoc monitum Sigiſmundo Auſtriaco ſuggerenti. *Vnam duntaxat quotidie horam poſco quam literis prabeas.* Videat tamen Princeps (inquit Tacitus) *vt non nomine magnifico ſegne otium velet, ſed vt firmior aduerſum fortuita rempubl. capeſſat.* Mineruam colat non mollem & delicatulam, ſed cataphractam & heroïnam, réque ac facto faciat quod Fridericus tertius Romanorum Imperator, Rex Germaniæ, Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Sclauoniæ, & Archidux Auſtriæ ſymbolo ſuo innuit: prætulit brachium armatum tenens enſem nudum & erectum impoſitum libro ſuper menſa, cum hac epigraphe, *Hic regit* (liber,) *ille tuetur* (enſis.) 7.

[a] homil. 2. in Cant.

Æn. Sylu. ep. 105.

Dabunt mihi veniam Europei Principes ſi quoſdam Africanos Re- 8.

Sypcrius in ſymbolis. ges proferam, qui ſuo facto hanc Muſei condendi & librorum curam aliis Regibus commendarunt. Abundant quidem Europa & Aſia vtpote manſuetiores cultioréſque eiuſmodi Regum exemplis; at in externis illis fortaſſe ad imitationem plus momenti. Domeſticam Bibliothecam eámque eximiam Regis Algeriæ, ac repertum in ea libellum Thomæ à Kempis de imitatione Chriſti, cuius lectione mirificè paſcebatur, iam ſuperiùs attigimus libro primo, eo capite quo diximus de Bibliothecis in Regum palatiis extrui ſolitis. Celebratur Bibliotheca Iacob Almançor Regis Arabiæ & Africæ, cuius Legati Muça & Tarif Hiſpaniam ceperunt de infelici Rege Roderico, ea verò fuit voluminum, ſiue tomorum quinquaginta quinque millium ſeptingentorum viginti duorum, linguarum ac licentiatum varij generis; pendebant autem chartæ illæ omnes ducenta nouemdecim centipondia. Muleaſſis Tuneti Regis Bibliotheca, cui auraria pictura addebat pretium, adeò numeroſa fuit, vt, quemadmodum ſcribit frater Ludouicus de Vrreta, cùm Mena Imperator Æthiopiæ audiuiſſet fuiſſe expilatam à Caroli quinti Imperatoris exercitu, negotium dedit negotiatoribus Ægyptiis & Venetis quocumque tandem pretio quoſcunque poſſent libros redimerent, Mathematicos, Medicos Phyſiologos & alios aliarum facultatum. Misêre illi ad Menam Imperatorem ampliùs tria millia, quos ſtatim ipſe tranſmiſit ad regiam Abyſſinorum Bibliothecam, quæ omnium hactenus Bibliothecarum (quoad annales & hiſtorias repetere poſſumus) ne Alexandrinâ quidem exceptâ, numeroſiſſima eſt. Nam (ſi Vrretæ credimus) in monaſterio ſanctæ Crucis in monte Amara, tria ampliſſima conclauia replet, quibus continentur ampliùs decies millies centena millia voluminum, ſcripta in candidis membranis pergamenis, atque in thecis ſericis repoſita. hanc librorum ſupellectilem (vt fama eſt) aceruare cœpit Regina Saba, ipſiúſque ac Salomonis communis filius Melilec, cuius dicuntur eſſe opera pleraque cum aliis Enochi, Noëmi, Abrahami, & Iobi, nec deſiderantur vlla Sanctorum monumenta quicunque aliquid ſcripſerunt, ſicut conſtat ex indice Antonij Grici, & Laurentij, Cremones, qui rogatu Cardinalis Zarleti & iuſſu Gregorij decimitertij, miraculum illud librarium (quod Æthiopica lingua *Aſſabraria* vocant) inuiſerunt. Nec eſt prætereundum iſtud, quod inter ſolennes ritus inaugurationis Abyſſinorũ Imperatorum eſt, *traditio clauium Regiæ Bibliothecæ*; perinde ac ſi nihil ſit in toto illo vaſtiſſimo Imperio auguſtius libris; ac teſtentur Æthiopes ſe ſummopere deſiderare, vt Principes maieſtatem & regnandi peritiam è libris & literis ſibi accerſant.

Abençufian in eius vita quæ refertur ab Abucarçin Tarif. Abentaríque, & conuerſa eſt ex Arabico à Michaële de Luna.

9. Rurſus Alexandrum Principibus profero in exemplum, ne putent ſtudium librorum & legendi officere publicis curis, & à maieſtate alienum eſſe. Inconſultus fuit Alexander (interrogat Plutarchus) [a] qui ita tenui cũ re, fretus ſcilicet triginta peditum, & quatuor equitum millibus, auſus eſſet Babylonem ſperare & Suſa, imò vel Imperiũ in vniuerſos homines animo concipere. Nequaquam verò. Quis enim maioribus, pulchrioribúſve inſtructus rei gerendæ occaſionibus ad bellum profectus

a Orat. 1. de fortuna, ſiue virtute Alexandr.

profectus eſt? magnanimitate, prudentia, temperantia, fortitudine, *εἰς αὐτὸν ἐφωδίαζε φιλοσοφία πρὸς τὴν στρατείαν. quibus cum viaticis Philoſophia ad expeditionem inſtruxit*, vt maiorem à præceptore Ariſtotele, quàm à Philippo Patre commeatum ad rem gerendam conſecutus in Perſas mouerit. Nos autem credimus iis qui dicunt Alexandrum aliquando dixiſſe Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν ἀκολουθεῖν αὐτῷ τῆς στρατείας ἐφόδιον, *Iliadem ſe & Odyſſeam habuiſſe ſecum expeditionis ſuæ viaticum*, atque Homerum eo nomine prædicamus. Si quis verò affirmet eum libros iſtos animi reficiendi laboríſque conſolandi & otio ſuauitatem conciliandi gratia ſecum tuliſſe ἐφόδιον δὲ ἀληθῶς γεγονέναι τὸν ἐκ φιλοσοφίας λόγον. *viaticum ei re vera fuiſſe doctrinam è philoſophia* perceptam, ac commentationes de vacuitate metus, fortitudine, temperantia, magnanimitate contendimus. nihil eſt igitur quod verecundentur Principes habere aliquod cum libris in otio literario commercium; & vocari Alexandro φιλόμηροι.

LIBER

LIBER TERTIVS
MVSEI,
SIVE
BIBLIOTHECÆ
CVRA.

DVÆ ſunt artes, quarum minutiſſima præcepta callere, imò etiam minima earum opera interdum facere, honeſtum eſt, Ars bellica, & libraria. Videas interdum quoſdam Reges & Imperatores, qui tam peritè & ſcienter bellicum tormentum fundant, enſem tingant & temperent, tam dextrè equo ſoleas indere ſciant, tam bene equorum morbos ac medicamenta norint, ac illi ipſi, qui vnis illis miniſteriis occupantur, adeò in re magna nihil exiguum eſt. Idem proportione eſt in re literaria, neque à rogato viro quantumlibet illuſtri, aut à dignitate & ingenuitate liberalium diſciplinarum vſquam alienum eſt ea cognoſcere, ſine quibus rectè & ordine conſiſtere Bibliotheca minimè poteſt. Ideo dicturi ſumus hoc libro *de cura librorum ac Muſei*, quam literarum cultores maximè ad ſe pertinere profiteri debent. proindéque nec nos in rebus iſtis cuiquam nimis accurati ac ſuperſtitioſi videri debebimus.

SECTIO I.

De perſonis Bibliothecam accurantibus.

1. a l. 4 ad Att. ep. 8.

QVID conferant idonei Bibliothecarum curatores, diſce ex Tullio [a]. *Poſteaquam* (inquit) *Tyrannio*, (erat ſeruus literarius, & Quinti filij magiſter,) *mihi libros diſpoſuit, mens addita videtur meis ædibus, qua quidem in re mirifica opera Dionyſij & Menophili* (ambo erant glutinatores & præfecti, qualis Tyrannio erat) ſunt velut *anima Bibliothecæ*: reliqui præfectorum imperia exequentes, ſunt tan-

quam

quam *facultates actiuæ*, quæ omnia rectè perficiunt, de quibus hoc libro ſigillatim.

CAPVT I.

De Bibliothecarum Præfectis illuſtrioribus.

1. QVod præſtat in naui gubernator, illud facit in Bibliotheca præfectus: excubat, proſpicit, præcipit, vt omnia bellè habeant. Qui primus hoc munus præfecti Bibliothecæ geſſerit, (quantum repetere vetera tempora poſſum,) fuit Ariſtoteles, de quo ſic breuiter Strabo. *Primus Ariſtoteles libros congregauit, & Ægypti Reges Bibliothecæ ordinem docuit.* huic ætati proximus fuit Demetrius ille Phalereus, de quo iã nõ ſemel, cuius vitam Diogenes ſcripſit, quíque tot & tanta compoſuit, vt omnes ſui temporis Peripateticos ſuperauerit. Is fuit Theophraſti diſcipulus, qui ob eximias virtutes Athenienſibus præfuit annis decem, trecentíſque ſexaginta ſtatuis æreis honoratus eſt: verùm damnato Phocione, ipſe quoque licèt abſens (vt teſtatur Plutarchus) cum Callimedonte & Caricle reus mortis pronuntiatus eſt. Addit Laërtius omnes illas ſtatuas (vnâ duntaxat exceptâ) in eo furore aut ruptas, aut ſubmerſas, aut vẽditas fuiſſe. Quod cũ ille audiuiſſet, *At virtutẽ, inquit, cuius gratiâ illas erexerunt, minimè euerterunt.* Is fuit qui conſilium Ptolemæo dedit vt ſibi libros adhiberet pro monitoribus, vtique veritatem liberè ſuggere nihil reformidaturos: is cuius ſuaſu volumina veteris Inſtrumenti ex lingua Hebræa in Græcam conuerſa ſunt à ſeptuaginta Interpretibus: is, de quo Tullius [a] in Bruto, *Demetrius Phalereus eruditiſſimus quidem omnium horum, ſed non tam armis inſtitutus, quàm palaſtra: itaque delectabat magis Athenienſes, quàm inflammabat. proceſſerunt enim in ſolem & puluerem, non vt è militari tabernaculo, ſed vt è Theophraſti doctiſſimi hominis vmbraculis: hic primus inflexit orationem, eámque mollem tenerámque reddidit, & ſuauis ſicut fuit videri maluit, quàm grauis; ſed ſuauitate ea quæ profunderet animos, non quæ perfringeret, & tantum vt memoriam concinnitatis ſuæ cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum è quibus eſſet auditus.* hunc autem à Ptolemæo Philadelpho fuiſſe præfectum Alexãdrinæ Bibliothecæ incredibili Scriptorum omnium conſenſu proditum eſt, ex fide Ariſteæ. Quod tamen Scaligero & Petauio mirum videtur; ſiquidem vera ſunt illa quæ ex Hermippo Diogenes refert. Cùm Ptolemæo Soteri Lagi filio auctor fuiſſet, vt Eurydices filiis regnum relinqueret, præterito Berennices filio Ptolemæo Philadelpho, poſt illius mortem à Philadelpho relegatum, ac poſtea aſpidis morſu necatum eſſe. Sed aduersùs tot Scriptorum teſtimonia reluctari haud equidem auſim. Quare videndum ecquis coniecturæ noſtræ locus eſſe poſſit. Ptolemæus Lagi filius adhuc ſuperſtes Ptolemæum Philadelphum filium in conſortiùm adſciuit; teſtatur hoc Theocriti Scholiaſtes [b], ζῶν γὰρ ἔτι ὁ Σωτὴρ ἐκοινοποίησε τῷ φιλαδέλφῳ τ̃ βασιλείαν, & Iuſtinus [c]. Itaque cùm Demetrius Ptolemæo

[a] de clar. or.

Scal. ad ann. 1734.

[b] ad Iliad. XVII.

[c] l. 16.

Vide de tota re hoc loco Petauium.

Lagi filio chariſſimus eſſet, potuit Philadelphus patre ſuperſtite odium ſuum ad vlciſcendi tempora reſeruare, atque eodem tempore Bibliothecam illam adornans, eius curationem Demetrio Phalereo committere, quo extincto eandem Bibliothecæ præfecturam tradere Ariſtophani, qui poëtas plagij conuicit in ludis à Ptolemæo Muſis & Apollini dedicatis, vti ſuprà diximus cùm de plagiariis. Poſt Demetrij Phalerei mortem ſucceſſit in ea procuratione Callimachus hiſtoricus vſque ad Euergetem. Sub Ptolemæo Euergete eandem ſpartam adminiſtrauit Callimachi diſcipulus Eratoſthenes Cyrenæus, qui primus vniuerſum totius Orbis circulum CCLII. ſtadiorum eſſe prodidit, vnde & *orbis terrarum menſor* appellatus eſt. huic ſuffectus eſt Apollonius Rhodius, qui Ariſtonium poëtam Comicum ſucceſſorem reliquit, vſque ad eius conflagrationem Cæſarianis militibus ignem coniicientibus.

Vitruu. l. 7. in præf.

2\. Vir doctiſſimus vſquequaque Varro, præfectus eſt ſimili literariæ prouinciæ à Iulio Cæſare; de quo ſic Suetonius [a]: *Inter alia magnifica quæ moliebatur Iulius Cæſar, de ornanda inſtruendáque vrbe deſtinabat Bibliothecas Græcas & Latinas quas maximas poſſet publicare, datâ Marco Varroni curâ comparandarum ac digerendarum.* fuit & *Pompeius Macer* ad idem munus adhibitus ab Auguſto, de quo item Suetonius, *Feruntur & à puero*, inquit, *& ab adoleſcentulo Iulio Cæſare, quædam ſcripta & laudes Herculis, Tragœdia OEdipus, dicta, collectanea, quos omnes libros Auguſtus vetuit publicari, in epiſtola quam breuem admodum & ſimplicem ad Pompeium Macrum, cui ordinandas Bibliothecas delegauerat, dedit.* C. Meliſſus Grammaticus, is qui edidit nouum genus togatarum fabularum, quos *Trabeatas* appellauit, fuit præfectus ab Auguſto Bibliothecæ in porticu Octauiæ. de illo ſic Suetonius [b], *Spoleti natus ingenuus, ſed expoſitus, qui cùm ſe gratum & acceptum in modum amici videret; quamquam aſſerente matre, permanſit tamen in gradu ſeruitutis, præſentémque conditionem veræ origini antepoſuit.* Conradus Geſnerus, cuius extant tam multa opera, Columbinam Bibliothecam procurauit. M. Antonius Sabellicus Criticus id muneris obiuit in Bibliotheca Cardinalis Beſſarionis. Bartholomæus Amantius Ingolſtadij humaniorum literarum Profeſſor, & Petrus Apianus Mathematicus item Ingolſtadienſis, præfuerunt Fuggeranæ. Ianus Laſchares Rhindacenus Mediceā Bibliothecam inſtruxit & digeſſit, & Regiæ Francicæ præpoſitus eſt. De illo hæc refert Lilius Gregorius Gyraldus [c]. Ianum Laſcharem vidimus & audiuimus ſæpe loquentem multis de rebus doctè & acutè; hic primùm diuerſatus eſt Florentiæ, quo vſus eſt Laurentius Medices in conſtruenda illa nobili & copioſa ſua Bibliotheca, cuius etiam causâ eum per vniuerſam Græciam & Aſiam inſuláſque miſit, ad conquirendos quoſque optimos codices, quos pecunia redemptos habere poſſet. pòſt eiectis Florentia Mediceis aliquandiu vagatus: verùm creato Pontifice Leone X. Romam accitus honeſtè apud Pontificem diuerſatus eſt, adoleſcentéſque ingenuos ex vniuerſa penè Græcia Romam aduehi curauit, qui honeſtè alerentur & inſtituerentur tum Græcè, tum Latinè à doctiſſimis præceptoribus: demum poſt Leonis interitum à Franciſ-

Quintil.
a in Iul.

ibid.

Togatæ fabulæ habent aliquid ſeueritatis, & ſunt inter comœdias & tragœdias mediæ. Sen. ep. 7.

b lib. de illuſt. Gramm.

Angel. Roccha pag. 91. Vtriuſque ſunt inſcriptiones ſacroſanctæ vetuſtatis.

c dial. de poëtis ſui temporis.

ciſco I. Galliarum Rege ad Bibliothecam regiam,& Gymnaſium conſtituendum vocatus, &c. hic vna re diſplicuit, & reprehenſores multos Romæ habuit, quòd nimirum Virgilium vt artis ignarum Epigrammate proſcidiſſet. hæc ſat erunt vt quis animo informet quàm ſpectatæ,& eximiæ eruditionis & peritiæ linguarum eum eſſe par ſit, qui literariæ huic reip. præficitur. Certè ſi Bibliothecarius *librorum promus* eſt (vt eum Apuleius in Apologia vocat) eum omnino par eſt vniuerſos pariter ac ſingulos probè cognitos habere, vt cùm eos è cella promet,& ab conſulentibus interrogabitur, proferat quoque(vt loquitur Symmachus [a]) ex promptuario ſui oris & pectoris congeſtam ac coaceruatam multo ſtudio & lectione variam eruditionem.

Vincentius Riccardus in notis ad Cantica.

a l.3. ep.74.

CAPVT II.

Sacrarum Bibliothecarum Præfecti.

FVifſe ſuas celebrioribus Eccleſiis Bibliothecas iam ſuperiùs oſtendimus; & ex S. Athanaſio in narratione de perſecutione Arianorum in Eccleſia Alexandrina ſatis liquet; vbi accuſabat impios hæreticos non ſolùm direptæ illius ſacræ ſupellectilis, verùm etiam combuſtæ. Iiſdem machinis Eccleſiam ſubuertere conatus eſt Diocletianus,qui diſturbatis Oratoriis ſacros libros qui in illis aſſeruabãtur,etiam exuſſit. Locus autem deſtinatus ab Eccleſia cuſtodiendis libris, tribus præſertim nominibus (vti ego animaduerti) appellatum eſt, *Archiuia, Scrinia, & Bibliothecæ*. Imò & dictum reperio, *Archiuium Bibliothecæ Eccleſiæ*. Qui Bibliothecæ præerat *Bibliothecarius* vocabatur; eius officium fuit Bibliothecam procurare; conſeruare volumina & membranas; Pontificum bullas & diplomata, epiſtolas & decreta, eratque velut Pontifici ab epiſtolis, & ſecretis, & ſcribarum Apoſtolicorum princeps. Quantæ verò ſapientiæ & doctrinæ is eſſe conſueuerit Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius,argumento ſunt qui illud munus geſſerunt viri magni iam à pluribus ſæculis,pauculos ex iis recenſebo, vt ſuperiori capite fecimus. 1.

Euſeb.l.8. cap.9. Bibliothecarius in vita Cœleſtini Papæ & Leonis & Bonifacij II. D.Gregor. in prol. 40. homil. Bibliothecarius in Gelaſio Papa.

In primis *Gregorius II.* Romanus Pontifex quantus vir fuit? qui priuſquam ad illum apicem omni faſtigio excelſiorem eueheretur, Bibliothecæ Lateranenſis curam gerebat; & comes factus Pontifici Conſtantino Conſtantinopolim ad grauiſſima negotia accerſito ab Imperatore Iuſtiniano iuniore in difficillimis quæſtionibus interrogatus cumulatiſſimè ſatisfecit. Sed & ipſe *Anaſtaſius* cognomine *Bibliothecarius*, qui hæc de Gregorio refert [b], quid hominis fuit, quàm doctus, quàm diſcretus, quàm gerendis negotiis idoneus, qui auctor eſt libri de Romanis Pontificibus Damaſo paſſim attributi. libellum illum verè aureum gemmeúmque, (vt loquitur Baronius [c]) *de magnificentia Conſtantini* optimo iure inſcriptum ex Archiuiis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in lucem edidit; miſcellam hiſtoriam è Græco in Latinum vertit; vitas Pontificum ſtylo complexus eſt, & à Ludouico Imperatore 2.

Baron ann. 110.

b in vita Greg. II. Baron. ann. 45.

c ann. 324. n. 21.

Occidentis miſſus eſt princeps legationis Conſtantinopolim pro coniugio inter ipſius filiam & Baſilij Imperatoris filium natu maximum. Nunquid magnus vir *Auguſtinus Eugubinus*, & ſcriptor eximius? Is Bibliothecæ Vaticanæ præfecturam exercuit.

3. Non poſſum ſine ſcelere omittere duos eidem Bibliothecæ Apoſtolicæ præpoſitos, adeóque non tam Bibliothecarios, quàm animatas Chriſti Bibliothecas, *Cæſarem Baronium, & Robertum Bellarminum Cardinales*, ambos tam excellentis & extraordinariæ ſcientiæ cum inſigni ſanctitate coniunctæ, vt de vtroque dicere meritò poſſim quod de D. Chryſoſtomo dixit olim S. Proculus [a]. *In verbis pretioſa prædicationis, margarita; ſcripturæ impollutæ à Deo inſpiratæ Bibliotheca; diuinæ theſaurus intelligentiæ, vehemens diluuium hæreticorum.* Non commemoro alios inſignes viros eodem munere Bibliothecarij defunctos, ne actum agam: conſulendi Ioan. Bapt. Cardona Epiſcopus Derſotanus de Pontificia Bibliotheca Vaticana; & Angelinus Roccha [b]. Solū hîc moneo Bibliothecarios fuiſſe appellatos alio nomine *Cancellarios*; eo quòd vnus idémque præeſſet non ſolùm libris publici iuris factis, quales in Bibliothecis exponuntur; verùm etiam bullis, diplomatibus Pontificum, Eccleſiæ iuribus, dominiis, reſcriptis, hæreticorum palinodiis, abſolutionibus, denique omnibus chartis & inſtrumentis publicis pontificalibus. Munus iſtud non ita pridem diuiſum eſt, ac *Bibliothecarius S. R. Eccleſiæ* appellatus, is qui Bibliothecam; *Cancellarius* verò, qui Archiuium, ſeu (vt locuntur) *ſecretariam* procuraret, atque vtrumque ſolis Cardinalibus demandatum. hæc de S.R. Eccleſiæ Bibliotheca.

a orat. paneg.

b pag 54.

4. Anaſtaſius Bibliothecarius diſputans de Bibliothecariis in notis ad Actionem ſecundam Synodi octauæ ab ſe in Latinam linguam conuerſæ, fecit vt de Bibliothecario Eccleſiæ orientalis nonnihil dicam; hæc ſunt eius verba, *Chartophylax* interpretatur chartarum cuſtos. Fungitur autem officio Chartophylax apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos (nimirum nondum facta diuiſione Archiuij à Bibliotheca, & Bibliothecarij à Cancellario) indutus videlicet infulis Eccleſiaſticorum miniſtrorum, & agens Eccleſiaſtica cuncta protſus obſequia; exceptis illis ſolis, quæ ad ſacerdotale ſpecialiter ac propriè pertinere probantur officiū; ſine illo præterea nullus Pręſulū, aut Clericorū a foris veniens in conſpectū Patriarchæ intromittitur; nullus Eccleſiaſtico conuentui præſentatur, nullius epiſtola Patriarchæ miſſa recipitur, niſi fortè à cæteris Patriarchis mittatur; nullus ad præſulatum, vel alterius Ordinis Clericorū', ſiue ad præpoſiturā monaſteriorū prouehitur, niſi iſte hunc approbet & cōmendet, atque de illo ipſi Patriarchæ ſuggerat, & ipſe præſentet. Hactenus Anaſtaſius. Cuius officij inſignia qui ſcire volet, adeat Theodorū Balſamonē [c] eo aliquādo functū, vt ipſe teſtatur, ex quo ſumpſit Baronius quæ in hāc ſententiā habet ad annum Chriſti DCCCCI. & DCCCCII. n. IX. & Gretſerus [d]. nos cum illis hæc pauca. Habebat in ſua poteſtate Eccleſiaſtica χαρτῶα δικαιώματα, literas in quibus iura & priuilegia Eccleſiæ continebantur: vnde & δεξιὰ τοῦ Ἀρχιέρεως χείρ, *dextra manus Patriarchæ* appellabatur. Sedebat iudex cauſarum Eccleſiaſticarum, vnde etiam

c iuris Græco-Rom. fol. 458. in quadam diſceptatione matrimoniali.

d l. 1. comm. cap. 3. in Codini c. 1.

os

os & libra Patriarchæ dictus eſt, apud quem eo loco & numero erat, quo Aaron apud Moyſem, & Baruch apud Hieremiam: eius inauguratio ſiebat impoſitione manuũ, & appenſione βυλωτηρίῳ, Buloterij, de pectore inſtar Aaronici rationalis, & traditione clauium: olim quoque aurea thiara inſignitus prodibat; quod tamen Balſamonis ætate fieri deſitum eſt. Tamen in feſto Sanctorum Notariorum equitabat in equo Patriarchæ, &c. qua de re vide fuſiùs Balſamonem & Photij Nomocanonem[a], & reſponſa Ioannis Epiſcopi Citri[b], Baronium & Gretſerum ſuprà laudatos. Ego facilè mihi perſuadeo hunc Chartophylacem fuiſſe quoque ſupremum Bibliothecarium, qui vnus & Archiuio & Bibliothecæ præſideret, haberétque ſibi ſubditos plures adminiſtros tantæ omnes auctoritatis, vt Imperatores vix ſibi fas eſſe putarent quidquam nouum & inuſitatum moliri illis inconſultis; quos Bibliothecarios Leo Iſauricus ſacrarum imaginum infeſtiſſimus hoſtis cùm nec muneribus, nec minis potuiſſet ſuæ parti adiungere, furore percitus igne admoto omnes incendit, cum inſigni illa Bibliotheca Conſtantinopolitana, de qua dicemus inferiùs, cùm de cladibus inſignium Bibliothecarum.

a tit. 8. c. 1.
b l. 5. iur. Græc.
Conſt. Manaſſes, Zonaras, Glicas, Cedrenus, & alij.

Capvt III.

De miniſtris, & ſeruis Bibliothecariis.

Bibliothecariis ſeruis non annumero geminos *Vaticanæ Bibliothecæ cuſtodes* quos Xiſtus V. adiutores Bibliothecario adhibuit, conſiliarios, vicarios, viros graues, inſigniter doctos, qui potius literarium otiũ cum dignitate tenerent, quàm illiberaliter & minùs ingenuè famularentur. facerem iniuriam quibuſdam illuſtribus perſonis, qui procuratione illa ornati ſunt; inter quos fuit Guillelmus Squillacenſis, ſatis notus, cooptatus poſtea in Cardinalem & Bibliothecarium. Neque item ſeruorum numero accenſeo *duodecim illos literarij Imperij Pares, vel Patres,* qui Bibliothecario Conſtantinopolitano aſſidebant, ab ipſis Imperatoribus maximo honore habiti. Miniſtros Bibliothecarios intelligo in publicis Bibliothecis *librorum correctores*, ſeu emendatores, quos barbarè *Reuiſores* vocant, mercede conductos, atque non voluntario ſtudio, ſed ei quod vſus & bonum Bibliothecæ poſtulat à Bibliothecario addictos. Item *ſcriptores*, ſiue *librarios* Græcæ, Latinæ, Hebrææ, atque aliarum linguarum peritos: cuiuſmodi ſunt in Vaticana Bibliotheca, quorum officium eſt deſcribere Codices, prout iuſſi fuerint à Præſidibus. *Ianitorem* qui non tantùm ianuæ, verùm etiam feneſtris tempeſtiuè claudendis & apetiendis pro varia cœli diſpoſitione inuigilet. *Verſorem* qui ſtatis temporibus Bibliothecam verrat, puluerem è libris & reliqua libraria ſupellectile excutiat. *Glutinatores, pumicatores, malleatores, ornatores, miniculatores*, quantum opus erit. De toto librorum ornatu conſulendus Domitius Vlpianus apud Pignorium[c], hic habet quædam de ſeruis Bibliothecariis, quæ tu vix alibi reperies. Inter cætera elogiorum fragmẽta quædam ex quibus conficies, ſeruos quoſdam ex proprio munere fuiſſe à Bibliothecis. Iam olim fuerunt à manu; qui proinde dicti ſunt

I.
Cic. ad Att. l. 4.
Catull. ep. 1.
Tibull. l. 3. c. 11.
c de ſeruis pag. 115.
Suet. in Aug. c. 67.

Cic. l.1.fam. *amanuenſes*; fuerunt *Anagnoſtæ*, ſeu *Lectores*. Plinius [a] Encolpium eius
a l.8.c.1. generis neſcio quem plurimum amabat. *Encolpius quidem lector ille ſeriæ noſtra, ille delitiæ, exaſperatis faucibus puluere, ſanguinem reiecit.* Fuerunt & *Notarij & Notariæ*, quorum magna commendatio in velocitate excipiendi fuit, de quibus elegans eſt Manilij carmen [b].
b l.4. Hic & *ſcriptor* erit felix, cui litera verbum eſt,

Quique notis linguam ſuperet, verſúmque loquentis
Excipiens, longas noua per compendia voces.

Iuſtinianus epiſt. ad anteceſſor. §. illud autem. Quidam putant *ſigla*, vel *ſiglas*, quod ſint ſingulares notæ. Petrus Greg. Theol. l.16. de rep à ſigillo deriuat, quo literas obſignamus.

Hæ notæ compendiariæ erant interdum literæ ſingulares, quæ σίγλαι, vel ſigla, vel σίγλαι in iure dictæ ſunt; videlicet primariæ cuiuſque vocabuli literæ, (quas vulgò capitales vocant) quibus ſingulatim expreſſis ipſum totum vocabulum deſignatur, qua ratione qui ſcribebant, linguam manu facilè aſſequebantur, v.g. hæ quatuor literæ S.P.Q.R. *Senatum populúmque Romanũ* ſignificant. hæ V.D.P.I.L.P. hanc ſentētiam, *vt de plano ita legi poſſit.* Interdum non tam ſcribebant per ſingulares illas literas, quàm per quaſdam alias notas, quarum vel vnica nonnunquam integram ſententiam complectebatur; quæ ratio ſcribendi erat longè expeditiſſima, vt pro quatuor illis ſingulis quas ſuprà attulimus, alia nota ponitur idem ſignificans, nimirum *Senatus populúſque Romanus*: itémque alia eamdem habens vim & ſignificationem quam ſex ſingulæ ſuperiùs propoſitæ, vtramque exhibet Philibertus Monetus noſter in pererudito libello qui inſcribitur, *Abacus rationum Romanarum* [c]. Pulchrè D. Hieronymus [d]. *Iam demiſſo ſynthemate equus publicus ſternebatur, & nobilem iuuenem punicea indutum tunica balteus ambiebat, & tamen ille appoſito notario cogebat loqui quæ volebat edita, velox conſequeretur manus, & linguæ celeritatem prenderent ſigna verborum.* Euſebius [e] meminit puellarum ſcitè & concinnè ſcribentium quæ ad manum erant dictanti Origeni: eruditus ac præpes amanuenſis ſolatium ſanè ingens, & homini ſtudioſo inæſtimabile temporis compendium, at rara auis in terris. De ſui velocitate ſic Auſonius [f],

c c.1. Vide Hermanum Hugonem l. de prima ſcribendi orig. c.18.
d ad Iulianũ.
e l 6.c.17. Hiſt Eccl.
f ep.125.

Puer notarum præpetum,
Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta iam ceris tenes,
Et præpetis dextræ fugâ
Tu me loquentem præuenis;
Quis, oro, quis dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera? &c.

SECTIO

SECTIO II.

Quædam ſingularia quoad cultum & curam Bibliothecæ, ſiue Muſei.

PRODERVNT ſpecialia quædam monita quæ Bibliothecis curandis conueniant, ſi modò, quantum res feret, de illis breuiter.

CAPVT I.

Bibliotheca ne promiſcuè omnibus patens eſto.

SI Bibliotheca (vti diximus) *hortus eſt*, cōncluſus ſit; ſi *fons*, ſignetur; ſi *theſaurus*, abſcondatur. Nam tanto amœnior erit, quanto ſecretior: facilè contemnitur quod cuiuis facilè obuium eſt. Volo idem eſſe ingenium viro docto, quod naturæ res pretioſiſſimas ab hominum oculis ſubducenti, vniones in imo mari abdidit, aurum in terræ viſceribus, adamantes in rupium præcordiis. Si Bibliotheca eſt *Muſarum ædes, adytum, ſacrarium, penetrale*; ſanctiora ſacrorum tantùm initiati ſciant; ad arcana illa ſoli admittantur. Dices, *Multi aperta tranſeunt, & abſtruſa rimantur, furem ſignata ſolicitant; effractarius aperta præterit.* In multis verum eſt quod ais: at in Bibliothecis non ita; maius eſt periculum ſi paſſim omnibus pateant, quàm ſi paucis & rariùs: fortaſſe iſtius inconſiderantiæ & nimiæ facilitatis Tullium pœnituit hæc ad Sulpicium ſcribentem. *Dionyſius ſeruus meus qui meam Bibliothecam multorum numorum tractauit, cùm multos libros ſurripuiſſet, nec ſe ægrè laturum putauit, aufugit.* Vidimus & moleſtè tulimus quoſdam codices manuſcriptos è pulcherrimo & politiſſimo pergameno fuiſſe valde deformatos hauddubiè à pueris amore miniatorum titulorum, & maiuſculatum literarum quas forfice eximebant cùm inſigni labe voluminis: vidimus alios libros à canibus ſiue ludentibus, ſiue per imprudentiam in Muſeo incluſis fœdum in modum laniatos. Scimus alios fuiſſe non ſemel ſubreptos: de qua iactura ſi Alphonſum Aragonium interrogas, reſpondebit, & perſanctè affirmabit, *malle ſibi gemmas ſuas & vniones furto eripi, quàm libros qualeſcumque perire.* Quare conſultum erit, vt eò pauci ingrediantur; ne præter talia incommoda & damna, etiam luto & ſordibus conſpurcetur. Pariſiis quidam literatus, librorúmque ac Muſei ſtudioſiſſimus raros eò admittebat, nec niſi porrectis priùs crepidis holoſericis, quas habebat in eum vſum paratas in veſtibulo Bibliothecæ ne collutularetur. Si pauimentum huius ædis tale fuerit, quale ſuprà deſcripſimus, videlicet emblemate teſſellato pulchrè vermiculatum, profectò religio eſſe debebit illud cœno fœdare.

[Margin notes: 1. — Sen. ep. 95. — Cic. l. 13. fam. ep. 77. — Panorm. l. 4.]

CAPVT

Capvt II.

Librorum cultus, munditiies, ornatus, neglectus.

1. a in Aureliano. MOnet Flauius [a], Aurelianum Imperatorem inter cætera ſeuerioris militiæ præcepta ſtatuiſſe, vt *militum arma terſa ſint*: ego in libraria ſupellectile mediocrem ornatum, atque pro cuiuſque dignitate & opibus elegantiam plurimum probo; munditiem verò in primis præcipio. Æneas Syluius [b] auctor eſt Alphonſum Regem Aragonum arcem Neapolitanam inſtaurare cogitantem indignè tuliſſe, quòd Vitruuij commentarios ad ſe in eum finem allatos intectos reperiſſet, qui quo pacto contegamur, edocuit: nec M. Tullij, nec eiuſdem Vitruuij tumulum cùm alter à morte homines dicendo, alter à pluuia, ſcribendo protexit. hæc cura quàm iuſta & conſentanea ſit, indicat ſolenne iuſiurandum Eſſenorum apud Ioſephum [c], qui expleto tyrocinio quando cum aliis ſociis aggregabantur, Sacramento ſe adſtringebant ſe conſeruaturos ea volumina, quæ ipſarum ſectæ ſunt. S. Bonauentura [d] non ſolùm eam diligentiam in cuſtodiendis libris inculcat; verumetiam in rem noſtram & præſens propoſitum pleraque perſequitur, quæ libet hîc exſcribere. *Libros* (inquit) *mundè teneant, & honeſtè, à tactu libri cohibeant manũ, quæ licèt munda, quia tamen poroſa, ipſum facilè inficit, & deturpat; & turpe eſt paginarum marginibus imprimere digitos, vel ipſos, vel certè laternam ſuper librum legendo deducere; ſemper pannus, ſi adſit, digito ſupponatur; alioqui ita cautè tangant & leuiter, vt tangentes quaſi non tangere videantur librum ſuperfluè apertum non teneant, vel incautè relinquant. firmacula libro paululum ſtricto ſine violentia laxent & apponant, violentiam ſonitus probat.* Tum hoc apophthegmate monita ſua claudit, *Indignus eſt libro qui negligit cuſtodire.*

b de dict. & fact. Alph. & Panorm. l. 1.

c l 7. de bello Iud. c 7.

d p. 2. ſpec. p. 1. c. 4.

2. Vitandum tamen eſt vitium puerorum plus ſatis ſtudentium librorum ornatui, lectionis verò & fructuoſi vſus minùs ſolicitatorum. Gerardi Magni ſcita admonitio huc ſpectat. Videns quemdam habere librum ſatis bene paratum (inquit Thomas de Campis [e]) & quàm ſolicitè illum inſpiceret, & complicaret, dixit ei; *potiùs habeo quòd me liber cuſtodiat, quàm ego illum: ſeruire debet liber vtilitati legentis, non ad curioſitatem intuentis.* Eodem conditus fuit ſale D. Ludouici Francorum Regis lepos; ingreſſus in cuiuſdam Cœnobij Bibliothecam, vidénſque magnum numerum librorum pulcherrimè complicatorum: *mallem*, inquit, *ſordidatos*, vſu ſcilicet & accurata peruolutatione; nam præpoſtera res eſt, bellè & ſcitè compactos, literis phœniceis & aureis eleganter illuminatos, & exquiſitis membranis coopertos habere, eos tamen oſcitanter euoluere. Elegantem illam deſidiam, & deſidem elegantiam notauit etiam D. Chryſoſtomus [f]. Plura Nigonius noſter [g] in ſuperfluum librorum apparatum & nitorem alienum ab ea paupertate quam Religioſi profitentur. Quod ad me attinet, mihi videtur procliuiùs peccari poſſe ab religioſis hominibus in librorum incuria, & eorum conſeruandorum remiſſiore diligentia, quàm in curioſiore concinnitate: nam ferè fit, vt quæ communitatis ſunt & publici, ea minore ſtudio ſatagantur

e in vita Gerardi c. 13.

Vmbert. t. 131. in c. 23. reg. Aug.

f Homil. de doctr. & corrept. in florib.

g in regul. 8. comm.

gantur, quàm quæ ſunt cuiuſque propria: & plus eſt periculi in libris diſtorquendis, oleo, vel atramento fœdandis, ſitu & puluere corrumpendis, ſibi ſeu ſcribenti, ſeu ſedenti ſubſternendis, vngue, vel reflexâ chartâ notandis, aut alia iniuria afficiendis, quàm in exquiſitiore eorum ornatu quærendo.

CAPVT III.

De priſcorum librorum ſtructura, ornatu, & conſeruatione.

DEſideras Lector (vt video) hoc loco de antiquorum voluminum ſtructura, ornatu, & conſeruatione diſſeram. Actum agam, ſed breuiter: tu ſi plura cupis, adibis Ramireſium & Raderum [a], Pontanum in Ouidium, Catulli interpretes, Pierium [b], Manutium [c] & paſſim alios. Itaque olim ſcribebatur quidem in foliis, at non (vt iam noſtri libri ſunt) diſſectis & inter ſe compactis; ſed ſolummodo in altera paginarum facie perpetuo ductu, quantum folij longitudo protendebatur vſque ad teretem quemdam bacillum, circa quem tota membrana voluebatur; vnde dictum *volumen:* & quia complicatâ membranâ ille cylindrus erat medius, ideo *vmbilicus* dictus eſt; item quia extremæ paginæ adglutinatus erat, ideo ſæpe *vmbilicus* ponitur *pro libri fine* atque *extremo*. 1.

a in l. 1. Mart. ep. 67.
b l. 34.
c l. 3. fam. ep. 7 & lib. 3. ad Quint. ep. 1.

> *Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle*
> *Iam peruenimus ad* VMBILICVM.

Huius bacilli, ſeu vmbilici capita, ſiue extremæ partes ornabantur auro, argento, ebore, gemmis, dicebanturque *cornua.* librorum tituli pingebantur minio ad elegantiam, quam in rem videndus Cauſabonus in Perſium; & quid *cera miniatula* Ciceroni, quid Vitruuio *cera ex minilto*, quid Turnebo *rubrica, ſynopis* apud veteres Iuriſconſultos*. hæc de ſtructura & ornatu.

*Vitruuij interpres, Daniel Barbarus in cap. 3. l. 9. in fine Cic. ad Att. 16 ad Dolab. l. 15. Turneb. l...cap. 5.

Vt diu conſeruarentur à carie & tineis, lini ſolebant ſucco, ſiue oleo cedrino, quo peruncta materies nec tineã, nec cariem ſentit, vt teſtatur Plinius [d]. hæc eſt cauſa cur libri Numæ poſt annos quingentos triginta quinque quàm conditi erant, integri reperti ſunt: hinc elegans diſtichum Auſonij ad libellum, 2.

d l. 16. c. 39. l. 13. cap. 5. & 16. c. 39.

> *Huius in arbitrio eſt, ſeu te iuueneſcere cedro,*
> *Seu iubeat duris vermibus eſſe cibum.*

Hinc cedrus poſita pro immortalitate apud Horatium *in arte,*

> ——*ſperamus carmina fingi*
> *Poſſe linenda Cedro.*

& Perſius,

> ——*an erit qui velle recuſet*
> *Os populi meruiſſe, & cedro digna locutus.*

huic arbori hæc virtus ineſt, vt viua corpora corrumpat, mortua incorrupta ſeruet. Quamobrem à nonnullis νεκρῶν ζωὴ appellata eſt.

Alia ratio & modus librorum conſeruandorum fuit, vt non tam perungerentur ſucco cedrino, quàm reponerentur in tabulis cedrinis. Alius, vt cooperirentur tabulis quibuſdam purpureis, ſericis alteriúſque coloris, aut generis: hæc inuolucra, ſeu membranulas quibus libri inſerebantur, vt conſeruarentur diutiùs à pulueris & temporis iniuria, Tullius [a] *ſittybas* vocat, Paulo Manutio interprete,

a ep.8.l.4.& ep.5.

Tibull. *Lutea ſed niueum inuoluat membrana libellum.*

item quibuſdam loris ligabantur, ſiue claudebantur, de quibus Catullus [b], *Noui vmbilici lora rubra*; quæ omnia proderant ad librorum perennitatem, adeóque ad ornamentum: ſed de re trita plus ſatis. Vnum non omiſerim quod Antonius Thyleſius libello de coloribus capite primo refert. Ex antiquis nonnulli (inquit) vt alterum Homeri opus propter cædes, de quibus ille Poëta loquitur, colore exornabant ſanguineo; ſic Odyſſeam vbi idem Vlyſſis maritimos errores ſcribit, membrana cærulea contegebant.

b ep.22.

Capvt IV.

Librorum communicatio, mutuatio.

1\. Cvm Ptolemæus Philadelphus miſſos ad ſacros ſe libros Hebræorum, quos per literas petierat, non intelligeret, atque iterum aliis datis literis interpretes flagitaret, ſic epiſtolam orſus eſt, θησαυρῷ κεκρυμμένῳ, ϗ πηγῆς ἐσφραγισμένης τὶς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις, *occulti theſauri & obſignati fontis quæ vtilitas?* hæc cauſa Iudæis fuit mittendi ſeptuaginta duos Interpretes, qui vetus Inſtrumentum in Græcam linguam conuerterent. D. Iſidorus Peluſiota [c] ſimili dicto Candidum quemdam carpit, qui multos domi habebat libros ornatiſſimo & ſpecioſiſſimo quodam ordine diſpoſitos, nec tamen iis vtebatur, aut aliis vtendos concedebat; vocat enim illos θησαυρὸν ἀνωφελῆ ϗ ἄχρειον, *theſaurum inutilem & nullius frugis*, è quibus tamē petatur laurus velut è muſtaceo. Sunt quidam βιβλιοτάφοι, ſeu *librorum defoſſores, litterarij polypi*, qui vbi librum aliquem tetigerunt, ita illum tenent, vt nunquam dimittant, potiúſque impetres à Charonte vnos manes quos tranſuexit, reuehat, quàm vt vnum librum ab iſtis hominibus commodatò accipias, licèt interdum ſcientiam in iniuſtitia detineant, ſíntque affines Simplicio illi Monacho, quem S. Iſidorus Peluſiota [d] his verbis caſtigat. *Plurimos libros vt audio, emiſti, atque opinione locuples os eorum lectionem ignorans, atque idem faciens quod ij, qui frumentum comprimunt, ac tineas alunt: nam libri quoque tinearum patres & nutritij fiunt, cùm vinciuntur; quare aut opibus tuis vtere, aut ingentem eruditionem ne læde. Nimirum hic quoque comicios ſales colligens dum librorum corruptor, aut librorum ſepulchrum, aut tinearum altor appellaris, atque coram Deo accuſationem congerens, vt qui ingens vtilitatis talentum occultaris*, &c. Illiberale iſtud hominum genus ſale & aceto, vt meretur, egregiè lauat & perfricat Franciſcus Petrarcha, præſertim cùm iſti homines non aliter vtuntur

c l.1.ep.399.

d l.1.ep.127.

ſuis

ſuis libris quàm gryphes auro cui ſemper incubant. *Sunt*, inquit, *qui quidquid ſcriptum domi habent noſſe ſibi videntur, cúmque vlla de re mentio incidit, Hic liber (inquiunt) in meo armario eſt, hoc tantùm idque ſufficere opinantes, quaſi ſimul in pectore ſit, elato ſupercilio conticeſcunt. Ridiculum genus calle alio niti oportet vt ex libris gloriam quæras, non habendi, ſed noſcendi, cerebróque, non armario concludendi ſunt. alioqui vel librario publico, vel armario ipſo glorioſior nemo erit.* Tum addit quod præcipuè eſt huius loci. *hi libros in vinculis tenent, qui ſi forſan erumperent, & loqui poſſent, ad iudicium te priuati carceris euocarent. Nunc flent taciti, multa quidem nominatim illud quod perſæpe vnus iners affluit auarus, quibus multi egeant ſtudioſi.* hæc quæ retulimus, & ea quæ afferemus, videntur innuere tenacitatem hanc librariam proprium vitium eſſe illorum hominum, qui (vt ait ex Pythagora Vmbertus [a]) *armarium doctius habent quàm pectus*, volunt tamen audire in vulgus docti; quod ſe faciliùs conſecuturos ſperant, ſi quemadmodum imperiti tonſores multa ſpecula & multas forfices proponunt, cùm ſæpe periti eiuſdem artis vix aliud inſtrumentum habeant præter nouaculam vnam, vnas forfices, vnum ſpeculum; ita illi magnam librorum multitudinem, penè dixi incommunicabiliter aſſeruent; tantúmque ſibi adimi de opinione & fama eruditionis arbitrántur, quantum librorum de Muſei ſui forulis demptum erit. a c.136. in c.23. reg. S. Aug.

Mihi equidem fuit coniunctio & ſatis intima neceſſitas & vſus cum viris verè doctis; at inter eos reperi neminem qui libros mihi vtendos non facilè præbuerit, illico ad minimum nutum non miſerit; plures, quàm qui opus erant, peramanter non obtulerit. Nec fortaſſe mentiar, ſi dixero ſordes illas literarias & illiberalem librorum cuſtodiam poſſe interdum oriri ex auaritiæ cuiuſdam fonte eò ſanè turpioris, quò ad animi bona propiùs ſpectat. Certi quidam Timones ſunt, qui tabeſcunt aliorum bono, & alieno incremento ſibi decreſcere videntur; cuperent exſculpi omnibus oculos intelligentiæ, vt inter cæcos regnarent luſci: vel certè, quia & ipſi cæci ſunt & indocti, vel cæteros eſſe ſibi ſimiles. Rem acu tetigit Lucianus hac illos ſimilitudine ſubſannans. καὶ σὺ τοίνυν ἄλλῳ μὲν δεηθέντι χρήσειας, ἂν τὰ βιβλία χρήσαιο ἢ αὐτὸς, οὐκ ἂν δύναιο· καὶ τοι οὐδὲ ἔχρησας οὐδενὶ βιβλίον πώποτε; ἀλλὰ τὸ τῆς κυνὸς ποιεῖς, τῆς ἐν τῇ φάτνῃ κατακειμένης, ἣ οὔτε αὐτὴ τῶν κριθῶν ἐσθίει, οὔτε τῷ ἵππῳ δυναμένῳ φαγεῖν ἐπιτρέπει. *& tu alij quidem cui vſus eſſet commodare librum certe poſſes, ipſis vti non potes, tametſi nulli commodaſti vnquam, faciſque hoc tantùm quod canis in præſepe, qui cùm hordeo non veſcatur, equum tamen volentem paſci haud ſinit.* Horatius non abludit [b], 2. b l.2. Serm. Sat.3.

——— vter eſt inſanior horum?
Si quis emat citharas, emptas comportet in vnum,
Nec ſtudio citharæ, nec Muſæ deditus vlli.
——— Quid diſcrepat iſtis
Qui nummos aurúmque recondit neſcius vti
Compoſitis, metuénſque velut contingere ſacrum?
Si quis ad ingentem frumenti ſemper aceruum
Porrectus vigilet, cum longo fuſte, neque illinc

Audeat eſuriens dominus contingere granum.

Certè admodum illiberalis & ſordida librorum auaritia eſt, & ferè eorum duntaxat propria, qui nec illis vti ſciunt. haud ita me amo, vt aliquem inter doctos mihi vindicem locum: tamen puto me habere cum illis hoc commune vt libentiſſimè libros qui penes me ſunt commodem: neque mihi conſcius ſim vnquam vllum recuſaſſe cuiquam petenti: adeóque vehementer odi illam malignitatem, vt bis térque cum voluptate perlegerim Cælij Calcagnini Epiſtolam ad Comitem Thomam Calcagninum nepotem ſuum, qua reprehendit neſcio cuius ſiue inuidam, ſeu vanam, ſeu ſordidam illiberalitatem. Eam obiurgationem hîc repræſento totidem verbis, vt eos etiam feriat, & caſtiget qui ſimili labe infecti ſunt.

l.2.ep.11.

CÆLIVS CALCAGNINVS COMITI THOMÆ CALCAGNINO NEP. S.

3. *Quòd is quem tu rectè βιβλιοτάφην appellaſti, inepta vſus excuſatione recuſauerit nobis vetuſtum Demoſthenis codicem accommodare, tu minimè iraſcendum homini tam malè officioſo putas: & eius quaſi patrocinium tuis literis ſuſcepiſti, exiſtimans theſauros condi oportere, & tunc myſteria eſſe deſinere cùm promulgantur: denique ſi hoc vitium perexiguum eſſe contendis, & de quo minimè amicitiam reſcindi deceat. At contrà (mi fili) ſentio, tibique tam peruerſam opinionem (ſi modò ea opinio eſt, & non potiùs ironia) nullo modo velim probari, qua vrbanitas & beneficentia mutuaque inter homines ſocietas tollitur. Quid enim fœdius, quàm vnde tu nullum detrimentum referas, alteri nolle accommodare? Quid verò tu appellaueris niſi inuidentiam, & peſſimi animi teſtimonium? An non iſti libenter (ſi eis liceat) ſolem de mundo ſuſtulerint, ne cæteris affulgeat animantibus, indigni prorſus vita atque hoc communi æthere, qui rem tam præclaram, id eſt, humanitatem liberalitatémque prodant, & quantum eſt in ipſis, è conſortio humani generis depellant. At tu theſauros condendos putas; hoc etiam putant auari homines. at ego pretioſiſſima quæque ad vtilitatem mortalium nata, aut inuenta in communem maximè vſum puto eſſe prodigenda, vt omnibus plurimum proſint. Nam Muſicæ abſconditæ quæ demum vtilitas? vt eſt in prouerbio. Et quænam alia ratio ſummum illum æuiternum opificem rerum conditorem illexit, vt tot mari terráque animalia, vt tam eximiam orbis molem ſtrueret, niſi vt bonitatem munificentiámque ſuam largiſſimè omnia experirentur? cuius exemplum nos homines inter cuncta ingenio & ratione honeſtatos maximè decet imitari. Myſteria verò ſemper myſteria ſunt, modò in aures prophanas non inſtillentur. Demum quod perexiguum vitium putas, ego maximum iudico. Nam quid honeſti ab eo expectari poteſt, qui abſque vllo ſuo incommodo præſidia ingenij amico denegarit? Apud Athenienſes ſcimus non parricidas, non plagiarios, non depeculatores publicæ execrationi, qua ſingulis annis ſolenniter vtebantur, fuiſſe obnoxios: ſed eos qui vel roganti viam oſtendere, vel lumen de lumine accendere, vel aquam ex profluente præbere recuſarent. Prudenter ſcilicet exiſtimauerunt eum nihil ſceleris, nihil flagitij in homines non admiſſurum, qui res tam obuias, támque illaboratas denegaſſet. Ad ſummam putato infelicis*

inauſpicatique ingenij, ac ſibi parum confidentis eſſe ea abſcondere, quæ vel ad publicam vtilitatem fortuna expoſuit, vel natura genuit, vel Deus erogauit. Bene vale.

Hæc quidem labes in omni homine penitus fœda eſt, inhoneſta, indigna; verùm in homine religioſam paupertatem profeſſo planè non ferenda. multa in hunc locum loculentè collegit Nigronius noſter[a], quem per otium conſulere poteris. habet inter cætera vnum, aut alterum, quod vel pudorem, vel metum & religionem iniicere poſſit; quamquam de grauitate culpæ hîc nihil ſtatuo, cùm nec ipſe definire quidquam voluerit. Aluarus Pelagius Epiſcopus ex ordine Minorum, ante annos trecentos Iuris Canonici conſultiſſimus, & Theologus inſignis, Ordinis ſui collapſam diſciplinam deflens ſic ait[b]; *Libros & res alias quibus non vtuntur, aut ſenio, aut infirmitate grauati, aut quia tunc in eis ſtudere non habent, aut quia vadunt aliò, & ibi libros & res dimittunt ſub ſua clauſura, aut quia eos duplicatos habent, ſuis fratribus præſtare nolunt, & ſic verè ſunt proprietarij, & peccant mortaliter: nam ex quo libro, aut alia re non vtitur Religioſus in præſenti, vel in proximo modico non vſurus eſt, ille liber, vel res, id eſt, vſus eius rei competit alteri Religioſo vti volenti, quia vſus communis eſt.* Quàm graue id ſit, S. Bernardinus Senenſis[c] ſatis indicat, cùm illud refert inter caſus quos *Reſeruatos* vocant. Sanè non modò ſcripta in Codice iuris, verùm etiam innata eſt hæc lex, *vt quod tibi nihil, aut certè parum nocet, & alteri prodeſt, facilè concedendum eſt.* Et Caſſiodorus, *Non debet eſſe difficile beneficium, quod largitate non patitur detrimentum.* mittamus Aſpendios citharistas qui ſibi ſolis canunt. Laudemus potiùs liberale ingenium illorum qui libenter fecere aliis ſuorum librorum copiam, ſimiles *Coſmæ* illi cui cognomen *Scholaſticus*, de quo eſt mentio in prato ſpiritali. Is multitudine librorum locupletiſſimus erat, faciléque in hoc genere opum ſuperabat omnes, verùm tanto dignior erat illis diuitiis, quanto meliùs nouerat earum vſum extendere ad plurimos, quibus libenter & beneuolentiſſimo animo accommodabat. Ego in hoc genere nihil fingere animo poſſum humanius, nihil nobilius, quàm id quod ſæpenumero expertus ſum Madriti. Degit in hac vrbe regia D. Gilius Gonzales de Auila, Chronologus Regius, qui doctior an humanior ſit, vix ſcias: multiplex doctrina in eo quidem eximia eſt, temporum verò incredibilis; argumento ſunt varij illi commentarij quos edidit, edítque; teſtes verò quotquot eum nouere literati omnes. Ego viri laudatiſſimi fama permotus eius cognoſcendi ſtudio exarſi: eâdem porrò ipsâ die, qua vel primò illum inuiſi, nec ſolùm inexhauſtam hiſtoriæ cognitionem ſum demiratus, verumetiam quam verbo vix ſatis expreſſerim humanitatem; nam & libros quos ſelectiſſimos habet, non tantùm mihi vtendos obtulit, ſed obtruſit omnes: tum de quibuſdam rebus poſtea conſulenti tanto animi candore reſpondit ſine vlla exceptione temporis, vel laboris, vt eius cor omnium Muſarum eliquata ingenuitate imbutum eſſe putes. 4.

a in reg. 8. comm.

b l. 2. de plãctu Eccleſiæ c. 64.

c in caſib. reſeru. n. 7. l. 2. ff. de aqua pluu. arcenda. l. reſcripta. C. de prec. Imper. offer. Ioan. Euirratus in prato ſpir. c. 172.

Eadem rurſus commodandi difficultas naſci poſſet in aliis ex mixta ſuperbiæ inuidia, adeò vt non ſuos tantùm libros comprimant, ne eorum vtilitas & fructus ad alios quoque perueniat; verùm etiam ſi quæ 5.

exemplaria eiuſdem argumenti alibi ſunt, ipſi ea libenter redimerent vniuerſa, vt torum vſum omnem cæteris eriperent, & fruerentur ſoli. O peſtes hominum! qui ſicut laude aliena tabeſcunt, ita aliena tenuitate & inopia ſe creſcere arbitrantur. In re affini hanc prauæ mentis affectionem Lactantius in quibuſdam Philoſophis reprehendit: *Philoſophi ſic virtutem humano generi datam amplexabantur; tam inuidi, vt ſi velint deligare oculos, aut effodere cæteris ne ſolem videant.* Quàm comiter & generosè Zozimas (ille de quo Raderus in viridario Sanctorum parte 3.) ſe gerebat in commodatione librorum qui vel in furto ſibi ablatis adeò æquum ac facilem ſe præbuit, vt ex eo quod narraturus ſum intelliges. Commiſi (inquit Zoſimas) Notario cuidam ſcitè & eleganter characteres formanti, qui tamen erat Monachus, vt mihi ſacrarum literarum volumina deſcriberet: abſolutâ operâ miſit, qui mihi nuntiaret laborem eſſe peractum, curarem per aliquem, ſi videretur ad me deferri. & audiit hoc quidam de cœtu Fratrum, & profectus ad librarium meo nomine, exigit libros & auertit. Ego ignarus facti miſi ex domeſticis quempiam cum literis & tabula rationum, vti reciperet Biblia deſcripta. Notarius animaduersâ alterius qui ſcripta auerterat, fraude, indignatus ſe tam fœdè circumuentum. Ibo, inquit, & reum poſtulabo duorum criminum, quòd ita in me illuſerit, & rem alienam abſtulerit. Quod ego cùm intellexiſſem, miſi qui diceret amanuenſi, Non ignoras mi frater, ſacras literas eo nomine comparari à nobis, vt inde charitatem, modeſtiam, & manſuetudinem diſcamus. Quòd ſi nobis vſus Bibliorum pariat contentiones, non cupio librum vllum, ne altercari cogar, famulum Dei non decet litigare, en ego lubens libri iacturam faciam, dummodo alteri ob hanc cauſam ne moleſtus ſis. Idem Zozimas memor olim huius ſenis (cui volumen ab altero vicino fuerat clam ſubductum, dicebat haud ignoraſſe quis ille eſſet, qui codicem furto ſublegerat, nec tamen vnquam ab eo reprehenſum) quin imò contentiùs pro eo laboraſſe, quod diceret fortè illum magnopere indigere. Quæro abs te; poſcenti commodatò librum negaſſet, qui nec furto ſibi ablatum repetiit?

Matth. Raderus c. 2. n. 5.

6. Duo ſolent vulgò excuſare qui vitio illo laborant quod inſectamur. Queruntur vel ſibi omnino libros non reddi, vel labefactatos reſtitui. Bene mones quiſquis hoc cauſaris: & tu, quid in hac re agendum ſit, accipe. Nemo vnus, quicumque tandem ille ſit, librum commodatò efferat è tuo Muſeo, quin priùs ſuum nomen, diem, & librum quem effert, in tabula ad id propoſita ſcriptum relinquat, vt cum eo, vel cum aliis ad quorum manus fortè perueniet, agere poſſis ex chirographo, & prolatis tabulis. Tum intra menſem, v.g. ſe relaturum eodem ſcripto promittat; ſi non reſtituit ad diem, debitorem interpellare non erubeſces: ſi fidem fallit, & promiſſum non præſtat, tuum erit cauere ne iterum fallat: ſi ad diem repræſentatur, verùm vſu leuiter ſubtritus, paulò decoloratior; haud proinde ſtomachaberis: vix enim fieri poteſt, vt quis libro quantumuis conſideratè & decenter vtatur, quin aliquantulum deterior & abſoletior fiat; vſu enim & attritu neceſſe eſt rem omnem conſumi; ſed ſtatue apud animum tuum, damnum illud quod fortè tuo codici

diciillatum eſt cumulatè ſarciri obligatione, & debitione gratiæ qua tibi illum deuinxiſti. Si fœdum in modum deturpauit, lacerauit, atramento, oleo, aliterve inquinauit: haud propterea quamprimum fontes tuæ benignitatis & vrbanitatis velut indigno occludendos cenſeo; quia eiuſmodi caſus euenire per imprudentiam interdum poſſunt circumſpectis vel qui maximè; perge porrò: crede mihi, plus illi dolebit, quàm tibi, ſi gratus eſt: atque hunc in modum magis illum tibi obligas, quàm valere poſſit tuus liber: ſi per ſupinam negligentiam quid eiuſmodi accidere animaduertis: tum verò luat, & diſcat qui rem aliquam vtendam poſcit, ſolicitiùs eſſe conſeruandam quàm propriam; ac tegumento aliquo idoneo cauendum eſſe acceptis commodatò voluminibus. Et ſi forſan aliquid inſignioris damni illis illatum ſit; alios recèns emptos nouóſque & integros pro corruptis, vel inſigniter detritis reponendos eſſe, ex mutuæ vrbanitatis legibus.

Hæc duo quæ cauſari ſolent qui grauatè aliis ſuos libros accommodant, habent aliquam ſpeciem legitimæ excuſationis, vereor tamen ne plerumque illa tenacitas oriatur ex auara & ſordida quadam indole nonnullorum, qui ita rebus ſuis incubant, vt auro gryphes, & ex propriæ naturæ vitio ſunt ad largiendum reſtricti, neſciunt quid ſit liberalis voluntas gratificandi. neſciunt quid ſit de aliis promereri, multo minùs quid ſit ſe in alios profundere; nec de nomine quidem eam virtutem norunt, quæ ſe totam in alienas vtilitates porrigit & explicat. *Veri polypi* qui ſi quidpiam ſemel mordicus apprehenderint, illud tam tenaciter complectuntur, vt morſum nunquam reſoluant. Daniel Abbas apud Caſſianum [a] codices enumerat inter ea quæ quidam religioſam paupertatem profeſſi, necdum libri vitioſa illa ad auaritiam propenſione quam ſecum in Cœnobium intulerunt, *iis quibus vti neceſſe eſt,* inquit, *propenſius habere ſtudent quàm cæteri, vel excedunt diligentia modum peculiariùs ea attentiúſque cuſtodiunt, & ab illorum contrectatione defendunt, quæ vniuerſis fratribus deberent eſſe communia.* 7.

a coll. 4. c. 21.

Capvt V.

Quid ſtatuendum de variis notis quæ appingi libris conſueuerunt à lectoribus.

HVc pertinet quæ habet D. Epiphanius [b] de obelo, lemniſco, & hypolemniſco; huc quæ de bene multis notis D. Iſidorus [c] prorſus eruditè; huc quæ D. Auguſtinus [d] & D. Hieronymus [e] de aſteriſco, & obelo, eò te amandamus quiſquis curioſiùs iſta deſideras; nos, quia hoc libro de cura & conſeruatione librorum diſputamus, putauimus eſſe præſentis inſtituti ſtatuere quid hæc librorum cura hac in parte fieri patiatur, & quid à nonnullis ſtudioſis hominibus factitatum ſit. Mitto quæ habet Laërtius [f] diſputans de notis appingi ſolitis Platonis Philoſophi libris, quia non tam à lectoribus apponebantur ſtudij priuati gratiâ, quàm ab editoribus ad publicam vtilitatem. Dum tu paſſim 1.

ex

b de pond. & menſ.
c Etym. l. 1. c. 21. & ſeq.
d 18. de ciu. c. 42.
e in præf. Paral. & in Iob. & in ep. 135.
f l. 3.

ex veterum lectione animaduertes conſueuiſſe iam olim homines ſtudioſos ſui alienive profectus cupidos apponere aliquas notas in libris quos ſibi aliiſque legebant, tum locis illuſtrioribus indicandis, tum iis, qui vitioſa eſſent, cenſurâ notandis; ego interea duo perficiam: primo loco attingam *Eclogiea*, hoc eſt, ea quæ quiſquis ſibi ad vſum eximit; deinde dicam de *notis cenſoriis*: & de vtroque quod videbitur ſtatuam.

2. *Mittam tibi libros*, inquit Seneca, *& ne multum operæ impendas, dum paſſim profutura ſectaris, imponam notas, vt ad ea ipſa protinus quæ probo & miror accedas.* Refert neſcio quis veteres ſolitos fuiſſe appingere ad marginem aurei alicuius dicti quod inter legendum reperiſſent, geminum *L.L.* quo ſignificarent, *locum laudabilem.* Pandolphus Collenucius vir multæ eruditionis, *ſinopide* allinebat præclara geſta, quæ ad virtutes pertinebant; quæ ad vitia morbóſque, *atramento*; quæ ad herbas, arbores, fruticéſque, *ſilaceo*; quæ ad medicamenta & metallica, *ferrugine.* Alij ad præſidium memoriæ in margine librorum quos legunt turriculas, manciolas, columellas, & id genus alia ſigillaria, & quaſi ſymbola teſſeráſque effingunt, quæ rerum quæſitarum imagines è memoriæ promptuario facilè reuocent. Alij cùm incidunt in locum illuſtrem, aſteriſcos pingunt; cùm aliquid rotundè & magnificè dictum, circulum apponunt; cùm aliquid pium & motibus informandis idoneum, crucem; cùm in rem bellicam, enſem, vel ſcutum, cùm alia huiuſmodi obſeruanda inueniunt, verſibus lineas ſubducunt, vel manus pingunt; vel etiam (quòd planè malum eſt, & libris iniurioſum) notas vngue imprimunt. Alij (quod ſe facere conſueuiſſe teſtatur Calcagninus [a]) per compendium omnia in margine ſe ponunt quæ digna ſunt animaduerſione, & ſi quæ inter pulchra, ſunt pulcherrima, ea quaſi coryphæa & optimatia in ſumma marginis coronide. hinc eam vtilitatem ſibi natam ait, vt vel ſemihoræ ſpatio multa poſſet volumina recognoſcere. Alij chartæ fruſtulum vnguis magnitudine ſaliua madefactum applicant margini libri quem legunt è regione loci laudabilis quem excepturi ſunt, tum verò id faciunt, prȩſertim cùm non eſt in promptu codex animaduerſionum. Alij loco illius chartæ madefactæ inſerunt margini quaſdam è pergameno velut lingulas quibus rem exſcribendam deſignant. quod in hac parte conſentaneum videtur, paucis indico.

Calcag. ep. 10.

a ibidem.

3. Primùm quidem compendiola illa, aſteriſcos, manciolas, circulos, enſes, lineolas, & alia id genus, ego haud facilè apponi libris velim; quia ſi loca inſignia poſtea exſcribuntur in codice (vt facere operæ pretium eſt) geminus erit labos, & temporis iactura non leuis, neque eiuſmodi notæ magnopere aliis profuturæ ſunt; *ſuum enim cuique palatum eſt, nec idem ſapit omnibus æqualiter*, præter alias rationes, quæ cuilibet mediocriter in libris legendis verſato facilè occurrent. Tentaui aliquando, inquit Cælius Calcagninus, Plinij naturalem hiſtoriam in epitomen reuocare, quando eius auctoris mira ſemper cupidine exarſi; ſed rem ſine controuerſia ridiculam feci, qui omnem ferè Plinium exſcripſerim. Quomodo igitur in compendium rediges ſimiles libros primæ claſſis & commendationis, in quibus ferè continuum eſt, quod

excerpas

excerpas & annotes? Quo ad madefactæ illius chartæ fruſtula quæ video apponi à multis, & quod pertinet ad illas ſingulas è pergameno, has probo, illa reſpuo; quia humor fœdè contrahit, maculat, & corrumpit libros: neutrum tamen probo, quando in ipſo loci veſtigio & momento temporis poteris ea quæ tibi placent exſcribere. hac de re iterum libro quarto. In primis autem nunquam libri folium reflectes, vel vnguem imprimes. Si locum vbi legere deſieris, vel vbi obſeruare aliquid voles, indicare opus erit, id facito leui plagulâ chartæ interiectâ, vel aliis modis qui librorum incolumitati non officiant. hæc de primo quod propoſuimus.

Venio ad notas cenſorias quæ fieri conſueuerant, vel *cancellando*, ſeu tranſuerſis lineis tanquam cancellis inducendo, & (quod dixit Horatius) tranſuerſo calamo ſignū (damnationis) apponēdo; vnde forſan vox *Cancellarij* nata eſt, quòd edicta malè ſcripta cancellet, id eſt, lineas atramentarias tranſuerſo calamo ducat, vel quòd perperam conceſſa à Principibus circumſcriptis fraude ſupplicium hac nota improbet. 4.

Interdum *liturando*, vt loquitur Sidonius Apollinaris [a], ſiue litura coërcendo, vnde deridiculum Tullij iocantis in Verrem [b], *Videtis extremam partem nominis caudam illam verris tanquam in luto demerſam eſſe in litura?*

a ep 9. l. 8.
b act. 11. in Ver.

Vel (quemadmodum dixit idem Sidonius [c]) *peremptorijs rubricis abolendo.* in quam ſententiam animaduertendum eſt verum quidem eſſe, non ſolùm inſcriptiones & elegantes titulos fieri conſueuiſſe rubricâ, hoc eſt, minio, ſiue cinnabari; ſed etiam Imperatores Conſtantinopolitanos eo colore nomen ſuum diplomatis ſubſcripſiſſe, ſiue ille purum minium fuerit, ſiue cera miniata, vt aliis placet, quam Cicero *miniatulam*, Vitruuius *ceram ex milto* vocat; & in Notarij βιβλιογράφου ſupellectile, erat *cera alba, & cera miniata:* fuit verò adhibitum illud encauſtum & purpurea illa ſcriptura ex cruore muricis, ſiue conchilij, tum ad maieſtatem Principis, tum etiam terroris causâ literis ſanguineis necem improbitati minitantibus.

c l. 8.
Caſaub. in Perſ. Sat 5.
Leo Imp. l. 6. C. de diu. reſcr.

——— *Dicant cur condita ſit lex*
Bis ſex in tabulis, aut cur rubrica minetur
Quæ prohibet peccare reos.

hinc factum Draconis, leges ſuas ſcribentis ſanguine. licèt fuerit frequens hic vſus minij, ſiue rubricæ, aut purpuræ in ſcribendo: tamen veteres eodem colore fuiſſe vſos in ſuis cenſoriis animaduerſionibus *peremptoria illa rubrica* Sidonij docent; & Cicero apertè ſignificat, cùm ait, ſe *miniatulas cerulas Attici extimuiſſe*, id eſt, rubricam illam, qua loca in ipſius ſcriptis corrigenda annotabat. παραπάσματα Heſychius vocat, & cum eo Critici rubeas illas notas appellant quas apponebant libris abs ſe recenſitis.

Conſtant. Man in ann.
Turneb. l. 4. c. 5. ex veteribus I.C.
Prudent. l. 5. contra Symmachum
Plut. in Solone.
Pontan. in l. 1. Triſt.

Spongia inducendo, ſiue *delendo*, quod Cicero [d], Liuius [e], & Apuleius *ſpongia effingere* dixerunt; quæ locutio ita inualuit, *vt ſpongiam circumferre*, vel *ſpongia mederi*, idem ſit ac cenſorem agere, & cenſuram imprimere. Ortum ex Ariſtide [f] prouerbium, *Si quid nugati ſumus*, inquit, *nihil opus erit Steſicori palinodia, nimirum σπόγγος ἰάσεται, medebitur ſpongia,*

d pro Seſt.
e l. 39.
f in quadam orat.

quæ libro ſexto Epigram. appellatur ἀκεστὴν παζομένης χειρὸς, *ſtyli errantis medicina.* Martialis ſeruum ſuum deferre ad Fauſtinum iubet epigrammata his verbis,

Curre, ſed inſtructum comitetur pumice librum
Spongia, muneribus conuenit illa meis.
Non poſſunt noſtros multæ Fauſtine lituræ
Emendare iocos: vna litura poteſt.

Pumicem mittit ad poliendas frontes libelli nondum raſas; *ſpongiam,* ad caſtiganda carmina. Vſus autem ſpongiæ pro gemina ſcribendi ratione duplex fuit, quemadmodum eruditè obſeruat Hermanus Hugo [a]: interdum tota ſpongia imbuta erat atramento literis nigrâ liturâ inducendis: interdum cùm ſcribebatur in pugillaribus, & gypſo, vt hodieque mos eſt, adſperſâ duntaxat ſaliuâ. Vtrouis modo ſpongiam cum Varrone *deletilem* appellaueris. eſt enim

a c.1.de prima ſcrib. orig.

Vtilis hæc quoties ſcripta nouare voles.

Scitum eſt & elegans Auguſti reſponſum quod præter Suetonium [b] refert Macrobius [c] in hunc modum: Aiacem tragœdiam Auguſtus ſcripſerat, eandémque quod ſibi diſplicuiſſet, deleuerat: poſtea Lucius grauis tragœdiarum ſcriptor interrogabat eum, quid ageret Aiax ſuus, & ille, *in ſpongiam* (inquit) *incubuit*; alluſit Imperator ad Aiacis necem qui furore percitus incubuerat gladio. Suetonius [d] in Caligula morem innuit malorum ſcriptorum ſpongia delendorum. *In Gallia Lugdunenſi* (inquit) *miſcellos ludos edidit, ſed & certamen Græcæ Latinæque facundiæ: eos qui maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguáve delere iuſſit, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent.* illud flumen eſt confluens Rhodani ſcilicet, & Araris, iuxta Athenæum Lugdunenſe: metu illius pœnæ Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram pallebat, vt monet Iuuenalis; niſi potiùs ob quamdam magicam ſtatuam Palladis quam orator habebat è regione ſibi oppoſitam: quæ cùm identidem oculos horribilem in modum moueret, metum & pallorem incutiebat dicenti.

b in Aug. cap 85.
c Sat.l.2.
d cap.20.

Stylum vertendo. quod quomodo fiebat tu minimè intelliges niſi priùs ſtyli formam quam hîc exhibeo animaduerteris. Stylus quo in ligno, in ſaxo, in oſſe, in plumbo, & in cera ſcribebatur, erat vel ferreus, vel oſſeus. de ferreo Iob meminit, nota ſunt eius verba, *Quis mihi det vt exarentur in libro ſtylo ferreo, aut plumbi lamina,* &c. Et Iſidorus [c]; *Græci & Tuſci* (inquit) *primùm ferro in ceris ſcripſerunt.* De oſſeo Tit. Quintil. Atta in Satyra. *Vertamus vomerem in ceram, mucronéque oremus oſſeo.* Porrò huius ſcriptorij inſtrumenti figura hæc erat, vt alterum extremum acutum eſſet ad literas imprimendas, alterum ad eaſdem delendas obtuſum. Videſis eius iconem in Hermani Hugonis doctiſſimo commentario de prima ſcribendi origine. Morem hunc ſcribendi, ſimúlque ſtyli figuram pulchrè exprimit Prudentius hymno qui inſcribitur, Paſſio Caſſiani Martyris in foro Corneliano.

Iob c.19.
c l.6.cap.19. v.24.

Coniiciunt alij lapides, inque ora tabellas *
Frangunt, reliſa fronte lignum diſſilit.
Buxa crepant ceratæ, genis impacta cruentis,

* ſcriptorias

Rubétque

Rubéque ab ictu curua tumens pagina.
Inde alij ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis ſulcis ſcribitur.
Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti
Rurſus niteſcens innouatur area.
Hinc foditur Chriſti confeſſor, & inde ſecatur,
Pars viſcus intrat molle, pars ſcindit cutem.

Tum ſic inducit pueros carnifices alloquentes ſanctum Dei martyrem præceptorem ſuum, ad hanc materiam valde appoſitè.

Quid gemis (exclamat quidam) tute ipſe magiſter
Iſtud dediſti ferrum, & armaſti manus.
Non potes iraſci quòd ſcribimus, ipſe iubebas,
Nuuquam quietum dextera vt ferret ſtylum.
Pangere puncta libet, ſulciſque intexere ſulcos,
Flexas catenis impedire virgulas.

Iam intelligis quid ſit *ſtylum vertere.* nimirum quod punctim per æquor cereum exaratum erat, expungere, delere, & obliterare latiore parte ſtyli. *ſæpe ſtylum vertas*, ait Horatius in ſermonibus. & Tullius [a], *Timuit aliquandio, commotus eſt, vertit ſtylum in tabulis ſuis, quo facto cauſam omnem euertit ſuam.* Sed clariſſimè & eleganter D. Hieronymus [b], *Quandiu non renuebam laudationem tuam; ſequebaris vt magiſtrum, fratrem & collegam vocabas, & Catholicum in omnibus fatebaris: poſtquam verò non agnoui laudes tuas, & me indignum tanti viri præconio iudicaui, vertis ſtylum, & omnia laudata priùs vituperas, de eodem ore & dulce proferens & amarum.* 5.

a act. 4 in Verr.

b adu. Ruff.

Veru ſignando. quod Græci dicunt ὀβελίζειν, quaſi veru prænotare, iugulare, & rem ita ſignatam damnare. huius notæ Ariſtarchus auctor eſt, qui Homeri carmina in libros digerens, adulterina & ſpuria, vel ſubditítia ὀβελίσκοις, id eſt, minutis verubus appictis damnabat. vnde & Ariſtarchi nomen illis tribuitur, qui alienorum operum emendatores ſunt, cenſores, Critici, quemadmodum locutus eſt Cicero ad Dolabellam, Varro de lingua Latina, & D. Hieronymus, qui & ipſe imitatus eſt modum hunc caſtigationis, in quo ei præiuerat Origenes, de quo ſic loquitur [c]. *Vbi quid minùs habetur in Græco, ab Hebraica veritate Origenes de tranſlatione Theodotionis addidit, & ſignum poſuit aſteriſcum, id eſt, ſtellam, quæ quod prius abſconditum videbatur illuminet, & in medium proferat: vbi autem quod in Hebræo non eſt, & in Græcis codicibus inuenitur, ὀβελὸν, id eſt, iacentem præpoſuit virgulam, quam nos Latinè* VERV *poſſumus dicere, quo oſtenditur iugulandum eſſe, & confodiendum, quod in authenticis libris non inuenitur: quæ ſigna & in Græcorum Latinorúmque poematibus inueniuntur.* his verubus ſuppoſititios partus priſci ſummouebant ex auctorum familia.

c ep. 135.

Vngue notando: limam appingendo: cenſoriam virgulam imprimendo; quas locutiones & notas quia earum vis nota & explorata eſt, non perſequor.

De his notis ſtatuendum puto quod de aliis, ne facilè à quouis imprimantur, niſi manifeſtus aliquis error, craſsúſque ac fœdus Typographorum incuriâ, vel inſcitiâ, vel malitiâ irrepſerit. frigidiora loca 6.

minúſve accurata,ſiue quoad ſtylum,ſiue quoad ſententiam intacta relinquuntor: ſeipſum ſatis confixit auctor, dum illa ſcripſit. alioqui ſi vitioſa & inculta,vel etiam eximia & laudabilia paſſim ἀστεῖς aliiſque bonis ſignis σημειοῦσθαι, vel ὀβελίζειν licebit: Deus bone, quid breui fiet libris,quàm detriti,quàm deformes,quàm crebris lituris, quàm vario charactere,quàm multis interdum nouis erratis,quibus maculis inquinabuntur? Quod cùm omnibus dictum eſſe debeat; tum verò præſertim iis, qui non proprios, ſed publicarum & communium Bibliothecarum libros tractant;qui non ſunt cuiuſquam mancipio,ſed vſu.

CAPVT VI.

Studium & cura emendorum librorum commendatur.

1. PAucæ res ſunt in quas laudabiliùs ſumptus & impenſæ adeóque effuſiones fieri poſſint,quàm in libros,quandoquidem ex iis & præſidium,& voluptas,& honor,& morum inſtructio,& ſapientia & nominis immortalitas comparatur.Pecunias ſuas alij in epulas profundant, alij in venationes,alij in theatra,alij in ædificia,alij in veſtium apparatum,alij in ſupellectilis elegantiam,alij in res alias: quiſquis erit bonorum librorum emendorum cupidus & ſolicitus,etiam vſque ad emacitatem, vix eum reprehenderim: habebit hac in parte quos imitetur duos Philoſophiæ Principes Platonem & Ariſtotelem; ille, teſte Gellio [a],licèt admodum tenui re familiari,tamen tres Philolai Pythagorici decem millibus denariûm mercatus eſt,vnde(inquit) ſi Timoni credimus in amarulento & maledicentiſſimo libro qui σίλλος inſcribitur, Timæum nobilem illum dialogum concinnauit,ſeu continuauit. Princeps Lycei Ariſtoteles pauculos libros Speuſippi Philoſophi poſt mortem eius emit talentis Atticis tribus, quæ ſumma fit Romani numi H S. duo & LXX. millia. Ad exemplum duorum ſuperiorum accedit Galeni [b] auctoritas recenſentis tales librorum emptiones inter laudabiliter & honeſtè facta.*Quod ad nos attinet,*ait, *decima fortaſſe prouentuum noſtrorum pars impenditur,reliquæ verò partes nouem ſubſtantiæ ipſi adijciuntur: attamen video te ne in res quidem egregias inſumere quidquam audere, non in coëmptionem comparationémque librorum; non in eos,qui ſcribant exercendos,ſiue notis & ſignis id faciant, vt citiùs; ſiue exquiſitis figuris, vt pulchriùs; ſiue ne in eos quidem qui emendare rectéque legant.* hauddubiè iſti ſumptus longè honeſtiores ſunt, quàm qui fiunt in eas res, quarum memoria aut nulla, aut breuis relinquitur. Modus quidem adhiberi, íſque referri ad facultates debet: nihilominus ſi quid peccatur hac in parte,propè dixi,peccatum iſtud liberale & ſtudioſum eſt. Quis nunc Regum (inquit Budæus) emere Bibliothecam confertiſſimam decem aureorum millibus velit, quanti à Plinio iuniore ciuis vnus priuatus regeſta quædam extemporanea licitari auſus eſt? nam Plinius ſcribit ſe potuiſſe,cùm procuraret Hiſpaniam,vendere ſuos commẽtarios Largio Licinio

[a] c.17.l.3.

[b] de dignoſc.& cur. ann. morbis.

Licinio quadringentis millibus nummûm. Audi M. Tullium Ciceronem incenſum ſtudio huius literariæ ſupellectilis: ſcribit in hunc ſenſum Attico amico ſuo, *Bibliothecam tuam caue cuiquam deſpondeas quamuis acrem amatorem inueneris, nam & ego omnes meas vindimiolas eò reſeruo, vt illud ſubſidium ſenectuti parem.* Iterumque alia epiſtola, LIBROS TVOS *caue cuiquam tradas, nobis eos, quemadmodum ſcribis, conſerua; ſummum me eorum ſtudium tenet, ſicut odium iam cæterarum rerum.* Cic. ad Att. ep 8. & 9.

Hoc loco è re nata Lectorem meum commonendum puto, ne ſinat elabi ſibi è manibus occaſiones, & opportunitates quarumdam priuatarum Bibliothecarum, quæ interdum vænales proſtant; nam prætérquam quòd vtplurimum longè vilioris væneunt, ſolent ſæpe in illis reperiri eximij & inſignes libri, quos in tabernis Bibliopolarum nunquam inuenies: malim me ære alieno obligare, quàm ob præſentis pecuniæ inopiam irreparabili iacturâ, & ſerâ meâ pœnitentiâ tales libros aliis emptoribus addici. Liuius, Macrobius, Valerius Maximus, Feneſtella, Suidas, Alexander ab Alex. [a] aliíque complures rem quamdam memorabilem referunt, quæ quoniam opportunè animo ſuccurrit à me quoque Lactantij verbis [b] hîc habebit locum. Cumana Sibylla cùm nouem conſcriptos libros ad Tarquinium Priſcum Regem attuliſſet, ac pro eis trecentos Philippicos (Solinus addit *aureos*, quorum ſinguli æſtimantur duobus ducatis,) poſtulaſſet, Réxque aſpernatus pretij magnitudinem deriſiſſet mulieris inſaniam, illa in conſpectu Regis tres combuſſit, ac pro reliquis idem pretium popoſcit. Tarquinius multo magis inſanire mulierem putauit, quæ denuo tribus aliis combuſtis cum in eodem pretio perſeueraret, motus eſt Rex ac reſiduos trecentis aureis emit. Quantum damnum fuerit exuſtio illorum librorum hinc ſatis colligere poteris, quòd reliqui poſiti ſint in templo Capitolino ſeruandi inter res ſacras, traditíque cuſtodiæ duorum patriciorum, quibus adiecti ſunt miniſtri duo viri eruditi & literati, qui iubente Senatu eos relegerent, & interpretarentur quoties dij conſulendi eſſent de rebus magnis, & ad remp. pertinentibus: tantâque veneratione habiti ſunt, vt (quemadmodum ſcribunt Valerius Maximus [c], & Dion. Halicarnaſſeus [d], Tarquinius iuſſerit, M. Atilium alterum è cuſtodibus culeo inſutum in mare ſubmergi; quòd ſacra carmina Petronio Sabino ſcribæ tranſcribenda permiſiſſet; quæ pœna poſtea ad parricidas tranſiit iuſtiſſimè, inquit Valerius, *quia pari vindicta parentum & Deorum violatio expianda eſt.* Itaque, ſi me audis, certum æs ex annuo tuo reditu ſeponito ad coëmendos libros: item fructus quoſdam improuiſos, & inſperata lucra ſiue ex ludo, ſiue ex ſponſionibus, aut certationibus pigneratitiis, ſiue aliter obuenientem pecuniam rectè collocari poſſe arbitror in locupletanda Bibliotheca. Idque antiquiſſimum inprimis eſſe debet religioſarum familiarum præſidibus, vt ſapientiſſimi quique duxerunt, ac ſuo exemplo auctores faciendi extiterunt, dummodo (ait Nigronius noſter) nec inconſultè æs alienum ad has impenſas contrahatur; nec ad tuendam vitam neceſſaria communitati ſordidè detrahantur; nec diuino cultui officiatur; nec egenis duriter ex demenſo minuatur. lege

2.

Guill. l. 1. c. 19.
a c. 16. l. 3.
Dion. Halic. l. 4.
b l. 1. de falſa relig. c. 6.
Plinius fuiſſe Tarquiniũ ſuperbũ ait, ac tres tantũ libros, duos verò crematos, tertium poſtea Syllanis temporibus.
Gell. ibid.

c l. 1. c. 1.
d l. 4.

(amabo) apud eumdem Nigronium egregiam reprehenſionem in eos cœnobitas, qui laborant tanta cupiditate, & inſania librorum recèns editorum, vt importunè illos flagitent, ſuíſque Antiſtitibus moleſtiam creent, negéntque ſe ſine illis vel docere poſſe, vel concionari, ne dicam viuere: cùm tamen haud raro contingat, vt eumdem librum, cuius deſiderio tantopere arſerunt, vbi delibarunt, ſtatim reſpuant, contemnant, damnent, & in angulum abiiciant.

CAPVT VII.

Emendatorum librorum & charactere venuſtorum delectus.

1. VEtus & iuſta multorum querimonia eſt, Typographorum, vt olim Notariorum inſcitiam, vel incuriam qui libros infinitis mendis deprauatos in publicum edunt, auctoribus iniuriam facere, & lectoribus multum moleſtiæ faceſſere. *Vt ad plenum auctorum conſtet integritas, quis ſcriptorum* (id eſt, notariorum, ſeu amanuenſium) *inſcitiæ, inertiæque corrumpenti omnia medebitur*, inquit Petrarcha [a], *cuius metu multa iã vt auguror à magnis operibus clara ingenia reflexerunt, meritóque id patitur ignauiſſima hæc ætas culinæ ſolicita, literarum negligens, & coquos examinans, non ſcriptores. Quiſquis pingere in membranis manúque verſare calamum didicerit, ſcriptor habebitur; nec queror orthographiam quæ pridem interiit, qualitercumque vtinam ſcriberent quod iubentur, appareret ſcriptoris infantia, rerum ſubſtantia non lateret, nunc confuſis exemplaribus, & exemplis vnum ſcribere polliciti, ſic aliud ſcribunt, vt quod ipſe dictaueris non agnoſcas. An ſi redeat Cicero, aut Liuius multique alij veterum illuſtrium, ante omnes Plinius ſecundus ſua ſcripta relegentes intelligent, & non paſſim haſitantes aliena credent eſſe, nunc barbara.* Qui libros ediderunt in lucem teſtes ſunt nihil accidere ſibi poſſe moleſtius, quàm cùm vident ſuos libros mendis ſcatentes; malléntque ſibi maculam in vultu imprimi, quàm næuum ſuis operibus inuri. Id quantopere cauerit D. Irenæus ipſe in ſuorum operum veſtibulo his verbis declarat. ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο κατὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χρ. καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας, καὶ νεκροὺς ἵνα ἀντιβάλλῃς ὃ μετεγράψω ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίας μεταγράψῃς καὶ θήσῃς ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. *Adiuro te qui tranſcribis librum iſtum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per glorioſum eius aduentum qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, vt conferas poſtquam tranſcripſeris, & emendes illum ad exemplar vnde ſcripſiſti diligentiſſimè, hanc quoque obteſtationem ſimiliter transferas in exemplari, vt inueniſti.* huius adiurationis D. Irenæi meminit D. Hieronymus [b], qui & ipſe in ſuis ſcriptis librariorum negligentiam & Notariorum imperitiam arguit, qui ſcribunt non quod inueniunt, ſed quod intelligunt, & dum alios errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos. Quibus verbis duos ſcopulos indicat, in quos cùm libri impingunt, graue damnum ſuæ integritatis pati ſolent. Alter eſt imperiti correctoris inſcitia quæ erratorum innumerabilium ſcatebra eſt; alter ſciolorum

a dial. 43.

b in Catal. ſer. Eccl. & ep. 28. & 201.

ſciolorum quorumdam correctorum arrogantia, qui ſumentes ſibi opinionem egregiè intelligentium proiectius audent quàm licet: quòd ſi ad ignorantiam arrogantia, atque ad vtramque dolus malus acceſſerit, incredibile eſt quas labes creent, quàm malè de libris & eorum auctoribus mereantur; adeóque etiam de lectoribus, quibus incredibiliter moleſtum eſt, tertio quoque verbo inter legendum hærere, ſicut ſolet eſſe admodum laborioſum iter agentibus in crebra offenſicula incurrere, vel aliquid attentè & cupidè conſpicientibus importuna oculorum nictatione frequentiùs conniuere.

Accedit inſuper quòd vnius literulæ adiectio, vel detractio, vel apicis praua collocatio graues ſæpe errores, atque etiam hæreſes inuehat, 2.
vt ſi quis θεότοκον, pro θεοτόκον deiparam Virginem, vel Spiritum ſanctum Patri & Filio ὁμοιούσιον pro ὁμοούσιον ſcripſerit, reus ſit peremptæ veritatis, & velut ipſi Deo mentitionis contumeliam in os ingerat; adeò periculoſum eſt iota vnum, aut vnum apicem præteriri, aut malè appingi. Si vitio emendatoris, aut Typographi in editione librorum Hippocratis, vel Galeni, vel alterius Medici, potionis medicæ modus minuatur augeatúrve, atque pro vna drachma plures, vel pro pluribus vna ponatur; quæ incommoda? imò quàm certæ interdum mortes? ex his ſimilium errorum coniecturam facito. rudes & indocti librarij ac Typographi non poſſunt ſibi inducere in animum quàm fœda & intoleranda, quámque capitalia nonnunquam ſint hæc menda; qui ſi forent ſimiles quorumdam doctorum chalcographorum & correctorum quos nouimus, vel Balthazaris Moreti viri in paucis docti, libri haud dubiè prodirent emendatiores. Alexander Magnus habebat ſæpe in manibus quemdam Homeri librum ſummo ſtudio ab Ariſtotelè correctum ac ſinceriſſimum redditum; qui cùm editus in publicum eſſet, quotquot deinde prodierunt exemplaria, dicta ſunt ἐκ τοῦ νάρθηκος, vt diſtinguerentur ab aliis plurimis quæ fœdata multis mendis circumferebantur. Vtinam viri Principes magni Alexandri exemplo de bonis artibus ita mererentur.

Petr. Victorius lectionū l 31. c. 19.

Pars etiam eſt Bibliothecalis curæ & præfecturæ, vt Bibliotheca 3.
inſtruatur codicibus qui characteris venuſtate, & chartæ bonitate commendabiles ſint: hæc enim elegantia ad legendum inuitat, lectorémque beneuolum, & docilem facit.

CAPVT VIII.

Supellex ſcriptoria, artificioſæ lucernæ, horologia, & ſuſcitabula prouidenda ſunt à Bibliothecæ præfectis.

MEnſa oblongior eleganti aliquo tapete ſtrata, ac inſtructa iis re- 1.
bus quæ neceſſariæ & opportunæ ſunt ad ſcribendum: item plures in ea lenè decliues abaci ad eumdem vſum, vt non deſint, curatoris Bibliothecæ cautio eſſe debet. Inſuper ne deſiderentur ad nocturnas vigilias,

vigilias, aut lucubrationes antelucanas idoneæ lucernæ, quales eſſe poſſunt quæ à Theodoſio Imperatore *Theodoſiariæ* appellantur, tali artificio factæ, vt ſe ſua ſponte accenderent, & oleum offunderent, ne ſtudioſiſſimus & optimus Imperator quemquam miniſtrorum noctu excitaret, & eo labore grauaret. De iiſdem puto Caſſiodorum loqui cùm ait[a]. *Parauimus nocturnis vigiliis mechanicas lucernas conſeruatrices illuminantium flammarum, ipſas ſibi nutrientes incendium, quæ humano miniſterio ceſſante prolixè cuſtodiant vberrimi luminis abundantiſſimam claritatem.* Fortaſſe hoc genus lucernarum inter res veteres deperditus numerari poteſt; haud tamen magnopere requirendæ, à quo tempore *lucernæ*, quæ vulgò *cardani* dicuntur, inuentæ ſunt. nihil iam vulgatius.

Niceph.l.14. c.3.

a lib de diu. inſtit.c.29.

2. Horologia verò, quæ ad magnas vtilitatees humani generis inuenta fuiſſe ait Caſſiodorus, omni cura prouidenda ſunt à Bibliothecario: in ſingulis quidem feneſtris *ſolaria* multiplicis rationis, tum in certa parte Bibliothecæ inter duo armaria *rotatum*, applicatum arcui intergerino. Illis enim inſtrumentis quæ *comminuunt noſtros articulatim dies* (quidquid dicat eſuriens apud Plautum paraſitus) nihil eſt vtilius. Nam nullo modo eſt ſtudendum, vt nec comedendum *niſi Soli* lubeat, hoc eſt, niſi tempeſtiuum ſit. Et quo plus artis & ingenij fuerit in ſciotericis & rotatis horariis, eo digniora erunt loco qui Muſis & pædiæ conſecratus eſt. Si tale nanciſci poteris, quale Aaron Perſarum Rex miſit ad Carolum Magnum Imperatorem, optimè eſt. Machina erat ex aurichalco, in qua duodecim horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cùm totidem argenteis pilis quæ pro numero horarum in peluim item argenteam decidebant; additis eiuſdem numeri equitibus qui expletis ſtatis horis exibant, egreſsíque totidem apertas feneſtras ſuo impulſu claudebant. reliqua huius operis miracula alij referunt; tu illos conſule: haud tamẽ puto fuiſſe artificioſius eo quod Carolus V. Imperator in annulo digiti geſtabat inſtructum ſua campanula, atque horarum indice, & neceſſariis ad id rotulis. *Multum eſt clauſiſſe magnum in paruo.* Idem Cæſar aliud habuit in quo non horas modò, ſed etiam ſtellarum periodos libramentis ponderum trutinatus erat artifex: ſunt alia quæ Solis ac Lunæ appoſitiones ac coniunctiones indicant, quotaque ſit luna, quotus menſis dies, quod ſignum cœleſte, qua hora ſol oriatur, qua occidat: hæc quia habent coniunctum artificis ingenium cum doctrina & mathematicis diſciplinis, magis probo, quàm quæ percutiendi duntaxat horarij tympani peculiares rationes habent.

Naucl.gen. 28 an. Chriſti 807. Regin Kr. Sax.l.1.c.19. Guag l.4. Vinc. hiſt. l.24.c.10.

3. Et ne quis horologium interturbet, atque ſacomata, ſeu pondera imprudentiùs attingat; ſubducendum erit inconſideratorum manibus, tabulis erectis in modum armarij, ſerâque ac ferreo inſtructu rectè communitis, vt fieri mos eſt: ac ne quid ineruditum ſit in æde eruditionis, tabulæ pingentur ſolertibus & ingenioſis emblematis, vel petitis ex antiquitate ritibus, ad annum, menſes, dies, horas ſignificanda opportunè: cuiuſmodi eſt ſerpens in orbem circumplicatus & morſu caudam apprehendens cum hac voce ἐνιαυτὸς, quaſi in ſeipſum reuertatur, vt poëta cecinit,

Atque

Atque in ſe ſua per veſtigia labitur annus.

Annum pingere hunc in modum poteris Athenæi ideam ſecutus. Tragicam perſonam quatuor cubitis ordinaria ſtatura reliquarum perſonarum maiorem, aureum amalthex cornu tenentem in pompam induces: eum ſequetur mulier auro ornata, dextrâ ferens de perſea arbore coronam, ſiniſtrâ ex palma virgam, quæ erat penteteris, ſiue Olympia; deinde ſequentur quatuor anni tempora, ſicut pingi conſueuerunt. Vel, ſi mauis, rotulam Peruanorum, qua ſuos annos complectebantur exprimes, Ioſepho à Coſta [a] accuratam eius rei deſcriptionem ſuppeditante: vel pompam Ægyptiarum ceremoniarum quam pulchrè deſcribit Stromateus. Procedit cantor cum ſuæ artis ſymbolis; ſequitur horoſcopus manu horologium tenens & palmam, &c. deinde ἱερογραμματεὺς, &c. ac innumerabilia id genus, quæ apud Philologos & ſymbolorum Eclogarios reperies. Caue omittas appingere argutam aliquam & eruditam epigraphem; vnam, aut alteram exempli gratia tibi ſuggero.

a l.6. cap 1. Clem. Alex. l 6. multò ante mediū pag. 633.

Ars longa, vita breuis. vel hunc verſiculum alludentem ad dentatas rotas horologij, quibus progreditur,

An mirabilius pedibus, vel dentibus ire?

Aut morale iſtud diſtichum Famiani Stradæ ludentis in ponderibus, manu, ſiue indice, & vocali machinula horologij [b],

b l.2. prol.3. hiſt. parte 2.

Diſcite non vllam ſine pondere reddere vocem:
Diſcite mortales ore manúque loqui.

Vel hanc palmarem ſententiam, *Sic ſtude quaſi ſemper victurus; ſic viue quaſi quotidie moriturus.*

Præterea auctor ſim viro ſtudioſo vt ad euigilandum quâ horâ conſtituerit, habeat canorum ſuſcitabulum, quod ſit inſtar ſerui tota mente ad herum, prout iuſſus fuerit, excitandum intenti. percommodum quoque, ſi illud rotatum crepitaculum non ſolùm ſomnum interpellet horâ conſtitutâ, verùm etiam ictu malleoli è ſilice ignem excutiat, ac paratam concipiendi ignis materiam, lychnúmque illi proximum accendat. præclarum artificium, & quod humanum ingenium non latuit. 4.

Maiol. coll. 23.

CAPVT IX.

Illuſtrium quarumdam Bibliothecarum clades, & excidia.

QVod Seneca ſcripſit ad Lucilium de illo dolore animi & ægritudine quã liberalis communis amicus vtriuſque ſuſcepit nunciato incendio quo Lugdunenſis colonia propè momento temporis exuſta eſt id rectè transferri poteſt ad quarumdam Bibliothecarum clades & excidia. *Mouere hic caſus*, inquit, *quemlibet poſſit, nedum hominem patriæ ſuæ amantiſſimum. Vna nox interfuit inter maximam vrbem & nullam, Lugdunum quod oſtendebatur in Gallia, quæritur. Heu quidquid longa ſeries* 1.

multis laboribus multa Dei indulgentia ſtruxit, id vnus dies ſpargit ac diſſipat. Non eſt verum, ait Æneas Syluius, *quod ſibi aliqui perſuadent literarum monumenta non interire. omnia occidunt, nec literis ſua mors negata eſt, quamuis aliæ alijs plus viuant.* Occurrit in primis funeſtiſſimum reip. literariæ, nec vnquam ſatis defletum incendium Bibliothecæ Alexandrinæ, quam Philadelphus Ptolemæus tantâ curâ, tantis impenſis, tantâ virorum doctorum diligentiâ, inſtituerat. Caium Iulium Cæſarem Achillas regius Alexandriæ præfectus adoratus erat, cúmque pugna haud procul à regio palatio cœpiſſet, iuſſit Cæſar proxima incendi, qua arte hoſtis quidem repulſus eſt; verùm ignis alia atque alia deinceps ædificia corripiens in ipſum quoque Muſeum graſſatus eſt; & ſeptingenta volumina librorum abſumpſit. Quis iam infinitorum auctorum labores qui hoc incendio perierunt, appellet *monumentum ære perennius?* Quid fingi poteſt auguſtius, aut beatius quàm iidem auctores collocati in aliquo pluteo regiæ illius Bibliothecæ; ſed iiſdem auctoribus in cinerem redactis, quid calamitoſius? Reparatam vtcumque fuiſſe à Cleopatra ſuprà monuimus acceptis ab Antonio Amaſio ſuo Regis Eumenis libris, ad quam Domitianus Imperator Romanas reparaturus miſit viros doctos, qui libros deſcriberent, alióſque alibi repertos cum Alexandrinis conferrent, emendaréntque. Eadem rurſus ab Arianis exuſta eſt, vt ſcribit D. Athanaſius de perſecutione ad Orthodoxos. Varias alias inſignes Bibliothecas Romæ exuſtas, Pauli Æmilij, Aſinij Pollionis, & Iulij Cæſaris paſſim leges apud hiſtoricos; quæ licèt ab Tiberio, Domitiano aliiſque reſtitutę ſint; tamē iterū iterúmque ac ſępiùs flammis cōflagrauere; vt Capitolina tēpore Cōmodi Imperatoris fulmine immiſſo arſit: eam reparauit Gordianus ſeptuaginta duorū milliū librorum relictus hæres à Sammonico Sereno: itē Cōſtantinopolitana extructa à Magno Conſtātino, ab aliis poſtea Imperatoribus immēsùm aucta, à Valēte Imperatore ſolicitè curata, dato ad id reſcripto tandem. Baſilici tyranni tēpore librorum vicena millia centena continens à concitata plebe in inuidiam Baſilici flammis coniectis periit: inter eos libros fuit draconis inteſtinum longum pedes centum viginti, cui Homeri Ilias & Odyſſea aureis literis inſcriptæ erant, cum hiſtoria rerum ab heroibus geſtarum. Ereptum fuiſſe ex illo incendio inde colligo, quòd anno à partu Virginis ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto cùm Leo Iſauricus eandem Bibliothecam Conſtantinopolitanam vtcumque ad tricena tria millia voluminum reſtitutam, poſtea veſano furore percitus in ſacras imagines, earúmque fautores Bibliothecarios, eam cóſque ſimul cremauit, vbi adhuc fuiſſe illud inteſtinum Conſtantinus, Cedrenus, Zonaras, Glycas teſtantur. O phanaticam impotentis hominis importunitatem, qui nec corporibus pepercit, nec ingeniis. Rediuiui illi in ſuperioris ſæculi hæreticis Iconoclaſtæ haud minore veſania ſæuierunt in libros: id porrò qua mente quóve conſilio, docet Laurentius Surius, qui poſt recenſita ea ſacrilegia quæ ſceleſtiſſimi Athamantes anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto in ſacras imagines, in Sāctorum reliquias, adeóque in ſacroſanctam Euchariſtiam patrarunt in Belgio, hæc ait. Interim mirè graſſati ſunt in monaſteria omnia, præſertim verò in Abba

Victor & Tranq. in Domit.

Dio.

l. 2. C. Th. de ſtud. lib.

Niceph. l. 16. c. 6. an. 476.

Videndus Baronius in hunc annum comment. ann. 1566.

Abbatiam Blandinenſem & Cœnobium Dominicanorum Gandaui, exciſis pręter ingentis pretij marmora, etiam inſtructiſſimis Bibliothecis, quarum Blandimenſis, ſi quæ alia, vel maximè referta cernebatur vetuſtiſſimis codicibus. Quis verò ſanæ mentis dubitare queat, dum ſic optimos quoſque codices immani barbarie perdant iſti, nihil eos ſpectare aliud, niſi vt fides Catholica quam ex eiuſmodi libris plus quàm dici queat, aſſeritur & confirmatur prorſus peſſum eat? & audent tamen iactare belliſſimi homines ſe cupere modis omnibus inſtauratam veram fidem, ſed id perſuadeant fungis & ſtipitibus. Sentiunt miſeri vetera Patrum ſcripta longè latéque ab ipſorum impiis commentis diſſidere; itaque ne ex iis confutentur, ea planè abolita vellent. Hæc ille. Nicolaus Serarius iſtos flammarum ſubiectores ad incendia Bibliothecarum, ſimiles eſſe ait deſperatis debitoribus, qui ne cogantur iuſtos cenſus & debita perſoluere, ſyngraphas tabuláſque creditorum ſuorum vel ſurripiunt, vel iniectis facibus ſuccendunt. Similes item Herodi qui ne ignobilis, exterus, & aduena videretur, Iudaicæ nobilitatis tabularia, ſtemmatum libros, ſeu genealogias incendit.

Ioſephus l.2.cap.31.& l.7. cap. 9. apud Gretſ. l.1. de iure prohib. libros malos cap.21. Euſeb.l.1. hiſt.cap.7.

2. Memoremus inter Regiarum & Imperatoriarum Bibliothecarum exuſtiones, quod priuatæ Antonij Vrcei Codri Grammatici contigit. Is Foroliuij habitabat in penetralibus palatij, cubiculúmque adeò tenebricoſum ſortitus erat, vt vel de die indigeret lucernæ lumine: in ſublimiori atque oculatiori parte ſui Muſei hoc Epigramma cælauerat, *Studia lucernam olentia bene olent*; hanc cùm per imprudentiam inextinctam reliquiſſet negotiorum gratiâ in forum egreſſus, ignis libros omnes hauſit, inter quos & is fuit quem *Paſtoris* titulo ipſe compoſuerat; qui vnum hunc haud dubiè magis doluit quàm reliquos; tum quòd ipſius eſſet, tum quòd talium rerum iactura ferè irreparabilis eſt. Antiochiæ in ſuburbio Daphnes Iulianus Apoſtata nobilem Bibliothecam inſtituerat in eo templo, quod Traiano olim fuerat dicatum; eam Iouinianus vxoris ſuaſu incendi iuſſit faces ſubiicientibus concubinis. Quid aliud expectes à mulierculis exoſis pudicitiam Muſarum & Mineruæ ſcientiarum præſidis? De ſacrorum voluminum clade & exuſtione iam ſuprà libro primo diximus. In Cnido inſula, quæ eſt vna è Cycladibus, Bibliotheca fuit, quam ex inuidia Hippocratis ſectatores combuſſerunt, quòd Cnidij contrariam Hippocratianæ medicinæ ſectam tuerentur.

Bartholomæus Bononienſis in eius vita.

3. Mitiùs cum quibuſdam Bibliothecis, licèt haud mitiùs cum ipſarum conditoribus actum eſt, quòd illæ non omnino quidem perierint quāuis poſſeſſoribus omnino. Plutarchum [a], Strabonem [b], & alios habeo auctores eorum quæ hîc referam. Ariſtoteles (quoad annalium monumentis conſtat) primus auctor condendarum Bibliothecarum, ac eiuſdem ſtudij incentor Regibus Ægyptiis fuit: moriens ſcholam & Bibliothecam reliquit Theophraſto, Theophraſtus Neleo Coriſci filio, diſcipulo ſuo, qui eam Scepſim detulit; poſt cuius mortem tantus theſaurus peruenit ad imperitos hæredes, qui certiores facti de Pergamenorum & Ægyptiorum Regum ſtudio in conquirendis vndequaque libris, ſeu inuidia, ſeu auaritia moti, libros in ſubterraneo quodam loco

[a] in Sylla.
[b] l. 13.
Æneas Sylu. hiſtor. de Aſia minore.
Guido Pancir. de Biblioth.

abdidere, vbi tineis & blattis præda fuerunt vſque ad Apelliconem Teiam, qui eos magno pretio redemit; quos poſtea Sylla Athenis captis Romam tranſtulit, ex qua deinde Tyrannionem Grammaticum plurima interuertiſſe memorant, atque Andronicũ Rhodium ab eo accepiſſe exemplaria, eaque in lucem edidiſſe, & vulgaſſe hos Indices qui manibus teruntur. Quod in hac parte valde calamitoſum eſt, ſunt innumera illa menda & errata, quæ inepti ſcribæ, atque indiligentes collatores in iis aut exſcribendis, aut in Romanum ſermonem conuertendis admiſerunt. Quî verò fieri poteſt, vt Latina interpretatio incorrupta ſit, ſi Græca primigenia haud ſincera eſt? Aut quis non periiſſe putet eos libros, quos auctor ſuos eſſe neget, ſi reuiuiſcat.

4. Gall. l. 6. c. 17. Piſiſtratus tyrannus Bibliothecam primus Athenis publicauit, quam Xerxes vrbe potitus ad Perſas tranſtulit: eandem deinde multis pòſt annis Seleucus Nicanor referendam curauit: reſtituit luculentiùs poſtea Adrianus, & nouam mirabilem ipſe conſtruxit. Sed hoc memorabile eſt, quod refert Egnatius in vita Claudij, quòd cùm Gothi conſtituiſſent illam exurere, perſuaſi ſunt à nonnullis abſtinendum eſſe Muſis, & literis parcendum: otio enim literario virtutem bellicam hoſtium marceſcere. M. Varronis laudatiſſima Bibliotheca in calamitoſiſſima ſui temporis proſcriptione quæ ipſum quoque expulit, cum cæteris bonis direpta eſt.

Euſeb. & Ado apud Platin. de vita Alexandri.

Sabell. l. 8. Enn. 6.

LIBER

LIBER QVARTVS

MVSEI,

SIVE

BIBLIOTHECÆ

VSVS.

PRæcipvvs fructus huius commentarij hoc præſertim libro continetur; qui licèt ordine poſtremus ſit, in noſtra tamen mente & conſilio primarius ſemper, & princeps fuit. Nam quiſquis in rem contulerit ea, quæ hoc libro continentur, meritò videbitur dignus locuplete Bibliothecâ; imò etiam ipſe animatũ Muſeum eximiâ refertũ doctrinâ ſiet. Eſt itaque hic liber *Introductio in domũ Gymnaſij doctrinæ*; ſic interpres Chaldæus appellat cellam illam vinariam, in quam Rex ſponſam ſuam introduxit. Tu Philomuſe in eam ingredere, ac ebibe ſapientiæ calices, quos ſani ſcriptores tibi propinant in ſuis libris, & quod optabat D. Cyrillus Alexandrinus [a], *hac ebrietate ſobrietatis matre te inebria.* Quod de ſe Sibylla cecinit, non tantùm dum viueret ſe profuturam mortalibus, verumetiam fato functam; quippe quæ oracula relictura ſit, ad quæ homines conſilij causâ adirent. idem de quolibet bono auctore dictum puta: *in hunc enim circulum res recurrit*, (ait D. Hieronymus [b]) *vt alter alterius labore fruatur, & ſudor mortui ſint delitiæ viuentis.*

a hom.7.

b apud Hugonem Carenſem.

2\. Porrò vniuerſarum pariter, ac ſingularum ſcientiarum, quibus libro ſecundo ſingula armaria attribuimus, ediſcendarum viam, artem, & compendium (Græci *μέθοδον* vocant) ſeorſim tradere quis mortalium ſolus queat? Vnum aliquem de vna, aut altera, vel pauculis id accuratè, & pro dignitate poſſe, multum fuerit: neceſſe enim eſt diuturno vſu & propria obſeruatione conſecutum eſſe illam ſcientiam, quam *Præceptiuam* vocant, quæ longè alia eſt à nuda intelligentia illius diſciplinæ, cui ſe quiſque addixit, quantumuis in ea excellat.

3\. Nihilominus duo ſunt, Lector, quæ pro tuo iure à me hoc loco poſtulaueris. Primum, tradi tibi generalia quædam præcepta accommodata ad fructuoſum vſum Bibliothecæ, qui ferè in legendo, & res ſelectiores in aduerſaria referendo; in docendo ac libros edendo totus con-

ſiſtit: deinde vnius ſaltem facultatis compendio addiſcendæ rationem breuiter deſignari. Ego vtrumque gemina ſectione quarti huius libri præſtare ſatagam, eóque etiam faciliùs, quòd vtrumque illud in promptu ſit, eámque non ita pridem à me in lucem editum hortatu inſignis cuiuſdam Theologiæ Profeſſoris, cuius poſtulationibus, atque ſtudiorũm præſertim amœniorum promouendorum deſiderio, quibus ſeueriores diſciplinas admodum indigere aiebat, vt eo loco ſint, quo eas eſſe conuenit, non potui non acquieſcere: igitur duas illas tabulas, ſeu abacos, ſeu programmata, ſingula in ſeptenas columnas diſtributa, quæ rogatus illico emiſi, hîc tibi repræſento; alterum ad eruditionem vniuerſim pertinet; alterum ſpeciatim ad eloquentiam.

SECTIO I.

Axiomata philologica ad comparandam ſibi, & tradendam aliis eruditionem, præſertim amœniorem.

1. PAREM ſe arbitrari primis diſciplinarum inuentoribus, quibus à numine ſingulari beneficio datum eſt, quòd deinceps inuenturas ætates deriuarent, atque contemptis aliorum opibus multo labore in vſus noſtros congeſtis, velle omnia promere ex ſeſe, intolerabilis ſuperbiæ eſt; quemadmodum eſſet inconſultæ temeritatis, tritam ſapientium veſtigiis viam deſerere, & inueſtigare nouos calles, nandíque imperitum ſine Delio natatore, aut cortice, vel iunco, alto mari ſe committere. Ipſe naturæ Genius Ariſtoteles non ita ſibi proprio velificandum genio, & præfidendum ingenio putauit, quin tribus talentis Speuſippi libros coemeret; támque intentus eſſet lectioni, vt Αναγνώστης appellatus ſit à Platone, qui & ipſe, quantus quantus extitit, Philolai commentarios ſibi centum minis comparauit. Quod legendi ſtudium cùm apprimè neceſſarium ſit quarumlibet diſciplinorum cupido, ſi volet omnium retrò ſæculorum vitam viuere, atque eſſe ἔμψυχος βιβλιοθήκη, & ambulans Amaltheum: tu verò præſertim politiorem illam literaturam, ſine qua humana vita haud ſatis humana eſt, non aliunde quàm ex librorum lectione erui poſſe vſus docet, ſuadet recta ratio, confirmat omnium hactenus eruditorum conſtans ſententia. Vnde enim promes Græci & Latini ſermonis elegantiam, poëſeos delicias, hiſtoriarum monumenta, & variæ eruditionis ſupellectilem, quibus tota ratio humaniorum diſciplinarum continetur, niſi ex librorum apothecis? Proinde pretium operæ facturum exiſtimaui, ſi quæ monita ſuper ea re paſſim in volutandis Auctoribus obſeruaſſe mihi contigit, tum quæ ex peritorum ore didici, vel proprio interdum periculo, interdum damno, interdum etiam non ſine aliquo emolumento

ſalutaria comperi,ea proponerem breuiter ex vna quaſi tabella, earum artium ſtudioſis:non iis quidem qui ſolâ multiplicis lectionis illecebrâ deliniti, nullum alium ſcopum, quàm præſentem animi voluptatem ſibi conſtituunt (eos ſinemus in diem viuere, quando ita volunt,) ſed vobis veſtrûmque ſimilibus *chariſſimi,& religioſiſſimi fratres mei*,qui Encyclopædiæ, ſeu variæ eruditioni ſtrenuam datis operam; ídque ſatagitis,vt mens veſtra coaleſcat in aceruum omnis ſapientiæ,quibus quaſi granidata ſeminibus, fruges vberrimas, vel ex Academico ſuggeſtu diſcipulis,vel è ſacro pulpito piæ concioni,vel è Muſeo lectoribus,pleno pectore,pleno ore,plena manu,ſcitè, venuſtè atque vtiliter ad maiorem Dei gloriam,pro inſtituti noſtri profeſſione aliquando effundatis. Quam rem eò lubentiùs fidentiúſque aggredior, quia non ſemel animaduerſum eſt, facta fictaque ad humaniores literas permulta ingenia vnam tantùm ob cauſam defeciſſe,quòd deſtituti opportuna pharo,aut præſidio alicuius Hermetis, qui digitum intenderet, quà & quò eundum erat,vel naufragium fecerunt ſoluentes è portu,vel aliquantulum progreſſi præcipites corruerunt, vel quaſi per ſua ipſorum veſtigia eò loci redire coacti ſunt,vnde ad ingenuam hanc nundinationem,& liberale eruditionis emporium exierant. Tum quòd ſciam paucula monita ex iis quæ traditurus ſum multis tam feliciter ceſſiſſe, vt inde creari ſibi ſenſerint librorum ac lectionis appetentiam, & condiri multa ſuauitate laborioſum ſtudium in communes locos referendi ea, quæ ex Auctoribus excerpenda putant. Plenior huius tabellæ explicatio erit nobis æſtiuis hiſce feriis argumentum priuatarum earum diſſertationum,quas *Academicas* vocamus,quibus Præſides noſtri eo ſolùm nomine me præfecerunt,in tanto numero doctiſſimorum Patrum,qui degunt in hoc Imperiali Collegio Madritenſi, quòd in regiis eius ſtudiis ex proprio munere *eruditionem* profitear. Vt autem fructus huius philologici Programmatis ád plures pertineat,non vobis tantùm,ſed omnibus promiſcuè humaniorum literarum cultoribus hîc loquar, & quædam Axiomata ſuggeram ad comparandam ſibi, & tradendam aliis amœniorem eruditionem idonea; quæ ſi mediocriter, vt ſpero,proderunt, mihi videbor ex hac mea opella fructum conſecutus minimè pœnitendum.

CAPVT I.

Optima ratio communes locos conficiendi eligitur.

QVatuor ſunt in vſu præcipuæ rationes in communes locos referendi quæ videntur excerpenda Auctores legentibus. Prima, vt 1.
geminos habeas codices,in quorum alterum tanquam in aduerſaria tumultuariò referas,nullóque alio ordine, niſi quem ſeries lectionis tulerit, quæ obſeruatu digna iudicabis: ex quo libro poſtea transferas eadem quæ annotaſti in alterum maiorem diſtinctum certis titulis, & ordinatis capitibus. Prior codex hoc habet commodi, vt quidquid eſt illuſtre in illo libro quem legiſti,vno quaſi intuitu recognoſcas:poſterior

quo

quo loco ſingula ſint in tuo promptuario facilè ſcias. Hæc tamen ratio in tam arctis breuiſſimæ vitæ noſtræ ſpatiis nullo modo videtur idonea, niſi fuerit copia amanuenſis, qui rem in aduerſaria à me relatam, ſecundò in ſua capita diſpenſet. Ego ſanè (verum vt fateor) rem eamdem bis ſcribere ſi velim, vix poſſim; &, ſi poſſim, præ nauſea & faſtidio, haud fortaſſis velim.

2. Altera, vt omnia conſequenter, quæcumque tandem illa ſint, miſceas in tuo codice, qui tamen ne perturbatior ſit, atque ex illa rerum omnium confuſa permixtione eueniat, vt maximè locuples rerum lectiſſimarum egeas in mediis tuis opibus, quas licèt poſſideas in literaria tua apotheca, eas tamen ad manum non habeas cùm libet, ſed tantùm magno cum labore, quærendi tædio, & temporis iactura; Indicem tibi conficias, in quo perſcribas ordine elementariarum literarum quâ in paginâ ſit illa res inſignis quam tibi ſepoſuiſti: at hæc ratio conficiendi Indices mihi ſemper viſa eſt abſumere multum temporis, eo quòd res eadem primò exſcribenda, tum deinde indicanda ſit, & ad plurimas paginas recurrendum ſuper vna duntaxat materia, prout me meus Index errori etiam facilè obnoxius amandabit.

3. Tertia, vt magnus conſtituatur capitum numerus, v.g. ſingula ſingulis virtutibus, vitiis, animi perturbationibus, ſcientiis, artibus, rebus forenſibus, bellicis, & ſimilibus. Verùm hæc ingens capitum, ſeu titulorum multitudo quamuis naturæ, vel literarum ordine digeſta, incommoda eſt; ſiue ob vacuæ chartæ molem, in quam ſolent turgeſcere neceſſarij ad id quaterniones, ſiue ob laborem & tædium in quærendo eo capite, quod fortè è trecentis, (totidem, adeóque etiam plura ſcio fuiſſe à quodam conſtituta, ſed ab eodem quoque breui expuncta perſpecto incommodo) in præſentia neceſſarium eſt, vt in eo rem à me lectam adſcribam.

4. Media quædam via inita eſt, meo quidem, ſed & multorum iudicio qui eam adamarunt, commodiſſima; nimirum vt certus, ſed exiguus numerus capitum ſit, in quæ omnia notatu digna referri poſſint, atque haberi in promptu cùm res feret; adhibitis dumtaxat ad marginem breuibus notis, cuiuſmodi hæ eſſe poſſint, *memoria*, *librorum vtilitas*, *contemptus opum*, & ſimiles, quas facilè ſit quærenti aliquid celeriter percurrere. hinc fiet, vt ob titulos eorúmque paucitatem, opes tuæ ordinatæ ſint, & primo ſæpe vel oculorum, vel digitorum coniectu caput illud teneas quod quæris, & aureum illud dictum, quod ſcripturo, vel dicturo neceſſarium eſt. Sic res habet, vt ſecundum & tertium caput declarant; ſi placebit, ea vtitor.

CAPVT

Capvt II.

Forma locorum communium eruditioni acquirendæ accommodata.

DEVS.

Eius attributa,Sapientia,Bonitas,Potentia,Iuſtitia,&c. 1.

Religio.

Templa,Ceremoniæ,Oracula,Victimæ,Auguria, Sacerdotium,Donaria,Prodigia,Piacula,Iureiuranda,&c.

Politica.

Monarchia,Ariſtocratia, &c. Tyrannis,Comitia, Magiſtratus, Legationes, Tributa, Ærarium, Leges politicæ, Coloniæ, Magiſtratus, &c.

Forenſia.

Leges ciuiles, ratio, ſeu vſus fori iudicialis, Iuriſprudentia, Aduocatio,&c.

Bellica.

Arma,Caſtra,Machinæ,Stratagemata,Arces,bellica facinora,Virtus militaris,&c.

Scientiæ.

Theologia,Philoſophia, Mathematicæ diſciplinæ,Rhetorica, Poëſis,Grammatica,&c.

Artes liberales.

Architectura,Venatio,Aucupium,Typographia, Pictura, Statuaria, Fuſoria,Equeſtris,Auraria,Scalptoria,& earum opera,&c.

Artes illiberales.

Tectoria,Sutoria,Sartoria,Fullonica,Lignaria,Ferraria,Plaſtica, Lapidaria,earúmque opera,&c.

Homo, Hominis partes.

Ætas hominis,humani corporis membra,cor, manus, &c. quinque corporis ſenſus. Animæ facultates,&c.

Medicina.

Morbi,Vulnera,Pharmaca,Chirurgia,&c.

Perturbationes mentis.

Amor,Odium,Spes,Timor,Ira,Pudor,Lacrymæ,&c.

Virtutes.

Prudentia,Iuſtitia,Fortitudo,Temperantia,Veritas,Liberalitas,Patientia,Magnificentia,Vrbanitas,Modeſtia,&c.

Vitia.

Superbia, Gula, Auaritia, Impudicitia, Inuidia, &c.

Meteorica.

Cœlum, Aſtra, Venti, Pluuia, &c.

Volatilia.

Aues omnis generis, rapaces, vocales, & quæcumque adhiberi ſolent ad menſam.

Quadrupedia.

Feræ beſtiæ, domeſticæ, Inſecta, &c.

Vegetantia.

Arbores, Herbæ, Flores. hîc de agricultura, de re hortenſi, vinetis, pomariis, &c.

Aqua, aquatilia.

Flumina, Fontes, Piſces, Mare, Balnea, Res nautica, &c.

Metallica, Feſſilia.

Aurum, Gemmæ, Minium, Colores. huc etiam ob aliquam ſimilitudinem referri poſſunt Margaritæ, Vniones, Corallium, &c.

Symbolica, Ænigmatica.

Ars teſſeræ ſcutariæ. Emblemata ex rebus naturalibus & artefactis. Voces & ſenſus Auctorum obſcuriores & eruditionis reconditæ, &c.

Panegyrica.

In Regis inauguratione, nataliis Principum, ſolenni in vrbes ingreſſu, nuptiis, &c.

Funebria.

Epitaphia, Funebres laudationes, &c.

Ludicra.

Circus, Theatrum, Amphitheatrum, Palæſtra, Tali, Teſſeræ, Cæſtus, Curſus, &c.

Ritus variarum gentium.

In conuiuiis, veſtibus, ſaltatione, ſalutatione, nuptiis, fœderibus, &c.

Hiſtorica, Geographica.

Situs deſcriptionéſque locorum, vrbium, ortus rerum illuſtrium. Imperiorum propagationes, & inclinationes rerump. Sinus, Portus, Freta, &c.

Apophthegmatica.

De diuitiis, nobilitate, tempore, morte, honoribus, &c.

Miſcellanea.

Huc refertur id quod obſeruandum occurrit, quando loci noſtri commu

communes non ſunt in manibus; & cùm non ſatis liquet ad quod è ſuperioribus capitibus reuocandum ſit, quæ videntur annotanda.

CAPVT III.

Ad vſum titulorum ſuperioris capitis.

Monita XII.

I.

QVod inter legendum obſeruatione dignum videbitur, niſi ſtatim in paratum ad id codicē retuleris, illud tibi periiſſe putato; vterque Plinius nihil legit quod non excerpſerit: tu ſi tuarum rerum es bene gerens & ſedulus, ne prius librum, quàm ſtylum prehendito. I.

II.

Si quam maximè artem profeſſurus es, politicam gubernationem, Iuriſprudentiam, Medicinam, concionandi munus, &c. eâ de re peculiarem quaternionem habeto. Auguſti Imperatoris lectio tota erat in coaceruandis exemplis præceptíſque ad optimam gubernationem vtilibus: cum tu pro tuo pariter inſtituto, ac vitæ ratione imitator.

III.

Materias ternas, quaternas plus minus, quas ex rebus excerptis illuſtrare velis, tibi ſtatuito: ſic fiet, vt multa ſæpe eaque pereximia, quæ te alioqui ſine certo ſcopo Auctores lectitantem præterfugerent, ſis obſeruaturus, quibus tuum illud deſignatum mente propoſitum probetur, explicetur, locupletetur, venuſtetur, exhilaretur mirificè. ſic à Lipſio Amphitheatrum, Romanam militiam, &c. à Paſcalio Coronas, à Balduino Calceum, à Bulengero Circum, Theatrum, &c. à Creſotio Pronunciationem, aliaque ab aliis ſumpta argumenta ideo fuiſſe pertractata copioſè & ſæpe eleganter, quia maturè animo prouiſa fuerant, exiſtimato.

IV.

Singulos terniones, vel quaterniones ſic inſertos chartophori craſſioribus filis, vt inde, cùm opus erit, facilè eximi queant, inſcribito ſingulis illis capitibus quæ propoſuimus in ſuperiore columna, eodémque ordine & forma: mediocrem marginem relinquito: ſingulis paginis notas arithmeticas appingito, eáſque in ſingulis diuerſorum titulorum quaternionibus ab vnitate inchoato.

V.

Vnum quaternionem poſtquam repleueris, alterum ei continuatis ſequentibus numeris arithmeticis, ac inſcripto eodem in fronte titulo, adiungito: túque ita deinceps, ſi plures repleri contigerit, facito.

VI.

Si ad manum ſunt libri & facile parabiles, & res excerpenda ſit paulo

longior; eximia duntaxat indicatis illis locis, vnde reliqua peti poſſint, breuiter annotato.

VII.

Si quidpiã ad duplex triplexve caput pertinere videbitur, in vno totum præſcribito; in aliis verò quaternionibus breuiſſimè, & ſummatim illud tangito, ac quo in loco totum poſſit reperiri, indicatâ etiam capitis paginâ innuito.

VIII.

Græca, Latina, Oratoria, Poëtica, imò etiam vulgari idiomate conſcripta quæcumque ad eandem materiam pertinere videbuntur, promiſcuè in priuatis tuis obſeruationibus miſcendi facultas eſto.

IX.

Theodoſij Imperatoris in ſcitè ac tersè pingendis literis concinnitatem & ſtudium, quo magis erga tuas animaduerſiones afficiare, cáſque ſtudioſiùs relegas, æmulator: proinde eas minuto quidem charactere, ne nimiùm excreſcant, ſed luculento atque eleganti, ſaltem non omnino inuenuſtè ac negligenter exarato.

X.

Peritum in paucis harum rerum monitorem, traditæque à veteribus artis amantem, fidum candidúmque, quem identidem conſulas tibi deligito; tum vbi per aliquod tempus collegeris, excerpta illa tua & primulos operæ tuæ fructus, vnà cum illo communicare ne erubeſcito. Eius viua vox ſupplebit & alet pleniùs, quæ tum opportuna videbuntur, & quæ vix ſcripto præcipi poſſunt, quædam perperam à te notata indicabit, quædam etiam interdum à te prætermiſſa, quæ cedro digna videri poſſint.

XI.

Identidem ea relegere, quæ ipſe in ſuperiora capita retuleris longè vtiliſſimum eſſe habeto; neque enim tam appoſitè, nec tam iucundè, nec tantâ ſeu auctoritate, ſeu fiduciâ alienis quàm noſtris vtimur.

XII.

Illuſtriſſima duntaxat quæ ob peculiarem ſenſum, maieſtatem, aut reconditam eruditionem miraberis annotato. Cùm è re natâ, vel fortuitò occurrunt argumenta poematum, orationum, Tragœdiarum, &c. conſultiſſimum erit ea ſtatim referre in quaternionem deſtinatum eiuſmodi rebus, vt cùm erit opportunum, de illis ſcribas.

Capvt IV.

Ad fructuoſam librorum lectionem.

Pronunciata XII.

I.

1\. IN primis nihil eſt ſuauius, nihil ad profectum vtilius quàm ad pitrice diuinâ ſapientiâ in literas incumbere: ideo breui obſecratione aduoca

aduoca illam (vt Salomon facere conſueuerat) in ſocietatem tui laboris, indéque tua ſtudia ordini, & ea ad diuinam gloriam referre ſolenne tibi ac perpetuum eſto.

II.

Virgines Muſas caſtè colito; obſcœnorum authorum vomitus ne exſorbeto: ſi eruditio, vel pudicitia periclitabitur, minùs eruditum eſſe, vt magis pudicus ſis, longè glorioſiſſimum eſſe ſtatuito. nullam è luto & cloaca colligi poſſe gemmam quâ pulchrior ex loco ſano colligi non poſſit, certiſſimum putato.

III.

Tibi quò plus legas, temporis auarum eſſe fas eſto; intempeſtiuas, & inutiles confabulationes pretioſi temporis deprædatrices (ſic Franciſcus Suarez è noſtra Societate eas appellare conſueuerat) te odiſſe liberè profiteor.

IV.

In conſeruando ſolo memoriæ tuæ ac intellectus, maximum ſeminum delectum habeto: proinde dediſcenda ne diſcito, libróſve vllos niſi iudicio periti cenſoris probatos nunquam legito.

V.

Si eruditione non leuiter tingi, ſed imbui deſideras, & nunquam diffidere iis quæ legendo didiceris; multùm, ſedatè, non curſim multa legere ſatagito; hóſque animi tui cibos bene manſos & confectos, ac ſedula iteratione mollitos & liquefactos, vt faciliùs digerantur, memoriæ ac imitationi tradito.

VI.

Quæ ſcies, vt certiùs ſcias, & proferre Auctorem poſſis, ac niſi eadem ſæpiùs cum nauſea reguſtare voles, fontes adire, quàm riuulos conſectari lõgè vtilius eſſe arbitrator. Vaga autem & deſultoria Bibliothecarum peruolutatio ſciolis quidem fucum eruditionis inducit; veri autem ſucci, & natiui coloris penitus nihil. Quapropter librum aliquem legere aggreſſus, totum conſtanter perlegito.

VII.

Clara voce, aut ſilentio, prout tibi magis conducere ſenties, legito. Si quid tamen eximiè numeroſum eſt, aut apprimè ſententioſum, illud bis térve clarâ pronuntiatione, vt altiùs hæreat, repetito.

VIII.

Nec Cato Vticenſis expectare in Curia ſine libro, nec Plinius ſenior in lectica geſtari ſine lectore, nec iunior venari conſueuerat ſine pugillaribus, vt quamuis nihil caperet, nonnihil tamen referret. Tu tantorum virorum exemplo facilem aliquem librum quem ſubciſiuis horis percurras, tibi deligito; & quæ occurrerint loca illuſtria, cùm primùm commodum erit, in tuo rationum literariarum codice inter accepta perſcribito.

IX.

Tum præſertim cùm te legendi cupiditas ſtimulabit, librorum epulis accumbito: duo extrema, hoc eſt, redundantiam, & inanitatem, vitato.

X.

Ne te Rhetores, vel Oratores, vel Poëtas, vel Hiſtoricos alióſque id genus ſcriptores legentem, inſignia multa fugiant, quæ ad artificioſæ orationis texturam, vel ad figurarum lumina, vel ad fontes inuentionis pertinent, Cypriani, Soarij, v.g. aut alterius præceptiones Rhetoricas priùs diligenter percurrito: idémque de poëticis inſtitutionibus, & aliarum facultatum regulis monitum eſto.

XI.

Librum legere aggreſſurus, eius argumentum, & Auctoris mentem, ex iis omnibus quæ in limine præmitti ſolent, nuncupationem operis (quam Epiſtolam dedicatoriam vocant) priùs inſpicere ne omittito: ſi ſecus facies; neque ſcopum commentarij, neque partium eius nexum à te ſatis intellectum iri, quantum ad profectum neceſſe eſt, credito.

XII.

Sicut nihil eſt lectione ſuauius, ita nihil eſſe frequēti ſcriptione ſalutarius, in animum tuum induito. Itaque tu ſubinde, vbi aliquem tractatum perlegeris, aptum & accommodatum tuæ lectioni argumentum, de quo ſcribas, ac paſſim collecta in tuam rem conuertas, quærito.

CAPVT V.

De diligentia, moderatione, & ordine in ſtudiis,

Placita X.

PRæter φύσιν καὶ θέλησιν, *naturam & voluntatem*, duo ſunt præcipuè, quæ *ſapientes* faciunt, ac *bonos* (ſicut mihi legiſſe alicubi videor apud Stobæum) ἐπιμέλεια καὶ ἀταξία, *diligentia & ordo.* de quibus, quandoquidem & ipſa præceptis acui & perfici poſſunt, breuiter dico.

I.

a l.1. de inu. — Diligentiam quam hîc ſuademus nihil eſt aliud (vt Cicero definit [a]) quàm *animi aſſidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio*; quæ cùm ferè cæteris in rebus bonæ fortunæ mater ſit, (veteri Hiſpanico prouerbio quod Aluarus Bazanus ſuperiori ſæculo maritimis bellis inclytus continenter in ore habere conſueuerat) tum præcipuè perſuaſum eſſe debet omnibus ſtudio literarum addictis, Bibliothecas omnes nullius momenti eſſe, niſi *attentio animi, cogitatio, vigilantia, aſſiduitas, labor*, hoc eſt, niſi *diligentia*, cuius ſunt hi quinque effectus, acceſſerit. Itaque ſapienter faciet Philomuſus, ſi ad acuendum ardorem ſuum, & contentionem frequenter animo replicet, imò etiam ſibi ob oculos proponat has ſiméleſve ſententias decumano charactere in loco illuſtri deſcriptas.

Nigron. aſcetico tr. de dilig. ex Ioanne Botero. Cic. l.2. de inu.

II.

b l.3. contr. in præf. — Seneca [b], *Diligentia maximum mediocris ingenij ſubſidium.* Hoc de Seuero Caſſio nobili oratore dixit, de quo licèt melius fortuna quàm cura mereretur, tamen illa felicitas nunquam ei perſuaſit negligentiam.

D. Ambro

D. Ambroſius [a], *Aperit ſibi diligentia ianuam veritatis.* Anacletus Papa [b], *Sicut artium in ſuo quaque opere inuenitur mater inſtantia, ita nouerca eruditionis eſt negligentia.* Rurſus Seneca [c], *Leuium metallorum fructus in ſummo eſt; illa opulentiſſima quæ in alto latet vena, aſſiduè pleniùs reſponſura fodienti.* Tullius [d], *Non poſſum equidem non ingenio primas concedere, ſed tamen ipſum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat, hæc præcipuè colenda eſt nobis, hæc ſemper adhibenda, hæc nihil eſt quod non aſſequatur.* Scæuola Iuriſconſultus [e]; *Ius ciuile vigilantibus ſcriptum eſt*, additúrque in Baſilicis, ἀλλ' οὐχὶ τοῖς βαθέως κοιμωμένοις, *ſed non iis qui altè dormiunt.*

[a] proœm. Euang. Lucę
[b] c. nihil illo d. 83.
[c] ep. 23.
[d] l. 2. de or.
[e] l. pupillus, quę in fraud. cred. apud Cuiac. tom. 4. col. 1067.

III.

Si ad diligentiæ commendationem, & ſtudium ſapientium effata defuerint, ſatis ſupérque erit illud quod tibi affero viri omnium iudicio doctiſſimi: nullus eſt inter veteres, aut recentiores ſcriptores, ne ipſe quidem D. Auguſtinus, aut Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, qui plura ſcripſerit, quàm P. Franciſcus Suarez è noſtra Societate, vt non tam compoſuiſſe libros, quàm diuinam quandam Bibliothecam è cerebro ſuo prompſiſſe dicendus ſit; mirantur omnes quomodo potuerit vigintiquatuor illos ingentes tomos ſcripſiſſe, qui tam multa legerit; quomodo tam multa legiſſe, qui tam multa ſcripſerit; quomodo tam multa ſcripſiſſe, & elegiſſe qui quadraginta ipſos annos theologicas difficultates Romæ, & in pleriſque Hiſpaniæ Academiis publicè explicauerit. Is tamen quòd eſſet ingenio ad literas capeſſendas tardiore, primùm admodum ægrè in noſtrum Ordinem admiſſus eſt: admiſſus, & in ſtudia incumbere iuſſus, cùm nihil aut perparum proficeret, pertæſus ipſe ſui, tantùm non impetrauit à ſuis Præſidibus, vt à ſchola remoueretur, ne tempus perderet. Nihilominus iuſſus pergere diligentiâ ſuâ hoc euicit, vt in talem virum euaderet, & iam cum heroibus & principibus literarum familiam ducat. Interrogatus aliquando num ſingulari quodam munere affuſa ipſi diuinitus eſſet illa ſcientia, reſpondit: *Ego quidem id ſapientiæ quantulacumque eſt Deo bonorum omnium fonti acceptam primùm refero; ſtudio deinde meo, & ſudori quo vel infœcunda ingenia ſi irrigentur, aliquem tandem fructum ferant, neceſſe eſt.* O dignum tanto viro acroama.

IV.

Meminerit tamen Philomuſus diligentiam quam ſuademus plurimùm differre, à quadam animi perturbatione & morbo, quem M. Tullius [f] *ægritudinem cum cogitatione vocat*, & Cardinalis Caietanus [g] *inquietam attentionem*, nos *ſolicitudinem* vulgò appellamus, quæ quia plerumque perturbata eſt, inconſulta, anxia, atque occupata in ſuperuacaneis, aut intempeſtiuis, ideo cautè vitanda eſt, eóque etiam cautiùs, quòd ementita virtutis nomen, & munus incautos & imperitos fallat. In omni re agenda videndum eſt quatenus, *etſi enim cuique rei modus eſt, tamen magis offendit nimium quàm parum*, inquit Cicero: ſi Gerſoni [h] credimus, atque quotidianæ experientiæ; nimia iſta diligentia rationem ſuffocat: atque euenit etiam plerumque, vt hoc anxiè ſolicito ſtudio, & ſtudioſa anxietate deterior oratio fiat; cùm orator nimium inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe obſeruans metuénſque ne vitioſum colligat, etiam verum

[f] 4. Tuſc.
[g] 2. 2. q. 67. ar. 9. apud Nigron. tract. aſcetico de dilig.
[h] tom. 4. deſcr. §. 4. de virtut. Card.

Cic. l. de or. & de cl. or. verum ſanguinem deperdit: hæc variis locis Tullius, qui & addit Apellem dixiſſe in hoc quoque peccari à pictoribus, qui non ſentiunt quid ſit ſatis; & quoniam de pictoribus facta eſt à Cicerone mentio in hac cauſa, Plinium audire libet hæc in hoc ipſum argumentum referentem[a]. *Aliam gloriam Apelles vſurpauit*, (inquit) *cùm Protogenis opus immenſi laboris ac curæ ſupra modum anxiæ miraretur, dixit enim omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora, ſed vno ſe præſtare, quòd manum ille de tabula neſciret tollere, memorabili præcepto nocere, ſæpe nimiam diligentiam.* Igitur moderatio quædam adhibenda eſt, quod Agellius[b], & Macrobius[c] de Auguſto referunt *induſtriæ celeritas, & tarditas diligentiæ.* hæc diligens cunctatio recenſetur à præſide Lycei inter notas & virtutes viri magnanimi. O rectè ordinatā D. Thomæ Aquinatis, & B. Ludouici Gonzagæ in ſtudiis diligentiam, qui corollarium & acceſſionem ei rei quæ præcipua, & caput homini Chriſtiano, ac religioſo eſſe debet, nunquam prætulerunt, quibus frequens fuit ſtudia pro oratione intermittere, orationem pro ſtudiis nunquam. Quàm bene id præſtiterit alterum noſtræ Societatis adeóque totius reip. literariæ lumen Franciſcus Suarez, id argumento eſt, quòd non ſolùm nunquam defuerit ſtatis matutinæ precationis horis, licèt vrgentiſſimæ occupationes aliò traherent; verumetiam interdum diceret, ſe ſi è duabus altera neceſſitas imponeretur, vel ſolitam ritu Societatis orandi horam, vel quæſitam tot annorum labore ſcientiam amittendi, æquiori animo huius, quàm illius iacturam laturum.

a l. 35. c. 20.

b l. 10. c. 11.

c l. 6. Sat. 1. & Ariſt. lib. 4. Eth. c. 3.

V.

Nunquam probaui morem quorumdam hominum qui facere ſolent quod ſolemne erat illi Porcio latroni, quem Seneca tantopere laudat; non delectu & modo aguntur, ſed impetu & impulſu. Nemo (inquit[d]) plus ingenio ſuo imperauit, nemo plus indulſit: in vtraque parte vehementi viro modus deerat; nec intermittere ſtudio ſciebat, nec repetere; cùm ſe ad ſcribendum concitauerat, iungebantur noctibus dies, & ſine interuallo grauiùs ſibi inſtabat, nec diſinebat, niſi defecerat: rurſus cùm ſe dimiſerat in omnes luſus, & in omnes iocos ſe reſoluebat: cùm verò ſe ſyluis montibúſq; tradiderat, omnes illos agreſtes in ſyluis ac montibus natos, laboris patientiâ & venandi ſolertiâ prouocabat, & in tantam ſic viuendi perueniebat cupiditatem, vt vix poſſet in priorem conſuetudinem retrahi. At cùm ſibi manum iniecerat, & ſe blandiendo vnde abduxerat, reuocabat, tantis viribus incumbebat in ſtudium, vt non tantùm nihil perdidiſſe, ſed multū acquiſiuiſſe deſidiâ videretur. Neſciebat diſpenſare vires ſuas, ſed immoderati aduerſum ſe imperij fuit. ideóque ſtudium eius prohiberi debebat, quia regi non poterat: itaque ſolebat & ipſe cùm ſe aſſiduâ, & nunquam intermiſsâ contentione fregerat, ſentire animi laſſitudinem, quæ non minor eſt quàm corporis, ſed occultior. Non deſunt hac ætate qui ſic viuant. ipſe nouimus quoſdam homines ſui iuris, qui minùs hac in parte ſibi temperant, & qui modò nimia ingenio ſuo imperant, modò genio ſuo nimis indulgent.

d l. 16. 1. cōt. in præf.

VI.

Quantopere iuuet moderatio certa in ſtudiis, & conſtans, ac tempeſtiua

ſtiua ceſſatio iuxtà ac occupatio: quantopere item noceat inconſulta & intempeſtiua lectio, ſeu ſcriptio, ſeu declamatio, aut alia quælibet exercitatio literaria, argumento ſunt in vtramque partẽ plurimi quos nouimus: alij ſtuduerunt, & valuerunt optimè, & vixerũt diutiſſimè, & ea ratione rationem ſtudendi vitæ ſuæ attemperauerunt, vt quod inconſideratis mors eſt, ſtudium illis eſſet velut alexipharmacum contra omnes morbos, & ſubſidium ad bene beatéque viuendum ſingulare: oporteret vnumquemque ſtudioſorum nactum fuiſſe vires Porcij illius, vt poſſet continuare laborem ſine vlla exceptione temporis, loci, & modi: verùm nec ille diu infractus ſtetit; ſenſit ipſe quantum damnum afferat valetudini tantum à ſe expreſſiſſe, quantum concupiſceret: nam licèt ei eſſet corpus ſolidum, & multâ exercitatione duratum, ac vox robuſta, tamen ſordida facta eſt lucubrationibus, & negligentiâ, non naturâ infuſcata, & oculorum aciem confuderat, & colorem mutauerat. Quid verò minus expectare potuit is, qui vtcumque res tulerat, ita viuebat; nec ſudorem vnctione diſcutiebat, nec latus ambulatione reparabat; qui ſæpe cùm per totam lucubrauerat noctem, ab ipſo cibo ſtatim ad declamandum perueniebat; & cùm rem inimiciſſimam corpori faceret, vetari nullo modo poterat, qui poſt cœnam ferè lucubrabat, nec patiebatur alimenta per ſomnum quietémque æqualiter digeri; ſed perturbata ac diſſipata in caput agebat: ſeriùs ociùs incauti luere ſolent præcipitem iſtum impetum, quo inconſideratè effunduntur in ſtudia, ac pauculis interdum menſibus nedum annis diſtillationibus confici, ex pectore, oculis, capite, ſtomacho laborare, hectica febre ac tabe conſumi noxios & infeſtos humores aſſidua ſeſſione collectos pluribus cauteriis velut tot oſtiis, & emiſſariis in cloacas emittere; vires denique & corpus amittere, atque ita exhauriri, vt intra breue tempus ne veſtigium quidem, aut ſimulacrum eorum qui paulo antè fuerant in illis videas; ſed effigies quaſdam ſpirantium mortuorum eſſe credas; quæ iſta (malùm) impudentia eſt non intelligere præcoces fructus ſolere carie vitiari, leui vento concuſſos decidere, atque abiectos ſub ipſa arbore negligi & putreſcere, qui ſi maturuiſſent paulatim, regiæ menſæ potuiſſent inferri.

Seneca l. 1. contr. in præf.

VII.

Alloquamur Philomuſos, eóſque ad moderatam diligentiam excitemus Caſſiodori & D. Bernardi verbis. Ille ſic [a], *Moderamini ergo fratres deſideria veſtra per ordinem quæ ſunt legenda diſcentes, imitantes ſcilicet eos, qui corporalem habere deſiderant ſoſpitatem.* Iſte ſic ad fratres ſuos degentes Romæ in Monaſterio ſancti Anaſtaſij [b], *Rogo vos fratres atque obſecro, ſic agite, & ſic ſtate in Domino dilectiſſimi, ſolliciti ſemper circa cuſtodiam ordinis, vt ordo vos cuſtodiat. Ipſa occupationis varietas* (inquit D. Baſilius [c]) *ſtudium renouat & inſtaurat attentionem, cùm animus perpetua ſimilitudine & æqualitate rerum torporem quemdam plerunque contrahat ac tædium, eaque re aliud agens ad futiles & vagas cogitationes aberret*; profectu ſanè ex continuata illa contentione minore, quàm putetur. Contra (vt monet D. Laurentius Iuſtinianus) qui cuncta ſtatutis perficiunt temporibus, ideo proficiunt, vitámque ſuam ſine tædio deducunt; & cùm

Nigrenius tract. aſcet. de ordine.
a Caſſiod. in præf. diu. inſt.
b D. Bern. ep. 321.
c in reg. fuſ. diſp. reſp.

ſemper anhelo ſitiant operandi deſiderio, ad interiora procedere, ſolicitè præficere ſatagunt, quæ tenent præ manibus: ex illa intermiſſione fit, vt ſemper quis ad ſtudia velut ad lautam menſam animíque pabulum admodum ſalutarem appetentiam afferat: ex ſtudiorum epulis ſicut ex corporis refectione ſemper cum aliquanta eſurie ſurgendum eſt, ſi vegeti & valentes diu viuere deſideramus. *Neque ex multa fame*
a l.1. c 3. & l.2.c.16. *nimia ſatietas, neque ex nimia ſatietate fames idonea eſt*, ait Celſus [a].

VIII.

Igitur Philomuſe, ſi me audis (expertum autem audies) ſic facito. Periclitare quid poſſint tuæ vires, vitæque tuæ rationem & inſtitutum, ſi tui iuris & arbitrij es, ſic ordina. Adhibe tuas cogitationes in conſi-
b ep.2.l.3. lium: inſuper (quod Plinius iunior [b] facere ſolebat) vtere in tuis ſtudiis iudicio experti & moderati viri, imò etiam nonnihil indulgentis: tum quod videbitur eſſe tolerabile & diuturnum, illud ſerua: proinde poſt cœnam, niſi omnino vrgeat neceſſitas, nunquam ſtude; neceſſario ſomno fatigatum caput & ſtomachi calorem refice; ſemel minimùm per hebdomadam ruſticatum exi, ne obſtinatiùs ſummis caloribus, præſertim poſt meridianam refectionem, ſtudiis immorare; literarium laborem metire tuis viribus, non autem præſentis delectationis ſenſu; pomeridianis horis breuiculo ſomno conniue. Plinius ſecundus (vti ſuprà dictum eſt) ita alacer redibat ad ſtudium, ac ſi diem incoaſſet quando inſititia illa quiete diem diffiderat. Imitare Caſſiodo-
c l.diu. lect. cap.30. rum [c], qui Bibliothecam in ſuo monaſterio atque inter cætera neceſſaria ad ſtudium clepſydram quoque prouiderat. Si ſenſeris te ſtudij delectatione pellectum ſolere procedere vlterius, & diutius producere illum laborem, quàm tuæ vires ferant, habeto clepſydram, & cùm fluxerit tempus illud quod ſedatus quietúſque ſatis eſſe ad præſens ſtudium ſtatueris, ne te ſinas impotenter efferri æſtu illo literario, laborem intermitte, animum auoca aliquanto temporis interuallo. Si tibi vel caput, vel ſtomachus doluerit, ne pertinaciùs libris inſiſte: ſi quæ alia id genus cognoueris tibi obeſſe, vel prodeſſe, memor eſto huius placiti medici; *ex nocentibus & iuuantibus ſalutaris ſcientia:* ſi hunc ſtudendi modum tenueris, valebis, Deo iuuante, & proficies, erítque tibi tua Bibliotheca non ſolùm ὑγιεινὴ ψυχῆς, verùm etiam τοῦ σώματος ἰατρεῖον.

IX.

Sua ſingulorum fructuum tempeſtiuitas eſt, in qua ſalutares ſunt, & grati; ſua quoque librorum eſt, quorum legendorum ſuus etiam eſt ordo: nam (vt de humanioribus nihil dicam, quandoquidem iam ſuprà diximus) animaduerti dum darem operam ſtudiis theologicis, non eſſe legendos ſanctos Patres prout ſors tulerit, vel affectus aliqua cupiditate animus appetierit; plurimóſque commentarios veterum Patrum eſſe, quos ſi legeris, priuſquam audiueris in ſchola quaſdam materias, quales ſunt de Trinitate, de Incarnatione, de Gratia, perparum proficias: ſi verò poſtea, plurimum; in iiſque infinita illuſtria & reconditæ doctrinæ animaduerſurus ſis, quæ aliter te fugiſſent omnino, nec ea vnquam excerpſiſſes: accidit non ſemel vt neceſſe fuerit eadem repetere,

tere, atque ab initio relegere ei, qui ſine hoc delectu ac iudicio ſe ad legendum contulerat. Opportunè hoc me monuit P. Theophilus Raynaudus, meus in Theologia Magiſter, homo infinitæ atque ordinatiſſimæ lectionis. Porrò velle hanc lectionis ſeriem & ordinem in qualibet facultate præſcribere infinitum ſit. Myſtagogis, & moderatoribus ſtudiorum in ſingulis ſcientiis hoc munus eſto.

X.

Palmare eſt monitum iſtud, quod ſubiungo, *Nullibi eſt qui vbique eſt. ὃς δύο πτῶκας διώκων, οὐδέτερον καταλαμβάνει, duos inſequens lepores neutrum capit.* hoc eſt, qui ſimul pluribus ſcientiis condiſcendis animum intendit, vix vllam attingit, nedum perfectè conſequitur. Si enim magna ingenia vix magis quàm in vno eminuerunt opere, quemadmodum Stoicus animaduertit & probat; quid futurum putas iis qui pluribus doctrinis & facultatibus ſimul ſtudent, quarum ſingulæ tam altæ, tam incomprehenſæ ſunt, vt qui vnam duntaxat exhauriret, hactenus inuentus ſit nemo; cùm earum ſingulæ ingenioſiſſimos quoſque exhauſerint. Diſtributionem verò ſui temporis (eam Franciſcus Suarez *Matrem ſpiritus* appellare conſueuerat) quam quiſque ſibi pro ratione officij ſui, & negotiorum fecerit conſtanter retinere; res eſt quæ præter alias vtilitates hoc etiam habet commodi, ne aliæ occupationes aliis obſtrepant, aut alieno ſe tempore immiſceant. *Scire quod facias & ordinem neſcire faciendi, non eſt perfectæ cogitationis. Offendunt plerumque præpoſtera.* D. Ambr. ſerm. 3. in 45. 118.

Sen. l. 3. cõtr. in præf.

Auctor eius vitæ in parte 1. operis de gratia.

CAPVT VI.

De munere publici Profeſſoris.

Monita X.

VEtus eſt controuerſia, præſtétne viua vox ſcriptioni, an ſcriptio viuæ voci. de quo argumento aliquando audiui præclarè diſputantem Patrem Petrum Chiffletium noſtræ Societatis proluſione Academica in ſolemnibus auſpiciis curriculi philoſophici. Cuius diſſertationis conſectaria ſumma hæc ferè fuit: rudes iuuari quidem viua voce in diſciplinarum initiis, ac propterea *ſenſum audiendi* ſapienter à Philoſopho appellari *ſenſum diſciplinæ*. Item incredibile eſt quantopere non ſolùm Auditoris affectus inardeſcant, verùm etiam quàm facilè res reconditas & difficiles percipiat ex voce, vultu, totóque habitu dicentis: at licet ſcriptio ſegniùs animos feriat, nihilominus tamen eius vis ad plures pertinet, ſolidiorémque ac limatiorem doctrinam confert, meliúſque in viros tranſcribit: de hac vtraque ratione deriuandi in publicam vtilitatem ea quæ hauſimus ex Bibliothecis, duobus capitibus dicam nonnihil; ac primùm de publici Profeſſoris officio.

I.

In primis publici Profeſſores munus ſuum magnificant, ſi pro dignitate, & cum fructu illud implere deſiderant: eius autem plurimùm æſti-

mandi hæc cauſa eſſe poteſt non leuis, quòd *Patres animorum* ſint eorum, quos inſtituunt & docent; qui viciſſim Doctorum ſuorum filij ſunt, & vocantur αὐτίκα πατέρας τοὺς κατηχήσαντας φαμὲν, υἱὸς δὲ πᾶς ὁ παιδευόμενος. Iam patres eos appellamus *qui nos catecheſi inſtituunt, &*
a Clement. Alex. Strom. l.1. *filius eſt qui eruditur*, inquit Stromateus [a]: ídque verum eſt, ſiue quòd præceptores docendo patrum vices obeant, quorum munus eſt libe-
b OEcon. l.1.cap.3. ros ſuos erudire, ſicut matrum eoſdem nutrire, vt notat Ariſtoteles [b]: ſiue quòd Magiſtri ingenerent in ſuorum diſcipulorum eas cognitiones, quarum beneficio vitam hauriunt reliquorum hominum vitis
c ep.111. longè præſtantiorem. D.Gregorius Nazianz.[c] non dubitauit appellare Profeſſores eloquentiæ κοινοὺς πατέρας τῶν λόγων, *communes patres bene dicendi*; nec Seneca aſſeuerare metuit, eo plura præceptoribus à diſcipulis, quàm parentibus à liberis deberi, quò excellentius quiddam eſt bene viuere, quàm viuere. *Deinde*(inquit) *dedit ſæpe pater vitam ei, cui ſe dare neſciebat, in quo & conſortem habuit, in quo ſpectauit legem patriam, præmia patrum, domus & familiæ perpetuitatem, omnia potius quàm eum cui dabat*; quod ſecus eſt in eo qui inſtitutionem, & ſapientiam alteri impertit; vnde maius beneficium confert, magíſque patris loco habendus eſt. Denique ex hoc vno ſuam æſtimet præceptor dignitatem
d apud Arrian.l.3.c.21. quod ab Epicteto animaduerſum eſt [d]. *Nõ cuiuſlibet eſt*(inquit)*præceptorẽ eſſe, ſed diuinitus ad id legi oportet.* Quid enim diuinius inter homines, quã ingeniis eruendis formandíſque operam dare, & illa imbuere iis præce-
e de tranq. c.2. ptionibus ac ſuccis, quę Deo hominibúſque placeãt. Sapienter Seneca[e], *Sapientiæ magiſtri ad profeſſionem ſpecioſam alligati ſub ingẽti titulo laborant.*

II.

Hoc altiſſimè demittat in animum ſuum Profeſſor nullâ re magis magiſtro faciliùs creari ſui muneris faſtidium, nihil æquè nocere diſcipulis adeóque etiam Præceptoribus, quàm imparatum in ſuggeſtum conſcendere, & ea ſolùm quæ ſors tulerit, & quæ præſens memoria ſuppeditauerit, afferre: ipſe enim malè dicendo diſcet malè dicere, & dum recoctam crambem ſæpiùs diſcipulis apponet, perdet opinionem eruditi, minùs attentos diſcipulos habebit, eóſque minùs doctos ſortietur. Qui ſi munus ſuum non perfunctoriè obiret;
S.Greg. l.30. mor.cap.4. ſed quemadmodum Gallus facere ſolet parans edere cantum, alas excuteret, ſemetipſum excitaret, & quæ dicturus, aut dictaturus eſt, ſolicitè & ſtudioſè meditaretur; ipſe magis proficeret, & cum eo diſcipuli, ac docendi diſcendíque labor longè leuior, & ſuauior foret. Si enim Pro-
f ſerm. 1. in feſto omn. SS. feſſor eſt λογομάγειρος, ſi eius munus eſt(vt loquitur D.Bernardus [f])pręparare & cõdire in coquina animi ſui fercula quę diſtribuat eſuriẽtibus & famelicis diſcipulis; det operã ne ſæpe cibos eoſdem ingerat, & recalefacta edulia nauſeantibus conuiuis apponat. Maxima enim ratio profectus in eo poſita eſt, vt quotidie diſcipulus eũ audiat, quem miretur.

III.

Caueat Profeſſor ne ſibi hoc exprobretur à diſcipulis quod dicebat
g ſerm. de inuidia. Philemon apud Stobæum [g], πολλά με διδάσκεις ἀφθόνως διὰ φθόνον, ὅπως ἀκούων πολλὰ, μηδὲ ἓν μάθω, *multa me doces abundè propter inuidiam, vt audiens quamplurima, ne vnum quidem addiſcam.* Quin potiùs ſummæ

laudi

laudi ſibi eſſe ducat, ſi verè cum Salomone dicere poſſit; Sapiētiam ſine fictione accepi, & ſine inuidia eam communico: fluere tamen debet, non effluere & obruere. *Permittat ſe* (inquit Fabius) *ad menſuram diſcentis, vt velociſſimus quiſque ſi fortè iter cum paruulo faciat, vt manum & gradum ſuum minuat, nec procedat vltra quàm comes poſſit.* hoc facere non eſt inuidiæ & maleuolentiæ, ſed prudentiæ atque officij.

IV.

Quod ſpectat ad neceſſariam tolerantiam, æquitatem animi, & ſuſtentationem in promouendis ſuis diſcipulis, meminerit nullum animal moroſius eſſe, nullum maiore arte tractandum, quàm hominem; nulli magis parcendum: morbis medemur, non iraſcimur, atqui & morbus animi mollem medicinam deſiderat, ipſúmque medentem minimè infeſtum ægro. Mali medici eſt deſperare ne curet. Idem in his facere debebit Profeſſor quorum animus ignorantiâ, vel hebetudine affectus eſt; non citò ſpem proiiciat, nec mortifera ſigna pronuntiet: luctetur cum ſegnitie: tarditatem quantum poteſt patienter ferat; aliis morbum ſuum exprobret, quoſdam molli curatione decipiat, citiùs meliúſque curaturus mediis fallentibus: agat curam non tantùm ſalutis, ſed etiam honeſtæ cicatricis. Nulli magiſtro gloria eſt ex duriore animaduerſione, ſi ſeruis mancipiis non quantum impunè pati poſſunt imponendum eſt, ſed quantum permittit æqui boníque natura, quanto iuſtius ingenuis ac plerumque patriciis, quorum tibi non tradita ſeruitus, ſed tutela? hæc ferè Seneca; quorum documentorum præceptorem Chriſtianum pigere non decet.

V.

Rem magnam fecerit Profeſſor ſi animo ita afficiatur, vt non vniuerſorum duntaxat tanquam profeſſor publicus, ſed ſingulorum curam gerat vt amicus: cùm enim diſcipuli animaduertunt ſe non è grege haberi, ſed dignos peculiari cura, atque in ſe dirigi animum docentis; vires ipſi viciſſim & animum contendent vt beneficium benè collocetur, laboríque ac voluntati docentis diſcipulorum, alacritas & diligentia reſpondeat: quapropter malè ſibi & auditoribus ſuis conſulunt Profeſſores, qui non patiuntur ſe adiri ad familiaria colloquia; & tanquam ſint è machina, aut in machina dij, vix ſe ſinunt conſpici extra ſuggeſtum, quaſi familiaritas contemptum pariat: errant illi & vehementer quidem, ac neſcio vtrùm profeſſio publica, vel editi in lucem libri tantum venerationis & famæ Iuſto Lipſio pepererint, quantum conſuetudo familiaris cum omnibus ſe conuenientibus promiſcuè & humaniſſimè: tunc enim ſeipſo maior erat, cùm deſcenderat & eloquebatur ex æquo quacumque de re voluiſſes, & quod præcipuum eſt, multo magis proderat ſuis diſcipulis, cùm & eos cognoſceret meliùs, & inſtrueret opportuniùs. Oraculum eſt ex Stoæ cortina; *Singuli propria exigunt; ſchola pauciores magnos viros fecit, quàm contubernium.*

VI.

Profeſſorem in diem viuere, & hodiernæ ſolùm prælectioni intentum eſſe, malum eſt: hac inſuper incuriâ gloriari, peſſimum. Quid eni[m] eſſe poteſt ordinatum, quid opportunum & tempeſtiuum in ea do[ctrina,] vbi

vbi nihil in futurum tempus ſeponitur, nihil conditur? Quàm inſipida, quàm incocta eſſe neceſſe eſt illa doctrinæ fercula, quæ non diuturna & ſolers diligentia quæſiuerit, atque apparauerit, ſed quæ præcipitata induſtria fortè repererit? In talium hominum ſcriptis quanta ſolet eſſe in ſumma prolixitate inanitas? quàm confuſus ordo? quàm frequens eiuſdem cantilenæ repetitio; dum interpellante docendi horâ neceſſariò prehendendum eſt id quod ſe tunc obtulerit: qui ſi proſpexiſſent è longinquo ſeriem materiarum quas tractaturi ſunt, multo concinniùs, & breuiùs, & clariùs, & ſucceſiùs, & ordinatiùs tota diſputatio procederet.

VII.

Quemadmodum æquum eſt, vt ab illis plus laboris exigat Profeſſor, in quibus certior ſpes eſt; ita pugnare debet, vt ipſi quoque intelligant eos nobiliùs tractari qui amantur fortiter, & quibus ſudor excutitur; ſicut diuinum numen generoſos ſpiritus durè tentat. Magiſtri tamen cautio erit non plenam, multò verò minus viribus maiorem operam exigere; alioqui difficultate laboris deterriti animum abiicient: longè conducibilius eſt, vt ipſi aliquod corollarium voluntariæ operæ adiiciant, puténtque ſe in ea opinione eſſe apud ſuorum ſtudiorum moderatorem, vt exiſtimet eos potius indigere fræno quàm calcaribus. Verumtamen nunquam ſe adeò ſecurum oſtendet de diſcipulorum ſuorum diligentia, quin ipſis continuò excubet: animaduertimus enim acerrimos quoſque, ac ſtudioſiſſimos facilè conniuere, quando eum quem reuerentur conniuentem ſentiunt.

VIII.

Moroſi Profeſſores quibus vix vllus diſcipulorum labor ſapit; blandi, quibus nihil diſplicet, vtri exitialiores ſint, haud facilè ſtatuas: hi filios ſuos blandè conſtringendo necant; illi à ſe abigendo in deſperationem agunt. Media via tenenda eſt, & ſincerus candor ſummæ prudentiæ attemperandus, adeò vt quidquid monitus fuerit Candidatus, gratias agat, proficiat poſteáque beneficium atque admonitionem agnoſcat; intelligat (inquam) τρῶμα haud fuiſſe ἄπιστον. Sentiat (inquit D. Ambroſius [a]) ſe amoris pignore admoneri, & charitatis officio ſua ſibi errata detegi. *Candidus & prudens cenſor* (ait Ludouicus Viues [b]) *vehementer in ſtudiis vtilis eſt; ſi* (vt monet Tacitus) *animi iudicium citra damnum affectus profertur.* Debét cum D. Auguſtino omnes viri cordati *malle obiurgatione miſericordi ſanari, quàm blanda adulatione, tanquam ſi caput vngatur, occidi.* Sed nec officio tantùm cenſoris fungi debet Profeſſor, verùm etiam beneuoli laudatoris, ſi quid laudabile in ſuo diſcipulo nactus fuerit: vix autem eſt, vt non ſemper aliquid eiuſmodi reperiat.

a in illud, *Iuda oſculo filium hominis tradis?*
b lib. 5. de trad. diſcipl.

IX.

Semper putaui eſſe puſilli hominis, & propriæ tenuitatis ſibi valde conſcij ſolitudinem in ſchola amare, fugere auditorum celebritatem, præcipuè verò honorariorum: perfectiſſima enim ſapientia (qualis fuit Salomonica) aduocat qui veniant ad ſe, & diſcant; hoc iam pridem obſeruauit, & monuit Fabius Quintilianus his verbis [c], *Optimus quiſque præceptor frequentia gaudet, ac maiore ſe theatro dignum putat: at ferè minores*

c l. 1. inſt. c.

ex

ex conſcientia ſua infirmitatis hærere ſingulis & officio ſungi quodammodo Pædagogorum non indignantur. hac laude floruiſſe Socratem Pauſanias[a] refert,qui licèt annos nonaginta nouem natus, nunquam tamen diſcipulos habere deſiit. Multitudinem diſcipulorum honeſtis modis ſibi adiungere,nimirum eruditionis,ingenij,& diſciplinæ præſtantia,quod de Polemone, Herode Attico, Heraclide Lycio aliiſque Philoſtratus refert[b];pulchrum eſt,verùm aſtu, effræni licentiâ, obtrectatione alienæ laudis,indecorum,illiberale,ſordidum.Si Profeſſor ſibi dolo malo auerri diſcipulos ab æmulis ſentiat:ſatagat vt verè cum Zenone dicere poſſit de Theophraſto, ὁ ἐκείνου μὲν χορὸς μείζων, ὁ ἐμὸς δὲ συμφωνότερος, *Chorus eius maior eſt, meus meliùs concinit.*quis non amet Coſmam illum natione Italum,profeſſione & moribus religioſum,Mathematicæ,Muſicæ,Poëticæ, Philoſophiæ, aliiſque artibus homine ingenio dignis inſignem, qui captus & abductus in Syriam à Saracenis, calamitatem ſuam hac vnâ re præcipuè deflebat,quòd in illa barbarie neminem reperiret, qui tam exquiſitas ingenij diuitias appeteret,oblatáſve reciperet. Non irrita fuerunt eius vota : redemptus enim à locuplete viro, traditus eſt Ioanni qui cognominatus eſt *Damaſcenus* præceptor; quem adoleſcentem indolis prorſus eximiæ mirificè in literis & virtute perpoliuit. Si eàdem mente & conſilio,quo iſte Coſmas,viri docti diſcipulos optant, & ambiunt,præclarè eſt:prouideat illis numen quamplurimos.

a in Att.

b de vita Sophiſt.l.1.

Plut.de profect.virt.

In vita S. Ioannis Damaſceni.

X.

Poſtremum quod moneo eſt,neu velint Profeſſores eſſe ſimiles vſurariis qui libentius dant quod non debent, quàm reddant quod debent; peruerſus eſt ille ordo, cùm quis neglecto eo munere & officio quo fungitur publici Profeſſoris & Magiſtri, ad alia ſtudia quibus delectatur,curam atque animum transfert, quod ſummæ fraudi ſolet eſſe diſcipulis. Ad præpoſteros iſtos Doctores ſpectat aureum dictum Magni Gregorij[c], *Ille bene agit quæ pia ſunt,qui ſcit priùs ſeruare quæ iuſta, vt collatus in proximos riuus miſericordiæ de iuſtitiæ fonte ducatur.* Nam, vt ſcitè & verè Quintilianus loquens de patronis, qui minùs bene meditati ad dicendas cauſas ſe conferunt,*minus bene dicere quàm poſſis, præuaricari eſt*,& de alieno benignè aliis facere non virtus eſt,ſed peccatum.

Vmbert. c. 43. in reg. S.Aug.

c l.10. mor. c.14.al.19.

CAPVT VII.

De librorum ſcriptione.

Monita X.

I.

MAgis eſt in poteſtate noſtra ſcribenda facere, quàm ſcribere legenda;hoc enim ingenij eſt,& paucorum hominum;illud voluntatis ac ſingulorum, ſi modò diuinæ gratiæ obſecundare voluerint. Ideo nulli ſuſcipiendum eſt ſcribendi negotium, niſi ei qui poſſit eſſe *præceptor generis humani* in ea facultate quam tractat; cuius rei iudicium penes

Plin.ep.16.

Sen.ep.64.

penes inſigniter peritos eſto. Nec id ſatis neceſſe eſt inſuper ſcribendi auctores atque impulſores habeas præſides tuos, vel ſanctos & fidos
Petr. Bleſenſ. de inſtit. Epiſc. monitores, vel inhabitantem in te diuinum Spiritum; qui *venam ingenij animet deſiderio, & ſtylum accenſæ charitatis deuotione erigat*, dicátque tibi
Eccl. 4. ad aurem cordis: *Ne abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo.*

II.

Quàm ſtultum eſt neglectis & peſſundatis propriis rationibus totum in alienam vtilitatem incumbere, & in morem candelæ dum aliis luces, decreſcere, & conſumi. Tu proinde conare eſſe ex illorum Auctorum numero, qui (vt ait D. Auguſtinus[a]) *non ſolùm aliis proficiunt ſcribendo, ſed & ipſi proficiendo ſcribunt.* Hoc autem conſequeris, ſi quidquid ſcripſeris, illud inſcribas Deo & Beatæ æternitati; minimè autem tempori & inani gloriæ. *Non area tantùm, & vinarij lacus, verumetiam verborum primitias oportet verbo perſoluere, multóque magis verborum quàm actionum*, dixit D. Chryſoſtomus ſermone cùm eſſet deſignandus Preſbyter; qui & addit; *in illis opuſculis per ingenioli noſtri oblationem Deo ſacrificauimus.* Si ſecus facies, etſi habueris omnem doctrinam, omnem Prophetiam, omnem ſapientiam, charitatem autem, & diuinæ gloriæ ſtudium non habueris, ſimilis eris magnis illis ſcriptoribus, de quibus dixit D. Hieronymus, *Laudantur vbi non ſunt, & cruciantur vbi ſunt.*

a ep. 7.

III.

Libros ſcripturus ſciat priùs quid valeant humeri, quid ferre recuſent; qui præditus eſt acri iudicio, atque ingenio ad inueniendum alacri, is propriis immoretur cogitationibus, & ſenſa animi ſui conſignet literarum monumentis: qui verò diligentiâ ſolùm valet, atque abundat otio, valetudine, libris; ea ſibi aſſumat in quibus iſtorum opus ſit, non autem multi ingenij: Anthologia, Collectanea, Polyanthea, obſeruationes, Auctorum emendationes, enarrationes, nudos annales, & alia id genus faciat; conuertat libros ex vna lingua in aliam: in iſtis licet plus ſit eruditionis & laboris, quàm ingenij, & iudicij; tamen fructus, & commodum ſæpe non eſt minus.

IV.

Character ſcribendi, ſeu ſtyli genus tale ſit, vt materiæ conueniat: itaque meminerit ſcriptor ſeueriorum diſciplinarum, atque ad vtilita-
Sen. ep 100. tem pertinentium animo *ſcribendum eſſe, non auribus*, iuxta monitum Stoici, & verum eſſe quod ſcribit Stromateus, *Eos qui hærent dictionibus, & in eis ſunt occupati, res ipſæ fugiunt.* item alio loco: nominum & verborum facilitas, & non nimis accurata examinatio, vtplurimum non eſt
Clem. Alex. 2. ſtrom. pag. 394. ſordida, & illiberalis, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τούτου ἐναντίον ἀνελεύθερον ἐστιν δὲ ὅτε ἀναγκαῖον, ſed eius potiùs contrarium: eſt autem etiam nonnunquam neceſſaria: hæc quàm breuiſſimè fieri poteſt Scriptura enunciauit, dicens, Non multum verſeris in verbis. ἡ μὲν γὰρ λέξις οἷα ἐσθὴς ἐπὶ σώματος, τὰ δὲ πράγματα, σάρκες εἰσὶ καὶ νεῦρα. Dictio eſt veſtis in corpore, res autem ſunt carnes & nerui: in piis & aſceticis commentariis, ſtudioſè com-
b dict. 3. pta oratio, &, quod dixit Ennodius[b], *ad vnguem fabricata multum de af-*
S. Zeno ſermone de iuſtitia. *fectu deterit: nam ſine phaleris eſt quod dictat affectio.* prout verò ſcriptor affectus erit, erit ferè & lector. *In Eccleſia Dei fucatus nõ quæritur ſermo, ſed*

veritas

veritas pura; & præclarè apud Gellium Muſonius[b], *qui modulatu vocum & lenocinijs verborum excitant inanem applauſum auditorum, ſcito illic non Philoſophum loqui, ſed tibicinem canere.* Nihilominus apparatus medioeris, & pro ſcenæ ac perſonæ modo elegans ac ſincerus caloris nitor nemini ſano vnquam diſplicuit. De Attico & Aſiano dicendi genere hoc ſtatuendum: illud, vtpote preſſum & integrum, virorum eſſe; iſtud effluens, inflatum, ac inane, adoleſcentulorum iuueniliter exultantium proprium. λακωνίζειν verò, hoc eſt, paucis & abruptis verbis ſententias ſæpiùs circumſcribere, obſcurioribus adagiis orationem infercire, ac ſolummodo doctis lectoribus ſcribere, planè vitioſum eſt; Ἐρρώσθωσαν πρὸς θεῶν αἱ νεφέλαι, εἰ μόνῳ τῷ Δάφνωνι ἀφιᾶσι τὸ ὕδωρ. *Valeant nubes per Deos ſi ſolì Daphnoni emittunt aquas.* Ille ſtylus eſt optimus, qui omnibus, & vbique, & ſine ſatietate placet. a l.5.c.1. Theophylactus Scphiſta in epiſt. pag.408.

V.

In librorum inſcriptionibus duo ferè peccari animaduerto, quæ hoc & ſequenti monito attingam: alterum quod tam ſpecioſi atque illuſtres tituli quærantur: tales ſunt κέρας ἀμαλθείας, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμών, πινακίδιον, & alij id genus, quos Seneca *oculiferia* appellat, vt cùm veſtibulum libri inſpexeris, credas eſſe regiam domum inſtructam regia gaza & apparatu, quò intrandum tibi putes, etiam cum periculo deſerendi vadimonij: ſed cùm intraueris, ſperata illa felicitas, καὶ ὀρνίθων γάλα prorſus euanuit: & quemadmodum dixit Plinius, *Dij Deæque quàm nihil in medio inuenies*; cogatíſque dicere quod de inuenta hominis larua dixit apud Æſopum ſimius. Modeſtæ librorum inſcriptiones cordato & modeſto lectori longè magis placent; ac multo ſatius eſt vinci expectationem, quàm non ſuſtineri. Pingendi fingendíque conditores abſoluta opera, & illa quæ mirando non ſatiamur, pendenti titulo ſic inſcripſere, *Apelles*, vel *Polycletus faciebat*; vt ſi præterito tempore imperfecto tanquam inchoata ſemper arte, atque imperfecta, & contra iudiciorum varietates ſupereſſet artifici regreſſus ad veniam, velut emendaturo quidquid deſideretur, ſi non fuiſſet interceptus. Quare plenum verecundiæ illud eſt, quòd omnia opera tanquam nouiſſima inſcripſere, & tanquam ſingulis fato adempti. Tria, non amplius (vt opinor) abſolutè traduntur inſcripta in tempore perfecto, *ille fecit*; quod apparuit ſummam artis ſecuritatem auctori placuiſſe, & ob id in magna inuidia fuere omnia ea. Conſultiùs ſe feciſſe ait Plinius, quod contemptis feſtiuis, (vt loquitur) titulis opus ſuum *hiſtoriam naturalem modeſtè* inſcripſerit. Plin. in præf. hiſt. nat. Strabo l. 14.

VI.

Alterum in quo permulti diſplicent in librorum inſcriptionibus, eſt, quod non meminerint, aut nunquam benè ſciuerint, *Titulum* debere eſſe veluti *Titana*, & ſolem libri, totiúſque operis breue quoddam compendium; ac tanquam ſpecimen ad tabernaria pulpita penſile, earum rerum argumentum, quæ in penitiore apotheca repoſitæ ſunt; ac proinde inſcribere librum voce, vel ſententia tam obſcura, vt lector hæreat, nec niſi conſultis interpretibus eam intelligat, eſt offendere tenebras, non lucem affundere. Magnum vitium eſt in ædibus, atrij obſcuritas,

ſcuritas, ac nemini ingredienti non moleſta. Alij perſpicuos quidem titulos præfigunt ſuis libris, verùm qui omni promiſcuè argumento conueniant: atque vt meritò vitioſa cenſeri ſolent illa exordia orationum, quæ non eruuntur ex cauſæ viſceribus, ſed aliunde veniunt, & omni orationi conueniunt: ita diſplicent illi tituli, quos cùm perlegeris, nondum diſpicias quódnam argumentum libri ſit, quæ materies. huiuſmodi inſcriptiones illæ ferè ſunt quæ petuntur à tempore, vel loco in quo libri componuntur. exempli gratiâ, ſi quis edens in lucem librum de militia, illum ſic inſcribat, *Flores verni*; vel, *hybernæ vigiliæ*, vel *lucubrationes Salmanticenſes*; vel *tempora ſubceſiua*, vel *ruſticationes æſtiuæ*; vel *commoratio Romana*, & aliis ſimilibus titulis: qui cur potius conueniant commentario de militia, quàm de re nautica, de Architectura, de venatione, de re forenſi, de re veſtiaria, de philoſophia, de re medica, & ſexcentis aliis, non video. Placent ſimplices, perſpicui, atque ita proprij argumentorum quæ tractantur, vt ſtatim ex eo quod eſt in limine & fronte, iudices quid ſit in receſſu: quod fecere plerique veterum auctorum, qui ſi ſcripſere de re medica, vt Celſus; de Agricultura, vt Columela; de re bellica, vt Vegetius; de animalibus, de moribus, de Metaphyſica, vt Ariſtoteles; de beneficiis, vt Seneca; de inſtitutione oratoria, vt Fabius; nullum alium titulum præpoſuerunt, quàm qui prima ſpecie & obtutu, libri argumentum & Auctoris conſilium lectori ſtatim indicaret ſine ambagibus; ſicuti Tragœdi & Poëtæ facere ſolent in Tragœdiarum & poëmatum inſcriptionibus, *Hercules furens, O Etæus, Æneis, Thebais, Ilias, Odyſſea, Metamorphoſis*, &c. Nunquid ridiculum ſit, ſi Bibliopola, cui eſt in ædium penetralibus luculenta apotheca libraria, proponeret in abaco tabernæ ſuæ hunc titulum, *merces Lugdunenſes*, eo quòd Lugduni multi libri edantur in lucem: quaſi verò nullæ aliæ merces Lugduni fiant, præter libros, aut nullibi edantur libri quàm Lugduni. Idem facis quiſquis tuum *de militia* librum inſcribis, *hibernæ vigiliæ*, vel *Romana commoratio.* nam perinde eſt, ac ſi hibernis noctibus, vel Romæ ſcribi tantùm de militia poſſet; vel aliis anni temporibus, ac aliis in vrbibus nullus edi commentarius poſſet, niſi de militia.

VII.

Magnus theſaurus, magnúmque adiumentum ad vſum libri bene digeſtus & ordinatè compoſitus Index earum rerum, quæ toto volumine continentur; præſertim ſi pauculis numeris conſtet. Nihil verò moleſtius illis Indicibus, qui quaternis quiníſve notis tardiſſimè deducunt, quò Lector feſtinat. Quis enim hoc ferat, *parte* 1. *diſp.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 10. *corol.* 5. cogitanti de quarto numero excidet ſecundus, & decies voluere ac reuoluere eaſdem paginas neceſſe erit; cùm duobus numeris res tota commodiſſimè fieri queat, vt fecit in ſuis Annalibus Baronius, atque in ſuis operibus Theophilus Raynaudus, cuius iudicium in partienda ordinandáque materia quam tractat certare ex æquo videtur cum vberrima eruditione, quâ inuenta propria veſtit, & pulcherrimè ornat. Nunquam mihi placuerunt illæ notæ in Indicibus quæ lectorem amandant ad paginam libri, & ad literas contextui additas ad margi

marginem ; quia ſi alio charactere, aut forma liber iteratò edatur, neceſſe eſt Indicem fidei de nouo ſecundæ editioni accommodatum ; & ſi in tuis obſeruationibus tales notas ſecutus fueris, experiere in codicis obſeruatione magnum incommodum. Porrò ſicut capitum prolixitas faſtidium affert, & à legendo auocat ; ita breuitas voluptatem creat, & legendi deſiderium. Pulchrè dixit in hunc ſenſum neſcio quis, frequentiam capitum haud aliter lectorem reficere, quàm multitudinem diuerſoriorum breuibus interuallis in itinere occurrentium viatorem.

VIII.

Magnus liber magnum malum, dixit Callimachus; quod de illis Auctoribus dictum eſto, qui verè cum Sidonio dicere non poſſunt [a], *Curæ nobis fuit cauſam potius implere, quàm paginam* ; ſed id ſolùm pugnare videntur & eniti, vt volumen turgeſcat & infletur : ac propterea captant aberrationes ab argumento & diuerticula, parerga afferunt, *cunctis no.a replicant, quod eſt operæ redundantis*, ait Symmachus; aut lectorum peritiæ diffidentis, vel eorumdem otio abutentis. Tu licèt aurea & gemmea dixeris, ſi tamen ea præter rem intruſeris, minimè placebunt, κέντει πῶλον πρὸς νύσσαν, *adige equum ad metam*, cur viarum flexiones ſequeris? quid moras nectis? Cur tam grandes tomos moliris? οὐ τὸ μέγα εὖ, ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα. *Non quod magnum eſt, bene eſt ; ſed quod bene eſt, magnum eſt.* Non eſt tamen quòd quis metuat ſe eſſe prolixum, ſi prolixitas iuuat, iuxta illud B. Petri Damiani [b] : *dixerit me quiſpiam verbis liberiùs euagatum ; ſed mihi tantum eſt proximorum meorum ſalus, vt non otioſum credam multorum lignorum pyram accendere, qua baſiliſcum licèt exiguum incolumi populo neceſſe ſit interire ; nec multa aqua inaniter funditur, ſi ſcintilla ignis, qua vrbs cremanda foret, extinguatur.*

a l.4.ep.3.

D. Gregor. Naz.

Demoſth.

b Opuſc 8. cap.12.

IX.

Quemadmodum meritò reprehendendi ſunt qui quod nocte ſomniarunt, illud continuò edunt in lucem, metientes ſuâ ſcribendi prurigine & ſcabie, vel ſuâ ipſorum opinione, quâ vaniſſimè inflantur, operis bonitatem & approbationem : ita diſplicent ſcriptores non pauci, ſimiles Callimachi pictoris, qui *ſemper extitit calumniator ſui, nec finem habuit diligentiæ, ob id Cacozitecnos appellatus memorabilis exemplo adhibendi curæ modum.* Plerique viri docti cedere neſciunt amicorum iuſtis poſtulationibus, imò etiam expoſtulationibus; ſuóſque partus continuò lambunt, ſua opera ad cenſorium vnguem perpetuò caſtigant, elimant, expumicant : atque ita plerumque fit, vt in illa cunctatione moriantur, & ſuo labore poſteritatem fraudent. Verum quidem eſt *quæ citò placent, non diu placere*, & quod Plato apud Stobæum in Ethica Ecloga dixit, *pleróſque Scriptorum Adonidis hortis eſſe ſimiles, qui ſubitò vnâ die nati celerrimè pereunt.* Tamen cunctatores iſti qui ſe huiuſmodi dictis tuentur, deberent credere amicis, nec ita obfirmato animo propriũ iudicium ſequi. Renocent in memoriam illud Luciani [c], *in rebus humanis nihil tam fauſtè ac feliciter agitur, quod non error aliquis interpolet.* Leonardus Leſſius intolerantiùs ferebat aliud genus doctorum hominum, qui plura complectuntur quàm poſſint commodè ſtringere ; adeò

Plin.l.38. c 8.

Vitruu.l 4. c.1.

c de non temere credẽdo calum.

vaſta argumenta aggrediuntur,meditantur tam multos & grandes tomos; imò etiam cùm ſæpe ſint ætate iam deuexa, vt arbitreris promiſſos ipſis à diuino numine neſtoreos dies & ineluctabilem valetudinem, ac memoriæ bonitatem vſque ad extremum ſpiritum, omniaque ſubſidia neceſſaria ad id quod animo moliuntur. Vis dicam quid illis hominibus contingere ſoleat? *deſinunt viuere cùm incipiunt ſcribere*; vix inſanæ illius molis, quam aggrediuntur ſubſtruere fundamenta iecerunt, cùm iubentur de illius conſiliis,adeóque de vita ipſa decedere; prudentiùs facturi ſi mortem aſpexiſſent velut imminentem & proximam,non

Sen.ep. 1.& 66. verò tanquam procul diſtantem. *In hoc plerique fallimur, quòd mortem proſpicimus,cùm potiùs proſpicere vitam deberemus.*

X.

Ille demum dignus eſt qui ſcribat,qui præditus non vulgari doctrina & ingenio,ac ſupra ſpem metúmque,aut alium perturbati animi affectum poſitus,vni veritati operatur, vni diuinæ gloriæ intentus eſt. Quidquid eius monumentis obuenerit, bene eſt, abundè eſt. multis ſcriptoribus nihil tam profuit, quàm manus carnificis & hoſtilis rogus; nec ſupereſſent niſi periiſſent; rediuiui poſt buſta ſua & cineres glorioſiùs triumphant de inuidia,de ſcelere,de mendacio, quàm ſi primo ſui in lucem ingreſſu cum plauſu excepti fuiſſent in omnium ore, ſinu,manibus,& oculis.Si Dei gloria,Eccleſiæ defenſio, animarum ſa-

a l.1. ep.20. lus agitur; aude, ſcribe. Et quod Petrus Venerabilis [a] Gilberto ſcripſit, dictum tibi puta: *Seratur in chartula* (ait idem Petrus Venerabilis Gilbertum ſcribendos ad libros exhortans) *verbi Dei ſeminarium, quot maturis ſegetibus,hoc eſt,libris perfectis multiplicatis frugibus eſurientes lectores repleat,& ſic panis cœleſtis lethalem animæ famem repellat: ſic planè ſic verbi diuini poteris fieri taciturnus Prædicator,& linguâ ſilente in multorum populorum auribus manus tua clamoſis vocibus perſonabit: clauſus tenebris in ſpelæo tuo, & in codicibus tuis terras ac maria peragrabis, in publicis Eccleſiæ conuentibus lectoris ore verbum Dei de ſublimi loco inclamabis; in remotis clauſtrorum & domorum angulis illud idem ſeruis Dei ſilentibus inſuſurrabis: profeſſio te eremitam,deuotio faciet Euangeliſtam; vt quod per te ipſum non poteris,tuis laboribus promerearis. Animet te ad hoc agendum non paruum laboris præmium,quod pro omnibus conſequeris,quibus hoc laudabili ſtudio ſubuenire potueris: nam quotquot tuorum voluminum lectione ſuperbiam proſtrauerint,luxuriam ſubegerint,auaritiam contempſerint, iram domuerint, à quibuſlibet malis vel cauerint, vel pœnituerint,vel manipuli ſudoribus tuis collecti æternarum frugum tuarum horrea cumulabunt; & dum cum vita hominis opera finiri ſoleant,& cum deficiente deficere; tu nec morieris,nec à vita deficiens à bono opere ceſſabis,quando operibus tuis ad vitam mortuos reuocabis; tantóque tempore etiam poſt mortem tuam apud Deum extendetur lucrum operum tuorum,quanto (vt ita dicam) durare poterit vita librorum tuorum.* Imò longè

Dan. 12. diutius perennabit fructus tuæ ſcriptionis, quàm tuorum librorũ vita; nã qui ad iuſtitiam erudierint multos,fulgebunt ſicut ſtellæ firmamenti in perpetuas æternitates. Nemo plures erudit, quàm qui libros ſcribit; Orbem quantus quantus eſt vniuerſum habet pro auditorio; homines verò quotquot ſunt, vel futuri ſunt,pro diſcipulis,&c.

SECTIO

SECTIO II.

Introductio compendiaria ad eloquentiam.

ERRANT vehementer quotquot in ea ſunt hæreſi, vt exiſtiment, ſitam eſſe in ingenij duntaxat viribus eloquentiam, & nullis artis præceptionibus eu m indigere, qui felicitatem vberis naturæ ſortitus ſit: facilè quidem conceſſero illam orationis profluentiam, quæ nata in ore ſtatim præcipiti lingua extra dentium ſepta eiicitur, haud multùm indigere inſtitutionibus oratoriis; at verò vtrùm eiuſmodi loquentia eloquentia ſit, argumento ſunt frequentes lapſus iſtorum Andabatarum, dum cæco impetu calamum ventilant, & incertis linguæ ictibus aëra incaſſum feriunt, viréſque & dicendi contentionem in ventum effundunt. Vnum opponere ſolent qui artem reſpuunt; Delphis poſitam fuiſſe auream ſtatuam Leontino Gorgiæ, cuius oratoris ea fuit in dicendo vbertas & copia, vt diceret temporario ſtylo, qua de re quiſque audire vellet, promiſſúmque præſtabat genere quodam dicendi expolito, inſigni, omni lepore affluenti, & quod mirum eſt, in hac amœnitate neruoſo. In promptu eſt quod reſpondeam. haud vni tantùm naturæ tribuenda eſt illa ornatè loquendi facilitas; ſed referenda magnam partem arti bene dicendi, in qua perdiſcenda exercendáque, atque aliis tradenda poſuerat multum operæ & laboris. Si quis autem ſperat, ſe, quia temporario ſtylo & ſolius naturæ impetu rectè aliquando dixerit, rectè ſemper & appoſitè eſſe dicturum; non ſecus mihi delirare videtur. ac ſi quis pictor ſpumam equi, vel canis anhelantis expreſſurus ſpongiam coloribus imbutam impingeret tabulæ, ſperarétque euenturum, vt fortuitò naturam pictura faceret; quia celebrem illum Protogenis canem, & Nealcis equum ſimilis caſus pinxit. Fimus oratores, non naſcimur. Quid? illiberales & contemptiſſimæ artes ſuis non carent præceptis quibus ſuos tirones informant; *artium regina eloquentia* ab omnibus retrò ſæculis præſtantium ingeniorum ſtudiis celebrata, nullis obſeruationibus & præceptis cótinebitur? Nihilominus, verum vt fatear, non puto eloquentiæ facultates infinitate minuſculorum præceptorum, quæ diſcentis mentem obruunt, contineri: longè expeditior eſt via per exempla: exercitatio in primis nihil non efficit. Quàm multo paruo ingenio, literis nullis, vt bene agant agendo conſequuntur? dummodo non deſit Magiſter eloquens, & iudicandi facultate inſigniter præditus, qui ad eloquentiam contendentibus candidè & beneuolè præeat; alioqui tirones cæcutiunt in propriis vitiis; & , quod deterius eſt, ea ſæpenumero exoſculantur. Qui ſcripto hanc artem pro dignitate tradiderint, tres ſunt inter veteres, præcipui Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, quorum fontibus alij, qui poſtea ſecuti ſunt, Cyprianus, Soarius, Nicolaus Cauſſinus, Ludouicus Creſolius, Carbo aliíque ſuos hortulos feliciter irrigarunt, & ipſi quoque digni

qui adeatur. Ego tum ex veterum, tum ex recentiorum Scriptorum obſeruationibus, tum etiam ex propriis digeſſi hunc abacum oratorium, in quo eſt hoc ſaltem commodi, quòd vnico aſpectui *Pronunciata* quædam paucis verbis breuiter comprehenſa exhibeat, quæ vniuerſas pariter ac ſingulas Rhetoricæ partes percurrenti *palmaria* viſa ſunt, & citra prolixitatis faſtidium eloquentiæ Candidatis opportuna. Licèt autem (ſi ordinem ſtudiorum ſpectas) hæc oratoria tabella videri poſſit præcedere debuiſſe alteram quam nuper edidimus *comparandæ ſibi & tradendæ aliis amœniori eruditioni* accommodatam; tamen munus profeſſionis meæ in Regiis ſtudiis Madritenſibus exigebat, vt ab illa primùm ordirer: ſi ambæ placebunt & proderunt, fidentiùs emittam in publicum eâdem breuitate & formâ plures eiuſdem rationis & modi, de omni genere poëſeos, de hiſtoria, de tota arte gentilitiorum inſignium; de ſymbolis ſcutariis omnium Regnorum, præcipuarum prouinciarum, ac familiarum principum totius orbis, & eorum interpretatione, origine & cauſis; de perfecto Concionatore Euangelico, & ſimilibus argumentis. Quod conſilium vt in rem conferam, velim priùs, idonei lectores, harum duarum approbatione auctores ſint, mihíque annuant, dicántque illud Stoici: *Perge, ad magnas diuitias compendiariâ ducis.*

Capvt I.

Generalia documenta orationem ſcripturis.

I.

1. IN primis eligendum Oratori argumentum cum quo non colluctetur; ſed quod animum alliciat, & ſcribentem iuuet. Nam ex ſaxeto, quantumlibet excolatur, ſemper

Arida ieiunis ſeges interlucet ariſtis;

difficile eſt in paruis rebus magnum eſſe: non eſt magnus pumilio, licèt in monte ſteterit; Coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit etiam in puteo. Regina eloquentia in tricis vendendis, & ſcrutis poliendis ne occupator: Bullatæ illæ nugæ poëtarum ſunto, non oratorum.

II.

Dicturo ſiue in ſacris, ſiue in Academicis, ſiue in forenſibus pulpitis argumentum, ſiue quæſtio ita cognoſcenda eſt, vt nullum ei connexum adiunctum, nulla (vt ſic loquar) circumſtantia non penitus perſpecta ſit. Qui enim leuiter ſumma duntaxat cauſæ delibat faſtigia, neceſſe eſt multa prætereat, eaque perilluſtria, ac ſæpe momenti maximi. Ideo ne grauetur patronus litigatorem audire, agitare, excutere; & minus obeſſe putet audire ſuperuacanea, quàm ignorare neceſſaria.

III.

Vt macrum & exile argumentum, ſic indefinitum & vaſtius, quàm quod oratione comprehendi poſſit, meritò à diſcendi magiſtris reprobatur: ſi quis vniuerſim de Dei Opt. Max. laudibus dicere inſtituerit, nunquid in incomprehenſo illo laudum Oceano illico experietur tritum illud, ——*inopem me copia fecit?*

Eloquen

I V.

Eloquentiæ Candidatus priuſquam ſtylum ſumat , excutiet quidem animum ſuum,& introſpiciet in ſuam mentem,& ea quæ occurrerint in chartam referet:eum tamen nequaquam pigere debebit adire *locos Rhetoricos*, & velut oſtiatim ſingulos pulſare : nec proinde tarditatem in ſcribendo metuat ; vſus enim celeritatem pariet, ſicut in iis qui diſcunt fidibus multorum artificum etiam aliò ſpectantium , manus tamen ipſa conſuetudine ad opus mouentur. Quint.

V.

Magnæ artis eſt ſcire opportunè manum tollere de tabula; longè autem maximè ita ſtudere breuitati orationis, *vt metuat Auditor ne deſinas.* Senec. quemadmodum valde inconſultum eſt ſua prolixitate efficere, vt indignabunda concio vetus illud immurmuret; *Adige equum ad metam.* S.Greg.Naz. At mellea ſunt quæ dico , inquies. Ain?gratulor, penes te tamen fides eſto : verùm metue ne ſatiatus tuo melle Auditor illud euomat.

V I.

Captare plauſum & opinionem diſerti,acuti,elegantis,puerorum eſt in Academicis vmbraculis declamitantium : in forenſibus ſubſelliis futiles eiuſmodi acclamationes aucupari,præuaricatio eſt:in ſacris pulpitis,merum æris tinnientis crepitaculum, merum verbi Dei adulterium. Perſuadere & mouere,loquentis ſapientiæ eſt. Ego , ſi ad id neceſſe putem incongruè & barbarè loqui,omnino id facere non dubitem ; talíſque neglectus artis,ſumma ars foret.

V I I.

Sicut benignum eſt,& plenum ingenui pudoris fateri per quem profeceris, præſertim cùm ſors fiat ex vſura;ita infelicis & obnoxij ingenij eſt , deprehendi in furto malle , quàm mutuum reddere. In epidicticis tamen orationibus ſtylum interrumpi frequenti Auctorum citatione non placet,niſi experiendum ſit velut prolatis obſignatis tabulis. *In forenſibus tamen* & ſacris ex recepto iam vſu licet ; dummodo illæ auctoritates non ſint de triuio,ſed eximiæ,illuſtres,& ſenſu fœtæ.

V I I I.

Tametſi adagia ſint rudera veteris philoſophiæ plena venerationis, atque ob breuitatem & ſplendorem meritò à ſitu & ſquallore vindicentur,aſſeruentúrque in ſacrario ſapientiæ ; nihilominus hac purpura contextus epiſtolaris conuenientiùs inoculatur quàm oratorius : ſecus ac pleroſque facere video, qui cùm pulchras facere orationes non poſſint,diuites hoc parœmiarum choragio(quod eſt longè facilius) eas efficere ſtudent.

I X.

Illuſtres γνῶμαι,ſeu coactæ in breue dictum ſententiæ multarum quidem ſæpe rationum momentum & pondus obtinent , & velut fulgura feriunt,ac mirificè placent : tamen ſi captari videantur, non naſci ; & ſi afferantur magnâ copiâ,illico apparet quàm verum ſit illud Stoici, *Quæ maximè delectant , ab iis celerrimè animus faſtidio abalienatur : magna voluptati ſatietas finitima eſt.*

Vera

X.

Vera eloquentia habet pro ſatellitibus *βροντὰς καὶ ἀστραπὰς, corruſcationes & tonitrua:* nec tantummodo exercet imperium in Auditorum affectibus,ſed & mitem quamdam tyrannidem.Ideo ſatagere debet orator, ſi menſuram tanti nominis implere volet, vt ea præſertim eligat argumenta,quæ mouendis effectibus locum præbeant, eóſque priùs medullitus induat,quos transfundere in Auditorum pectus volet.

Capvt II.

Ad ſtyli exercitationem.

Leges X.

I.

I. QVanta ſit elegantis ſtyli dignitas ex hoc facilè intelliges, quòd ſi humilia pulcherrimè & latiſſimè dicas ſcribáſve, nemini non placeant;ſi eximia malo ſtylo & inculta oratione efferas,ſordeant. Stylus autem is meritò cenſeri debet optimus, qui cum nitore & apparatu in auditorum ſenſum animi noſtri ſenſa facilè prouehit.

II.

Putare id omne quod ſono & exitu conformatur ad rationem quamdam & analogiam Latini ſermonis,vel quod ab aliquo paulò antiquiori ſcriptore vſurpatum eſt, puræ putæque latinitatis cenſu contineri, fœdum eſt,peregrinum ac barbarum.

III.

Ita iurare in verba Ciceronis,vt quidquid ille non dixerit, continuò tanquam minùs Latinum proſcribas; valde iniurioſum eſt locupletiſſimæ linguæ maieſtati ac latifundiis: in tirone quidem & nouitio, vt loqui latiniſſimè aſſueſcat, non magnopere reprehendendum: at in prouectiore intolerabile & putidum.

IV.

Ne multiplicis ac variæ eruditionis ſuauitas animum tuum auocet à comparando ſtylo,in quo (pro natura rerum pulchrarum) eſt pluſculum difficultatis;omnino temperandum tibi cenſeo recentioribus, imò etiam antiquioribus Philologis,Lipſio, v.g.Seneca, &c. donec epotis Ciceronianis fontibus,ac diligenti ſcriptionis exercitatione, moderatori tuo maiorum maturus videaris.

V.

Styli exercitatio hæc ferè eſto: vbi quidpiam legeris, argumentum aliquod affine tuæ lectioni eligeoquo imitationi locus ſit: nec protinus ſe offerentibus gaudendum ſiue in rerum inuentione, aut diſtributione, ſiue in verbis eorúmque collatione; adhibendæ ſunt in conſilium cogitationes, & aures:conſuetudo celeritatem dabit; neque enim citò ſcribendo fit vt bene ſcribatur;at bene ſcribendo, fit etiam vt citò.

VI.

Contrario vitio laborant nonnulli increduli, ac de ſuo iudicio peſſimè meriti, quibus nihil vnquam eſt ſatis; ita, ſibi facere ſcribendi difficultatem,

difficultatem,diligentiam putant : videant illi ne meliùs dicere velint quàm poſſint ; ac intelligant dicendum ſingulis pro facultate , ſtudióque opus eſſe , non indignatione.

VII.

Stylum ſumpturus ad ſcribendum,vt in certamine ſaliendi fieri ſolet,ſumat impetum præuiâ breuicula lectione Tullij,Liuij,Virgilij, aut alterius ſcriptoris pro eo ſcribendi genere quod aggreditur ; ſic eorum vim,mentem & ſpiritus induet,incaleſcet,afficietur,atque velificantem ſuis conatibus habebit Mineruam.

VIII.

Ita ſinguli comparati ſumus à natura, vt blandiamur fœtibus ingenij noſtri recèns editis, omniaque noſtra dum naſcuntur, placeant, alioqui non ſcriberentur : ſed ſeponamus ad aliquod tempus noſtras illas delitias,eas poſtea reguſtaturi , quæ ſi tum ſedatiori iudicio placebunt,ſecuriùs proferentur,&(quod vtiliſſimum eſt,maximéque ſuadeo) publicè declamabuntur.

IX.

Quemadmodum velim communices quæ ſcripſeris cum vno , aut altero à bonis artibus & iudicij facultate egregiè ornato candidóque, cui tu libenter auſcultes ; ita nolim plures conſulas ; adeò varia ſunt hominum ingenia,víxque idem pluribus ſapit licèt optimum. Videmus non rarò quoſdam laborare tanta reprehendendi prurigine, vt eos cum cenſoria virgula natos putes ; nec crepidam ſolùm ſutores inſpiciant.

X.

In genere ſcribendi Oratorio,Hiſtorico,Heroico, Tragico & ſimilibus,contemnere à veteribus conſcriptas & diuturno vſu corroboratas leges quaſi iam obſoleuerint,aliaque nunc ſint tempora , ac impetum duntaxat ſui ingenij ſequi ; Andabatarum eſt clauſis oculis ſtolidè renitentium,& fœdè corruentium.De Liuio,Virgilio,Demoſthene, aliíſque principibus , quorum nomina iam non hominum habentur , ſed earum facultatum quas perſecuti ſunt,iure dictum eſto quod de Tullio dixit Fabius,*Ille ſe profeciſſe ſciat,cui Cicero valde placebit.*

CAPVT III.

Ratio conficiendi communes locos ad comparandum ſtylum idoneos.

STyli ſtudioſum pigere nequaquam debet illuſtriores voces, earúmque vim expendere; locutiones ſelectiores,formulas,obſoleta verba & noua,figuratam & ſimplicem orationem , periodorum ambitus obſeruare,& in communes locos referre. Quia verò maximum ad elocutionem ſubſidiũ eſt, habere in promptu variam ſupellectilem verborum & locutionum pertinentium ad certas materias , eo quòd ex eiuſmodi promptuario facilè petantur metaphoræ,allegoriæ,ſimilitudines, 1.

deſcriptiones,hypotipoſes,adiuncta, effecta,proſopopœiæ, aliaque id genus orationis ornamenta : ideo vtile fuerit rationem locorum communium ſtylo peculiarem ſic conficere , vt ordine literarum illuſtres tituli ſingulis quaternionum pagellis è ſequentibus ſinguli adſcribantur,ad quos promiſcuè referas ea quæ iudicabis commodè eò referri poſſe ; hunc ferè in modum.

2. *Academia.* Ad hoc caput pertinet diſcipuli officium & Magiſtri ; inſtitutio adoleſcentiæ,ætas hominis,amicitia contracta,diſſoluta, redintegrata. Artes liberales,artes illiberales,annona,fames, ſitis. Architectura,aruſpicina,auaritia,vſura.

Beneficium & gratus animus Bibliothecæ,libri.

Calumnia,maledictum, obtrectatio , carnificina , carcer , cruciatus, pœna. Caſtitas & impudicitia. Cœlum & aſtra. Coniuratio & proditio. Conſcientia,conſilium. Conſtantia,inconſtantia,temeritas. Conuiuium. Corpus humanum,eius pulchritudo,deformitas.

Dactyliotheca,variæque curioſorum hominum delitiæ. Debitum, debitor. Delitiæ,vnguenta,&c. Diuinitas,diuitiæ, paupertas. doctrinæ v.g. Philoſophia,&c.

Eloquentia eiúſque partes. res equeſtris.

Facetiæ & facetè dicta, item vrbanitas & inſulſitas : fama, exiſtimatio : familia,filij,famuli,res familiaris. Fluuij,fontes , fortuna proſpera,aduerſa,fraus,dolus,inſidiæ,mendacium, furtum.

3. Geographica,ſiue variorum locorum deſcriptiones. Gladiatura vmbratilis,decretoria. Gloria vana,ſolida,honor.

Hæreditas. Homo,eiúſque partes.

Ingenium , iniuria , damnum. Innocens,nocens. Iuſiurandum,periurium.

Laus,liberalitas,ludus,& ludorum varia genera. Magia,manſuetudo, matrimonium,conſanguinitas,affinitas. Mercatura,meteorica,vt venti, niues,&c. Metallica,foſſilia,Muſica.

Nauigatio,naufragium. Nobilitas, nouitas , obſcuritas , obedientia, obſeruantia.

Odium,ira,inimicitiæ,minæ,opinio,oracula,otium,labor.

Pax,pecunia,pericula,perturbationes mentis,peſtis,pictura,piſcatio prodigalitas.

Religio,ſacrificia,templa,Reſpub. Regnum.

Sanctitas , ſapientia, prudentia,ſomnus,ſtultitia,ſuperbia.

Temperantia , tempeſtates anni quadripartitæ , tempus , teſtamentum,theatralia,tributa,fiſcus.

Venatio,feræ,aucupium,venenum,veſtitus aliaque corporis ornamenta. Vitium,ſcelus. Virtus,voluptas.

4. Operæpretium duco ſex inſuper habere quaterniones in eodem atque ſuperiori chartophoro ; vnum in quem referas res quotidiano & familiari vſu contritas , in quibus latinè efferendis ſæpe eſt haud parum difficultatis : in eo erunt formulæ commendandi ſui , vel alterius,ſalutandi,excuſandi,operæ deferendæ, hortandi , & ſimiles : tum præſertim inſignes formulæ citandi,laudandi , atque refutandi Aucto-

ris;

ris, ac res Chriſtianas efferendis. Alterum deſtinabis militiæ cum ſingulis hiſce titulis in totidem paginis, Arma, Imperator, Exercitus, Caſtra, Conflictus, Occiſio, Victoria, Arx, eiúſque deſcriptio, munitio, oppugnatio, expugnatio.

Tertium agriculturæ addices. Tituli hi erunt, Ager, aratrum, ſemen, 5.
meſſis. Pomarium & arbores. Hortus, flores, vineæ, paſtoritia vita, armenta, greges, &c.

Quartum morbis, vulneribus, Chirurgicæ, Pharmaceuticæ, Chymicæ, Medicinæ.

Quintum foro; pactis & contractibus, litibus, teſtibus, Iuriſprudentiæ, Iudiciis.

Sextum luculenta orationum artificia complectetur, figuras, inuentiones ad diſpoſitiones ingenioſas.

Caput IV.

Præcipui antiſtites Latini ſermonis; elocutionis lumina, & è re nata, quædam admonitiunculæ de ſtudio poëſeos & linguæ Græcæ.

Gloria Romani Tullius eloquij. Tum Cæſar, Liuius, Saluſtius, Pa- 1.
terculus, Curtius hiſtorici eximij. Columella de re ruſtica elegantiſſimus, Varro de eodem argumento. Cornelius Celſus de re medica cultiſſimus. Iuriſconſulti antiquiores ferè omnes latiniſſimi.

Mapheius ſuperiorum pleriſque ſola antiquitate minor. Cato, ſi quædam obſoleta demas.

Plinij naturalis hiſtoria theſaurus ingens; phraſis tamen interdum ſubobſcura, quia conciſa.

Quintilianus hoc ſaltem ordine inter principes recenſendus.

Medij ſunt, Vegetius de re militari, Vitruuius de architectura, Iuſtinus, Florus, Plinius iunior, Valerius Maximus, Panegyrici ferè omnes.

Senecam philoſophum, Tacitum, ac Suetonium poſtremos, nec ſine cautione legi velim. Terentius, Virgilius, Horatius in odis inter multos poëtas bene Latinos, omni ex parte latiniſſimi.

Paucula de vſu figurarum.

Quò certior eſt manus iaculantium, eò habitus ipſe eſt formoſior: 2.
vt in omni genere armorum nihil rectè cauetur ac petitur, cui non artifex motus adſit. Quint. hoc ipſum planè figuræ conferunt orationi; ſunt enim velut quædam amenta, quibus non ſolùm rationum iacula ornantur, verùm etiã contorquentur meliùs, & grauiores habent emiſſiones, dummodo paucula hæc quæ animaduerto in earũ vſu obſerues.

SSs 2 Primum,

Primum, vt nulli magis addictus videare quàm alteri.

Alterum, vt illuſtres vix in eâdem oratione geminentur.

Tertium, ne captentur, ſed naſcantur; nihil eſt enim quæſito colore ſuſpectius, nihil ineptius, nihil viro indignius.

Quartum, vt totus ſol feneſtris exceptus pluribus præſtinguit oculos; ſic crebriora figurarum lumina officiunt orationi.

De poëſeos ſtudio.

3. Tertiam partem Romani ſermonis, politioris eruditionis, adeóque oratoriæ venuſtatis perituram puto, ſi poëtæ pereant. Tu igitur illis legendis atque imitandis ſeriò animum adiicito; initio quidem dum ſtudes elocutioni oratoriæ, illos niſi ad neceſſarium vſum non attinges, at vbi ſtylum oratorium acquiſieris, poëſi legendæ & ſcribendæ ſex minimùm menſes rectè tribui poſſe ſtatuo.

Terantur autem in primis Ouidius, Claudianus, & Statius, non poëtæ tantùm, ſed (ſi fas eſt cum Ennio loqui) poëtifici. Primus ad facilitatem & ingenium; ſecundus ad elegantiam; tertius ad maieſtatem: omnium autem virtutes mirabiliter complexum Virgilium, totum (ſi me audis) memoria complectêre. Porrò licèt merè poëtica dictio longè alia ſit ab oratoria; tamen non erit abs re in eoſdem communes locos quos ſuperiùs oratorio ſtylo accommodauimus, ea promiſcuè referre, quæ ſunt in poëtica elocutione illuſtria. Habere inſuper debebit candidatus poëſeos peculiarem quaternionem ſelectioribus artificiis poëtarum propriis, eiuſmodi ſunt, Picturæ, vaticinia, ludi, ſomnia, concilia, comparationes & ſimilitudines illuſtriores, narrationes artificioſæ ſuper menſam, v.g. cantatæ à citharœdo, Euocationem vmbrarum, furiarum, rerum fictarum deſcriptiones, vt regiæ Solis; rerum variarum formulæ, prouerbia poëtica, Epigrammatum acumina, ſymbola, Inſcriptiones & alia generis eiuſdem.

De ſtudio linguæ Græcæ.

4. Athenas bonarum artium inuentrices altricéſque ei maturè proficiſcendum cenſeo, qui ſibi Atticos lepores, Atticam venerem, Atticos ſales, Atticam eloquentiam comparare volet. Diſcendæ linguæ Græcæ optima ratio hæc ſemper viſa eſt, vt vbi præcepta mediocriter perceperis, facilem aliquem ſcriptorem, v.g. Iſocratem, vel Xenophontem de inſtitutione Cyri interpreteris, & ſingulas voces ad regularum præſcripta exigas: ita fiet vt phraſim Græcam, quæ eſt non minima pars difficultatis, maximarúmque verborum copiam, ac ipſa etiam præcepta perfectè diſcas. Plurimum quoque proderit habere huius ſtudij ſocium, æmulum, ac doctorem: & initio quidem impendere alacriter totum vnum & alterum menſem huic linguæ; tum deinceps mediam horam minimùm ſingulis diebus; certo autem in hebdomada die ſolidas duas horas partim legendo, partim ſcribendo, audiendóve tribuere, &c.

CAPVT

Capvt V.

Ad excolendam & perficiendam memoriam.

Placita X.

I.

QViſquis orationem in ſuas partes rectè diſtribuerit, vix vnquam labetur memoria in rerum ordine: iudicium enim illico ſententiam ſuggeret; & quia rerum copia verborum generat copiam, ideo rerum & ſententiarum memoria plurimùm iuuatur apta diſpoſitione & ordinato contextu orationis.

II.

Animo affici erga ea quæ diſcere memoriter voles multùm proderit; ideo dictum eſt à Tullio, *Solicitudinem conſeruare integras ſimulacrorum imagines.*

III.

Eâdem cetâ diſcendum eſt, quâ primùm ſcripſeris: ſi tamen ob frequentes lituras eſſet perturbatior, ſecundâ vtere quam tu ipſe manu tua exaraueris: defixa enim fuit inter ſcribendum cogitatio in omnes ferè ſyllabas, quas deinde inter diſcendum ſequitur velut quibuſdam veſtigiis.

IV.

Iuuat apponere quaſdam ad marginem notas partium præcipuarum Indices, quarum recordatio commoneat, & quaſi excitet memoriam: vt anchoram, ſi de re nautica; enſem, ſi de bello agis, &c. multùm enim ſigna faciunt, exempli gratiâ, cùm tranſlatus annulus, vel alligatus, vel pala introrſus obuerſa commonet nos cur id fecerimus. Quintilianum tacitè ediſcere iuuit; pleriſque tamen prodeſt altiori voce, etiam adhibitis geſtibus. Qui alio legente diſcit, tardus eſt: acrior eſt enim oculorum ſenſus, quàm aurium.

V.

Quando bis, aut ter eamdem periodum attentè legeris, auocato animo à conſuetudine oculorum experire memoriam, & ea quæ exciderint ſæpiùs repete, vt altiùs hæreant. Inſuper quoniam ceſſatio & ſomnus memoriam reficiunt, iuuabit ſomno interpoſito eam firmare; maturatur enim & excoquitur: illúdque idem tempus, quod eſſe cauſa ſolet obliuionis, prodeſt memoriæ.

VI.

Hominibus inquietis, & leuibus prudens memoria inſidere non poteſt, quemadmodum nec in profluenti ſigillum imprimi. Quæ apparent in turbatis fluctibus imagines, confuſæ ſunt, & monſtroſè diſtractæ: ſic in ſtultis & perturbatione aliqua iactatis, vel in ediſcentibus interea dum cibus digeritur: acer enim commotæ mentis ardor, & aſpirationes quæ cerebrum opplent, inficiunt lucentis in animo ſpeculi ſplendorem velut importuno anhelitu.

VII.

Deuorare alacriter tædium ſcripta, aut lecta ſæpiùs reuoluendi, & quaſi cibum eumdem remandendi omnino neceſſe eſt: is tamen labor ſubinde leuior fiet. Diſcantur primùm poëtica, deinde ſolutiora contextu & numeris: tum difficillima, quò ſit leuius id ipſum cui præluditur. Sic Athletæ plumbeis ponderibus aſſuefaciunt manus, quibus vacuis & nudis in certamine poſtea vtuntur. Præterea quæ didiceris vt firmiùs hæreant, conſultum fuerit priuſquam in concionem prodeas experiri coram vno, vel pluribus quos reuerearis: nam ſimul experiere Auditorum præſentiâ attentionem excitari, & attentione memoriam.

VIII.

Si cui inter dicendum fallente memoriâ hærere contigerit, ſedatè conquieſcat, ne ex perturbatione maior mentis ſequatur abalienatio; ſecurus chartam in manus ſumat: & ſi interea fuerit in promptu breue aliquod dictum quo è re natâ auditorem alloquatur, tempeſtiuum erit. Quidam hunc in modum excuſauit eiuſmodi defectum. *Gaudio* (Aud.) *viris prudentibus nullum lapſum tolerabiliorem videri quàm memoriæ.*

IX.

Semper placuit illud Stoïci, Certior eſt memoria quæ nullum ſubſidium extra ſe habet. Medicamenta & imagines quæ ad memoriam quam *artificioſam* vocant, præſcribuntur potiones, vnctiones, inſcriptiones, conclauia, cellas, porticus: columnas, intercolumnia & ſexcentas eiuſmodi figuras eo loco habeo, vt putem iis potius animum obrui, quàm iuuari.

X.

Memoriæ oſtentatio vanitas eſt putida & puerilis, & quæ hoc ſolùm conſequitur, vt auditor dicat, *ſæpe memoriam ſtultorum ſolam poſſeſſionem eſſe.* Imò leuis hæſitatio nonnunquam fingenda eſt, vt pendere potiùs videamur à iudicio, eaque dicere quæ internus affectus ſuggerit. Vtrùm autem ad verbum diſcendum ſit dicturis, ſic definio. Adoleſcentibus, vt bene dicere aſſueſcant, omnino operæpretium videtur: *proſpicienti ſenectutem turpe eſt ex commentario ſapere.* Sen.

Capvt VI.

De pronunciantis voce.

I.

Vocis modum neceſſitas ipſa definiet, nimirum loci amplitudo, Auditorum frequentia, tua latera & pectus: tametſi autem exordium ſedatiùs & depreſſiùs pronuntiandum ſit ne lædantur arteriæ, ſi priuſquam leni voce permulſæ ſint, compleantur; tamen adeò demiſsè exordiri, vt à circumfuſa concione exaudiri nequeas, vitium eſt.

II.

In narrationibus fluat plena vox & ſimplex; in certamine vehementiùs intendatur; in amplificationibus pro motuum varietate, nunc flexibilis

xibilis & ſummiſſa, nunc grauis & ſedata, nunc aſpera & vehemens, adeóque etiam crebrá reſpiratione conciſa, nunc hilaris & tenera; nunc hæſitans & abiecta. Tu licèt eius quem dicentem audis linguam neſcias; eius tamen affectus percipies, atque animo indues, ſi voci ſuæ, vt par eſt, moderabitur.

III.

Vocis vitia quæ caueri debent præcipuè hæc ſunt. *Monotonia* & *cantus*, quibus qui laborat, ſuccinentes habebit dormientium Auditorum ronchos, & bombos confabulantium. *Cantu* quidem maximè laboraſſe ſua ætate cauſas omnes & ſcholas Fabius prodidit, addens nihil eſſe vel inutilius, vel fœdius, nihil mouendis affectibus abſurdius: quamuis flexus aliquis vocis & obſcurior modulatio in quarumdam periodorum clauſula admitti poſſit. Cic.

IV.

Vox vltra vires non eſt vrgenda, ne illo niſu ſuffocatâ & eliſâ videare ſtrangulata felis, aut incidas in eam deformitatem quam Græci ab immaturo gallorum cantu κλόσμον vocant. Spiritus nec crebrò receptus concîdat ſententiam; nec eo vſque trahatur, vt deficiens videatur eſſe reſpiratio ſub aqua diu preſſi.

V.

Vtri ſunt inſulſiores? vel qui ſpiritum cum ſtridore per raritatem dentium non recipiunt, ſed reſorbent; vel qui crebro anhelitu, & introrſum etiam clarè ſonante preſſos onere baiulos imitantur. Quod tamen nonnulli affectant tanquam inuentionis copia vrgeantur, maiórque vis eloquentiæ ingruat, quàm quæ faucibus emitti poſſit.

VI.

Clamor inter dicendum nimius & immoderata per vices vocis elatio, quomodo oratorem non dedeceat, & auditorum aures non obtundat; cùm & *boare*, & *latrare*, & *rumpere columnas*, & rerum vænalium præcones agere illi cauſidici dicantur, qui id faciunt? Lucian. Tull. Tertull. Ouid. *In emittenda voce nónne quod præco bene facit, etiamſi clariùs & meliùs efficiat, Senator inſanus eſt?* D. Auguſtinus.

VII.

Perennis ſit oratio, non præceps; non oblimat agros torrens aqua, ſed euertit. Ipſemet Cicero gradarius fuit, non veredarius. Orator, præſertim ſacer, Medicus eſt; in tranſcurſu malè curantur ægri: niſi remedia immorentur, non proſunt: tali verborum cum ſtrepitu ruentium impetu ſolæ imperitorum & inconſultorum aures capi poſſunt: hæc præcipitantia & volubilitas linguæ efficit, vt affectus pereat, & verba ſui aliqua parte fraudentur.

VIII.

Æquè ſtillare oratorē nolo ac currere; nec velocitate obruere aures, nec moleſta tarditate eas extendere; licèt faciliùs inſidat quod expectatur, quàm quod præteruolat. Somnum conciliant qui verba vellunt, & dictantium ſimiles potius videntur, quàm dicentium. Auguſtus facetè dicebat eiuſmodi oratores qui *tractim* dicerent, *habere ingenium in numerato.*

Voci

IX.

Voci officiunt quæcumque pectus, fauces, & ſtomachum malè afficiunt: humor ſerotinus, intempeſtiua ſtatim à cibo declamatio, nocturnæ vigiliæ, antelucanæ lucubrationes immoderatæ, nimia in dicendo contentio, frigidioris aëris afflatus cùm incalueris, duratio in ſudata veſte, aliaque id genus.

X.

Quæcumque verò ſtomachum corroborant & leniunt, ea præſtant bonitatem vocis; pruna dulcia, cremor hordei, oua ſorbilia, nux condita, ambulatio tempeſtiua, ciborum digeſtio, faucium clamore ſauciatarum plaſmare (ſiue illud ſit calidior ſorbitiuncula, ſiue aqua tepida, ſiue medicatum vinum) recreatio. optimè in hanc ſententiam magnus morum & dicendi magiſter Quintilianus, *Vox nec molliatur delitiis, nec imbuatur eâ conſuetudine quæ duratura non ſit. Sed talis ſit eius exercitatio, qualis vſus; nec ſilentio ſubſidat, ſed firmetur conſuetudine, qua difficultas omnis leuatur.*

CAPVT VII.

De pronunciantis geſtu.

I.

I. TOtus homo in capite eſt. Apul. Quapropter ſummopere oratori elaborandum, vt ne quid habeat offenſionis. Erectum dignitatem indicat; rigens & obſtipum, ruſticitatem. Itaque vniuerſim ſic moderandum erit, vt nec videare ſaxeus, nec arguta & mobilis citeria; ſed cum manu & lateribus grauiter, & maturè conſentiat.

II.

Nihil æquè audientiam, nihil æquè beneuolentiam conciliat ac verecundus vultus, præſertim initio orationis. *Multis plus pudor profuit, quàm facundia*, Liu. Pericles veniebat in concionem tanquam in cœtum deorum cœleſtium. Si cui erit inſignis in vultu deformitas quæ riſum, vel horrorem auditori moueat, nullaque poſſit arte emendari, ei auctor ſum vt abſtineat à dicendo, niſi aliis rebus cumulatiſſimè compenſetur.

III.

Oratori ſatagendum eſt, vt frons quæ eſt mentis veſtibulum, dignitatem præferat; eam percutere ad dolorem, pudorem, admirationem ſignificandam, deſitum eſt: aſperata rugis planè eſt indecora, niſi ætas excuſet. Quæ ſudoris guttæ in vultu coaluerint, ita linteolo excipiendæ ſunt, vt venuſtè & quaſi aliud agendo id fiat, nec hæreat oratio proinde.

IV.

Domicilium mentis & nuntij affectuum *oculi* circumferantur grata varietate, & ferè ſequantur manum: ſint in humanitate blandi, in pudore demiſſi, in hortatione graues; flagrantes in iracundia, nunquam

truces,

truces, non vagi tremulíve, in neminem auditorum præcipuè defixi: lacrymæ quas in graui calamitate intimus doloris ſenſus exprimit, quomodo oratorem dedeceant, quæ nec heroas, nec ipſum numen dedecuere? *Imò etiam magna pondera vocis habent.* Supercilia quoque inſeruient motibus animi ſignificandis, ſi explicentur in lætitia, contrahantur in mœrore, in iracundia contorqueantur.

V.

Criſpare nares hiſtrionicum eſt: de nare loqui, licèt id contingat naturæ vitio iis quibus ſpiritus per anguſtiores meatus parciùs emittitur, inſulſum: at ſi cui per negligentiam (vt Telemachus Socrati nutricem optabat) quomodo ferendum? Vaſtior oris diductio fœda eſt, diſtorſio fœdior; nimia compreſſio quæ formandis & liberè emittendis vocibus officiat, abſona ſimul & moleſta.

VI.

Tullium barbam inter dicendum manu contrectare ſolitum Plutarchus ſcribit: at hoc, ex Roſcij præceptionibus, comicum, nec in tanto oratore laudandum. Lacedæmonę ſtudioſi barbæ cultores ingreſſu fori interdicebantur, alienum enim eſt à grauitate oratoris ſtruere vanitati in mento ſuo nidum.

VII.

Λορδοὶ qui ruſticano ſunt corporis ſtatu; *rigidi* qui inflexibiles ſtant, nec vnquam niſi toto corpore circumferuntur; inuenuſtè vacillantes fluentéſque, vel qui humeros inurbanè attollunt, habent plurimum offenſionis. Itaque quamuis trunco ferè immoto flecti debeat caput, ſuæ tamen ſunt & tempeſtiuæ corporis & laterum flexiones. Erectus ſtatus, elegans filum, & liberalis palæſtra corporis valde conciliat auditorem.

VIII.

In geſtu manui dextræ principatus tribuitur; adeóque ſine dextra manca eſt eloquentia: hoc habet inſuper, quòd ſola moueri poſſit, quam prærogatiuam non concedi ſiniſtræ Fabius monet: tamen in auerſionibus, in indignationibus, in contrapoſitis licebit leuiter ſiniſtram ſolam adhibere: licebit & iis oratoribus, quibus ætas, vel dignitas pluſculum auctoritatis conceſſerit. Iunioribus, nunquam. Scæuolæ enim vix putantur liberaliter inſtituti.

IX.

Geſtus vaſtior ne ſit, vel crebrior; quamuis *brachia* dicantur à nonnullis *iacula orationis*, nec circumferantur laxiùs, nec concutiantur, vel moueantur ſubſultim. Crebriùs & vehementiùs manu pulpitum percutere, vel pedibus ſupplodere, bacchantium eſt, vel quorum verba in pugnis ſunt, & Syllogiſmi in calcibus.

X.

Poſtremò meminerit Suadæ alumnus primas, ſecundas, & tertias pronunciationi datas à Demoſthene; à Tullio vocatam *corporis eloquentiam*; & à Fabio dictum, mediocrem orationem com-

mendatam viribus actionis plus habitutam momenti , quàm optimam eâdem illâ deſtitutam , vt confeſſa res eſt, ad perfectam pronunciationem condiſcendam nihil æquè conferre , ac excellentis in hac patte magiſtri , quem ſæpe dicentem audias , exemplum : vtile tamen etiam fuerit legere eos , qui de actione præcepta tradiderunt. id optimè præſtitit Ludouicus Creſolius noſter. tu illum , vti nos fecimus, adito.

F I N I S.

REGIÆ

REGIÆ BIBLIOTHECÆ S. LAVRENTII ESCVRIALIS DESCRIPTIO.

Monitum ad Lectorem.

DE Bibliotheca regia D. Laurentij Eſcurialis paulò diffuſiùs ſcribere molienti viſum eſt non fore omnino abs re, nec Lectori ingratum, ſi præmiſero deſcriptionem totius ædificij, cuius illa è principibus membris vnum eſt. Vidimus quidem totam illam fabricam dignam Rege Catholico, eámque accuratè perſpeximus; verùm 1.

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque tueri;

nec eo tum conſilio ſingula conſiderauimus, vt ea poſtea ſtylo complecteremur. Duos ſcriptores legi qui pro dignitate in hoc argumento verſati ſunt; alter eſt Ioſeph de Siguença Monachus Hieronymianus, qui in hiſtoria ſui Ordinis duobus ferè integris libris, tertio & quarto totam ſtructuram ſermone Hiſpanico ornatè & diligenter perſecutus eſt: alter eſt Ioannes Mariana è Societate Iesv, nulli literato non notus, qui pauculis quidem paginis Latinis, ſed adeò propriè ac eleganter, vt quiſquis ædificium illud viderit, facilè redeat in memoriam præcipuarum eius partium ac ornamentorum; qui verò non viderit, nihilo tamen minus grande aliquid (vti re vera eſt) animo deſcribat, licet multis partibus impar magnificentiæ regij illius operis: dum nos aliquando, Deo bene iuuante, Latino ſtylo, & fortaſſis etiam Gallico, idem Orbis miraculum fusè & ſingillatim expreſſum demus, compendiolum Ioannis Marianæ [a] pro anticipatione eſto.

a l. 1 de Rege & Regis inſtit.

2. *Laudem ædificandi noſtra ætate* Philippvs II. *Hiſpaniæ Rex maximus habeat neceſſe eſt; tum ob alia totâ prouinciâ ædificia, arces, villas ſuperbo ſtructuræ genere, ſed præſertim inſanâ atque regiâ ſubſtructione eius templi quod à* Lavrentio Martyre *nomen habet; cuius ſi formam, ſpatia, partes explicarem, operæpretium me facturum putabam. In parte Segobienſis agri, quà ſe Carpetanis finibus latè infert, pagus antea ignobilis, nunc celeberrimus fama ſitus eſt,* Scorialis *ex eo nomine, quòd iis locis Ferrariam, quales in Hiſpania vbique occurrunt, antiquis temporibus extitiſſe quidam ſuſpicantur. priora eius pagi ædificia rudi opere & malè mate-*

riata erant, nullâ elegantiâ, vt ſolent agricolæ incurioſi ædificandi eſſe, vtilitati magis ſeruire quàm decori. Solum circùm ſterile ac multo impeditum lapide, vix vt currui ſit peruium. vnde maligni prouentus exiſtunt frumenti viníque, pecoris aliquanto maior copia propter pabuli opportunitatem, æſtiuo maximè tempore, præcipuam aëris temperiem, cùm interior prouincia ſolis ardoribus torreatur: præterea ex vicinis montibus perpetua niue rigentibus auræ ſuauiſſimæ frequenter ſpirant, aquæ copioſæ deriuantur, magnum incolis momentum, agriſque vt grata oculis niteant viriditate. Supra eum pagum, ad Occaſum mille circiter paſſus, atque ad radices ardui montis, in reducta valle, loco non omnino plano, ingens moles, ac cui nulla veterum miracula comparentur, impoſita eſt LAVRENTII MARTYRIS *nomine cultúque religioſa, magnis cæmentis ad culmen vſque perducta, quatuor & viginti circiter annorum ſpatio, incredibili ſumptu, & vix fidem facturo ſi ad numerum impenſa referatur: præter variam ſupellectilem, veſtem pretioſam omnifariam, vaſa auro & argento grauia, plena artis, plena ingenij. ſupra millies ducenties ſeſtertiûm, hoc eſt, milliones tres inſumptum atque in relationes relatum fama fert? In quadrum vniuerſa fabrica deſcripta eſt, niſi qua parte ad Ortum Regiæ pars eminet, craticulæ cui* LAVRENTIVS *eſt impoſitus reddendâ ſimilitudine artificioſo commento nobilis Architecti. longitudine à Meridie ad Septentrionem ſeptingentos viginti pedes porrigitur; ab Ortu ad Occaſum quingentos ſeptuaginta menſura vulgari. quatuor turres ad totidem cæli plagas angulos muniunt, ornántque ſpecie eleganti magis quàm minaci, ab imo ad culmen feneſtris pertuſæ, pluribus fortaſſis æquo, hoc alijs etiam partibus contingit; nimirum artis id præcepta exigunt: nos inepti æſtimatores & rudes ex oculis modò de tanti operis elegantia iudicamus. In tres partes vniuerſum opus tribuitur, cœnobium Monachorum ex Hieronymiano Ordine, cuius ſpatijs dimidium ferè vniuerſæ fabricæ ad Auſtrum comprehenditur: ad Septentrionem Muſæum eſt tum iuniorum eius Ordinis Monachorum, tum externorum puerorum, qui regijs ſumptibus delectúque, communi menſa haud pro leui beneficio viuunt, eruditioni deſtinatum. Succedit ad Ortum Regia ſpatijs ampla, Principis æſtiuo tempore domicilium. Templum his ædificijs omni ex parte circumuentum ſurgit ex media area ſuperbo ſtructuræ genere, fornicato opere anguſtum, ſublimius cæteris: medio ſecundùm longitudinem ſpatio, qua mons coniunctus erigitur, ianua pro modo operis inter octo ingentes quidem, ſed ſtructiles columnas panditur: quibus minores quatuor columnæ ſunt impoſitæ, Laurentiique Martyris ex lapide effigies medio interuallo arguta artificis manu perfecta. Ex vtroque latere ſingulæ minores ianuæ in ea fronte eleganti & ipſæ opere cernuntur, vſibus tum cœnobij, tum literarij Collegij ſeruientes: tametſi præcipuus & communis ad vtroſque aditus alia parte eſt. Ianua præcipua veſtibulum iungitur quamuis magnam turbem accipere & reddere idoneum.*

3. *Veſtibulo Bibliotheca impoſita eſt*, de qua ſequentibus capitibus accuratè diſſeretur. *Succedit compluuium pedes ducentos triginta extenſum, latum centum circiter triginta, nullis diſtinctum columnis, nullis eminentibus pergulis, niſi qua parte è regione veſtibuli templo coniuncta porticus eſt: ad quam ſeptem gradibus aſcenditur ex compluuio, ſex columnis nihilominus in porticus fronte erectis, quibus ſex Reges inſiſtunt præ cæteris Iudaicæ gentis pietate, &*

rebus

rebus geſtis clariſſimi, pedum octodecim ſinguli: quorum capita & manus è candido marmore ſunt, corpora è lapide rudiori, ſed diligenter expolito. Sub hac porticu triplex ianua templi patet, atque ab vtriuſque lateris fronte duæ aliæ ianuæ quibus tum ad monaſterium, tum ad Collegium communis aditus eſt: præterea ad læuam minor ianua, quà in regiam ea parte penetratur. Ergo monaſterium in duas æquas partes diuiditur; prior ad Occaſum quatuor periſtyliis conſtat, quæ vſibus domeſticis deſeruiunt pari menſura. media cochlea ab imo ad ſummum pertinet turris ſpecie faſtigio eminens, multis circùm feneſtris accipiendo lumine: quoniam ea parte fontes abluendis Monachorum manibus ſunt, aditúſque ad triclinium multo circùm emblemate, ſed fictili ex argilla cóque minori gratia variatum, maligno lumine quippe ex fronte tantùm gemina feneſtra, neque tum reliqua operis maieſtate conſentiens (ſic nobis quidem eſt viſum.) Parte altera monaſterij, porticibus circumdatum maius periſtylium ad Auſtrum, & Ortum tenditur. parietes marmorato tectos varia pictura exornant Chriſti Dei res geſtas eleganter explicantes. pauimentum vario lapide conſtratum in laqueos artificio diſtinctum, vt ſerendis herbis relinquantur ſpatia viridarij ad inſtar: aqua per tubos irrigua ex medio fonte, cuius ſtructura templi octanguli ſimilitudine eſt, intus vario iaſpide veſtiti, exteriùs rudiori lapide. quatuor labra pari interuallo adiuncta, in quæ aqua ex ſtatuis decurrit, quæ circum eam molem ſunt poſitæ è candido marmore quatuor Euangeliſtarum. Eæ porticus ducendâ pompâ deſeruiunt, cùm è templo egreſſi monachi ianua laterali ſtatis diebus ſupplicationes propitiando numine habent. Variæ circùm cœnationes. exedra vbi domeſticos Monachi conuentus habent. Sed vincit elegantia, & amplitudine ea, vbi ſacræ veſtes ſeruantur, & vaſa ad inſtar ærarij ſacri.

Ex parte altera totius ædificij, primum Collegium ad plagam ſeptentrionalem occurrit, & ad Occaſum Muſis deſtinatum domicilium: & ipſum in quatuor modica periſtylia diſtinctum: gemina Monachis, qui literis dant operam; pueris duo alia data ſunt regio delectu & beneficio in id Collegium cooptatis. Surgit in medio cochlea alterius ad inſtar, coniunctúſque amplius xyſtus ſuſtentatus columnis, ſuſpenſus fornicibus deambulationi deſeruiens commentationique addiſcentium; præterea publicis diſputationibus. 4.

Regia ſupereſt geminâ portâ ad latus ædificij ſeptentrionale patens, ampla ſatis ſpatiis multis circùm cœnationibus, variis cubiculis tum Principis habitationi, quo tempore æſtiuorum causâ loci temperiem ſecutus vrbanos æſtus vitat, tum in regiæ familiæ vſum omni ex parte porticus ſunt ſuſtentatæ columnis, impoſitæ pergulæ. Ex his quæ ad regium conclaue pertinet, eleganti pictura exprimit pugnam, quæ Ioanne II. Caſtellæ Rege cum Mauris ad Granatam commiſſa a ficu nomen habet ex linteo ampliſſimo fortè in turri arcis Segobienſis reperto. quo arguta pictoris manu tendentium ordo, caſtrorum loca, inſolentes eius ætatis veſtes, & arma exprimuntur, grata nobiliſſimæ victoriæ poſteritati memoria. In intima regia ponè templum, ac qua parte ædificium eminere ad Ortum diximus, gynaceum eſt à virorum oculis ſubductum, Regiſque ipſius penitioria cubicula. 5.

Reliquum templum in medio opere medióque ſpatio eminet, & ipſum quadrata forma in tres partes deſcriptum, quæ columnis ex ordine fulciuntur teſtudine impoſita. Duo priores eius anguli totidem turribus muniuntur, quæ nigro tectæ 6.

lapide ſunt, medium faſtigium teſtudinis turris tertiæ ad inſtar, candido lapide nitet, gratum oculis ſpectaculum, præſertim è vicino monte. Additur quadrata area ipſe aditus templi ſpatium inter primas duas turres, cui odeum eſt impoſitum, vbi Monachi noctu atque per diem frequentes cantu diuinas laudes celebrant inſigni apparatu, & cæremonia: vt eſt ea natio hominum præ cæteris in eo genere diligens, & attenta. Sedes è vario ligno Hebeno, Hacana, buxo, Caoba, Cedro, nuce, terebintho ſunt facta eleganter colorum iucunda varietate nigri, rubri, candidi, vndantiſque flaui. In ſumma odei fornice, beatorum ordines & gaudia & ſedes elegantiſſimè ſunt depicta, & ipſæ gratæ admiratione intuentium oculos aptæ detinere. Adduntur quadrato duæ viæ ab vtroque latere ad eas ianuas deſinentes, quibus ex Monaſterij amplo periſtylio, atque ex regia aditus eſt. libera ex omnibus partibus commeandi facultate. E regione præcipuè ianuæ ſacellum maximum araque præcipua obiicitur, quibus perficiendis videatur ars cum natura certaſſe, ſe ipſam viciſſe. Ad aram vario lapide rubro & viridi ſtructam octodecim gradibus aſcenditur nihilominus: quibus infimis Regum buſta ſunt, ſuperiùs parui receſſus quatuor, rubro iaſpide veſtiti vario pauimento; vnde Princeps Sacris operatur ſine principali apparatu, nullo regiæ cortinæ, vti moris eſt, antiſtite. Totius templi pauimentum ac ſacelli præcipuè teſſelato opere lapides, vario colore atque in laqueos eleganter diſpoſiti exornant. Quod præcipuum eſt, & maximum operis miraculum, & maiori eſſet eloquentia explicandum, ne tenuitate ingenij perderet gratiam, ſuggeſtus imaginum aræ impoſitus, columnis octodecim haud exiguis continetur, è rubro, ſeu fuluo lapide, venis candidis, notis flauis, quæ columnæ in quatuor ordines diſpoſitæ in hunc modum ſunt. Senæ columnæ in primo & ſecundo ordine cernuntur, in tertio quatuor: in ſummo faſtigio Chriſti Dei Cruci affixi effigiem duæ columnæ complectuntur ex eadem materia viridique lapide receſſus, & ſcaphæ accipiendis ſtatuis: triglyphi, proiecturæ, tæniæ, metopæque ſunt ſuis ſingulæ locis aptæ in ſpeciem frontis, elegantis ædificij omnibus numeris ſeruatis. Media ſpatia area Diuorum ſtatuæ auro inductæ, aut elegantiſſimæ tabulæ implent. Atque in imo opere geminum Sacrarium templi ad inſtar fornicati alterum in altero vbi Chriſti corpus in achate includitur, Iacobi Trezzi Itali nobiliſſimi ſtatuarij, atque cum antiquis comparandi marmora dolandi ſcientiâ opus præclarum. De quo plura dicere religio prohibet, ne elegantiam artificij culpa ingenij deterere videamus. Sed maius tamen Sacrarium rotunda forma altitudine pedum ſedecim, varij iaſpides de aurato ære vincti conſtituũt. ambiunt octo columnæ ex fuluo lapide, venis albis, notis rubris diſtinctæ, adamante ob duritiem dolatæ, duodecim area Apoſtolorum ſtatuæ apto ordine auro inductæ in ſummo faſtigio globi forma iaſpis collucet ſemipedali ferè magnitudine. Minus Sacrarium iaſpis item, ſed auro & argento incluſus componit, ſmaragdus diſtinguit, atque in culmine eminet nuci par; claudit fornicem topacius. vincitur tamen materiæ nobilitas, & pretium, ceditque arti. Vtriuſque tabernaculi ianua è cryſtallo eſt. interiorem etiam artem & elegantiam oculis repræſentans. Multa circum Altaria, omnino ad octo & triginta cæleſtium nominibus erecta, tabulis conſpicua excellentium artificum illuſtria monumenta, ex Hiſpania, Gallia, atque Italia, noſtræ & prioris ætatis. Quod caput eſt cæleſtium exuuiis, quæ ex omnibus locis eò quaſi ad præſidium confugerunt, incredibili numero, & ſanctitate, religione plenus, locus plenus numine eſt. Philippi Regis pietatem omnibus ſæculis prædicandam. Iis exuuiis

cineribúſque

cineribúſque cultu religioſo conſeruandis, gemina Sacraria ſunt deſtinata duorum laterum templi vtrumque caput. Sed finis dicendi eſto.

Vniuerſum opus ex quadrato lapide eſt, ſimplici tamen atque rudi maiori ex parte, minuendo ſumptu, feſtinanda fabrica prudenter excogitata ratio, tribus ferè cœnaculis ſublatum, plumbo & nigro lapide tectum. Ad Auſtrum & Ortum viridario cingitur herbis odoratis, atque floribus in ordinem apta menſura diſpoſitis areis: ſub quo maiora ſpatia ſerendis arboribus perpetuus murus, & humilior includit. Ad Occaſum atque Septentrionem platea ambit conſtrata lapide haud anguſta, nimirum ad Septentrionem centum quadraginta pedes latitudine patet, ad Occaſum quà præcipuus aditus panditur, prorſus ducentos menſura vulgari. Multa alia ædificia adiuncta ſunt in iuſti oppidi modum, de quibus dicere nihil attinet. Sed vnde tamen ad veterem pagum via molliter decliuis ducit, ab vtroque latere vlmorum duplici ordine conſita, qui prohibeant Solis radios per æſtatem, ad maiorem commeandi facultatem vtrinque in alteram partem. Hactenus Ioannes Mariana. Nos noſtro ſtylo Regiæ Bibliothecæ deſcriptionem ex ſuprà laudati ſodalis Hieronymiani Hiſpanicis commentariis attexamus. 7.

CAPVT I.

Sciographia primarij membri, & pluteorum materies, forma, genus librorum.

TRia in membra diuiditur Regia Bibliotheca S. Laurentij Eſcurialis: præcipuum & princeps centum octoginta quinque pedum lõgitudine, latitudine triginta duûm. Duobus arcubus velut intergerinis trifariam in longum diuiſum eſt, vt altitudo quæ eſt pedum triginta quatuor à ſolo vſque ad ſummum fornicem reſpondeat aliis dimenſionibus iuſtâ proportione. Ad Orientem decem feneſtris ſpectat, quarum quinque inferiores ampliores ſunt, vitreis ſpecularibus, & idoneis loricis inſtructæ, latitudinis pedum ſex, altitudinis octo, introrſus ad commodiorem lucis exceptionem diductiores; ſuperiores ſilẽtibus è vitro clauſtris ſemper occluſæ. Ad Occidentem ſeptenis luminibus perforatur pauimento marmoreis rhombis oxigoniis fuluis & candidis pulcherrimè ſtrato impoſitus eſt ſtereobates ex politiſſimo & ſpeculari iaſpide miniato totum loci ambitum complectens, præterquam ad feneſtras: hoc podiolo nituntur librorum armaria opere architecturæ tam eleganti, quale vix vllibi repereris. Olim ſingulis eximiis & pretioſioribus libris recondendis fiebant capſulæ ex cupreſſu, aut cedro; hîc vniuerſorum voluminum plutei ſunt de lignis Indicis exquiſitiſſimis: vnum *Cahoua* vocant vtroque genere illius arboris, mare ſcilicet & fœmina hîc venuſtiſſimè copulato, color eſt ſubrubeus: alterum *Acana* nominant caſtanei coloris floridioris, & veluti ſanguinei; tum hebenus, cedrus, citrus, terebinthus, nux inter ſe contexta opus doricum efficiunt elegantiâ mirabili: ex iaſpideo mæniano exurgunt ſtylobatæ columnatum cum baſibus & capitulis; ſtylobatarum vmbilicis alia materies diſtincta

1. Ioſephus de Siguença ſtatuens pedes 194. numerat ab oſtiis Minorum clauſtrorum.

diſtincta opere quadrato inſeritur trinis in frontibus; ipſa verò ſtylobatæ moles & corpus, torus vterque, ſcotia, quadra apophygis, atque aliæ partes iucundam varietatem intuentibus exhibent: inter iaſpideum fulcimentum, & tabulam impoſitam ſtylobati, pluteum aliquâ diſtantiâ interiicitur excipiendis libris decumanis: ſupra tabulam nuceam (quod genus ligni haud facilè fatiſcit, & hoc habet præterea, vt affrictu veſtium, & manuum contactu ſplendeſcat magis) alius diuerſæ materiæ teſſelatus ſtereobates impoſitus eſt, cui incumbit columnæ baſis. A tabula vſque ad inferiorem columnæ ſcapum, aliud vacuum quod occludi poteſt, & recludi ianuâ in ſubiectam menſulam percommodè cadente: hic alius ordo librorum dodrantalium, quos in quarto dicimus: ſolus columnæ truncus abſque ſpira & plintho eſt ſenûm pedum circiter; ab ſummo ad imum orbiculatim ſtriatus à paraſtadis, ſeu pilis adapactis (quas *pilaſtros* vocant) ſeiunctus; materies *Cahoua.* Baſis cum capitulo citrea ſunt, quæ res, ſi craſſitiem ſpectas, omnino rara eſt, atque haud exigui pretij: tot enim & tantas citros, tantis & tam multis columnis cædi oportuit, quot & quantas vix credas poſſe inueniri: nihilominus hoc habet incommodi hæc materies, quòd paſſim hiet & ſtringatur pro cœli mutatione; adeò intereſt noſſe cui ſingula loco & regioni conueniant: eadem eſt adpactarum materia. Ab hoc loculamento ad ſummum capitellum locus eſt trino ordini librorum, qui cum duobus ſuperiùs recenſitis quina voluminum repoſitoria, & velut contignationes, ſiue contabulationes in ſingula Armaria conſtituunt. Coronidem, cymatium vtrũque, ſuperum & inferum, coronidis coronam nobilitat eadem lignorum diuerſitas hinc rubens, hinc nitens, hinc nigreſcens, hinc purpuraſcens, hinc pretioſis maculis in vortices ſparſis, in fibras criſpulis, in grana congeſtis, in lineas virgatis, in pauoninos oculos pictis: triglyphi & guttæ ſimiliter ex citro: pro faſtigio elegans zophorus cum ſuis denticulis, encarpis, aliiſque ſchematis: acroteria cum impoſitis pilis, prout architecturæ ratio poſtulat, item è ſunt ex malo medica ſingularum partium inter ſe reſponſu quamacuratiſſimo. Totius lignarij operis altitudo eſt pedum quindecim: in gemina facie tres ex eadem materia ianuæ cum liminibus, antis, & reliquo inſtructu diuidendis ab inuicem pluteis, totius fabricæ pulcherrimo aſpectu: inde versùs cœlum ædificij vſque ad eam coronidem quæ totum conclaue ambit infrà ſuperiores feneſtras ad primam fornicis curuaturam, ſiue ad ſummam incumbam hemiſpherij, pedum octo interuallum relictum eſt, & pictum illis imaginibus, de quibus ſuo loco poſtea. Coronis auro inducta, ductibus ſuboſcuris, tam artificioſo receſſu, vt topia eminere putes.

2. Quod attinet ad libros huius membri Bibliothecæ, nulli alij ſunt præterquam Hebræi, Græci, & Latini prælis typicis excuſi: voluminum, ſiue tomorum numerus ſeptem circiter millia; auctorum verò amplius nouem millia. nam vt plures Auctores quidam tomi ſimul comprehenderent, elegantiæ ac proportionis cura & ſtudium effecit; nulli plutei, aut nidi vacui. concinnatio, & compactio librorum plana, ex aluta viculina miniata; extimus margo, ſiue ſectura deaurata; adſtrictorij vncini

nulli,

nulli; neque enim id opus eſt erecto ſitu poſitis, robuſtiore macrocolo inſtructis,& ſatis arctè inter ſe iunctis compreſsíſque:facies illa ſectionis inauratæ introrſus oculis ſpectantium obuerſa eſt: adſpectus ſanè pulcherrimus,& voluptas ingens; quocumque enim te conuertas,nihil à ſolo ad cœlum huius Muſei obuerſatur, niſi ſumptuoſa & magnifica operis inteſtini toreutice ex pretioſa materia verſicolori,aureæ frontes voluminum,cœlúmque ac parietes elegantiſſimè picti, de qua pictura duobus ſequentibus capitibus dicturus ſum.

CAPVT II.

Pictura à coronide ad faſtigium Bibliothecæ.

INtermedium ſpatium inter coronidem & fornicem, ipsúmque etiam fornicem pinxit Peregrinus Peregrini,qui quidem licèt paſſim Banaroti ſe diſcipulum profitetur in præclaris illis operibus quæ Mediolani,Bononiæ,& Romæ reliquit; hîc tamen in difficili illo genere (quod *inacceſſum* vocant)de artis præſtantia cum Magiſtro contendit.In gemina area ſupra coronidis faſtigium pictæ ſunt ſciẽtiarum principes *Philoſophia* & *Theologia*; illa humanarum, hæc diuinarum præſes: illam versùs Collegium,hanc Monaſterium versùs poni placuit: licèt enim vtraque diſcatur in Collegio; conuenientius tamen fuit Philoſophiam Collegio applicuiſſe, eo quòd ea ſit velut ianua quâ adoleſcentes ad reliquas facultates eunt, qui tum deinde ſuauiſſimos Theologiæ fructus percipiunt,cùm expediti diſputationum tricis,& contentionibus, atque in viros tranſcripti,ex puluere Academico ſeceſſere in cellarum ſuarum ſolitudinem, vbi literario & religioſo otio placidè & ſanctè indulgent. Philoſophia matronæ habitu expreſſa eſt, ſummâ grauitate oris, ſummáque formæ elegantiâ: Terræ globum, quem ante ſe manu tenet, digito indicat *Socrati,Platoni,Ariſtoteli, & Senecæ* ſibi laterariis: hæ figuræ triplo ferè maiores ſunt humana; tantáque arte, & ſymmetria in recenti albario perfectæ,vt procul aduersâ portâ intrantibus adſtare propè videantur ac penè contingi manu poſſe. huic humanarum diſciplinarum matri comites additæ opportunis locis & ſedibus tres perficiendi ſermonis & rectæ ratiocinationis artifices *Grammatica,Rhetorica,& Dialectica*: area fornicis reſerata & aperta fingitur, per quam liber ſit in cœlum proſpectus, & cernatur nubibus inſidens Grammatica vultu ad grauitatem compoſito, altera manu tenens herbas & flores coronarios iam in ſertum textos, alterâ ferulam & ſcuticam;verùm vtramque tanquam in receſſu, & quaſi ſubductam oculis adſtantium adoleſcentulorum,qui non minus ſpectantium oculos tenent ob picturæ excellentiam & argutias,quàm libellos ſuos, calamos, & reliquum inſtrumentum,habitu & geſtu nauiter diſcentium, ſuámque diligentiam ei, cui penſum perſoluendum eſt, probare ſatagentium.Adumbratam illam tecti fabricam lapideam quatuor robuſti iuuenes paulo grandiores humana ſtatura alij humeris,alij capite ſuſten- 1.

tant ſummo niſu, quia ſentiunt pondus; imò & læduntur atque obteruntur, licèt prouidè puluillos interpoſuerint ad excipiendam molliùs tantam molem. hîc habent picturæ ſtudioſi quod imitentur ſimul ac ſuſpiciant. Similiter ad cuneata hemiſphæria ſuperiorum feneſtrarum vtrâque ex parte conclauis diductio & apertura eſt, quâ cœlum à pictore proſpectui datur, adoleſcentibus pariter humeros non ſine conniſu oneri ſupponentibus, puluillorum ac veſtium ſinibus & rugis, ac vario corporum ſtatu, flexu, actu, oris contorſione atque anhelitu tam ſolerter & accuratè expreſſis, vt hæc omnia vera putes, non vero ſimilia. Per labem illam ſpecularem apparent arguto volatu labentes Angeli, manibus geſtantes ſymbola earum facultatum, quibus ſinguli comitantur, & præſunt. Quid multa? Adeò abſolutum eſt hoc opus *Peregrini*, vt nihil artifex minus videatur quàm in pictura Peregrinus, ac quiuis ei potius inuiſurus ſit, quàm eum imitaturus; Bonarotum non excipio, qui ſe hac in parte victum à diſcipulo fateatur neceſſe eſt: licèt enim Peregrinus multus ſit in corporum artibus exprimendis, atque admodum accuratus & felix; ita tamen pudori ac verecundiæ ab eo conſultum eſt, vt vix vllus in ea intuens erubeſcat; quod Michaël Angelus Bonarotus in ſua iudicij tabula minimè obſeruauit.

2. Ad ſingula latera ſuperiorum feneſtrarum Orientem & Occidentem verſùs ſupra coronidem, adſiſtunt diſciplinarum principes tanquam aſſeclæ honorarij illius ſcientiæ cui ſe præcipuè addixerunt: vni feneſtræ ad Occaſum hinc inde aſſident duo inſignes Grammatici, *M. Varro*, & *Feſtus*, ſiue *Sextus Pompeius*: è regione ad Ortum, duo memorabiles *Ælij. Ælius Donatus*, & *Ælius Auguſtinus Nebriſſenſis* parens bonarum literarum in Hiſpania: at, ne quis, amabo, humiliùs de illis ſentiat, quòd eos Grammaticorum principes voco; hanc enim artem ſic comprehenderunt, vt in aliis quoque ſcientiis excelluerint: quod præſertim dictum eſto de *M. Terentio Varrone* Romanorum doctiſſimo helluone librorum inexplebili, & ſcriptore omniſcio; itémque de *Auguſtino Nebriſſenſi*, homine in ſacris ſimul, & prophanis literis, necnon in tribus principibus linguis verſatiſſimo. Inter iſtam faſciam quæ quadrum iſtud à ſecundo infornice diuidit dedicatum Rhetoricæ, interuallum relinquitur intercolumniis reſpondens, vbi ſuas pictor exerrationes, parerga, vigilantis ſomnia, architecturæ fragmenta, ædiculas, topographias, omnia ex opticæ legibus ſcitiſſimè propoſuit.

3. Spectantur in vtroque extremo inſignes duo ſcriptores vtriuſque hiſtoriæ Moralis, & Naturalis, hinc *Plinius*, hinc *Titus Liuius*. Plinio adiacent eius argumenti de quo ſcripſit illuſtriora quædam ſpecimina, Leones, Equi, Elephanti. Sequentem aream occupat Rhetorica heroinæ ſpecie, Reginæ mundo & choragio, dextrâ caduceum geſtans, adoleſcentulorum libros geſtantium choro ſtipata, qui in vultu, geſtu, penè etiam dixi, motu & voce ſpirare videntur fucatam vernilitatem, atque intuenti merum facere, ne circumſcribatur. Laterarium habet Rhetorica Leonem ſymbolum eloquentiæ, quæ feras ipſas manſuefacit; eam officioſè affectantur quatuor dicendi Principes, & Magiſtri, *Iſocrates* & *Demoſthenes* Græci; *M.T. Cicero* Italus, *Fabius Quintilianus* Hiſpanus:

areæm

aream hanc faſcia excipit ludicro miſcellæ picturæ genere amœniſſima.

Ex ſolo huius membri erectus eſt arcus quo iſtius ædis primum veluti puluinar conſtituitur, quæ ideo (vti ſuprà monuimus) ſic trifariam diuiſa eſt, vt latitudo & altitudo longitudini reſponderent ex norma legitimæ proportionis. hæc ſtela proiicitur extra parietem pedes binos ſeſqui; laterarias eius facies varia deſcriptio & concinna multiplicium figurarum ex opticæ placitis delineatio bellè diſtinguit, marginum circumductio, ſcaphia, ſeu vmbilici, circumiectus limborum. concauam verò ſuperficiem plurimæ picturæ cõmentitiæ blando aſpectu, & icones orbiculatæ adornant. Supra coronidem quæ ſubiicitur primæ curuaturæ fornicis in pictis mutulis, geminas hinc inde concharum cellulas occupant duo Poëtarum Genij, *Homerus*, & *Virgilius*, illius cæcitas ex oculorum vitio, ex incerto manuum proiectu & dubio greſſu clariſſimè ſe prodit. Pone illos in altero intercolumnio quod naſcitur ex binis aliis frontibus, quæ ſimiles ſunt illis in quibus Plinium & Liuium eſſe diximus, habes quædam ludicra eiuſdem generis inſatiabili veſtium & topiorum atque architecturæ varietate: in iis poſiti ſunt duo Lyricorum Principes, *Pindarus*, & *Horatius* lauro coronati; ſicut proximè ſuperioris heroici frater Ioſephus de Siguença refert non defuiſſe Ariſtarchos, qui feſtiuam hanc amœnitatem & prophanæ literaturæ reliquiaś pronuntiauerint haud ſatis conuenienter illata eſſe in hoc Chriſtianorum Muſeum, adeóque in ædem vitam monaſticam profitentium: verùm id ſanè perperam: meminiſſe deberent cenſores plus æquo ſeueri, conclaue hoc non Monachorũ tantùm, verùm etiam omnium promiſcuè ingeniorum receptum eſſe, nec vllo modo abſurdum videri, hîc eſſe coloribus expreſſa eorum corpora, qui ſuarum mentium & ingeniorum effigiem in librorum ſuorum monumentis hîc reliquerunt. 4.

In tertia primaria huius ædis parte Dialectica incolit, vaſtâ quidem corporea magnitudinis proceritate, atque vulgarem hominum ſtaturam multùm excedente, tamen (quod in tanta mole difficile eſt) pulchritudine eximiâ & rarâ dignitate oris: alteram manum contractam, alteram explicatam prætendit vulgati ſymbolo diffuſioris & preſſioris ratiocinationis: lunæ imago coronæ inſtar adpingitur; ſymbolum illius generis argumentationis quæ vtrinque premit, pungítque: eam Græci dilemma, Latini cornutum ſyllogiſmum vocant: ſuo quoque adoleſcentulorum comitatus ſtipatur, quos item pictor penè cum voce, penè cum motu, nec minore artificio quàm ſuperiores dedit varietate mirabili, tum in vultuum lineamentis, tum in membrorum conformationibus, & totius corporis palæſtra; argumento fœcunditatis ingenij quæ eſt in artifice, & ſummæ intentionis artis. Honorarij comites ſunt hinc *Meliſſus*, & *Zeno*, illinc *Protagoras*, & *Origenes*; non quòd cauillationes ſophiſticæ conſecrentur in Protagora in hoc loco; minimè verò; ſed quia eas nec ignorari expediat ad cautionem. Origenes autem iſte fuit antiquus quidam philoſophus diligenter verſatus in ſcribendis præceptionibus dia- 5.

lecticis, alius à Chriſtiano qui *Calcenterus*, hoc eſt, adamantius dictus eſt.

6. In quatuor deſcriptionibus & camillis amplitudine & pulchritudine inter ſe pari, quæ in fornice ſuperſunt, ſecuntur quatuor præcipuę partes illius Philoſophiæ quam *Matheſim* appellamus, *Arithmetica, Muſica*; tum *Geometria & Aſtrologia*, eâ compoſitione, ordine, pompâ, & apparatu quæ ſingulas decet. Aſtrologiam loco *perſpicatiuæ* quæ Geometriæ coniunctor eſt & ſubalterna deſignator huius Muſei (puto) ſubſtituit, quia Aſtrologia plauſibilior eſt, nobilior atque auguſtior. Vnicuique facultati ſui aſſeclæ tum ex antiquis, tum ex recentioribus: *Architas Tarentinus, Pythagoras, Xenocrates, Iordanes, Ioannes à Sacroboſco, Ioannes de Monte Regio, Apollo, Orpheus, Amphion, Tubalcain, Boëtius Seuerinus, Ptolemæus, Alphonſus Aragonius*. hæc via, hîc ad Theologiam progreſſus. Ea Monaſterium versùs auguſtâ maieſtate ſedet in ſolio intra magnificam fabricam ſacræ cuiuſdam ædis quæ hieroglyphicum eſt Eccleſiæ Catholicæ, in qua Theologia præſertim dominatur. Puella eſt præcelſæ magnitudinis, ſummâ vultus dignitate & flore coloris eximio; vtpote quòd diuina hæc diſciplina expers ſit omnis corruptionis, omnis maculæ, omnium rugarum, omnis ſenij: emicat ex eius vultu diuinus quidam ſplendor, cuius radiis ſuſtinetur imminens auguſto capiti corona, argumentum diuinæ facultatis & opis, & luminis diuinitus immiſſi quo vno fulcitur fides. Stipatores laterum ſuorum habet quatuor ſanctiſſimos Doctores Eccleſiæ Latinæ, *Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium*, meram ſanctitatem, grauitatem, atque ſapientiam humanâ ſubliniorem ſpirantes. Indice dexteræ manus ſacrorum Bibliorum codicem illis monſtrat, tanquam glorioſum laborum ſtadium, quod decurrant; aut penſum in quod continuò incumbant; vel pharetram vnde ſagittas contra vitia, & contra fatalem ignorantiam promant.; vel tanquam cœleſte illud volumen, quod noctu diúque terere, imò mandere, ac pectori ſuo inſerere debent.

Capvt III.

Picturæ infra coronidem.

1. HActenus de deſcriptione, membris, ſolo, loculamentis, pluteis, & de pictura à coronide ad faſtigium huius ædis Muſarum: nunc videndum quid infra ſingula quadra reſpondeat: id vt rectè atque ordine procederet, cautio fuit. Infra Philoſophiæ domicilium & ſedem poſita ſunt duo ſuggeſta, ſeu cathedræ, *Zenoni* ſtoicæ ſectæ auctori altera, altera Socrati Academicorum Principi: infra Grammaticam geminæ item hiſtoriæ expreſſæ ſunt. Babylonicæ Turris ædificatio maximo latomorum feruore & ſtrepitu, vi & numero machinarum, tignis tractoriis, contabulationibus, & reliquo ſtructuræ muralis inſtrumento, ac ſtrenuè ædificantium contentione: inuentum ſanè conueniens ad ſignificandam Grãmaticæ neceſſitatem, quandoquidem

linguarum

linguarum varietas ex inſana illa ſubſtructionis mole originem duxit, indéque ſimul ortæ in alienis linguis perdiſcendis laborum Iliades, & propè ineluctabiles moleſtiæ. Ex altera parte conſpicitur Grammaticæ gymnaſium ab orbe condito primum, quoad annalium memoriam altiſſimè repetere poſſumus, in quo Nabuchodonoſoris Regis Babyloniæ iuſſu plurimi adoleſcentes indigenæ, adeóque etiam ex captiuis Hebræis non pauci Ægyptias literas & ſcientias condiſcerent, ſimúlque linguam Chaldaicam, quemadmodum Daniel ex eo cœtu vnus, idémque harum rerum ſcriptor teſtatum reliquit in ſacris ſuis monumentis:bellè id quidem pictum vti cætera,ſed etiam admodum appoſitè.Nam & Philippus II. regiâ magnificentiâ quinquaginta pueris humanas literas docendis, atque ad veram pietatem inſtituendis ſeminarium hoc ipſo in loco inſtruxit,dotauitque.

Rhetorica infra ſe habet *C.Rabirium* reum perduellionis ereptum ex iudicum ſeueritate, ac tantùm non ſubductum ſecuri, Ciceronianæ eloquentię viribus,diſrupta vincula fluũt ex Rabirij manibus,ſimúlque hauddubiè Tullij vocem audires, ſi quemadmodum eius orantis geſtum,ſpiritus, & contentionem pictor penicillo expreſſit, ita etiam ei linguam date potuiſſet. Alterum quo ſignificatur vis eloquentiæ commentitium quidem, nihilominus ſenſu plenum,eſt tritus ille *Hercules* Luciani, vulgò *Gallicus* dictus;heros crudâ & viridi ſenecta leoninum exuuium & clauam ferens,eo geſtu, vt progredi videatur, facie tamen in humerum conuerſa ad numeroſam multitudinem, quæ tracta auribus ſubſequitur; cauſa verò ſequendi ſunt catenulæ quædam aureæ fluentes ex ore præeuntis. Clarius eſt emblema, quàm vt noſtra luce indigeat. 2.

Dialecticæ ſubeſt Zeno ille Eleates,quem Ariſtoteles Logicæ inuentorem facit:exhibetur velut choragus turbæ iuuenum geminas eis portas indicans, quarum ſingulis ſuum lemma inſcriptum eſt, alteri hæc vox *veritas*,alteri *falſitas*; quaſi Dialecticæ proprium ſit in veritatem ſimul & falſitatem digitum intendere;illam vt ſequare, ab hac vt caueas. Quod deinde adpictum eſt, fabulare ſit néene, non diſputo. Occaſio eius pingendi fuit vetus illud quod D.Ambroſium retuliſſe in litanias memorant; *A Logica Auguſtini libera nos Domine*: itaque pingi placuit Diuos Ambroſium,& Auguſtinum diſputantes, Monicam verò ſanctiſſimam fœminam ſupplicantem diuino numini, ne Auguſtini filij Logica veritatem ementiatur,aut eludat. 3.

Arithmeticæ dignitatem commendant hinc Rex Salomon è menſa in qua magnificè ſedet reſpondens interroganti Reginæ Saba, & propoſita ænigmata diſſoluens: ſupra menſam libra,regula, atque abacus Arithmeticus; in deciduo ſtraguli menſæ, hæc inſcriptio, In numero, pondere,& menſura. 4. Sap.11.v.21.

Ad aliud latus plurimi Gymnoſophiſtæ,quorum Philoſophia multa eſt in numeris, intenti omnes oculiſque humi defixis figuras in puluere deſcribunt:dum per triangulum erectum traiecti pares, atque impares numeri, ac certa inter ſe proportione temperati, animarum virtutes, proprietates ac naturam arcanâ quadam ratione conſtituunt. 5.

6. In Muſicæ commendationem ars etiam, & eruditio pulchrè conſenſerunt: hinc Dauid citharæ cantu tartaream Saulis Regis triſtitiam diſcutiens: illinc Orpheus lyræ concentu Eurydicem ab inferis reuocans: quantum profuerit penicillo argumentum, quantum penicillus argumento contulerit, quantum luminis & eminentiæ, quantum receſſus & vmbrarum, quantum horroris & hilaritatis, hæc pictura præ ſe ferat, haud facilè animo concipiet qui eam oculis non viderit, diúque conſiderauerit: habet ſopitus trifaux Cerberus, habet antrum ignes phlegetontios euomens, habent horti Elyſij, habet fidibus canens lyricen, habet emergens è mortis faucibus Euridice quod pauidus, quod ſecurus, quod mirabundus ſpectes, diſcas, imitere, auſim dicere, quod audias.

7. Non inferiore artificio pictor præpoſuit ſapientes Ægyptios, qui in ſequenti area Geometriæ conſecratę neſcio quæ ſchemata in ſolo exarant tanta attentione, vt hiſcere metuas ne illos interpelles: ſimúlque Archimedem fecit eidem ſtudio addictum, quem memoriæ proditum eſt, captis Syracuſis diſcurrente, & cum maximo tumultu vrbem diripiente Romano, intentum formis quas in puluere deſcripſerat, ab ignaro milite quis eſſet interfectus, ægrè id Marcellum tuliſſe, ſepulturæ curam habitam, & propinquis etiam inquiſitis honori præſidióque nomen, & memoriam fuiſſe.

8. Verùm viſus eſt pictor omnem ſuam artem & ingenium contuliſſe in gratiam Aſtrologiæ: nam inſignem & prodigioſam illam defectionem Solis, quę Chriſto vindice humani generis moriente contigit, adeò ſcitè expreſſit; ita ſubluſtres illas tenebras, ita dubiam & caliginoſam lucem pinxit, ita obduxit atra nocte terrámque polúmque, ac ſolem ipſum obſcurauit, vt nequaquam mirere ſi *D. Dionyſius Areopagita*, & *Apollophanes* ibi ſtent rei nouitate & prodigio obſtupefactis atque attonitis ſimiles: proximè illos eſt receſſus Solis teſtimonium moribundo Ezechiæ Regi diuturnioris vitæ diuinitus ipſi conceſſæ.

9. Et quoniam gemina hæc hiſtoria Theologica eſt; agedum, adſcribamus hîc aliquid item ſacrum, quod è regione ſcholæ Athenienſis ſubter eamdem hiſtoriam obiicitur. Eſt magna Synodus Nicæna, & auguſtus conſeſſus trecentorum decem & octo Patrum, quorum plerique in cauſa orthodoxæ fidei grauia tormenta conſtantiſſimè pertulerant, ac fuderant ſanguinem. Duo ſunt hîc præſertim quæ oculos & mentem tenent: *Magnus Conſtantinus* ſedens in humiliore ſella quàm Epiſcopi, locóque diuiſus ab iis quos tanquam Dei Opt. Max. Vicarios venerabatur; idémque in ignem coniiciens quorumdam Patrum accuſationes, negans haud alterius iuriſdictionis eſſe quàm Dei, cognoſcere de Sacerdotum vita & moribus. Tum Arius perculſus Patrum ſententiis cum ſella reſupinus, ac furioſo ſimilis, & ſui rabidè impotens.

CAPVT

Caput IV.

Deſcriptio ſecundi conclauis in quo ſunt libri vulgarium linguarum ; & tertij, vbi Codices MSti aſſeruantur.

NE quidquam officeret huius Bibliothecæ luci, hilaritati, maieſtati, non potuit eſſe pluribus libris locus, quàm ſeptem voluminum millibus, vti capite primo monuimus. Septenis feneſtris amplioribus ab Occidente lumen capit, ab Ortu quinis intra eamdem diſtantiam, licèt extrorſum patentioribus ; & quoniam inter ſingula armaria ſitæ ſunt, non exiguum ſpatium libris deceſſit: item quatuor paraſtades quibus conclaue tripartitò diuiditur, locum quatuor armariis ademerunt: inſuper armariorum columnæ rotundæ cum antis compactilibus retrò ad architecturæ ſymmetriam appoſitis magnitudinis iuſtæ eximunt aliquid vacui ; quæ omnia ampliùs ter mille forulos librorum occupant : idcirco neceſſe fuit aliunde has Bibliothecæ anguſtias ſupplere: id porrò factum eſt duobus aliis conclauibus, quorum alterum primariæ Bibliothecæ longitudinem ac latitudinem ex æquo deſcribit, éſtque ſtega, ſiue tabulatum ſuperius tam elegans, vt qui primò illud viderit, vix quidquam aliud deſideret. Librorum repoſitoria ſunt ex pinu affabrè laborata, columnæ atticæ, hoc eſt, quadratæ: varia materies tam ſolerter penicillo expreſſa, vt natiua res inuideat imitationi libri digeſti in forulos quadruplici ordine & contabulatione erecti frontibus inaurati, eodem prorſus compactionis modo, de quo ſuperiùs ; idem numerus feneſtrarum ſi è mediis vnam exceperis, vbi ſita eſt ſolidæ molis effigies totius Baſilicæ Patroni D. Laurentij ex veſtibulo primariæ portæ totius ædificij huc tranſlata : ſupra loculamenta eminent affixæ parieti iconicæ imagines Summorum Pontificum, & multarum perſonarum ſingularis ſanctitatis & doctrinæ, adeò indiſcreta ſimilitudine cum prototypis, vt cum illis miſcere ſermonem poſſis, nedum optes. Non deſunt globi, ſphæræ, tabulæ coſmographicæ omnis generis, Aſtrolabia metallica particularia, catholica, nonnulla ipſius Gemmæ Friſij manu, alia Petri Appiani, alia aliorum inſignium artificum; annuli, armillæ variæ, & plurima ſupellex eiuſdem rationis, bene multæ geographicæ, & hydrographicæ deſcriptiones manu pictæ, ſummóque ſtudio & cura perfectæ huius Bibliothecæ libri ſunt, præſertim vulgaribus linguis ſcripti Hiſpanicâ, Italicâ, Gallicâ, Germanicâ, Luſitanicâ, Coſſetanâ è ſingulis eximij : nihilominus tamen Latinis refertiſſima eſt variarum ac perantiquarum editionum ; quæ res quantum commodi habeat, eruditi norunt. 1.

Regiæ Bibliothecæ alteram appendicem haud immeritò fortaſſe principem partem theſauri huius literarij appellaueris, ſi genus librorum quibus apprimè inſtructa eſt, conſideras. Sunt omnes manuſcripti omnium promiſcuè linguarum & facultatum, atque ex illis quidam archetypi 2.

archetypi magnæ vetuſtatis,& apud viros literatos ingentis pretij: hic locus primariæ Bibliothecæ finitimus eſt,& credas eſſe quamdam illius poſticam & ſecretiorem cellam pretioſiori ſupellectili literariæ ſeponendæ,& ſtudioſiùs aſſeruandæ. Conclauium haud ita amplum, neque deſtinatò ad hos vſus extructum. Primò enim fuere quædam cubicula diuiſa interpenſiuis parietibus intergerinis, quibus dirutis, aula facta eſt tam apta & idonea, vt operi conſilium, deſignatio, & graphis præceſſiſſe videatur. nihil enim fingi poteſt commodius vetuſtiſſimis libris vindicandis ab omni labe,& iniuria, quorum pleroſque adhuc extare & supereſſe prodigium eſt: apertum habet Aquilonem, quæ res percommodè accidit: longitudo eſt omnino pedum octoginta, latitudo viginti, altitudo quindecim; loculamenta librorum pluteis ſuperioris Bibliothecæ penitus ſimilia, quinis tabulatis, ſeu forulorum ordinibus. A ſummis armariis vſque ad laquear, Pontificum tum virorum ſanctimonia & literis inſignium priſcæ & noſtræ ætatis imagines ad veri oris ſpeciem expreſſæ, miſſæ ad Regem Philippum II. ex Italia, Gallia, Germania, non paucæ inter illas in Hiſpania pictæ.

5. Huius conclauis geminum eſt veluti membrum; in ampliore & primario proſtant ſoli codices Latini, & Græci MSti; in altero Hebræi, Arabici, Italici, Coſſetani, Turcici, Perſici, Chinenſes; quamquam Chinenſes arte typographica impreſſi ſunt. hîc quoque globorum, ſphærarum, tabularum, atque inſtrumentorum Mathematicorum haud vulgarium magnus numerus. eſt vnum inter reliqua à Petro Appiano eius auctore oblatum Carolo V. Imperatori, locorum ſitibus, altitudinibus, diſtantiis & amplitudinibus explorandis percommodum; eius vſui cognoſcendo quatuor grandes tomos ſcripſit, quorum alij editi ſunt in lucem, alij MSti cum eodem inſtrumento hîc aſſeruantur. Numariorum ſigillorum, ſiue orbiculorum metallicorum (*medalas* vocant) præferentium iconicas imagines & ſymbola illuſtrium perſonarum ingens copia, in ſuis arculis & exemptilibus capſulis, ex Pinacotheca Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis antiquitatis nummariæ ſtudioſiſſimi, ac viri Patrum noſtrorum ætate in omni doctrinæ genere inſignis: eiuſdem locuples Bibliotheca huc quoque tranſlata eſt. Inter ingenuas illas curioſitates eſt *Abacus rationum Romanarum* priſci moris cum ſuis calculis; quam ſupputan̄di rationem Romani ſumpſere à Græcis, qui hoc genus menſæ logiſticæ menſam Pythagoricam appellarunt: notæ illæ,& figuræ rationales antiquæ haud multo abſimiles ſunt iis quas Caſtulonenſes vocamus. Conſulendus ſuper ea re idem Antonius Auguſtinus libro de inſcriptionibus & moneris, dialogo nono; vbi item de congio, veteri rerum liquidarum menſurâ diſputat, quam menſuram hoc etiam in Muſeo reperies.

CAPVT

CAPVT V.

Librorum collocatio, & ordo.

PErſequar nunc quædam ſpecialia quæ ad librorum ordinem & col-
locationem pertinent, priuſquam de quibuſdam ſingularibus li- 1.
bris dicam capite ſequenti breuiter. Primus Bibliothecę ſitus primaque
diſpoſitio fuit in quadam parte ædium quæ nunc eſt conclaue dormi-
torium Nouitiorum. Arias Montanus, vir apprimè doctus, atque prin-
cipum linguarum inſigniter peritus, eius diſtributionem aggreſſus, ſin-
gulas linguas ſeorſim ab aliis diuiſit: tum deinde etiam ſeparatiùs ſin-
gularum linguarum libros typis excuſos à manuſcriptis ſeiunxit.
Aliam rurſus diuiſionem inſtituit; nimirum ſingulas linguas in ſe-
xaginta quatuor diſciplinas. Non erit abs re exſcribere tabulam quam
confecit, & quæ hodie proſtat in Bibliotheca in hunc modum, & hoc
titulo inſcripta.

Diſciplinarum ſeries.

Grammatica.
Vocabularia.
Elegantiæ.
Fabulæ.
Poëſis.
Hiſtoria.
Antiquarij.
Dialectica.
Rhetorica.
Declamatio.
Orationes.
Epiſtolæ.
Ars memoriæ.
Mathematica in genere.
Geometria.
Arithmetica.
Muſica.
Coſmographia.
Geographia.
Topographia.
Aſtrologia.
Aſtronomia.
Diuinatio.
Perſpectiua.
Principes Philoſophi.
Naturalis Philoſophia.
Philoſophi priuati argumenti.
Chymica.
Metaphyſica.
OEconomica.
Politica.
Aulica.
Ciuile ius.
Iuris Ciuilis Interpretes.
Gironomicæ præceptiones. id eſt, ſeniorum documenta.
Mechanica.
Venatio.
Aucupium.
Piſcatio.
Colymbitica, (i. Vrinatrix.)
Militaris.
Architectura.
Idyllia opuſcula, (i. poëmatica exigua opera.)
Stromata.
Encyclica.
Catholica.
Biblia ſacra & Patres.
Concordantiæ Indices.
OEconomiæ loci communes.
Bibliorum commentaria.
Canones, Concilia, Conſtitutiones religioſæ.
Canonicum ius.

Doctores integri.
Homiliæ, Orationes, Epiſtolæ, Soliloquia, hymni.
Doctrinales & ſemidiſputatorij.
Apologiæ, diſputationes priuatæ & defenſiones.
Priuata quædam & reuelationes.
Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Vitæ Sanctorum.
Scholaſtica Theologia.
Summiſtæ, &c.

2. Nequaquam ſententia Authoris in hac diſtributione fuit, tot eſſe ſingulares diſciplinas, quot ſunt in hoc indice capita. Quis enim vel nouitius & tiro hoc non videat? Sed ea multiplicauit explicatioris ordinis gratiâ, vbi aliquid differentiæ & peculiaris alicuius argumenti ratio occaſionem dedit. hæc fuit deſignatio & ordo librorum eo in loco vbi primùm diſtributos fuiſſe monuimus. verùm ob titulorum nimiam multitudinem quibus neceſſe erat repleri forulos & ſingula propè tabulata, res equidem erat ſatis confuſa, & oculis minùs grata, licèt nihil aliud foret præter inæqualium librorum in vno eodémque tabulæ ſolo collocationem: poſtea contranſlati ſunt in eum locum vbi nunc exiſtunt, atque in trina illa conclauia quæ deſcripſimus, diuiſi. Frater Ioſephus de Siguença Ordinis Hieronymiani Ariæ Mōtani diſcipulus, eiúſque in huius Bibliothecæ præfectura ſucceſſor, diuiſionem quidem diſciplinarum à Magiſtro ſuo inſtitutam, quoad fieri potuit, retinuit, ſublatâ tamen illâ inæqualitate tomorum quæ habebat aliquid offenſionis, ſemiſſibus, quadrantibus, beſſibus, vel vncialibus foliis libros omnes ſeparatim in altiores humilioréſve forulos venuſtâ proportione diſtribuit; hoc eſt, æqualia volumina cum æqualibus coniunxit, geminóſque Indices confecit: in altero perſcripta ſunt nomina omniū Auctorum ſuo ſingula ordine per elementares litteras: in altero diſciplinarum ſeries; quæ res hoc habet commodi, vt ſi quis Bibliothecam ingreſſus auctorem iam ſibi notum quærat, adeat Indicem Auctorum, vbi ſtatim inueniet in quo armario, in quo armarij tabulato, in quo librorum ordine eum reperturus ſit. ſingula enim armaria ſingulis Alphabeti litteris inſcripta ſunt: ſingula item armariorum tabulata pro quinario ſuo numero vnam è quinque Romanis iſtis primorum numerorum notis I. II. III. IV. V. appictam habent; ſinguli denique libri ſuæ ſedis numerum vulgaribus notis Arithmeticis præferunt, quo triplici ſigno ſtatim eum librum quo indiges, tenebis. Similiter ſi ſingulos vnius diſciplinæ ſcriptores ad manum habere deſideras, notos ignotóſve; conſule diſciplinarum Indicem, in promptu & ad manum erunt. Si conſilium Ioannis Baptiſtæ Cardonæ Epiſcopi Dertoſani de Regia iſta Bibliotheca S. Laurentij Eſcurialis ſcire deſideras lector, conſule eius commentarium de Hiſpaniæ Bibliotheca, ſiue de Academiis & Bibliothecis *tom.* 1. *cap.* 3. vbi ſingulatim multa proponit, vnde perfici in dies poſſet, atque vt par eſt accurari hæc ædes ſapientiæ: prout hanc procurationem ipſe animo informauit; in quam ſententiam monita ſcribit circa diligentiam in conquirendis aliis libris, cautionem in repertis admittendis, de eorum vetuſtate exploranda, colligendis decedentium virorum doctorum lucubrationibus nondum editis;

tis; de Bibliothecarij ædibus,& ſtipendio; de miniſtrorum Bibliothecalium numero, occupatione & commoratione; de Typographica officina, de molettrina chartaria, aliiſque eius generis quæ nos conſultò omittimus; quia hoc loco ſiſtimus in ſola Bibliothecæ Regiæ deſcriptione.

Quod ego magnopere in huius literariæ prouinciæ procuratione deſiderauerim, eſt vt in lucem edatur omnium quidem librorum ac tractatuum, qui ſunt in hoc triplici membro Regiæ Bibliothecæ, maximè verò & præcipuè MStorum codicum accuratus Index; res haud ſanè admodum difficilis,& tamen futura toto orbe viris doctis grata ſimul ac vtilis, atque ad loci auctoritatem & commendationem opportuna. 3.

CAPVT VI.

Initia, & incrementa Regiæ Bibliothecæ; libri quidam ſingulares; & alia huius loci propria.

NOn omittendum dicere ex quibus exordiis hæc Bibliotheca in tantam amplitudinem excreuerit; de certis etiam libris peculiarem mentionem facere libet. Prima ſemina fundi huius librarij PHILIPPVS II. Rex regiâ & felici manu iecit, miſsâ huc priuatâ ſuâ Bibliothecâ, in qua ſi quid interdum feriarum & otij nactus eſſet ab regiis occupationibus, illud, magnorum Regum exemplo, dedicabat librorum lectioni. Eſt in Bibliotheca Eſcuriali librorum index, in quo ipſius Regis manu deleti ſunt illi libri, quos identidem abs ſe donatos huc mittebat. in prioribus paginis hæc ab eo ſcripta ſunt; *Libri MSti ſelectiores ac maioris momenti* (prout eos percurrẽti facilè conſtabit) *quos ad S. Laurentij Bibliothecam miſimus, vt ſolicitè in Sacrario vnà cum pretioſiori ſupellectile aſſeruentur: in primo margine indicis deſignantur hac nota* ∞=s. Deinde paulò inferiùs, *libri qui noſtra ſcutaria inſignia præferunt in tegumento, (quæ eſt compactio Salamenticenſis) habent in fine lineam tranſuerſam in poſtremo margine.* Libri qui feruntur ad S. Laurentij Bibliothecam notantur in primo margine hoc ſigno—S. Aliæ eiuſmodi obſeruationes ſunt in illo indice regio. Regiorum autem illorum librorum numerus ferè duûm millium fuit: illati ex iis in hanc ædem amplius mille ducenti: quorum plerique quòd eſſent vetuſtioris editionis, per Religioſorum cellas ipſius Regis iuſſu diſtributi, reliqui Bibliothecæ addicti velut bene ominata munera & fundamenta illius litterariæ apothecæ, quæ tam regiè & feliciter excitata eſt. 1.

Haud ita multo pòſt acceſſit Bibliotheca *Iacobi de Mendoça*, doctrinâ ſimul ac gentilitio ſplendore clari, fratris Marquionis de Mondejar & Comitis de Tendilla; is vbicunque vixit non ſolùm in Hiſpania, verumetiam Venetiis viginti annis, & Romæ Catholici Regis Legatus 2.

memoriam atque admirationem ſingularis ſuæ eruditionis reliquit. Quo tempore (vt eſt in Hiſpaniæ Bibliotheca *tom.3.*) in ſplendida familiâ doctorum hominum gregem quos vndique acciuerat, atque in his Arnoldum Arlenium Græcè peritiſſimum ſimiliter alebat : Græcis exemplaribus partim conquirendis in media Græcia, partim è Beſſarionis Cardinalis Nicæni Bibliotheca deſcribendis operam ſumptúſque impendit. Nauem præterea Græcis calamo exaratis libris onuſtam à Turcarum Imperatore obtinuit: moriens legauit Regi ſuam Bibliothecam refertam plurimis & vetuſtis illis codicibus Græcis, Latinis, Arabicis, tam impreſſis quàm MStis, quas linguas egregiè callebat. eam Rex accepit, in ſéque recepit nominum ſolutionem quæ in teſtamentarias tabulas demortui relata erant.

3. Subſequuta eſt ſuprà laudati *Antonij Auguſtini* Archiepiſcopi Tarraconenſis Bibliotheca optimorum MStorum exemplarium Latinorum & Græcorum locuples, necnon plurima eiuſdem antiqua monumenta & erudita rudera. Collata quoque à *Petro Pontio* Epiſcopo Legionenſi, omnis quidem antiquitatis, ſed præſertim Eccleſiaſticæ admodum ſtudioſo MSta. Inſuper longè latéque à Rege miſſi viri docti in Italiam, Germaniam, Belgium, Hiſpaniam qui librario huic theſauro locupletando res eximias eiuſdem generis perueſtigarent, ac repertas emptáſque huc tranſmitterent. *Ambroſius de Morales*, *Doctor Ioannes Paës*, *Iulius Clarus*, & plurimi alij viri docti præclara ſui monumenta hîc reliquerunt, quorum alia non abſoluerant, alia iam abſoluta nondum in lucem ediderant: præterea certos alios peculiares libros quos habebant chariſſimos. *Arias Montanus* præclaros C. M. Græcos, Hebræos, & Arabicos in hoc Sophiæ templo dedicauit, ac inprimis volumen legis maximo ſtudio & curâ ſcriptum, eâ formâ quâ volumina eſſe conſueuerant, tantáque fide, vt nec puncto defectum ſit, vel abundet, quod proinde *ſacrum* ab illis appellatur. Pugillar Hebræum gemini vſus, è quo nimirum recitabantur ſolemnes lectiones ſacræ per omne Sabbatum, vt loquitur Apoſtolus, quale eſt apud Chriſtianos ſacerdotale Breuiarium Pſalmis ex ſacro ritu & formula perſoluendis. Erat præterea inſtar manualis codicilli, in quem referebatur ſi quid peculiare perſcribendum eſſet. De huiuſmodi tabellis intelligendum illud *Lucæ cap.*1. de Zacharia, qui *poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens, Ioannes eſt nomen eius.* Siclum Iudaicum, de quo ipſe Arias diſputat eo libro quem *Tubalcayn* inſcripſit, ibidémque expoſuit, & quàm mirabili caſu (ſi caſus dicendus eſt) in ipſius manus venerit; numi materies purum putúmque argentum; pondus, drachmæ quatuor, quæ ferè pares ſunt ſemunciæ pharmacopæ, quam atticam vocant: altera facies præfert figuram vaſis, in quo Dei iuſſu manna reconditum eſt in arca fœderis: in ora ſunt literæ quædam Samaritanæ, quibus Hebræi vtebâtur priuſquam decem Tribus à Iuda & Beniamin ſecederent, in hunc ſenſum, *Siclus Iſraël*: in auerſa facie, amigdalina virga Aaronica. Inſcriptio, *Hieruſalem ſancta.*

4. Non commemoro quæ hîc habentur ſacra Biblia peruetuſta ſcripta literis Goticis & Longobardicis: luculentum teſtimonium ſinceritatis lectionis

lectionis antiquæ. Rara res eſt, & planè eximia primigenius quidam Codex, ipſius D. Auguſtini manu ſcriptus, & inſcriptus *de Baptiſmo parvulorum*; literarum forma & ſpecies maiuſcularum noſtrarum ſimilis eſt, qualis eo tempore in vſu erat apud Vandalos latè in Africa dominantes. Diu librum hunc Philippus II. inter ſacras reliquias habuerat, cùm eum iuſſit in Abaco ſcriptorio in Bibliotheca cum rebus pretioſioribus recondi. Interrogatus aliquando, vnde conſtaret re verâ eſſe D. Auguſtini? reſpondit, id ſe ita accepiſſe ab amita ſua Caroli Imperatoris ſorore, à qua illum habuerat tanquam rem percaram & antiquiſſimam. Aliud volumen habuit ab eadem amita Regina, quod D. Ioannis Chryſoſtomi olim fuiſſe creditum eſt: in eo perſcripta ſunt Euangelia quæ totius anni decurſu pro more in Eccleſia recitari ſolent. Eſt & aliud exemplar MStum Apocalypſeos, aurariâ & argentariâ picturâ ſatis eleganter illuminatum, adſcriptis miniato charactere commentariis; ducentis annis (vt quidem videtur) haud vetuſtius. Item alius quatuor Euangeliorum liber aureis literis in perleganti membrana pergamena ſcriptus, compactus tabulis atque attalico texto opertus. Sic eum ſcribi iuſſit HENRICVS II. Imperator, vti fuerat incoatus *Conradi Imperatoris* iuſſu. Longus eſt vlnæ dodrantem, iuſtâ proportione latus: facet ille textus Euangeliorum cum præfationibus, & Epiſtolis D. Hieronymi, & Canonibus Euſebij Cæſarienſis centum ſexaginta quinque foliis continetur. circiter ſexcenti anni ſunt cùm ſcriptus eſt, nuſquam tamen pictura ſcripturáve vetuſtate euanuit: imò adeò integra, florida & ſplendida eſt, vt opus nudiuſtertiùs abſolutum credas: in primo folio pictus mediis in nubibus circumfuſus Angelorum multitudine CHRISTVS vindex noſter in ſolio ſedens, ſiniſtra manu librum tenet, dextera *Conrado* & *Gileſiæ* vxori ad ipſius genua prouolutis benedicit: in paginæ ambitu ſunt quidam verſus pro inculti ſæculi elegantia. Altera pagina *Deiparam Virginem* exhibet in ſolio ſublimem, ac ſupplices *Henricum* & *Agnetem* genibus nixos, Regio tamen habitu & titulis, videlicet nondum Imperatoria inauguratione conſecratos: nec etiam deſunt verſus in ora paginæ maiore pietate quàm elegantia. Eraſmus Roterodamus [a] codicem hunc quem *Aureum* appellat mirificè extollit, ac profitetur ſe legitimas & germanas quaſdam lectiones inde eruiſſe quas in aliis exemplaribus haud repererat, nec niſi ſolenni quadam pompa & accenſis tædis ſibi monſtratum refert. Eum tunc poſſidebat *Margarita Maximiliani* filia, *Ioannis Principis* vxor: venit poſtea in manus *Mariæ* Reginæ, quæ illum cum tribus aliis de quibus mentio ſuperiùs facta eſt dedit Philippo II. Caroli Quinti fratris ſui filio. plura Ambroſius de Morales de hoc codice aureo in vita Comitiſſæ *Matildis de Canoſa*, qui commentarius hîc quoque inter alia eiuſdem monumenta habetur. Item Biblia Græca Imperatoris Cantacuzeni valde conſentientia cum verſione ſeptuaginta Interpretum, quæ prodiit opere Cardinalis Carafæ viri doctrinâ & diligentia inſignis. Itidem duo grandia volumina Gothico charactere, in quæ relata ſunt Concilia, & decreta à primo Nicæno ad vndecimum Toletanum, cum multis aliis operibus eximiis, quæ referre longum ſit. Alterum ſcriptum eſt ærâ milleſimâ à

[a] in annot. in nouum Teſtam.

Sibuto Epiſcopo:alterum anno nongenteſimo ſeptuageſimo nono à *Vigila* Preſbytero S.Martini de Aluelda; ob id *Codex Vigilanus* dictus: continet etiam multa Concilia à primo Nicæno ad decimumſeptimum, aut decimumoctauum Toletanum, additis plurimis literis Pontificum,& Sanctorum,nec non antiquitatibus Eccleſiaſticis; theſaurus equidem nobilis,& dignus veneratione. eſt præterea alius tomus Conciliorum eâdem ſcripturâ anno nongenteſimo vndecimo deſcriptus.

5. Præter hæc monumenta venerandæ antiquitatis, ſunt alia quadam manu deſcripta exemplaria SS.Patrum *Athanaſij*, *Baſilij*, *Nazianzeni*, *Chryſoſtomi*, atque aliorum; inter quæ opera extant non paucæ homiliæ, orationes aliíque tractatus nunquam in lucem editi; grandes & peruetuſti tomi vitæ Sanctorum eâdem linguâ; tabellæ nobilium artificum,aliæ ex formarum planæ ſcalpturæ prototypis; aliæ penicillo pictæ in libris ingenti numero compactæ; plurimaque id genus rara & curioſa, atque huius literariæ apothecæ propria ſeruantur in arculis & abacis ſcriptoriis;quæ referre infinitum eſſet. Priſca ſcribendi ratio in antiqua papyro Ægyptiaca hîc viſitur. quin & illâ antiquior in arborum extima cute ſubtiliſſima & pertenui, quam *philyram* vocant; illorum corticum alij ſunt enſium, alij pugionum longitudine: præter litteras in iis non ineleganter exaratas, neſcio quid atramenti,aut puluiſculi plurimum venuſtatis addidit: argumentum ſcripturæ eſt integra quædam hiſtoria,in limine,geminæ hæ voces præfixæ ſunt, *Lingua malabarica.* compactio bella eſt,inſeritur per ſingula folia funiculus: exteriores quoque tabulæ videntur eſſe ex eodem ligno. Sunt hîc etiam Chinenſis editionis libri,noſtris tum in elegantia, tum in commoditate longè inferiores; licèt chartæ ſubtilitas mirabilis ſit, nóſque in hac arte calcographica excogitanda natio illa anteuerterit.

6. Eſt hîc aliud quiddam prorſus nobile & viſu dignum: hiſtoria & forma omnium plantarum,atque animalium quotquot ad Philippi II. ætatem viſa fuerunt,in Indiis Occidentalibus: pictæ ſunt herbæ,radices,trunci,rami,flores,folia,fructus,vellera,ſquammæ, plumæ, pinnæ, roſtra;ſingula denique natiuis expreſſa coloribus; necnon & hominum ſtatura,veſtitus ſiue ordinarij, ſiue læti, & lautiores; ritus & apparatus feſtorum,chorearum,ſacrificiorum eius gentis,quarum rerum conſideratio iucundiſſima eſt, & ad varia vtilis. Rex hoc negotium dedit cum ampliſſima poteſtate *Doctori Franciſco Hernandes Toletano*, homini docto,diligenti ac ſtrenuo, qui (vt ipſe in quodam procemio refert) quatuor ſolùm annis quibus in India degit, quindecim cubitales tomos repleuit ſuis obſeruationibus: in quoſdam ex iis libris retulit ſolam figuram, formam, colorem animalium & plantarum, ad quos poſtea lectorem amandat in hiſtoria nominum proprietatum & naturæ ſingularum rerum,prout ab indigenis & aduenis Hiſpanis,& propriâ animaduerſione diſcere potuit. Præter hos quindecim tomos,binos alios ſeorſim fecit: vnus eſt plantarum Indicarum, earúmque cum noſtris proportio & ſimilitudo,quoad fieri potuit,accurata; alter morum,rituum, legum Indicarum, Geographicæ, & Topographicæ deſcriptiones noui illius

illius orbis: qui omnes libri & commentarij ſi prout affecti ſunt, ita forent omnino perfecti & abſoluti, Philippus II. & Franciſcus Hernandes haudquaquam Alexandro & Ariſtoteli hac in parte concederent. Concinnatio & ſtructura horum quindecim librorum elegans eſt, & in hac Bibliotheca peculiaris, tegumento ex aluta cærulea auro bellè vermiculata, hamulis adſtrictoriis, angularibus munimentis, bullatis vmbilicis argenteis multa arte perfectis. Reliquæ literariæ ſupellectilis, quæ in hac Bibliotheca plurima eſt, pleniorem indicem pollicitus eſt frater Ioſephus de Siguença; vtrùm prodierit, neſcio; bene potuit prodiiſſe à triginta amplius annis cùm ipſius hiſtoria publicata eſt, & promiſſio ab eo facta, ſed forſan mors interpellauerit.

Capvt VII.

Aliæ quædam res raræ aſſeruatæ in Regia Bibliotheca.

SVprà laudatus Ioſephus hauddubiè non ſiluiſſet nonnulla quæ addo, ſi iam ea tum ibi fuiſſent cùm ſcripſit hiſtoriam ſuam Hieronymianam, licèt conſultò fiteatur ſe præterire plurima. In primis hìc extant duo primigenij codices operum ſanctæ *Thereſiæ de Ieſu*, ipſiuſmet manu ſcripti, ac poſtea in lucem editi: digna res cuius mentio peculiaris fieret. item Hieroſolyma antiqua eiúſque ager ſuburbanus dimidiati anaglyphi toreumate, amplitudine tanta, vt quidquid fuit ſingulare in ædibus, & adiacente territorio, valde accuratum explicatúmque proſtet, haud leui adiumento deſcribendis animo imaginibus ipſarummet rerum. 1.

Ibidem collocatum eſt primarium vexillum Selimi Turcarum Imperatoris captum in Lepantica illa victoria, quam Ioannes Auſtriacus de immortali hoſte Chriſtiani nominis glorioſiſſimè retulit. memoria dignum eſt, nec omnino à præſenti inſtituto alienum, quod tum accidit cùm huc allatum eſt. Anno milleſimo quingéteſimo ſexageſimo primo, die octaua ab feſto omnium Sanctorum Philippus II. Rex ſolita pietate intèrerat veſpertinis precibus medio in cœtu Choreutarum, cùm Petrus Manuel vnus è regiis cubiculariis gaudio exiliens, vultúque ac geſtu præferens conceptam animo lætitiam ſubitarij conſilij impetu ingreſſus. En (inquit) Domni Ioannis Auſtriaci Curſorem, Rex, inſignis victoriæ Nuntium. Nihilo commotior magnanimus Princeps, eodem vultu, eodem ſtatu, eâdem æqualitate mentis, eâdem maieſtate, oris (quod Auſtriacorum Principum eſt, quicumque caſus lætus triſtíſve acciderit) abſolutis ſacris Veſperis, Cœnobij Prędidem vocat, ac hymnum, *Te Deum laudamus*, Eccleſiæ Euchariſticum, & Epinicium cani iubet, tum ſupplicationem pro re feliciter geſta in matutinum diei ſequentis indicit, in veſperum verò iuſta mortuaria; in perendinum, piaculare ſacrum ſolenne pro piis manibus defunctorum in illo bello; ſingulare argumentum regiæ pietatis, & pia profeſſio acceptæ diuinitus victoriæ; cuius monumentum & pignus fuit primarium illud vexillum Turcicum 2.

cum,quo nihil erat apud Barbaros religioſius.promptum fuiſſe è Secrario Mecano perhibent, vt (ſi Superis placet) in eo ſigno Turcæ vincerent. Eius materies ex goſſipio & lino;forma verò mediocris lintei dormitorij, literæ Arabicæ vtraque ex parte inſcriptæ, quarum pleræque ſunt aureæ;circuli,rhombi, quadra triangula plurima pro ſuperſtitione gentis,quæ à rerum viuentium imaginibus abhorret.Inſcriptionum argumentum ſunt varia nomina Dei Opt. Max. Conſultò ſpeciem aliquam ſanctitatis cacodæmon & Mahometes impiiſſimi ſycophantæ ei reliquerunt, vt irretiretur & circumſcriberetur tectiùs. Interpretationem ex Arabico Hiſpanicam penes me habeo ex Muſeo Lucæ Torri. hoc vexillum vnà cum pharis triremis prætoriæ hîc præcipuè Rex aſſeruari voluit, ad memoriam allatæ ſibi in hanc ædem victoriæ ſempiternam.

3. Hoc eodem in conclaui aſſeruatur Bibliotheca Muleyſidani Marrochij,& Feſſæ Regis,libris magnam partem Arabicis MStis conſtans, & mirabili euentu huc allata.

F I N I S.

ΨΥΧΗ͂Σ.

ΨΥΧΗ͂Σ ἸΑΤΡΕΙ͂ΟΝ,

MEDICA ANIMI OFFICINA

STVDIOSÆ IVVENTVTI,

vt ſi immunis eſſe volet omnibus vitiis quibus obnoxia eſt illa ætas, pancreſta medicamenta è Muſeis & Bibliothecis promat.

PARÆNESIS ALLEGORICA

ad amorem litterarum,

Habita in Collegio Dolano Societatis IESV *in ſolenni ſtudiorum inſtauratione anno* 1627.

QVÆ latere putabatur in adytis Delphici templi diuinitas, tota conſpiciebatur pro foribus his duabus notata litteris EI, *tu es*; quo maiori perculſi mortales reuerentia pedem in eum locum inferrent, in quo præſens numinis maieſtas non tam ſe prodit ex dignitate veſtibuli, periſtylij amplitudine, exhedrarum laxitate, pauimentis marmoreis, auratis fornicibus, ex accurata munditia & magnificentia totius ædis, quàm ex ipſa religione loci, & fatidica oraculi facultate. Idem mihi (Aud.) idem prorſus mihi ſentio contigiſſe in veſtibulo huius orationis, in qua Iuuentuti Sequanicæ myſtagogum hodierna die me profiteor, & candidatis bonarum artium adoleſcentibus ſacram quandam Bibliothecam aperio; cuius foribus ſpectabili charactere inſcripta eſt eadem epigraphe, quà olim Oſimandas Ægypti Rex Muſeum ſuum inſcripſit, *ψυχῆς ἰατρεῖον, medica animi officina.* Quotus enim quiſque eſt, qui profiteri velit ſe habere præſentia pancreſta medicamenta omnibus animorum ægritudinibus tum auertendis, tum depellendis; cùm id nec peritiſſimi Medici, nec circumforanei circulatores in triuiis & pontibus tribuere ſibi auſint in corporum morbis? Equidem verendum maximopere mihi eſt, ne quod Græculæ vanitati familiare fuit in librorum inſcriptionibus, plus ſit in promptu, quàm in receſſu; ne in pulpito tabernario proſtent crepantes bullæ, in penitiore apotheca nugæ; in librorum, & Academiarum veſtibulis mira titulorum felicitas & ſplendor, propter quas vadimonium deſeri poſſit, & ſperari in eiuſmodi voluminibus hauſtus lactis 1.

gallinacei : & cùm tu intraueris, eaque euolueris, per Deum immortalem, quàm exanguia ſunt & exſucca, quàm nihil in medio inuenies.
Plin.l.29.c.1 *Sola verò Medicorum inſcitia miſeris mortalibus capitalis eſt; diſcunt interdum periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt; illiſque duntaxat hominem occidiſſe ſumma impunitas. Nemini tamen (vſque adeò blanda eſt pro cuique ſperandi dulcedo) nemini corporis Medicum ſe profeſſo non creditur, licèt periculum ſit in nullo mendacio maius.* Capitaliores tamen ſunt Medici animorum, quando qui ſe tales profitentur, præſtigiatores ſunt & ſycophantæ, qua peſte hominum nullam exitialiorem reor; qui profectò ſapientiam honeſtius negligerent quàm vendant, & venditent. Alienus ſum ab eiuſmodi vanitate : odi, & vehementer odi inuolutam ſapientiæ nomine linguæ vendibilis iactantiam : neque ipſe tam Medicum me profiteor, quàm ægris mentibus Medicos adhibeo; neque tam pharmaca propino, quàm in eum locum vnde medicamenta promi poſſunt, digitum intendo? quod tamen ob grauitatem argumenti, atque aliquam dicendi deſuetudinem cunctanter facere aggredior, adeóque etiam timidè. Quamuis enim dixerim ante aliquot annos in Athenæo Lugdunenſi, ad cuius aram pallebat olim dicturus Rhetor, neque tamen mihi lingua obmutuerit, aut vix hæſerit, vel mens debilitata metu conciderit; nihilominus non leuem ſcribendi difficultatem, & dicendi reformidationem ſum expertus, cùm proluſionem hanc ſtudiorum noſtrorum inſtauratiuam meditarer apud me in Muſeo. Nimirum verebar, ne fortè quinquennij ſilentio, diuturnáque & admodum graui inualetudine, memoria obſoleuiſſet, collapſæ eſſent vires, emarcuiſſet neceſſarius ad dicendum vigor, defloruiſſet ſtylus; idémque abſolutis Theologiæ ſtudiis, Dolæ mihi accideret, quod Clemens Alexandrinus Alexandriæ ſibi contigiſſe queſtus eſt his verbis : De monte Sion ad Parnaſſi fabuloſum ceſpitem; de fonte Paradiſi ad Helionis vndas : de curru Heliæ ad quadrigas Apollinis; de cedris Libani ad Muſarum lauros, de ſeuerioris diſciplinæ pronunciatis ad amœniores artes, de Theologiæ commentationibus ad humaniores litteras traductus, emortuos ſpiritus reuocare vix poſſum : verumtamen vnum eſt quod me recreat, & animos facit; quòd ſicut plurimum intereſt ad fauorem, ſortiatur aliquis iudicem, an eligat : ita non exigui momenti videtur eſſe, quòd ſponte argumentum naſcatur, & dicturo quaſi vltrò ſe ingerat : cuiuſmodi eſt hac ætate iuueniliter exultans adoleſcentiæ temeritas, proiectior ad inconſultè audendum impetus; & remiſſior ferè vbique ad bonas artes capeſſendas contentio. Quas iuuenilium animorum ægritudines funditus tollemus, ſi ſe à nobis curari, & eam medicinam pati volent, quæ non motura ſit nauſeam & ſtomachum, ſed quæ auribus ſuauiter haurietur, & fortaſſis non ſine aliquo voluptatis ſenſu tranſmittetur in animum : atque vt hinc ordiamur,

2. Ponite vobis ante oculos amplam & auguſtam Bibliothecam excitatam in Dolano ſolo, liberæ Burgundiæ copia & ſumptibus eleganti, & magnifica ſupellectile à proceribus Sequanis certatim ſuppeditatâ, pluteis ſummâ venuſtate circumexcurrentibus, plenis lectiſſimorum volumi

voluminum forulis; oriente ſole & camporum ſpatiis atque procul impendentium montium altitudinibus, & liquoribus pellucidis amnium iucundo aſpectu perforatis, quibus fatigata mens & oculi diuturna ſtudij contentione ſuauiter recreentur. Non deſit elegans in angulo horologium, nec in menſa paratum inſtrumentum ſtudentibus; nec Theodoſianæ lucernæ, nec multifida è lucernari candelabra; nihil denique quod ornatum huic loco conferre poſſit & venuſtatem; quæ quantumlibet exquiſita eſſe poſſit, nunquam erit auguſtior Dolanæ vrbis ſplendore & fama, vel librorum veſtrorum, aut externorum diſcipulorum nobilitate, vel maieſtate literarum quas profitemur: ſunt in ea nobilium ingeniorum familiæ & illuſtres tituli, quos qui præferunt in ſcriptis ſuis, aut ſtudiis, videntur communione quadam ſanguinis inter ſe teneri, atque ad eundem ſobolis nidum & generis caput pertinere. Singulas familias conſtituunt Theologi, Iuriſperiti, Medici, Philoſophi, Hiſtorici, Mathematici, Oratores, Philologi, Poëtæ, Grammatici, Aſcetici aliíque id genus ſcriptores, quorum beneficio id felicitatis cuilibet noſtrûm obuenit, vt ei liceat quaſi ad arbitrium ſuum naſci, & non tantùm in eorum nomen, verumetiam in omnium ſimul bona ac facultates adoptari.

Neſcio vtrùm dicturus ſum vobis (Aud.) quod propè feci. Agedum dicamus, res bella eſt, nec omnino abs re noſtra. Alcumiſtarum genti, vtpote nutriculæ bonorum ingeniorum, atque his temporibus admodum numeroſæ parum abfuit quin ego ſuam quoque ſedem & titulum hìc attribuerim, perculſus inſcriptionum dignitate, quibus libros ſuos & myſteria venditant. Quid enim fingi poteſt his titulis illuſtrius? Tabula ſmaragdina ter maximi; dialogus Mariæ Propheticiſſæ; clauicula Salomonis, nucleus intimæ Philoſophiæ; lilium intelligentiæ; epiſtola Solis ad lunam; roſa aurea; margarita nouella, lumen luminum; Theoſophiæ palmarium; lapis trinus & vnus; & alia huius generis tam auguſta librorum veſtibula, vt eos omni ſtudio & ſumptibus habere velis, ac forulis cedrinis, vel etiam aureis & gemmeis dignos putes. Verùm enim verò, cùm ego nuper curioſiùs introſpexiſſem in eorum apothecas, nihílque vidiſſem præter nigrum nigrius nigro, leonem viridem, ceruum fugitiuum, ſtultum ſaltantem, Aquilam volantem, æripedes boues, dracones caudam vorantes, bufonem inflatum, ſementem dentium, florentes haſtas, aureum vellus, & ſexcenta id genus ſomnia vigilantium, quibus præcipua illius artis myſteria continentur; riſi ipſe apud me deuota igni capita, fumoſos & ſulphureos homines, atque ex aſſidua argenti viui contrectatione paralyticos; & amabilem quidem, ſed egeſtatis & caſſi laboris comitem ſtultitiam; in quo tamen ſtudio ſit quædam paupertatis ſuauitas, ne gratis in naturæ ſecreta penetraſerint. Tum apud me ſtatui nullum quidem ſeorſum domicilium aſſignandum eſſe fumiuendulis iſtis, nec donandam hac Bibliotheca talium Ciniflonum familium: conniuendum tamen mihi, ſi quis ex iſta gente ad Phyſiologorum ordinem & pluteos clanculum irrepſerit; dummodo cum ſola natura, non autem cum malo dæmone commercium habeat. 3.

4. Tranſeo ad quædam ornamenta huius Bibliothecæ. Eminent ſupra librorum loculamenta diſpoſitæ imagines doctorum virorum, è Sequanico ſolo; qui dum viuerent fuerunt Bibliothecæ ſpirantes & ambulantia Amalthia, & reliquerunt in huius Muſei armariis cedro digna volumina, fœtus immortales ingenij ſui; vel ex hoc loco tanquam è templo ſapientiæ prodeuntes, diuina reſponſa fuderunt ſuis conſultoribus; & mera regnis orbíque oracula: multos nouimus etiam ipſi de facie; plurimos viderunt maiores noſtri, viuunt alij in annalium noſtrorum monumentis. Occurrunt ingredientibus ad læuam nonnulli tradendis è publico ſuggeſtu diſciplinis omnium iudicio inſignes. *Titianus* quondam Præfectus Academiæ Sequanicæ, cuius eſt illud elogium, *Auctores nouerat omnes tanquam vngues digitóſque ſuos.* *Anatolius Dorotius* diuturna legum in Academia Dolana expoſitione celebris, & infulis clarus. *Moniotius Boiſſetius* maximorum Iuriſconſultorum pulpito & ordine dignus. Tum ſcriptores Sequani quotquot in manus noſtras venerunt. *Angelomus* Monachus Luxouienſis in ſacris litteris exponendis vtiliter verſatus.

5. *Claudius Chifletius* legum Profeſſor, ipſius Cuiacij ore tantopere laudatus. *Ioannes, & Prudentius Sanctomauritij*, ille Dolanæ Academiæ, iſte lumen fori Sequanici. *Ioannes Petremandus* Antiſtes iuris Burgundici conſultiſſimus. *Ioannes Griuellius* dignus interpres Dolani oraculi, celebre & ipſe oraculum. *Ludouicus Gollutius* ſagax rerum Sequanicarum indagator. *Valerius Reginaldus* de noſtra Societate, accuratis de vniuerſa morali Theologia commentationibus toto orbe qui ei per litteras ex remotiſſimis Indiæ partibus gratias egit, illuſtris: eóque etiam eius opus fuit illuſtrius, quòd ſuæ fronti impreſſum tui nominis ſplendorem prætulit *Ferdinande Archipræſul illuſtriſſime*; dabit enim mihi hanc veniam tua humanitas, vt te in hoc cœtu licèt abſentem appellem: cuius extant illuſtria merita, & illuſtriſſimæ tuæ gentis præſertim erga Ordinem noſtrũm prolixa voluntas; eius ſaltem promulgandæ occaſionem mihi oblatam gaudeo, quandoquidem tuis benefactis vix aliter reſpondere poſſumus. Reginaldum ſequitur *Ioannes Voëllus*, item noſter, quà ſcriptis libris, quà viua voce de bene dicendi facultate optimè meritus. Tum *Franciſcus Richardotius* Epiſcopus Atrebatenſis, Chriſtiana facundia in paucis clarus. Antonius Poſſeuinus *tomo 1. apparatus ſacri litt. F.* eum vocat Theologum inſignem, eius opera recenſet, Parochorum & Vicariorum regulam; Conciones de oratione Dominica, & de oratione; funebres orationes in funere Reginarum & Principum Hiſpaniarum, & alios libros ſermone Latino. Floruiſſe ait in Concilio Tridentino, ibíque habuiſſe elegantem orationem, quæ impreſſa eſt, & incipit, *Si quis rerum noſtrarum.* His oppoſiti ſunt è regione ad dextram bene multi, qui licèt ſcriptis non tradiderint quod didicerunt, (quod fuiſſet magnæ felicitatis,) illis tamen diuiniùs conceſſum eſt opere complere quod ſciuerunt; quod eſt planè diuinum. *Callixtus ſecundus Romanus Pontifex*, Guillelmi Comitis Burgundiæ filius, & Stephani frater, doctrinæ præſtantia, ingenij dexteritate, integritate vitæ, & rerum vſu

Cùm hanc orationem pronũciauimus, nondũ

vſu murus firmiſſimus pro domo Dei in difficillimis Eccleſiæ temporibus *Gundebaldus Burgundionum Rex* fando locuples, & eloquentiæ diues opibus, vt eſt apud Ennodium Ticinenſem, & Caſſiodorum. *Vrbicus* vniuerſa Gundebaldi onera ſuſtentans, ac Cicerone eloquentia, & Catone grauitate præſtantior apud eundem Ennodium. *Siſagrius Solon* Burgundionum, & Amphion, apud Sidonium Apollinarem. *Leobaldus Cuzantius* è cœnobio Luxouienſi ad Virodunenſes inſulas à Canonicorum collegio euocatus, atque ob ſingularem eruditionem, & rerum gerendarum peritiam Philippo audaci Duci Burgundiæ, & Clementi Pontifici chariſſimus. *Antonius Vergeius*, Caroli Quinti adoleſcentis moderator, ille ipſe qui nobili Dolano templo excitando primarium in fundamenta lapidem ſolenni ritu iecit, dū in hac vrbe adoleſcens litteris operam daret. habuit nimirum ſemper *Gens Vergëia* (*Cleriarde Gubernator huius Prouinciæ illuſtriſſime*, non enim te abſentem reor, cuius vigilantia & ſapientiſſima procuratione florent apud Sequanos bonæ artes in diuturnæ pacis delitiis, & qui viros doctos, eos præſertim, quorum eruditio eſt cum pietate coniuncta impensè pro maiorum tuorum veteri inſtituto iam pridem colis) habuit, inquam, ſemper *Gens Vergeia*, heroas non tantùm in ſago & armis, re & cognomine *ſtrenuos*, preux de Vergy; ſed etiam Antiſtites omni laude conſpicuos. hos ſecuntur ſublimos animæ atque omni laude maiores *Richardotij*, *Froiſſardi*, *Renardi Garnerij*, *Bruni*, *Capitanei*, & qui multorum inſtar ſint populares quidem veſtri, ſed (quod ſine vllius inuidia dictum velim) ciues mei *Nicolaus Perrenotus* Caroli V. Imperatoris Cancellarius, eiúſque filius *Antonius Cardinalis Granuellanus* Ornacenſes, vterque moderandis & ferendis Imperiis par; vterque ex bonarum literarum curriculo cui nauiter inſudauit, gradatim ad tantos honores euectus: vterque ad ſacroſanctam Synodum Tridentinam miſſus à Cæſare orator orbem Chriſtianum admiratorem habuit Sequanicæ eloquentiæ, Sequanicæ Religionis, Sequanicæ grauitatis, & mentis in prouidendo pluſquam humanæ, vel ipſo externorum Scriptorum teſtimonio. Nimirum & hoc neceſſarium fuerat ad Sequanici nominis commendationem, vt intelligeret vniuerſus orbis, non fuiſſe tunc in orbe Romano viros duobus Sequanis hominibus digniores, qui legationem illam auguſtiùs obirent, & maieſtatem Imperij, & Religionis integritatem in Generalibus Eccleſiæ comitiis glorioſiùs tuerentur. In eorum laudem ſi paucula dixero, date hoc tantorum virorum meritis, adeóque etiam pio erga ſolum meum natale amori; & cogitate quid hominis eſſe debuit *Nicolaus Perrenotus*, qui per gradus ad ſupremum togatorum faſtigium ſic ipſe ſibi viam fecit, vt ab Imperatore admodum lynceo, & in æſtimādis hominibus ſatis ſeuero, ad ſanctius Concilium, & ad ſupremā legum Imperialium tutelā adſcitus ſit. *Cardinalis* verò *Granuellanus* quid ingenij, quæ capacitas mentis, quæ hominis intelligentia; cui ſeptem linguarum perito familiare fuit, vt quatuor interdum & quinque ſcribas de maximis Regum negotiis vario idiomate ſimul dictando fatigaret: qui à Cæſare ad *Franciſcum I. Francorum, & Henricum VIII. Anglorum Reges* de pace acturus miſſus orator ad celebrem Conuentum Caletianum pro *Carolo* dixit, &

legeramus vitam S. Iacobi Hiſpanico ſermone cōſcriptā à Mauro Caſtella Ferrer, in qua l. 1. fit mentio operum Caliſti II quæ extāt in Apoſtolica Eccleſia S. Iacobi Cōpoſtellani, & in Bibliotheca Regia S. Laurētij Eſcurialis, vbi librorū initium, & finis ſic indicatur. *Incipit codex primus, finit codex primus: incipit codex ſecundus, & tertius, finit, &c.* In illis codicibus ſunt homiliæ.

poſtea pro *Philippo Caroli filio* in Comitiis Gandauenſibus, tanto auitæ religionis retinendæ ſtudio, tanto ardore, tantâ grauitate, vt illi vni niti viſa ſit in Belgio Catholica fides, quem vel eo nomine perduelles ſectarij perhonorifico ſanè conuitio *Papiſtarum in Belgio Principem* nuncuparunt. Idem conciliator & internuncius ſanctiſſimi fœderis inter Chriſtianos Principes de bello ſuſcipiendo contra *Selimum* Turcarum Imperatorem *Ioanni Auſtriaco* expeditionis Duci, & poſtea ad Naupactum (quod *lepantam* vocant) victori militare vexillum à *Pio V. Pont. Max.* ſolenni ritu inauguratum Legatus Apoſtolicus tradidit. Idem Regni Neapolitani Prorex, & ſupremus Præſes Concilij rerum Italicarum nullum finem fecit bene de orbe merendi, niſi quem ei natura viuendi fecit. Exemplum ſanè perilluſtre Sequanicæ iuuentuti ad amorem literarum & ſtudium, quarum beneficio tantus tantus extitit, vt non ſolùm mereatur imaginem in mea Bibliotheca, ſed plebe ſtatuarũ
in Vitruu. vbique gentiũ dignus ſit; qui, teſte Daniele Barbaro electo Patriarcha Aquileienſi, ac ſcriptore doctiſſimo, *ad omnes artes & ſcientias natus erat.*

6. Facere non poſſum (*Præſes ampliſſime*) quin meæ omniúmque voluntati obſecundans tuum, licèt viuentis videntíſque ſydus, in Sequanico cœlo collocem, qui iam pridem Regum & Archiducum noſtrorum Neſtor & caput emines in ſupremo Burgundico Senatu, ac nuper grauiſſimi belli, vel æternæ pacis arbiter conſtitutus Chriſtiani orbis oculos & expectationem ſex ipſos annos tenuiſti, in ſpectatiſſimo theatro, magnâ quidem tuâ gloriâ, qui quâ ætate plerique amoueri ſolent à Reip. gubernaculis, tu eâdem, & fortaſſis etiam prouectiori perfunctus ampliſſimis muneribus ad maiora in dies proueheris: ſed equidem non exiguâ Burgundiæ noſtræ commendatione quæ talem virum diu habuit ſui Senatus Præſidem, in cuius conteſtata fide & conſiliis *Rex Catholicus* in graui cauſa Chriſtianæ Religionis, atque Italiæ pace & propè totius Europæ ſancienda feliciter conquieuit. Plurimis aliis ſcriptoribus Sequanis quoque ex hoc tam frequenti & illuſtri omnium Ordinum conſeſſu imaginem dedicarem, pro eo ac plerique merentur, niſi ſuæ modeſtiæ conſultum vellent, & ſcriptum meminiſſem à Plinio, vnius Marci Varronis adhuc viuentis imaginem propoſitam fuiſſe Romæ in Pollionis Bibliotheca. Veniet illa dies cùm poſteritas bene multos quos hîc tacito nomine veneror inter aſtra Sequanica referet: & quia non minùs glorioſum eſt facere ſcribenda, quàm legenda ſcribere; tum etiam pro innata Sequanis erga ſuos Principes obſeruantia, collocauimus in loco maximè illuſtri ſupra huius cellæ lumina ad Orientem, duodecim Auſtriacos Imperatores, & è regione Burgundiæ Duces potentiſſimos, Athlantes magnæ partis orbis Reges Catholicos, ac inuictiſſimos Principes *Albertum* & *Iſabellam*, quorum omnium imaginibus tanquam Diis maiorum gentium, locus iſte ſit longè auguſtior. hæc eſt illa ædes, & ſapientiæ domicilium, cuius fronti inſcripſimus ψυχῆς ἰατρεῖον. hoc eſt, illud ſacrarium, cuius fores recludimus Sequanicę iuuentuti. hi quorum ceras, vel literaria monumenta intuemur in hoc Muſeo, Medici ſunt animorum noſtrorum; ab iis certa mentis ſalus & incolumitas promitur.

Porrò

Porrò ne quis putet temerè & perperam hæc à me dici, *Chryſoſtomo* & *Baſilio* credite, teſtibus ad fallendum minimè inſtitutis. ille ſingulos libros ſingula pharmaca,& medicas animi officinas appellat; iſte, atramenti ſagittas & ſcalpella, quæ cùm infiguntur ægris mentibus, ſaniem & virus eliciunt cum explorata ſpe ſanitatis. Et quoniam cœpi magna illa Chriſtianæ legis lumina & columina teſtes in hanc rem adhibere, *Auguſtinum* appello,& *magnum* quidem cognomine, re autem & Pontificatu maximum *Gregorium.* Sacros libros illi vocant conceptã à cœleſti Medico formulam pharmaci ægris mentibus adhibendi; & epiſtolas de patria noſtra à Deo & cœlitibus ad nos datas, quas vel tantùm legiſſe,& in vtilitatem ſuam conuertiſſe,reſcripſiſſe eſt,& cumulatè Medico pro impenſa nobis opera mercedem numeraſſe. Quid ago? videor in re expedita & facili confugere ad ſacram anchoram,experiri prolatis tabulis & ſanctorum Patrum anctoritate, cùm eiuſmodi præſidia, ſi mihi neceſſaria ſint, habeam in promptu ſexcenta ex Lycei & Stoę pronunciatis,Regúmque ipſorum chirographo,quibus tamen vti, multo etiam minus tantorum Antiſtitum fidem appellare handquaquam neceſſe eſt. Si quis fortè mihi non credit, experiatur ipſe, & me tunc veteratorium narratorem verè appellet, ſi poteſt. Dicam,& liberè dicam quod ſenſi ipſe, quódque experti ſunt quicumque ſeriò animum applicuerunt ad ſtudia literarum; probos affectus non poſſe vehementiùs concitari, vel prauos comprimi, (qui ſoli ſunt animorum noſtrorum ægritudines, & ſanitas mentis) quàm iugi ſalutarium librorum lectione. Cùm Martyrum pugnas lego apud *Cyprianum*, plenus ſum animi,liber caſus omnes prouocare, Martyrum animos induo, ſeuerioris vitæ diſciplinam delitias puto. Exclamare libet, quid ceſſas Tyranne, quid ceſſas?quæro vbi me experiar,& virtutem oſtendam.De virginitate cùm *Ambroſium* differentem lego, inardeſco in amorem pudicitiæ: *Chryſoſtomum* de moribus diſputantem cùm audio, virtutem veneror,& in imbecillitate hominis propè mihi habere videor ſecuritatem Dei. Cùm *Baſilij*,cùm *Hieronymi*,cùm *Eucherij*,cùm *Hilarij*, & aliorum Procerum Eccleſiæ monumenta euoluo, humana deſpicio, nihil mihi eſt, quod Deus non eſt.Quin etiam ſi *Epictetum*,ſi *Triſmegiſtum*, ſi *Senecam*, ſi *Platonem* tero, viros licèt ſcribendo quàm viuendo ſapientiores, me ipſo grandior fio, infra me omne fortunæ telum cadit. Cùm in annalium monumentis ſpecto ſpectatorem diſtillantis in hoſtili foculo dexteræ ſuæ *Mutium Scæuolam*, dum *Catonem* cum mala fortuna compoſitum, dum *Attilium* in ſummis doloribus triumphantem, cùm reliqua vanæ gloriæ mancipia per mortes & lanienas inter ſibi molientes ad nominis immortalitatem aſpicio, tenere me non poſſum quin exclamem,Prò quàm nihil eſt quod patior, quàm remiſsè & ſegniter ad vera bona contendo.Cùm magnas minimis momentis Rerump. euerſiones, & inclinationes regnorum ex hiſtoriæ ſpecula contemplor, & æternæ mentis conſilia ſic humanis rebus moderantem, vt continuata ſerie velut immotæ ſtent inter medias viciſſitudines;mentem meam ad diuina Prouœæ venerationem compono.Tales proinde Senatores in *Ptolemæi Regis* aulâ, purpurâ florere & honoribus optabat *Demetrius Phalereus*;

7.

Vitruu.

reus; qui quemadmodum præſtantes Medici manu ſtrenuâ & nunquam inttemiſcente, acie oculorum acri & clarâ animóque intrepidi, cùm aliquem ſanandum acceperunt, ſi ad viuum ſecandum eſt, nullo ægri clamore moti, vel magis quàm neceſſe eſt properant, vel minus quàm neceſſe eſt ſecant; ſed miſericorditer immiſericordes perinde faciunt omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur: ita quod viui ſpirantéſque Conſiliarij monere metuunt, hoc mortui monitores in paginis nihil erubeſcentibus in faciem ſummâ cum libertate exprobrant,& proſunt.

8. Quid plura? ſi valeo & mente ſanus ſum, poſſum eâdem arte valetudinem tueri: neque enim alia eſt decantata illa Solis menſa apud Perſas,aut parata ambroſia Diis conuiuantibus à Iuuenta dea, vt eſt in fabulis;aut vllum mel eo melle ſuauius, quod ex librorum cera à viro ſapiente exarata eximitur:dignum vtique quod nullis aliis ſcriniis, nullis armariis quàm arcâ pectoris condatur, quemadmodum *B.Honorato* reſcribens luſit olim *S.Eucherius*. Prorſus librorum beneficium eſt, vt quidquid æui & felicitatis priùs fuit,adiici poſſit ætati noſtræ, & omnis ſuperiorum ſæculorum perfectio coaleſcere in vnum hominis animum, tanquam in aceruum ſapientiæ; quibus quaſi ſeminibus fœta mens,& quodammodo grauidata, magno poſterorum bono immortales alios fœtus enititur, & ingenti cum fœnore reddit venturis ætatibus,quod à prioribus accepit.O te Regem & cognomine, & re ipſa ſapientem *Alphonſe Neapolitane*, qui mentis ſimul & corporis ægritudines petitis ex librorum apotheca medicamentis depuliſti. Res eſt non iniucunda (Aud.)nec indigna veſtris auribus. Periculosè ægrotabat Alphonſus Neapolitanus, neque proderat Medicorum ars, aut Capuani cœli ſolíque deliciæ, vbi tum degebat æger; cùm pertæſus longioris morbi, & difficilium curationum, Ephœbum honorarium iubet librum ſibi afferre,quo tempus fallat.Heus puer(inquit Rex)cedo Quintum Curtium. Res mira Alphonſo Alexandri res geſtas partim ſuis, partim alienis oculis legenti,tanta ſe infudit ſuauitatis copia,vt iucundus ille voluptatis æſtus ſe vehementiùs intendens redundarit in corpus,omníque abſolutum morbo, ſanum prorſus, & incolume reddiderit.Tum Alphonſus recuperata valetudine lætior,Apage, inquit,apage, *Plin.* quæ me diu confecit imperioſam Medicorum inediam; faceſſant illæ artes & officinæ quibus ſua cuique homini vænalis vita proponitur. Næ amo te, licèt Regum nomini fueris infenſus,*Marce Cato*,qui non minùs adiſſe te dixiſti medicinas, quàm Reginas. Quid mihi mare rubrum, quid vltimam Arabiam & Indiam ad veſtras compoſitiones aduocatis Medici? In promptu eſt ſalus;quæratur in libris. O te celerem, fidelem & peritum Medicum Quinte Curti, tu deinceps Archiater meus eſto.Sic ille,& quod mirum eſt, nequaquam Alphonſo repugnat *Galenus*, quem ferunt dixiſſe in ſermonibus frequenter, *Philoſophiam medicinam eſſe animorum,medicinam Philoſophiam eſſe corporum.* Ego autem Sequanicæ iuuentuti vehementer auctor ſim eoſdem Medicos vt adeat, eámque, quam illi aperio medicam officinam, cuius reliqua ornamenta & ſymbolicam ſingulorum ſignificationẽ, vt pleniùs perdiſcatis.

Reuocate

Reuocate illam ſpeciem quam ſuprà deformauimus,& cogitate vos in hanc Bibliothecam ingreſſos ſpectare ad Orientem medio ac ianuæ aduerſo inter feneſtras interuallo extantia in altiore podio quatuor numinum ſigna cubitalia *Mercury*, *Amoris*, *Herculis*, & *Mineruæ*, cum hoc lemmate ad parietem, *Nil ſine numine diuûm*; quæ res maximum & præcipuum decus eſt huius ædis,& præclarum documentum noſtræ iuuentuti ad litteras ea qua par eſt ratione tractandas. Verumtamen hîc propè hæreo (Aud.) audio enim mihi obſtrepentem monitorem neſcio quem,qui cenſoriâ virgulâ, & ſupercilio areopagiticæ ſeueritatis me interpellat.Papæ,quid hominis es? (inquit) cereæ adoleſcentiæ bipedũ corruptiſſimos ad imitandum proponis? propudia verius, & portenta vitiorum quàm numina? habent Chriſtiani Nazianzenos, Chryſoſtomos,Thomas Aquinates, & ſexcenta id genus pietatis & eruditionis abſolutiſſima exempla in quæ intueri poſſint adoleſcentes litterarum Candidati,quid tu exauguras hanc ędem rediuiuis antiquę ſuperſtitionis ritibus & cæremoniis? Bona verba, admonitor: tantiſper ſuſtine, dum ego inſtituti mei rationem expono. Abundant Chriſtiani domeſticis exemplis,non inficior: neque vſque adeò veneror veteris doctrinæ veſtigia, vt ſi quid à bonis moribus abhorreat, illud nihilominus exoſculer:ſed quid facias?his numinibus ſua Gymnaſia dedicauit antiquitas; & etiamnũ placẽt politioris literaturæ amatoribus, & antiquitatis ſtudioſis, priſcæ artis & ingenij ſimulacra: neque hîc vero numini templum excitamus,ſed manſuetioribus Muſis conſtruimus Athenæũ. 9.

Nolite putare Mercurium collocatum in hoc Muſeo vt noſtri Adoleſcentes aleam diſcant; vel eorum pugilum palæſtram,quibus pars vitæ in oleo,pars in vino conſumitur. Neque vt quoſdam pragmaticos rabulas,ſubroſtranos cauſidicos,& intentos verborum aucupio & litterarum tendiculis leguleios,cantores formularum & præcones actionum ſub tutela Mercurij emittamus in forenſem puluerem, qui lites non tam tollant, quàm ſerant, & ne id quidem gratis equidem quod ſciam.Quamquam hac ætate (ſic homines ſunt) opus eſt in foro talibus Medicis,quandoquidem (Budæo teſte)infiniti morbo(vt ille loquitur) tabulario & litigandi impetigine laborant.Affatim eſt in omnibus curiis proletariorum iuuenũm, vnâ nocte integrâ Iliades & examina erumpunt,qui longo quidem verrant ſubſellia ſyrmate; nemini tamen in foro & litibus officiant, ſed nec etiam proſint, ſibi duntaxat & ſuo Genio intenti. Neque etiam troſſulos amo in ſcholis, & formoſulos amatores ipsóſque leuiores Mercurio,qui pleni inconſultæ temeritatis, non tam delectu aguntur, quàm impulſu; feruntur,non eunt, & eò feruntur,quò itur, non quò eundum eſt: qui diu noctúque inuerecundi volitant; & vt ſaltatriculæ tonſæ,madenti coma & compoſito capillo nihil virile ſapiunt; nihil maturum. Nequaquam tamen requiro in noſtris diſcipulis grauitatem ſenatoriam, vel conſularem inceſſum, aut ſeueritatem cenſorij oculi, aut tarditatem Saturni; ſed quemadmodum ſenes amamus, in quibus eſt aliquid adoleſcentis; ſic adoleſcentes in quibus eſt aliquid ſenile, aptos eſſe ad bonas artes pronuntio. Meminiſtis veteris paræmiæ, Auditores, non ex quolibet ligno 10.

fieri Mercurium? hoc eſt quod in hac animorum gymnade ſignificat Mercurius. Grande quiddam & ſublime eſt eloquentia; paucorum eſt, & eorum dumtaxat, quos tanquam partum aureum diu prægnans natura in lucem edidit. Magnis omnino multiſque adiumentis eſt opus ad copiosè loquentem ſapientiam. Gratiarum omnium manu factus fictúſque ſit neceſſe eſt,& elaboratum naturæ opus,(quemadmodum de Cypriano dixit Nazianzenus,) quiſquis ad Muſarum puluinaria & penitiores cellas admittitur. Naturam hac in parte adeò benignè ſibi velificantem experiuntur paſſim inter reliquas gentes Sequani noſtri, vt memoriâ præſtantes & ingenio, maturitate iudicij & eruditione excellentes, corporis formâ & palæſtrâ concinni, voce, linguâ & animo prompti atque alacres Muſarum delitiæ eſſe queant, & Suadæ fercula in ſacris ſimul & prophanis pulpitis,necnon in fori ſubſelliis magnificè (vti quotidie videmus) triumphantis.

11. At hæc naturæ adiumenta, quàm nihil ſunt, aut perparum, niſi ad Mercurium *Amor* acceſſerit. Amorem dico, non ſempiternum illum hoſtem pudoris & verecundiæ; interdictum illi eſt hac Bibliotheca & illibatæ iuuentutis Ephebæo. volo enim abeſſe ab hæc æde prophanos omnes, qui è gremio noſtro diſcedentes, obliti puriſſimi lactis quod à nobis ſuxerunt,& caſti ſpiritus quem hauſerunt, diuertunt ad morum & ſcriptorum corruptelam; qui dum numeris liberè laſciuientibus mentes ſuas turpiter titillant,& alienas ſimul irretiunt viſco obſcœnæ voluptatis,efficiunt vt ſanctum olim poëtæ nomen timidè nunc à viris bonis vſurpetur. Procul hinc quotquot lutulenti fluitis inter ſcribendum; quotquot de ſpurcitiis hauritis inter legendum: quotquot ſuauiter vos bibere non putatis niſi per cælata cupidinibus vaſa: qui dum profitemini vos deliberare purioris linguæ floſculos, florem pudicitiæ perditis: procul hinc quotquot pudoris ſigna dicto Veneri ſacramento auerſamini. Apage hæc ſterquilinia ab hoc ſacello:apage à Suadæ templo infantiſſimum illum & petulamen puerum; cœnoſos ſcarabæos ab hoc horto; à Muſarum ſacrario proteruos ganeones: variè cælatos extrinſecus libellos, miniatos in vmbilicis, auratis membranis inuolutos elegantérque contextos; intus autem perlitos veneno, & illuminatos laſciuiæ imaginibus: apage eiuſmodi lucem & putorem ab hac medica animorum officina. Attingere limen huius ædis nemo audeat, quin integritatem vitæ ſermoníſque honeſtatem,& animum ab his ſordibus alienum fuerit profeſſus. Sin verò aliquis iam à me intrò admiſſus,& initiatus Suadæ ſacris fœdum quid aut eructarit,aut legerit,aut ſcripſerit; clara voce denuntio, exaugurabo illum,excuſsáque de capite laureâ eiiciam ex hoc Muſeo,adeóque ſi fuerit maioribus myſteriis inauguratus,niſi amatoria cremauerit, infulas ex eius capite excutiam. O me infelicem,ſi tales viperas habeam in ſinu; ſi Bibliothecam hanc puſuloſis aperiam, qui reſtinguendo impuro igni quo ardent,obſcœnorum ſcriptorum vomitus liguriant, vomitus ſugant,ſaniem ebibant? Miſerum me ſi ex hoc Parthenone prodeant procaces ſcurræ,proterui blaterones, laſciui petauriſtæ,qui quò meliores ſunt poëtæ, eò ſunt impuriores amaſij, quo magis ab integritate

gritate alieni,eò ſibi doctiores videntur & pulchriores. Sentio (Aud.) prima obſcœni amoris mentione vehementiùs ſtomachum mihi efferbuiſſe contra impuras ſcriptiones: non ita tamen exarſi, quin plurimũ adhuc reſiduum ſit iracundiæ, quod ſanè appareret, ſi præſentes eſſent illi in quos meritò ſtomachum poſſem effundere. Vtinam, vtinam illi adeſſent per quorum venas ita peruadit iſtud malum & inhæret in viſceribus,vt perdant quoſcumque tetro ſpiritu afflauerint.Vehementioris adhuc orationis ſcalpellum adhiberem, vomicas aperirem, peſtem exſecarem,& niſi prorſus perditi ſunt,ſanæ menti eos reſtituerem.

Ab hoc igitur Muſeo (inquiet aliquis) Tibullos arcebis, Catullos, 12.
Homeros,Iuuenales,Martiales,Ronſardos,Ouidium? Arcebo qua parte ab honeſtate deficient; vbicumque inſano cupidinis œſtro perciti, & libidinis intemperie malè acti inſanient;ſententiarum carcinomatis pleni verborum ſaniem euoment,atque à fœtidis lacunis, non autem à verecundiæ fontibus ſua carmina hauſerint: arcebo, quandiu degenerabunt in turpes ſycophantas, Syllos procaces, ſalaces Salios, qui dum Veneris faciem quæſitis vndique pigmentis ſtudioſè exprimunt,heroas effœminatos,Iouémque corruptiſſimum effingunt,peccare docent adoleſcentes Diis magiſtris: Diis (inquam) magiſtris furor inſanientium poëtarum humanos furores aluit; quid enim aliud fuit vitia incendere,quàm vitiis Deos inſcripſiſſe auctores,& exemplo tonantis ſimul & adulterantis Iouis tantam dediſſe ſceleribus licentiam, vt qui illa admiſiſſet,non tam hominem perditum,quàm cœleſte aliquod numen videretur imitatus? & hæc vitiorum incentiua introducam in iſtas ædes? hos prægustatores omnium libidinum & ad omnem turpitudinem laternarios proponam Chriſtianæ iuuentuti? Saniora mihi Deus conſilia & mentem: non vſque adeò virtutem odi & bonos mores: indignus eſſem eorum hominum ſocietate & ordine, quorum pio conatu id tandem felicitatis,quod D.Auguſtinus enixè deſiderabat,orbi Chriſtiano obuenit: nimirum vt eſſent qui obicem opponerent tartareo flumini impudicitiæ paſſim fœdum in modum reſtagnanti,& pro vino erroris & fece improbitatis quæ ſæpe propinabãtur in ſcholis,ab ebriis & malè ſanis doctoribus; eſſent religioſi præceptores,qui voto ſanctè caſtimoniam profeſſi,voce,ſcripto & exemplo petulantiam & laſciniam coërcerent & iugularent,atque efficerẽt neu amplius bonæ artes eſſent lenonum ancillulæ; ſed perpetuæ comites continentiæ & virtutis.hoc feliciter præſtat ſingulari beneficio & incredibili orbis bono minima hæc Societas Iesv in quadringentis Gymnaſiis velut in totidem templis, vbi quater mille Profeſſores infinitorum iuuenum myſtagogi ſapientiæ & honeſtati continuò perſanctè operantur. Quapropter librũ nullum admitti patiar in hanc Bibliothecam, qui è peſtilenti loco, vel auctore ſuſpecto veniens ingreſſum poſcat, quin indictiuam ſtationem obeat,donec diligenter excuſſus ſanum ſe probet & integrum; ne quis ſtudentium latentem fortè peſtem incautiùs ventilans,mortem in præcordiis illico concipiat: alioqui ſi aditus patet omnibus promiſcuè ſcriptoribus in hoc Muſeum; non ſit amplius medica animorum officina, ſed Libitina, & Sardinia in medio Tibure. Sui ſunt ſacrarum

Bibliothecarum Præfectis rogi & carceres,quibus ardeant,vel teneantur ſub arcta cuſtodia non ſolùm picti fecibus Æſchyli,ſed alij quoque corruptores morum,ſparſores veneni,Eunomiæ perduelles , Themidis inimici , legum , Religionum & Rerump. (ſi Superis placet) egregij conditores. Interea,libet iterum exclamare ſolenne illud,

Ite procul,ſacer eſt locus,iſte prophani.

13. Amori,inquam, ſacer eſt locus. hoc eſt,generoſæ indoli , & quibus viuaces igniculi,& inexhauſta dicendi auiditas eſt; qui in litteraria palæſtra victi verecundantur; laudati aſſurgunt , frænis indigent, non ſtimulis ; amari volunt,præceptores redamant,mentis circa ſtudia ſunt erectæ; non ſomniculosè,non perfunctoriè,non motosè, non remiſsè ſtudiis ſe commodant,ſed totos alacriter tradunt. Felices Suadæ & Sapientiæ alumnos, ſi eorum mentibus faces ſuas amor iſte ſubiecerit , & incenderit inflammatâ diſcendi cupiditate.Quicumque hoc litterarum amore fuerint incitati ; licèt fortaſſis minùs aliunde inſtructi naturæ præſidiis, audeo tamen ſpondere cum Tullio , poſſunt obtinere locum & nomen inter claros oratores, & viros doctos honoratum : ſi qui verò ſunt inertes & languidi,qui ſine hoc amore Rhetoris nomen , vel Philoſophi,vel Theologi ſuſtinent , (quem titulum ſtipes quoque & trũcus ſi hîc ſtabit,ſuſtinere poterit)auctor ſum illis,vt pallium maturè abiiciant & calamum ; ne nihil fortè per multos annos diſcant præter ignorantiam litterarum ; & ab eloquentiæ & ſapientiæ Gymnaſiis redeant ad patrios Lares dimidio infantiores , & ſtultiores quàm acceſſerint.

14. Venio ad Herculem : eius clauam neſcio vtrùm memineritis fuiſſe ex olea,quæ eſt arbor ſapientiæ ; cuius ſtudio incenſos nihil eſt neceſſe luſtrare Græciam & totam Aſiam,quemadmodum fecere plurimi quõdam Suadæ inſtitores loborioſi,& ipſe orbem orbi vindicando Hercules : habetis intra mœnia huius vrbis almam & perantiquam Academiam omnis diſciplinæ,Theologiæ Antiſtites eximios , Iuris interpretes clariſſimos, Medicinæ Profeſſores doctiſſimos : & quoniam ordini quoque noſtro in partem laborum venire contigit,habet iuuentus veſtra,vel à primis Grammaticæ rudimentis , eos in omni facultate politiore,ſeueriore,& ſacra Doctores , vt nullæ omnino toto orbe ſcholæ, nullæ Academiæ veſtro Collegio antecellant. Solummodo meminiſſe debent diſcipuli noſtri,monſtra deſidiæ opprimenda eſſe continenti labore & ſtudio tanquam Herculis clauâ ; ſimúlque portenta illorum vitiorum, quæ plerumque variis in locis adoleſcentes ad ſummam laudem contendentes agere tranſuerſos ſolent,& circæo neſcio quo poculo ita de poteſtate mentis deiicere , vt è præceptorum liberati cuſtodia , & recentes ex noſtris vmbraculis , cùm prodeunt ad ſolem atque ad grauiorum diſciplinarum Academias , quaſi ex ſeminatis venenatis dentibus eriguntur in culmos armati ; & tanquam iacto fatali diſcordiarum ſaxo mutuis (vt olim Cadmæi fratres) ſe conficiunt vulneribus. Magno (mihi credite) magno & prorſus Herculeo labore opus eſt ad bonas artes comparandas. Nolite exiſtimare amnes aureis ramentis inclitos influere in dormientium arcas , aut putum

putúmque aurum ſapientiæ in ſumma tellure, vel à maximè ingenioſis reperiri. Bene vobis ſit & feliciter, facilíſque ad ſumma quæque aſcenſus, quotquot non vacatis ſomno, ſed ſuccumbitis, noctiúmque partem non minimam ſtudio literarum vindicatis: quotquot ſerò manum de tabula, nec de Muſeo pedem, niſi priùs ter quatérve, & ampliùs clepſydram vltimum ſtillicidium exhauſerit. qui è libris ſtudiosè excerpitis ſalutares admonitiones velut compoſitiones vtilium medicamentorum, ex iis quæ nunc aceruatis aliquando vniuerſo orbi mirabiliter profuturi glorioſulæ ſunt Philoſophia & Rhetorica, exercet etiam ſuũ imperium Theologia; dant tempus, non accipiunt, ídque duntaxat nobis nos habere volunt, quod reliquerint, non autem à nobis accipere, quod rogati dederimus: his gradibus ad magnos honores aſcenderunt heroes illi Sequani, quorum imagines propoſuimus in hac Bibliotheca, qui niſi plus olei conſumpſiſſent, quàm vini, niſi plus hauſiſſent nocturnę fuliginis in Muſeo quàm humoris ſerotini in nocturnis per compita bacchationibus; niſi eis magis placuiſſent otij literarij deliciæ, quàm mulierculatum greges & ſaltatriculatum chori; niſi fuiſſent poliendæ mentis, & librorum, quàm aliæ & cutis bene curandæ ſtudioſiores; nunquam ingeſti fuiſſent honores interdum etiam recuſantibus; neque ita eos geſſiſſent, vt ornamentum non accipere, ſed dare ipſi dignitati viderentur.

Supereſt dicamus breuiter ecquid veterum inſtituto Mineruæ ſimulacrum in hac æde ſignificet: interpretetur quilibet hoc Emblema prout voluerit. Ego per Mineruam ortam è fœto Iouis capite, reor nihil aliud innui ſtudia literarum profitentibus, quàm eruditionem, & ſapientiam donum eſſe ſupremi Numinis, in cuius fauore & beneficentia plus eſt momenti ad comparandas ſcientias, quàm in naturæ dotibus, vel amore literarum, vel continenti ſtudio ſit præſidij: quod nec ipſoſmet Ethnicos latuit, cùm nobis hunc Mineruæ ortum ex Iouis cerebro pro ſymbolo commenti ſunt. qua de re ſuperſedeo dicere pluribus, quia Chriſtianis pro oraculo eſt, vti re vera eſt, *ſapientiam ex ore Altiſſimi prodiiſſe.* 15.

Vobis igitur Genij liberalium Gymnaſiorum Præſides, vobis hanc Bibliothecam ego veſtro beneficio eius æditu us dedico, poſtes amplector, limen tango, aras teneo, & præcinente Suada ſolenne vobis carmen ſuccino, quo ritu, qua obteſtatione, quibus precibus decet. Vobis item Sequanici iuuenes huius ædis fores aperio, ſi modò parati eſtis morum, ſermonis, ſcriptionis, & lectionis honeſtatem, obſeruantiam præpoſitis veſtris, literarum amorem & ſtudium, & præclaræ veſtræ indolis culturum diligentem mihi polliceri, dum ego horum ſacrorum myſtagogus Suadæ oracula & myſteria reconditioris doctrinæ vobis exponam. Quiſquis præclarum illud iuſiurãdum iurauerit, neque peierauerit, introducetur ad Muſarum adyta & ſanctiorem cellam, vbi perfectam mentis ſanitatem conſequetur, & ſacris infulis ſuo tempore donatus nomen obtinebit inter ſuos, facilè cum ſapientia & Suada commercium, & ſummum imperium in flectendis fingendíſque hominum mentibus. Aſpicite diſpoſitas in hac Bibliotheca maiorum veſtrorum, aut ſaltem popularium ceras, quorum immortales animæ viuunt in ho- 16.

minum memoria,& rectè factis,viuéntque in omnes annos conſequentes; viuunt,viuunt,inquam,iſtæ imagines, neque ita exangues ſunt, & vetuſtate euanidæ,quin hæc vobis loquantur per os meum, & quidem voce tam graui & contenta,vt ſurdus ſit,& ſaxeus qui non exaudiat. Inſcribite mentibus veſtris pauca quidem;ſed fœta ſenſu verba, & ſingulas voces ſuis momentis æſtimate. Sic loquuntur.

17. Plurimum intereſt ad candorem vnionis & pretium, quàm purus ros influxerit in concham tempeſtiuâ oſcitatione apertam, (*Sequanici adoleſcentes*;) id præſidij vobis defuiſſe quiritari non poteſtis ad Sequanici nominis ſplendorem retinendum quem à nobis accepiſtis; nam & Regum oracula fuimus, & orbis lumina, nec aperto fortè Senatu lecti ipſi à nobis & mutatis repentè calceis Senatores facti: non tranſiuimus è cunis ad Patrum ordiné, ſed è campo literario,& glorioſis laboribus ad has dignitates euecti id efficimus,vt vobis erubeſcendum ſit,ſi degeneres, & inglorij intratis in alienos triumphos, & maiorum veſtrorum ceras ſine vllo imitandi ſtudio aſpicitis. Nolite gloriari vos eſſe ſurculos noſtri ſtemmatis, & natos in libera Burgundia, niſi viuidam vegetámque effigiem gloriæ noſtræ exprimere ſatagitis in animis veſtris, veſtrámque imaginem noſtris imaginibus aliquando cum honore inſerere:ſatius eſt nobilitaté ſibi parere, vel etiam nunquam ſibi peperiſſe, quàm à maioribus acceptam corrupiſſe.Nolite imitari degenerem Africani filium,vt audiatis illud: *quantas tenebras à tanto ſole & lumine naſci paſſus es Deus immortalis?* Addite noſtræ claritudini nouam claritudinem, & facite vt non tam vos à nobis lumen accepiſſe, quàm nos à vobis mutuati lucem videamur.Nobilis & gratæ inter parentes & liberos victoria,qua virtus de virtute triumphum agit.

18. Sic affatur Sequanicam iuuentutem curia mortuorũ Senatorum, ſic Bibliothecas appellare cõſueuerat Alphonſus Siciliæ Rex;in hoc tamẽ deceptus,quòd mortuos Conſiliarios viuis dictitabat eſſe potiores:eâdem enim purpurâ fulgetis,qua mortui,quos hîc dedicauimus, nec minori eruditione,aut rerum gerendarum ſcientiâ *Senatores ampliſſimi*: addo & eodem deſiderio iuuentutis erudiendæ iis præceptis & moribus, de quibus nunc dixi.Veſtri enim ordinis ſola authoritate & nutu quælibet iuuenilis ferocia comprimi poteſt,ſicut veſtra cura, & vigilantia magiſtris ſua ſponte plurimum iam incitatis ad diſcipulorum profectum animos facit,vt eximiæ Sequanorum incoli excolendæ, & veſtris in noſtrum ordinem meritis pares eſſe contendant.Memineratis Patres conſcripti; cùm nuper literariam diſciplinam præclaro decreto ſanxiſtis, memineratis diuinæ illius vocis apud Titum Liuium fata Imperij Romani & triũphos bonę iuuentutis educationi audacter tribuentem. Placuit ſæpe reguſtare Romani hiſtorici verba de veterum Romanorum ſtudio in inſtituenda iuuentute. *Parua ſunt hæc*, (inquit) *ſed parua non contemnendo maiores noſtri magnam hanc rem fecerunt, iiſdem poſtea neglectis eamdem funditus perdiderunt.* Quod exitium tum præſertim contigiſſe reor,cùm Romana iuuentus liqueſcere delitiis, & vſque adeò cœpit fluere mollitia,vt comptuli iuuenes,& delicatuli non modò ſibi metuerent ab honeſtis vulneribus;ſed nec apis aculeum ſine clamore ferre poſſent,

poſſent, & ſufficere putarent ad obiiciendum ſcutum & animum fugámque capeſſendam, ſi polita frons, & cincinni ab hoſte peterentur. Quid verò expectari potuiſſet ab iis qui apud tonſorem aſſidui, dum neſcit quid decerpitur quod proxima nocte in mento & genis ſuccreuit, vel reſtituitur, ſi quid capillorum extra ordinem iuit, aut diſiectum eſt; vel corrigitur ſi quid incautè de iuba ſua deciſum; qui domi inter pectinem, & ſpeculum toto mane occupati factíque inerti negotio operosè nihil agebant: fidem veſtram Auditores. Quis iſtorum comptulorum nobilium qui frequentes erant in caſtris Pompeij contra Cæſarem non maluiſſet remp. turbari quàm comam; non ſolicitior eſſet de capitis ſui decore, quàm de ſalute, non comptior quàm fortior, & honeſtior! Verùm mittamus iſtos bellatulos, ne ſi eorum ſimiles formoſuli ſentiant ſe à me perfundi acriori aceto, quàm pati queant, & perfricari paulo aſperius quàm à ſuo tonſore conſueuerint palàm conteſtentur aliena me loqui, atque ad inſtitutum, & ad diſcipulos noſtros minus appoſitè. Itaque redeo ad id quod dicebam, memor Iuſtinianei dicti, quod ego ſemel, aut iterum dũtaxat, vos verò Themidis Sacerdotes veſtra volutando ſæpiùs legiſtis *l. magiſtros, C. de profeſſorib. & medicis*; quo loco conceptis verbis Imperator aſſeuerat, ſe non aliam ob cauſam moderandis Academiis Senatum ſuum præfeciſſe, niſi quòd ipſe per ſe præſens intereſſe continenter non poſſet; nam (vt idem ſapienter ait *l. finali, C. de bonis quæ liberis, Bonum eſt refrænare iuueniles calores, ne cupidini dediti triſtem ſentiant exitum, & ff. de ſeruo corrupto, l. vt tantum; intereſt noſtra animam liberorum noſtrorum non corrumpi.* Veneramur quidem in veſtra purpura, & dignitate maieſtatem Principis, *Senatores*, ſed veſtram in conſtituenda regendáque optimis decretis adoleſcentia vigilantiam dum agnoſcimus, id facitis, vt nobis connitendum ſit, ne Patriæ Patrum, & Deorum (vt ſic loquar) iuuentutis tutelarium ſolicitudini voluntatem noſtram, & ſtudium deeſſe vllo modo patiamur. Maximas item vobis gratias agimus habemúſque maiores, *viri clariſſimi Dolanæ vrbis magiſtratus,* qui honorariâ illâ præmiorum diſtributione quam in finem anni Academici indixiſtis, id præſtatis, vt non ſolùm lectiſſimam prolem ſufficiatis in veſtra parentum munera, & glorioſos pro Rep. labores, ſed etiam vt Dolanæ vrbis ſplendor, & altrix bonarum artium munificentia demereatur ſibi plurimas longè latéque ciuitates & prouincias, quæ è ſuo ſinu, & domeſticis delitiis mittunt ad veſtram Academiam florem ſuæ iuuentutis Chriſtiana pietate, & liberalibus diſciplinis imbuendum.

Date mihi hanc veniam *Auditores*, vt priuſquam finem dicendi faciam, communicem vobiſcum id quod ſæpe reputaui apud animum 19.
meum in hac cauſa. Si viuitur in hoc Sequanico ſolo feliciter, ſi ex altæ pacis ſpecula iam pridem contemplamur illatam circumquaque vicinis Regnis ab Religionis & Principum perduellibus vaſtitatem: ſi continuos armorum ſtrepitus videmus audimúſque ſecuri: felicitatem hanc (quæ profectò eſt maxima) adſcribendam puto ſecundùm Deum optimæ, vel ab ipſis incunabulis Principum noſtrorum inſtitutioni, quæ ſtantem in adoleſcentiæ exordio PHILIPPVM noſtrum ad eas animi laudes

laudes & ornamenta prouexit, vt ad commendandam celebrium Principum ſenectutem ſufficiant. Is ceu regia ſpina, non prius floruit, quàm fructus protulit; & Solis inſtar, non prius ortus eſt, quàm lucem dedit, & in prima adoleſcentia (quod in Hiſpanis & Auſtriacis Principibus iam pridem obſeruatum eſt) vir fuit, de cuius laudibus pluribus dicere conſultò ſuperſedeo, quia ſatius eſt à me nihil dici, quàm tam illuſtre & auguſtum argumentum obiter delibari. ISABELLAM verò noſtram quid putatis *incomparabilem* heroinam reddidiſſe? (ſic illam audiui appellari in Gallia à Principibus perſonis) quid putatis dudum beaſſe nos tantæ Principis Imperio? An duodecim Auſtriacorum Imperatorum Regúmque multorum genus & ſanguinem? Magnum eſt illud quidem, at nemo in gloriam noſtram vixit, quod ante nos fuit, vix noſtrum puto. Sciunt omnes quod dicturus ſum, non ideo tamen illud prætermittam, quia omnium ore teritur. Id boni quantum quantum eſt, meo quidem iudicio, magnam partem acceptam referri debet factori fictoríque Iſabellæ Claræ Eugeniæ Philippo II. Regi & parenti opt. max. qui natam ad res maximas regiam virginem noluit in alio quàm in regiarum virtutum ſinu adoleſcere; nullis aliis crepundiis, quàm ſeriis ſermonibus; nullis pupis, quàm Iudithæ, Heſtheris, Deboræ, Pulcheriæ, Clotildis, Blanchæ, atque atauiæ ſuæ Maurorum domitricis Iſabellæ formandis fingendíſque in ſeipſa viuis imaginibus: adoleſcentulam verò aſſuefecit magna meditari, ſanctioribus conſultationibus de vtriuſque orbis adminiſtratione intereſſe, & id haurire de fontibus paternorum conſiliorum, quod in nos aliquando refunderet; euentu ſanè ſicut iam pridem exprimitur admodum felici.

20. At iam quid fiat illis parentibus qui liberorum indolem plerumque mediocrem duntaxat, & minus interdum laudabilem, negligentiâ ſuâ, aut nimiâ indulgentiâ penitus corrumpunt? Si pipiunt albæ gallinæ filij; ſi gemunt columbuli; ſi flent moroſuli, lacrymas ſolicita mater abſtergit, & crudeliter blanda, quidquid præceptores per longum tempus ſapienter adſtrinxerunt, momento relaxat. Id cauſæ eſt (vt cum Stoico loquar) cur *pupillis, quia plus licet, & vnicis, quia plus indulgetur, corruptior ſæpe animus ſit:* prætextam quidem & pueritiam procedente ætate relinquunt, ſed puerilitatem ſemper retinent; & ſi reſipiſcunt aliquando, tum demum ſapere incipiunt, cùm ad conſummatam ſapientiam perueniſſe oporteret. Proinde adoleſcentes, ſapite maturè vt ſapiatis diu: adite ad hoc Ephebæum, & ad eam animi palæſtram, quam ego vobis aperui; atque incenſi generoſo illo impetu, & amore literarum de quo diximus, negotioſum otium in literarij ſeceſſus otioſa occupatione diligite. Bibliotheca hæc publici iuris eſto; pateat omnibus. Et quoniam eius procuratio mihi incumbit, pugnabo pro viribus & enitar, vt ſemper habeatis inſtructam omni apparatu medicam animorum officinam. DIXI.

FINIS.

INDEX
RERVM VERBORVMQVE NOTABILIVM.

Prior numerus paginam ſignat; poſterior eſt marginalis.

A

ABRAHAM Patriarcha. *pag.* 180
Abram Iudæus. 261
Abaſſinorum Impp. inter alios inaugurationis ritus, Traditio clauium Bibliothecæ Regiæ. 446
Academia Hieroſolymitana. 3,4
Complutenſis. 4,8
Academiæ Iudæorum in Babylonia. 98,4
Accurſius IC. 92
Iam grauis ætate ius didicit. ibid.
Achates Bootij. 384,3
Adagia,
Sus Mineruam. 115,5
Pingui & craſſiore Minerua. ibid.
Literæ Epheſiæ. 392,6
Vide pag. 197.2
Adagiorum vſus; & abuſus. 503
Adamantes ex adamantibus progeniti. 384,3
Ædificandi lex. 50,1
de Ædificatione monitum Vitruuij. 27
Ægyptiorum vſus in cooptatis ad ſacerdotium. 35,6
Eorum ſapientia. 147. & ſeq.
Lac propinabant ſuis candidatis. 165,1
Ægyptus. 146
Æmulatio. 163
Honeſta, ad profectum vtilis eſt. ibid.
Ænigma quid. 123,1
Ænigmatum vſus olim in conuiuiis. 186,2
Vide pag. 482
Aër. 339,3
Æſculapius. 341 & 372
Æſopus. 212
Æſopi mantica. ibid. 2
Æternus ſenex, de Deo. 3
Ætate, vel dignitate prouectis de nouo aliquid diſcere non erubeſcendum. 165
Aëtius. 251
Agnus, plantæ genus. 385,6
Agrippa. 263
Alcalcomenis, Mineruæ templum. 6,3
Albertus M. 132
Alchymiſtæ, eorúmque libri. 340,5
Alchymiſtarum ars quæ. ibid. 6
Alexander M. 166,1 & 446,9
Nunquam ſe ad capiendum ſomnum compoſuit, quin enſem ſimul cum Homeri operibus ſuo ſuppoſuiſſet capiti. 37,3
Alexander Hieroſolymorum Epiſc. & Martyr. 279
Alexarchus Grammaticus. 361
Alphonſus Aragoniæ Rex. 13
Vtrumque Inſtrumentum, adiectis etiam commentariis, quaterdecies perlegit. ibid.

Domi belliquc felix. 37,5
Librorum amans. ibid.
Alphonſus Ciaconius. 279
Alphonſus Deza. 274
Amanuenſes. 454
Amphitheatrum literarium. 173
Anagnoſtæ. 454
Anaſtaſius Bibliothecarius. 451,2
Anatomia. 343,5
Andr. Bodenſtein Carloſtadius. 259
Animus inquies (eruditi hominis) opere paſcitur, ex Domitio. 230
Animi voluptas. 10
Morbi tres. 60,1
Intenſio, atque remiſſio. 192, 1 & 2
Animum pingendi modus. 76, 2 & 79,5
Animorum imagines. 79,5
Antiates apud Philoſtratum. 32
Antigonus. 29,2
Amictu tenus Philoſophus appellatur ab Ammiano. ibid.
Antiochus Epiphanes. 250
Antiochus Sophiſta. 200,2
Antonius Auguſtinus Nebriſſenſis. 270
Antonius Faber. 258
Antrum Mantuanum in Italia. 380,5
Apelles pictor. 78
Ad tabulam Protogenem admittebat, & Apellem Protogenes. 95
Apes. 196,5
Apollinaris iunior. 253
Apollinaris Syrus. 416
Apollinarius hæreticus. 403,5
Eius lepida hiſtoria. ibid.
Apollo vicanus, columna in acutum exiens, ſiue tubinata in veſtibulis ædium. 110,4
Apoſtoli, gregis rationalis duces. 135,1
Legis & ſanctarum Scripturarum vaſa & armaria. ibid.
Ipſius Chriſti oculi. 136
Noui Teſtamenti Patriarchæ. ibid.
Apoſtolorum prodromi, & antitypa, de Prophetis. ibid.
Apparatus. 363,4
Appion Grammaticus. 362,2
Aqua, aquatilia. 339,3 & 482
Arbor ſcientiæ boni & mali quæ. 83,5
Arbor Perſea. 222
in Arboribus viuentibus virentibúſque ſcribere moris fuit. 82
Archetypi codices. 371
Archetyporum codicum quanta auctoritas. ibid.
Archidux noui Teſtamenti, de Ioanne Baptiſta, ex Cyrillo. 123,1
Archilochus Poëta. 412. & ſeq.
Architectura. 282,8
Archiuia. 451,1
Arcus ex contenſo fractus: item remiſſus & integer. 192
Aretinus IC. 92
Quadragenarius tirocinium eius ſcientiæ cœpit. ibid.
Ariſtarchus Alexandrinus. 2
Supra millena volumina edidit. ibid.
Ariſtoteles. 9,4
Libros primus congregauit, ex Strabone. 11 & 449,1
Eius pietas erga Platonem Magiſtrum. 183,1
Arius. 252
Arma, de libris. 95,1
Armarium. 244,7
Eius architectura qualis ſit. ibid.
Armariorum duplex genus. 243,4
Arnaldus de Brixia. 257
Ars. 209
Nulla loco diſcitur. ibid.
Ars heraldica. 442,3
Nobilium. ibid.
Artes aliis alias eſſe. 163,2

Artes liberales. 481
Illiberales. ibid.
Artemiſia, vxor Mauſoli Regis Cariæ. 166,2
Arx Sion. 198
Aſcanius Card. Columna. 278
Aſcetici libri. 364
Quid. ibid.
Eorum vtilitas quæ. 365,3
Aſianus diues. 30,4
Eius hiſtoria. ibid.
Aſinius Pollio. 279
Aſinium Pollionem primum Bibliothecam dicando ingenia hominum rempublicam feciſſe ferunt. 246,5
Aſpendius Cithariſta. 179, 2 & 461,4
Aſtrapæus, ſiue fulguralis lapis in æde Regia S. Laurentij Eſcurialis. 381,2
Aſtrologia. 337.6
Eius vtilitas. 387,2
Athenæ vnde dictæ. 149,3
Athenæum Lugdunenſe. 538
Athenæa, quæcumque loca celebria, in quæ veteres poëtæ ſua ſcripta deferebant. 115,5
Athenais. 264
Athei qui. 396
Atramenti ſagittæ apud Baſilium. 95,1
Auctores librorum veluti liberorum parentes dicti. 94.3
S. Auguſtinus ipſius manu ſcriptus, Baſileæ. 370,1
Auguſtinus Eugubinus. 452,3
Auguſtus. 167,1
Auguſtus Octauius. 279
Auiarium, hominis eruditi anima, ex Platone. 218,1
Auis, ſeu volucris cœli, de Dionyſio Areopagita. 240 & 302,2
Auis cryſtallo criſtata, in palude Mexicana. 385,5
Auis Indica roſtro ſe affigens ſummæ arbori. ibid.
Aues cur dicatæ Apollini, ex Tullio. 199,3
Aues, pro ſcientiis. 218,1
Vide pag. 339,3
Aureum vellus quid. 340,5
Aurora, Muſis amica. 51,3

B

Babylonij numeri, de diſciplina genethliaca. 154,2
Bætylus lapis. 110,4
Balnea quid, ex Artemidoro. 39
Balnea inter delitias vitæ voluptariæ adnumerat Homerus. ibid.
Bathyllus poeta. 421,3
Bauariæ Dux. 280
Bellica. 481
Belus Rex Babyloniæ. 154
Beſſarion. 277
Beza. 269
Biblia ſacra. 287
Bibliotheca,
Pariſienſis. 4,7
Vaticana. ibid.8
Alexandrina. 11.2
Attalica. ibid.
Ptolemæi Philadelphi. ibid. & 25, 1 & 36,1
Auguſtana. 27
Sacra à Chaldæis incenſa, & ab Eſdra Sacerdote reſtituta. 34
Bibliotheca Athenis in æde Iouis Panellij extructa. ibid.2
Bibliotheca Ptolemæi Philadelphi primùm in Serapio condita, ibíque à Cleopatra reparata. ibid.
Octauiana. ibid.3
Templi Pacis. ibid.4
Templi Traiani, dicta Vlpia. ibid.
Templi Herculis. ibid.
Cæſarienſis. 35,6

Matthiæ Coruini Hungariæ Regis. 36,2
Vlpia tranſlata in collem Viminalem ad ornandas thermas Diocletiani. 38,1
Schorialis. 47,8
Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris Bononiæ. 54,1
Bibliotheca faui nomine ſignificata. 58
Bibliotheca Oſimânduę Regis Ægypti. 60
Bibliotheca quid. 8,2 & 95,1 & 101, 1 & 2
Bibliotheca Eccleſiaſticorum quos præcipuè libros admittat. 436
Principum & nobilium quo genere librorum inſtitui debeat. 441
Bibliotheca domeſtica:
Regis Algeriæ. 446
Iacobi Almançor Regis Arabiæ & Africæ. ibid.
Muleaſſis Tuneti Regis. ibid.
Menæ Imp. Æthiopiæ. ibid.
Bibliotheca ne promiſcuè omnibus patens eſto. 455
Bibliotheca S. Laurentij Eſcurialis. 515
Eius deſcriptio. ibid.
Sciographia primarij membri, & pluteorum materies, forma. 519,1
Genus librorum. 520,2
Picturæ à coronide ad faſtigium Bibliothecæ. 521
Infra coronidem picturæ. 524
Deſcriptio ſecundi conclauis, in quo ſunt libri vulgarium linguarum. 527,1 & ſeq.
Tertij, vbi codices, manuſcripti adſeruantur. 528,3
Librorum collocatio & ordo. 529
Diſciplinarum ſeries. ibid.
Initia & incrementa Regiæ Bibliothecæ. 531,1
Libri quidam ſingulares. ibid. 2 & ſeqq.
Alia huius loci propria. 534,6
Res quædam raræ in Regia Bibliotheca. 535
Bibliotheca Muleyſidani Marrochij, & Feſſæ Regis. 536
Bibliothecæ
Extructio. 1
Inſtructio. 285
Cura. 448
Vſus. 477
Bibliothecæ locus in noſtris ædibus opportunus quis. 48,2
Situs, lumina. 50
Celſitudo & proſpectus. 54
Cœlum, ſolum. 55
Oſtium. 58,1
Bibliothecæ in Templis extrui ſolitæ, & cur. 33 & 34,3
In Regum palatiis extructæ. 36
In thermis extrui ſolitæ. 38
Bibliothecæ Baianæ. 41
Bibliothecæ in villis, & ſuburbanis extrui ſolitæ. 43
Bibliothecæ priuatæ, earúmque inſtructio. 435
Bibliothecarum extruendarum finis
1. Vtilitas publica. 2
2. Eruditionis oſtentatio. 5
3. Comparanda eruditio. 7
4. Animi voluptas. 10
5. Morum inſtructio. 14
6. Magnificentiæ oſtentatio. 25
7. Falſæ eruditionis oſtentatio. 28
8. Nobilium ingeniorum conſecratio. 31
Bibliothecarum fructus, beneficium. 9 & ſeq.

Bibliothecarum nobilium conditores. 276.& ſeq.
Bibliothecarum præfecti illuſtriores. 449
Bibliothecarum ſacrarum præfecti. 451
Bibliothecarum quarundam illuſtrium clades & excidia. 473
Bibliothecarius quis. 451,1
Eius officium quod. ibid.
Bibliothecarius Rom. Eccleſiæ qualis eſſe conſueuerit. ibid.
Bibliothecarij dicti Cancellarij. 452,3
Bibliothecarij miniſtri & ſerui. 453,1
Blaſones armorum. 442,3
Brachmanes. 156,1

C

Cabala quid. 97,2
Eius auctor quis. 96,1.& ſeqq.
Cælatoria. 283,8
Cæſar Tiberius. 186,2
Ex quotidiana lectione quæſtiones in conuiuiis diſcutiendas ſepoſuit. ibid.
Cæſar Baronius Card. 452,3
C.Plinius II. 208,1
Eius interitus. ibid.
Calamus Ouidij. 370,1
Dionyſij Carthuſiani. 381,2
Demoſthenis. 382
Calculus ceraſi in modum quaſilli exculptus. 386,1
Calculi ſonus modulatus & dulcis. 191,4
Caligula. 233,4
Calix Helenæ ex electro. 165,1
Caluin. 256
Caluiſius Sabinus. 29,2
Camera. 56,2
Cancellarius pro Bibliothecario. 452,3
Cancellarij etymon. 465,4
Canere, pro ſtudere, apud Euripidem. 191,5
Canopus Ægyptiorum. 165,2
Carcer librarius. 432
Qualis ſit, ex voluntate auctoris. ibid.1
Card.Boba. 54,1
Carminum genera,
Epicum, ſiue heroicum. 22
Lyricum. ibid.
Satyricum. ibid.
Elegiacum. ibid.
Carolus M. 31,3
Nouum Teſtamentum aureis litteris tranſcripſit. ibid.
Poſt relatas ab hoſtibus victorias ſtatim ad Epiſcopatus inſtituendos, extruenda templa, eiſque Scholas & Academias adiungendas inſtructas Bibliothecis neceſſariis, ſe accingebat. 35,5
Libros D. Auguſtini de ciuitate Dei, atque hiſtorias ſuper menſam ſibi legi iubebat. 186,2
Carolus Borromæus. 272
Carolus V.Imp. 280
Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux. 443
Caryſtius lapis. 57,4
Catharina, Henrici VIII. Angliæ Regis vxor. 271
Cato. 90,3
Eius vita. ibid.
Cauea Viminea, Timon de Alexandrino Muſeo. 170,1
Cautio in lectione librorum commendata. 220
Cedrus pro immortalitate apud Horatium. 457,2
Eius virtus quæ. ibid.
Cephalenum Dux emergens è naufragio. 23,3
Cera miniatula Ciceroni quid. 457,1
Ex milto quid Vitruuio. ibid.

Cerinthus. 250
Chaldæi. 153
Chartophylax quid. 452,4
Eius officium quod, ex Anaſtaſio. ibid.
Officij inſignia quæ. ibid.
Chemnitius. 265
Childebertus. 32
Chirurgica. 343,4
Chryſopœiæ ſcientia. 340,5
Chryſoſtomi dictum de delitiis quæ percipiuntur e ſacris Codicibus. 188,4
Chriſtiani, Sibylliſtæ. 145,1
Chriſtus crucifixus. 123
Eius ſcientia. 114,7
Chronologus. 345
Chymicorum ſecta. 344,6
Cicadæ. 197,1
Cicadas pro Poëtis ſumere Philologis ſolemne eſt. 197,2
Cineſius poëta. 169,2
Cinocephalus Niloticus piſcis. 384,4
Circenſes ludi. 111
Circenſium ludorum leuitas, vanitas, inſania. 233,3. & ſeq.
Cithara, pro libris apud Euripidem. 191,5
Citharæ contactu canoros effici lapides. 192
Cizici fons. 206
Claudius Bordonus. 275
Clem. Marot. 272
Clementia Dauidis. 61
Clepſydra alata. 158
Codices manuſcripti. 370
Quanti ab omni æuo habiti à viris doctis. ibid. 1
in Codicillis, ſiue aſellis, ſiue tabellis ex ligno dolatis ſcripſiſſe veteres ante vſum chartæ & membranarum. 81,3
Cœlum terreſtre, de templo Theoſophiæ Iuſtiniani Imp. 100
Cœnæ caput hominis ſtudioſi, lectio, vel ſermo eruditus. 185
Columba geometricis ponderibus volitans Architæ viſa eſt. 386,7
Columnæ olim pro numinibus coli ſolitæ. 110,4
Columnæ pyramidatæ. ibid.
Comates paſtor in Sicilia. 196,5
Commodus Imp. 234
Comœdia. 22
Comparatio Thyrſis cum cicadis. 197,2
Libidinis cum morbo. 204,1
Concilium Florentiæ habitum. 371,2
Concionatores. 313
Eorum regulæ, ex Nicolao Cauſſino. 319
Conditores Bibliothecarum nobilium. 276
Conſolatio Viſioneia. 14
Conſtans Imp. 32
Conſtantinopolis, noua Roma. 27
Conſtantinus Imper. 27. & 28. & 279
Conſueſcendum cum ſtudia eadem profitentibus. 190
Controuerſiarum de fide diſceptatores. 311
Contubernium plus prodeſſe quàm ſcholam. 190,2
Conuerſationis bonæ ac doctæ fructus qui. 191,3
Conuictum & familiarem ſermonem plus prodeſſe quàm è ſuggeſtu meditatum. 190,2
Conuiuium Pomponij Attici. 186,2
Conuiuia Doctorum feſtis diebus inſtituta Athenis. 186
Cornelia Gracchorum mater. 191,3
Cornua in libris quid. 457,1
Corpora motu & exercitatione ingraueſcere, animos exercendo leuari. 193,3
in Cortice arborum olim ſcriptitatum fuiſſe. 81

Cortina

Cortina Phœbi. 8,2
Coſmas Scholaſticus, S. Ioannis Damaſceni præceptor. 94,3 & 461,4 & 495
Coſmus Medicæus. 280
Crater Ægyptiorum factus in modum vberis. 165
Creſconius. 269
Criſis, de Philologia. 349
Crypta Auguſtæ Rauracorum. 379,4
Cumana Sibylla. 469,2
Nouem conſcriptos libros ad Tarquinium Priſcum Regem attulit. ibid.
Cunei quid. 243,3
Cyclopis dictum de Muſis. 62,4
Cygnis viri docti, præſertim poëtæ ſignificati, apud Horatium. 199,3
Cyllenicus, de Mercurio. 110,5

D

Darij Regis capſula vnguentorum. 32
Demetrius Phalereus. 449,1
Democritus. 1,1
De rebus ferè omnibus ſcripſit. ibid.
Demoſthenes. 49
Ad littus maris declamare ſolitus. ibid.
Deus, ſenex æternus. 3
Solus ſapiens. 238
Omnia videns. ibid.
Circulus, cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam, ex Heruete Triſmegiſto. ibid. 1
Semper idem. 240,3
Deipara V. Maria. 127
Eius ſapientia incomprehenſa creatis ingeniis, & omnia comprehendens. 236
Diætæ, vel Zetæ, id eſt, ædificia in hortis iuxta vrbem Romanorum. 44,2
Diætetica. 343,4
Dialectica, ſeu Logica. 329,2
Diana columnæ aſſimilata. 110,4
Dictionaria. 363,4
Dictys Cretenſis. 370,1
Sex libros à ſe conſcriptos de bello Troiano moriens ſecum ſepeliri iuſſit. ibid.
Didymus Alexandrinus Grammaticus. 1,1
Tria millia & quingenta volumina ſcripſit. ibid.
Χαλκέντερος nominatur, & cur. ibid.
Diligentia. 486
Quid ſit, ex Cicerone. ibid.
Eius effectus qui. ibid.
Dinocrates Architectus Alexandri. 33,1
Diocletianus Imperator. 250, & 340,5
Diræus Cygnus, de Pindaro. 199,3
Diſcipulus. 183
Diſcipulorum erga Magiſtros obſeruantia. ibid.
Diuerſorium otij ſtudioſi, pro Bibliotheca. 71,4
Documenta pro Concionatoribus. 319
Dominicus Grimanus Cardinalis. 279
Domitianus Imp. 26,2 & 279
Domus doctrinæ, de Naioth in agro vrbis Rhamata. 44,3
Theſaurorum, de Bibliotheca. 101,1. & 2
Dorico genere ædes ſacras fieri olim negabatur, & cur. 241,1
Druidæ. 30,3 & 155
Druſius Grammaticus. 262,2

Ebion

E

EBion. 250
Eccleſia Chriſtiana. 135
Echo. 75,1
Εἰ, pro foribus templi Delphici inſcriptum. 237,1
Eloquentia. 501
Eloquentia forenſis multum obſoleta,& cur. 161,1
Eloquentiæ laus. 357,1
ad Eloquentiam introductio compendiaria. 501
Emblema & ænigma differunt. 123,1
Emblemata in equeſtribus ludis præferri ſolita, vel in arcubus triumphalibus cælata. 147,3
Emporium ſapientiæ quid. 105,1
Enallus Dux, apud Athenæum. 189,5
Encyclica diſciplina quæ. 349
Encyclopædia, de Philologia. ibidem.
Epheſiæ Dianæ ſimulacrum quod. 110,4
Epheſus Ptelea. ibid.
Epheſinæ voces & notulæ. 392,6
S.Ephrem. 97,3
A D. Gregorio Nyſſeno ſpiritalis Eccleſiæ Euphrates nominatus. ibid.
Epicum carmen, ſeu Heroicum. 22
Epicureorum ſecta. 395, 2 & ſeqq.
Epiſtolæ Imperatoris Turcarum literis aureis Arabicis in linteo ſcriptæ. 382
Eremus F. Michaëlis Bonelli Card. Alexandrini Bibliotheca ab eo ipſo nominata. 74
Eruditio comparanda. 7,1
Eruditio ἴαμα καὶ φάρμακον, ex Chryſoſtomo. 62
Eruditio,de Philologia. 349
Eruditionis oſtentatio. 5
Eruditionis falſæ oſtentatio. 28
Eruditionis liberos móleſtiſſimè procreari, conſeruari verò faciliimè. 94,3
Eſſæi Iudæi vbi Academias ſuas habuerint. 46
Ethe,picturæ genus. 76,2
Ethica. 334,3
Eualthlus adoleſcens eloquentiæ forenſis diſcendæ cupidus, ſe in diſciplinam Prothagoræ dedit. 184,5
Euangelici latices, de doctrina cœleſti. 97,3
Eumenes Pergami Rex. 279
Eumenius Rhetor. 276, 1 & 277
Eupolis. 412
Euripides Atheus. 395,2
Euthydemus. 266
Eutyches. 254

F

FAbius Quintilianus. 191,3
Eius præceptum de educandis pueris. ibid.
Fabula Cadmeæ ſegetis. 411,1
Fabulæ literatæ Alexandro Seuero quid. 186,2
Fraus pro Bibliotheca. 58
Federicus Imp. 211
Eius erga adoleſcentes commiſeratio. ibid.
Federicus Cardinal. Borromæus. 278
Federicus Feltrius Dux Vrbini. 280
Ferdinandus Columbus. ibid.
Feriæ laſciuiæ, i. otia. 70
Fermentum, & caprificum, de congenita ſcientiæ gloriæ appetitione. 6,3
Fides, mentis oculus dicitur. 143
Figurarum vſus. 507,2

Flores. 339,3
Flumina, de magiſtris. 98
Foliis capitales ſortes frequenter inſcriptæ apud Græcos. 81
Fontes, & thermæ. 339,3
Earum varietas & commoda. ibid.
Forenſia. 481
Fornerius Medicus Lugd. 276
Fornix. 56,3
Foruli quid. 243,5
Foſſilia. 482
Franciſcus I. Galliæ Rex. 280
Pariſienſem Bibliothecam compoſuit. 4,7
Ei paſſeris cantus præ cæteris placuit. 164,1
Franciſcus Cardinal. Ximenes. 277
Inſtitutam à ſe Complutenſem Academiam inſigni Bibliotheca locupletauit. 4,7
Franciſcus Xauerius. 272
Franciſcus Hernades. 276
Franciſcus de Ioyeuſe. 278
Franciſcus Cardinal. Turonius. ibidem.
Franciſcus Suarez. 487
Fratres, de libris. 94,3
Fructus. 339,3
Fuggerus, ſiue Fuccarus. 280
Fuggerorum magnificentia in condenda Bibliotheca Auguſtana. 27
Funebria. 482

G

Galenus. 263
Gallus gallinacius Mercurio ſacer, & cur. 51,4
Gallorum ſpectaculum ſingulis annis Pergami publicè editur. 170,2
Id quoque exhibitum Athenis à Themiſtocle Perſis ſuperatis. ibid.
Gaſpar de Guſman. 280
Genij Orbis, de ſcriptoribus. 3,4
Genethliaca. 154
Genethliacus. 335,2
Geometria. 336,4
Eius laus & commendatio. 337,5 & 387
Geographia. 386,1
Eius vſus & vtilitas. ibid.
Geographica. 482
Geſtus ratio in pronuntiando. 512
Gloria. 6
Eius cupiditatis vis. ibid. 3
Gloriæ vanæ quædam alexipharmaca. 216
Glutinatores Bibliothecarij. 43,1
Gnomæ. 503
Γνῶθι σεαυτόν. 59,3
Gonzales de Auila. 461,4
Gordianus minor. 36,2
Græcia. 148
Graiacum apud Sequanos. 59,4
Grammatica. 361,1
Eius partes quæ. ibid.
Grammatici. 3'1
Granadilla, plantæ genus. 385,6
Gregorius II. Rom. Pont. 451,2
Guillelmus de S. Amore. 272
Guillelmus Sirletus Card. 278
Gula. 204
Τῦ γυμνασίυ notio. 41
Gymnoſophiſtæ. 156

H

Hadrianus Imp. 279
Harpaſte fatua vxoris Senecæ. 305,1
Harpocrates, ſeu Sigalion. 159
Helena. 165
Eius crater ex electro. ibid. 1
Heliogabalus. 110,4 & 234
Herbæ. 339,3
Enatæ ſuper ſepulchrum Sibyllæ. 191,4

Hercules Heſiodi. 23,3
Hermanus contractus. 132
Hermathena in Bibliothecis. 113,1
Quid ſit. ibid.& ſeqq.
Hermeracles in Bibliothecis. 116
Quid ſit. ibid.
Hermerotes Bibliothecarij. 118
Hermes poſitus in Bibliotheca cur. 109
Omnium Academiarum ornamentum nominatur à Tullio. ibid.1
Hermogenes. 200,2
Hieroglyphica. 147
Hieronymus Card.Siripandus. 278
Hieronymus Card.Rouereus. ibid.
Hieroſolyma antiqua, eiúſque ager ſuburbanus. 535
Hilarius Pont. 277
Hippius. 266
Hippocrates. 4
Octaginta volumina edidit. ibidem 6
Eius dictum de litteris. 96
Hipponax poëta. 412
Hiſtoria. 21
Quid ſit. ibid.& 344,1 & 348
Eius laus & vtilitas. 21
Amœnitas quanta, ex Maximo Tyrio. 346,1
Hiſtorica. 482
Hiſtorici ſacri. 344
Prophani. 346
Homerothecium. 166
Homo. 481
Breuis mundus, ſeu microcoſmus paſſim dicitur. 339,3
Homo magnus, de mundo apud Phyſicos. ibid.
Hominis partes. 481
Horologia omni cura prouidenda à Bibliothecario. 472,2
Hortuli Epicurei. 59,6
Hugo de S.Caro Card. 252
Hypatia. 264

I

Iacobus Laynes è Soc. Iesv. 32,5 & 274
Iac.Arminius. 259
Iac.Sallianus. 264
Ianitor Bibliothecarius. 453,1
Iaponica crudelitas. 139,7
Idiographum Virgilij, de quo Gellius. 370,1
Ignatius de Loyola. 272
Ignis. 200
Quo clarior, eo citiùs extinguitur. ibid.3
Ignorantia. 60,1
Iliadem in nuce incluſam, ex Plinio. 386,1
Imagines animorum. 79,5
Imagines in vitreis ſpecularibus, & arca tranſuerſario. 280
Imaginum dedicandarum ritus viris inſigniter doctis, præſertim in Bibliothecis. 245
Immortalitas. 63,1.& ſeqq.
Imperandi forma vnde condiſcenda. 36,1
Imperatoris cuiuſdam podagrâ laborantis hiſtoria. 111
Impudicitia. 204
Incendium vrbis Lugdunenſis. 473,1
Incendia Bibliothecarum, vide *Bibliotheca.*
Indices pro inſcriptionibus. 112
Inertia laborioſa ſuggillatur. 70,2 & ſeq.
Inertia ſolitaria, & otium literarium differunt. 71,4
Infantes cum dentibus naſci cur Deus noluerit. 165,2
Ingenium. 95
de Ingenij ſobole Ambroſij dictum. ibid.
Ingenij ac naturæ miraculum. 200,3
Ingenij peſtes gula & impudicitia opprimendæ. 204

Ingenia

Ingenia præcocia & præmatura. 199
Ingenia quo ſunt illuſtriora, eo eſſe breuiora, ex Seneca. 200,2
Ingeniorum partus vberiores. 1,1 & 4,6
Ingeniorum nobilium conſecratio. 31
Inſania aurea, de tumore ex ſcientia & literis concepto, ex Eunapio. 215,1
Inſcriptiones, tituli, ſiue Indices. 112
Inſipiens ſapientia, de ſcientia mundana. 17,1
Inſtrumentum verbi diuini, manna dictum. 16
Inſtrumenta, pro libris. 14
Inſtrumenta mathematica. 377
Geometrica. ibid.1
Aſtronomica. ibid.
Geographica. ibid.
Optica. ibid.
Catoptica. ibid.
Dioptrica. ibid.
Nautica. ibid.
Gnomonica. ibid.
Mechanica. ibid.
Hydraulica, & ſpiritalis. 378
Muſica. ibid.
Arithmetica. ibid.
Inuidia literaria. 417,4
Ioannes Hus. 256
Io. de Auila. 260
Io. Bodinus. 261
Ioannis Capnionis Pforcenſis erga libros voluntas. 371
Ad Cæſarem Fridericum III. à Principe VVirtenbergico mittitur. ibid.
S. Iob. 61
De theſauris ſapientiæ. 102,3
Ioſephus. 61
Iſæum, Sacrarium Palladis. 57,5
Iſocrates. 90
Quarto & nonageſimo anno Panathenaicum ſcripſit, vixitque quinquagennium poſtea. ibid.3
Octo & nonaginta annos natus nunquam ceſſauit à docendo. 182
Iulianus Apoſtata. 416 & 442,2
Iulius Cæſar Vauinus. 262
Iulius Cæſar Imp. 279
Eius indefeſſum ſtudium. 37,3
Iulius Africanus. 279
Ius Canonicum. 323
Ciuile. 325
Iureconſultus. 326
Qualis eſſe debeat. ibid.2
Iuriſperiti. 325,1
Iuris Sacerdotes vocantur ab Vlpiano. ibid.
Tutores orbis, & rerumpubl. Genij nuncupantur à Fabio Quintiliano. ibid.
Iuſtitiæ Sacerdotes à Symmacho. ibid.
Iuriſprudentia quid. ibid.
Iuſtinianus Imp. homo rudis omnium literarum, & planè ἀναλφάβητος. 28,1
Iuſtinus ſenior. 28,1
D. Iuſtinus Martyr. 33

L

Labienus, Rabienus. 413
Labor ineptiarum ſtultus. 162,3
Labor literarius identidem intermittendus eſt. 192
Lacunar. 56
Lælij filia in loquendo paternam eloquentiam reddidit. 191,3
Laminæ Granatenſes in monte ſancto repertæ. 373,6

Lapis contactu Apollinis lyræ ſonoros factus. 191,4
Lapidis contactu, imò etiam vicinitate ſolâ, luſcinias argutiores fieri. 192
Latij ſermonis antiſtites præcipui. 507
Lebetes, ſeu pelues circa Iouis fanum. 191,4
Lectio librorum fructuoſa. 484
Leges. 325,1
Lembæus Iudæus. 261
Leo Philoſophus Imp. 210,2
Leontius Gorgius, magiſter Iſocratis. 90
  Centum & ſeptem annos vixit. ibid.3
Lexica. 363,4
Libellus Apollonij Tyanæi. 32
Liber diuiniſſimus, de B. Virgine. 127,1
Liber obſignatus, de B.V. 128,2
Libri,
  Soles ſunt ingeniorum,
  Præceptores humani generis,
  Parentes animorum noſtrorum. 2,3
Libri Canonici B. Eucherio velut quædam numina viſi. 31,2
Libri quomodo cuſtodiendi, ex B. Petro Damiano. ibid.3
Libri auctorum liberi. 93
  Dulces Muſarum fœtus, ex Catullo. 94,3
  Arma dicuntur. 95,1
  Inſtrumenta. 14
  Pharmacum immortalitatis Triſmegiſto. 63,1
  Viſcera. 94,3
  Muti magiſtri. 159,1
Libri pij & aſcetici. 363
  Eorum vſus & vtilitas. 365,3
Libri magici. 389
  Pauli IC. atque Vlpiani de comburendis magicis libris reſponſum. 392,6
Libri impij, ſiue athei. 394
Libri hæretici. 398
  Conſtantini reſcriptum, Arij Arianorúmque ſcripta cremari iubens. ibid.
  Caroli V. decreta de libris hæreticis. ibid.
  Diocletiani item, & Maximiniani aduersùs ſcripta Manichæorum. ibid.
  Quomodo admittendi ſint. 402,4
  Libri obſcuri. 404
  Famoſi. 411
  Mutiles & otioſi. 427
Libri Numæ poſt annos 535. quàm conditi erant, integri reperti. 457,2
Librorum vis. 63,5
Librorum Aſceticorum vtilitas laudatur. 16,4
Librorum in lectione prudens cautio adhibenda. 220
Librorum lectione nulla ſpectacula honeſtiora, iucundiora, vtiliora. 231
Librorum correctores, ſeu emendatores, barbarè *Reuiſores*, qui. 453,1
Librorum cultus, munditie, ornatus, neglectus. 456
Librorum priſcorum ſtructura, ornatus, conſeruatio. 457
Librorum communicatio, mutuatio. 458
Librorum emendorum ſtudium & cura commendatur. 468
Librorum emendatorum & charactere venuſtorum delectus. 470
Librorum ſcriptio. 495
  Inſcriptio. 497
  Index. 498
in Libris legendis vtilitati potius quàm voluptati ſtudendum. 15

ex Libris auctorum quomodo proficiendum. 195

Libidinis mala & incommoda. 204,1

Libitina Dea. 140,9

Licinius Imp. 276

Limam appingere. 467,5

Lingua Græca. 508

Linguarum plurium commendatio. 374,1 & ſeqq.

Lipſius plagij accuſatus. 424

Literarum amanti ſeceſſus literarius amandus. 164

Literarum ſuauitatem tum maximè percipi, cùm impenſiùs & laborioſiùs inueſtigantur. 221,1

Literariæ operæ nonnihil quotidie à ſe exigendum. 164

Liuij decades. 371

Eius brachium. ibid.

Loca libris cuſtodiendis ab Eccleſia deſtinata quæ. 451,1

Locos communes conficiendi optima ratio eligitur. 479

Eorum forma eruditioni acquirendæ accommodata. 481

Locos communes ad ſtylum comparandum idoneos conficiendi ratio. 505

Loculamenta quid. 243,5

Logotheca Mineruæ. 8,2

Lucerna Theodoſij. 381,2

Lucernæ idoneæ in Bibliothecis curandæ. 472

Lucernula Epicteti Philoſophi, tribus drachmarum millibus vendita. 381,2

L. Lucianus Patrenſis. 393,8

Lucianus Atheus. 394,1

Lucilius. 415

Lucius Plotius Gallus M. Tullij in Latina lingua Magiſter. 150,1

Ludi literarum apud Romanos prima luce aperiebantur. 52,4

Ludicra. 482

Ludouicus Granatenſis. 272

Ludouicus Bloſius. ibid.

Lugdunum in Gallia. 475

Eius incendium. ibid.1

Luna & ſtellæ. 338,2

Ornamentum cœli dictæ. ibid.

Luſciniarum garritus deſcribitur. 168,1

Lutherus. 256

Luxuria. 205

Ingeniis mortifera, ex Seneca. ibid.

Lychnuchus arboris inſtar Romæ in templo Apollinis, in quo Poetæ libros à ſe recèns emiſſos omnibus legendos proponebant. 87,9

Lyra ſonora Spiritus ſancti, de S. Ephrem. 302

Lyrium. 22

M

MAcchiauellus. 260

Magi Perſarum. 151

Magi vox Philoſophum, aut etiam Sacerdotem ſonat. 152,1

Magiſtri, flumina. 98

Magiſtri muti, de libris. 159,1

Magiſtra vitæ, & officina prudentiæ de Hiſtoria. 21

Magnificentiæ oſtentatio. 25

Mahometes pſeudopropheta. 255

Malachini Cabaliſtarum. 97

Malleatores Bibliothecarij. 453,1

Manes hæreſiarcha. 255

Manna, de inſtrumento verbi diuini. 16

Manſuetudo Moſis. 61

Mantica Æſopi. 201,2

Manuel Palæologus Imp. Conſtantinus. 260

Marcellus II. Pont. 277

Marceſcentis ſapientiæ vanitates, de naturalibus ſcientiis. 17,1

Marcion. 251

Marcus Antonius Orator nullam orationem literis commiſit, & cur. 167,1
M.Petrus Cugnerius,ſiue de Cugneriis. 257
M.Marinus Brixianus. 273
Maria Luſitana. 271
Maria Stuart Scotiæ Regina & Martyr. ibid.
Mathematicus. 334
Pro Genethliaco ponitur à Iuriſconſultis. ibid.5
Matthias Coruinus Hungariæ Rex. 36.2 & 280
Bibliothecam Budæ inſtituit in ipſa Regia. 36,2
Maturitas proximi caſus indicium. 199
Maximilianus II. Imp. 280
Medicina. 481
Medicinæ laus & vtilitas. 341,2 & 342,3
Eius diuiſio in
Diæteticam.
Pharmateuticam,&
Chirurgicam. 343,4
Medicus. 341
Eius commendatio. ibid.2
Medici animorum noſtrorum, id eſt, Scriptores ſapientes, atque eruditi. 62,4
Mel, de eximio aliquo opere literario. 189
Mellis cum Philoſophia comparatio. ibid.
Mellitum Vrbani Pont. 59,7
Melanchthon. 259
Melichius. 110
Pyramidi aſſimilatus. ibid.4
Memoria. 509
Eius excolendæ ac perficiendæ ratio. ibid.
Mendaces delitioſi, de Poëtis. 25
Mens. 229
Mentis eruditæ immenſa capacitas, & indefeſſa agitatio. ibid.
Menſa philoſophica. 188,4
Æthiopica. 224,1
Bibliothecarum ſymbolum. ibid.
Eius caput quod. 225,3
Mercurius Triſmegiſtus. 2
Triginta ſex millia & quingenta vigintiquinque volumina ſcripſit. ibid.
Mercurius mutilus, & cum ſolo capite in cippo erecto fingitur. 110,5
Cyllenicus fingitur & nominatur. ibid.
Mercurij Salinum. 8,2
Simulacra, vulgò Heruæ dicta. 109,1
Mercurium Baccho adiungere, ex Heliodoro. 188,3
Metallica. 482
Metaphyſica. 329,3
Meteorica. 482
Michaël Imperatoris Theophili filius. 32
Mich.Vazquez. 275
Mich.Balbus. 276
Fr.Mich. Bonellus Card. Alexandrinus. 278
Mich. Thomaſius Epiſc. Ilerdenſis. 279
Mich.Ducas Imp.Græcus. 442,2
Minerua. 115
Vnde prodierit. ibid.5
Tritogenia nuncupata. ibid.
Eius logotheca. 8,2
Minerual,ſiue Mineruale, præmium quod Præceptoribus dabatur à diſcipulis. 115,5
Miniculatores Bibliothecarij. 453,1
Miracula quædam naturæ & artis. 383
Moderatio in ſtudiis ſuadetur. 488

Moleſtiæ. 60,1
Monochroma, picturæ genus. 78
Monocodiata, auis. 385,5
Morum inſtructio. 14
Mulier proba quæ, ex Thucidide. 340,6
Muſæ. 196
Muſarum apis,& Charitum delitiæ, de viris doctis. ibid.4
Muſarum munus. 179,2
Μουσῶν ὄργανα quid. 14
Muſeum quid, ex Varrone. 45,4
in Muſeis publicis minimè confabulandum. 159
Vide *Bibliotheca.*
Muſica. 281,7
Muſiuum opus. 56,3
Muti magiſtri, de libris. 200,3
Myrothecium Darij. 166
Mytilene vrbs in Lesbo inſula. 53,6

N

NAhardea, id eſt, flumen ſcientiæ. 98,4
Naioth in agro vrbis Rhamata. 44,3
Nauigatio. 339,3
Eius commoditas. ibid.
Neceſſitas. 50
Ferre fortiter docet, conſuetudo facilè. ibid 4
Neceſſitas & paupertas ſæpenumero ingenium acuunt. 201
Nero Imp. 254
Neſtorius. 253
Nicolaus Magnienus. 275
Nicolaus V. Pont. 277
Nidi quid. 243,5
Nihil inuita Minerua 115,6
Noctuæ in India, vulgò *Cucuyo* nominatæ. 385,5
Nomen. 200
Nominis præfigendi ſupprimendíve in literariis operibus cauſa quæ. ibid.
Nomenclatores. 363,4
Notæ compendiariæ. 454
Notæ quæ appingi libris conſueuerunt à lectoribus. 463
De iis quid ſtatuendum ſit. ibid.
Notarij, & Notariæ. 454
Nouerim te, nouerim me, ex D. Auguſtino ad Deum. 238
Numiſmata antiqua. 378

O

OCcupata inertia, id eſt, negotia. 71
OEconomica. 334,4
Olea, arbor ſapientiæ. 190
Pacis ſymbolum. 197,2
in Oleæ foliis Siracuſani iudices exulum nomina ſcribere ſolebant. 81
Oliuetum philoſophicum. 198,3
Olores tum ſuauiſſimè canere cùm afflat Zephyrus, ex Aldroando. ibid.1
Omnia, de Deo. 237,1
Optica. 337,6
Oraculum Dodonæum. 191,4
Oratio, animi vultus dicta à Seneca. 79 5
Qualis ſit. 511
Orationem ſcripturis documenta generalia. 502
Orator. 357 & 511 & ſeq.
Quis, ex Catone. 342
Orator in ſuggeſtu. 161
Orator Luciani. 267
Oratoris laus. 150,2
Oratores & Poetæ per luſcinias denotati. 169,2
Orbilius Pupillus Gramm. 270
Orbis Geuij, de ſcriptoribus. 314
Ordo in ſtudiis ſeruandus. 491
Origenes. 1,1
Adamantius cognominatus, & cur. ibid.
Sex librorum millia ſcripſit. ibid.

Ornatores

Ornatores Bibliothecarij. 453,1
Orthodoxi. 35
Eorum ſcripta olim ſumma cura in Bibliothecis reponi ſolitæ. ibid.5
Oſimandua Ægypti Rex. 60,1
Otium. 70
Quid ſit, ex Bernardo. ibid.
Otium literarium commendatum. 69,1 & ſeqq.
Iners damnatum. 70
Sanctæ contemplationis Deo gratum. 71
Otium Valerio Max. duplex eſt. 195
Otij laborioſi ars. 71,4
Otioſi qui vacant ſapientiæ. 70

P

PAlæmon Grammaticus. 362,2
in Palmarum foliis ſcriptitatum priùs. 81
Pamphilus. 277
Pamphili Martyris ſcripta ipſius manu notata. 370,1
Pandectæ Florentinæ. ibid.
Panegyrica. 482
Papias Grammaticus. 270
Papyrus, arbor. 81,2
Paracelſus. 263 & 344,6
Paræneſis allegorica ad amorem literarum. 537
Parentes animorum noſtrorum, de libris. 3
Parœmia, vide *Adagia*.
Parrhaſius, pictor. 122
Partus ſuppoſititij, de furtis literariis, apud Baſilium. 420,2
Paſſer ſolitarius in rupibus. 164
Eius cantus Franciſco Gallorum Regi placuit. ibid.
Patera eruditionis propinantis lac ſuis candidatis. 165
Patres Latini. 250 & 297
Græci. 251 & 301
Patriarchæ noui Teſtamenti Apoſtoli. 136
D. Paulus Apoſt. moriturus libros ſibi adferri iubet. 92
Paulus III. Pont. 277
Paulus IV. ibid.
Pax bello quantum potior hominibus. 198
Muſis gratiſſima. ibid.
Pecus aurea, de Iunio Syllano Aſiæ Proconſule. 70
Pegmata & pigmenta quid. 243,5
Pelues, ſeu lebetes circa forum Iouis. 191,4
Peregrinatio ſtudij prætextu ſæpe inquieta inertia, ſæpe fatalis curioſitas eſt. 208
Peregrinus Fabretus. 279
Perſonæ Bibliothecam accurantes. 448
Perturbatio mentis. 481
Petr. Aretinus. 269
Phantaſia fœmina. 35
Iliadem & Odyſſeam à ſe ſcriptas, Memphi in Vulcani templo depoſuit. ibid.
Pharmacum immortalitatis, de libris ſuis Triſmegiſtus. 63,1
Pharmaceutica. 343,4
Philippus Macedo. 37,4
Philippus Mornæus Pleſſæus. 265
Philippus II. Hiſpaniæ Rex. 280
Philologia. 348
Quid ſit. ibid.1
Vocatur
Eruditio. 349
Encyclopædia. ibid.
Literatura multiplex. ibid.
Omnium virtutum maxima. ibid.
Inſtrumentum ad omnem vitam. ibid.
Criſis. ibid.
Polymathia. 350,2
Philologus quis. 349
Philoſophandi modus. 222

Philoſophia quid. 318,1
Medicinæ ſoror. 61
Medicina animi morborum, & affectionum. 62
Animi ſanitas. ibid.
Philoſophia prophana ad virtutis adquiſitionem vtilis. 17
Philoſophia contemplatiua. 328
Moralis. 332
Philoſophus quid. ibid.1
Philoſophi antiqui. 17,1
De antiquis Philoſophis Anſelmi dictum. ibid.
Philoſophi Proceres dicti à Seneca. 318,1
Principes huius ſæculi ab Apoſtolo. ibid.
Philyra, arbor. 81,2
Phœbi cortina. 8,2
Phorphantica, adulterinæ cuiuſdam medicinæ genus. 343,5
Photij exulis hiſtoria. 372,5
Phyſica. 329,3
A Phyſiologia quid differat. 338,1
Phyſiologia quid. ibid.
Phyſiologus. ibid.
Pictura. 119,1 & 283.8
Quid ſit. 119,1
Picturæ laus. 78
Pictores inſignes. 283.8
Picus Comes Mirandulæ. 100,3
Piſces. 339,3
Piſiſtratus Tyrannus. 4,6 & 476,4
Libros publicè præbendos primus Athenis poſuit. 4,6
Pius II. Pont. 102
Libros pluſquam Sapphiros, & Smaragdos curare ſolitus. ibid.3
Plagiarij librorum alienorum fures. 94,3 & 418
Eorum ſcripta quomodo vindicata ab antiquis. 419
Plantæ. 339,3
Plato. 9,4
Vno & octogeſimo anno ſcribens moritur. 90,3
Ariſtotelis præceptor fuit in Philoſophicis. 150,1
Platonis menſa. 186,2
Monitum de concentu muſico in conuiuiis. ibid.
Plinius vterque ſuper menſam legi ſibi iubebant. ibid.
Plotinus Philoſophus Platonicus. 136,2
Plutarchi iter ad Lacedæmonas. 210,2
Pluteus in Sacello palatino Conſtantinopolitani Imper. in quo ſitum erat ſanctum Euangelium. 32
Plutei bibliothecales quid. 241,2
Poculum Homericum. 189,5
Pœna quid. 119,1
Poeſis. 508
Eius vis & vtilitas. 21, 1 & 359,1
Poetæ. 359
Mendaces delicioſi. 25
Poetæ & Oratores per luſciniam ſignificati. 169,2
Poetarum laus & commendatio. 22,2
Polignotus, pictor. 78
Politica. 334.4 & 481
Pollio Aſinius. 194
Polyhiſtoris quis. 349
Polymathia, pro Philologia. 350,2
Pomponius Atticus. 186
Eius conuiuium. ibid.
Porcius latro. 53,5
Potus. 207
Potûs ſatietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, ex Leone M. ibid.3.
Præceptores humani generis, de libris. 2,3
Proba Faltonia. 264
Profectus ex libris auctorum. 195
Profeſſor. 491

Profeſſoris publici munus. ibid.
Profeſſores Patres animorum dicti. 492
Pronuntiantis vox. 510
Geſtus. 512
Prophetæ. 133
Pictores virtutis & malitiæ dicti à Chryſoſtomo. ibid.
Prophetæ videntes. ibid.
Prophetæ, Apoſtolorum prodromi & antitypa dicti à Cornelio à Lapide. 136
Prophetia. 132
Quid ſit. 133
Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex. 279
Publicola. 95
Eius eloquentia. ibid.& ſeq.
Pumicatores bibliothecarij. 453,1
Pyſiſtratus Athenienſium Tyrannus. 279
Pythagoras. 9,4

Q

Quadriga ex ebore. 386,1
Quadrupedes. 339,3
Quadrupedia. 482
Q. Hortenſij filia. 191
Orationem, apud Triumuiros habuit. ibid.3

R

Rabbi Ben-Aſer. 273
Rabbi Ben-Nephthali. ibid.
Rabbi Hammai. 274
Rabbi Aſſe. ibid.
Rabeleſius. 266
Raymundus Lullus. 88
Remnius Palæmon. 270
Remora,piſciculus. 384,4
Renatus Siciliæ Rex. 442,3
Requies curarum, de ſtudio Philoſophico. 14
Res. Difficile eſt in paruis rebus magnum eſſe. 161,1
Rhetor. 335 & 357
Ritus dedicandarum imaginum quis. 245
Ritus inaugurationis Abaſſinorum Impp. inter alios, Traditio clauium Bibliothecæ Regiæ. 446
Robertus Neapolitanus. 37,5
Robertus Fludd, al. de Fluctibus. 263
Robertus Bellarminus Card. 452,3
Rogus librarius. 432
Roma. 150
Roſæ Engaddi. 385,6
Roſoida,ſiue Roſuida. 271
Rubrica Turnebo quid. 457,1
Rudera antiqua. 380
Rupertus ſenior,Princeps Palatinus. 280

S

Sacræ paginæ quanta veneratione proſequendæ. 31,2 & 3
Sagittæ atramenti apud Baſilium. 95,1
Sai ſtratum in ſacrario Palladis. 57,5
Salinum Mercurij. 8,2
Salomon Tyriorum Regis ænigmata inter epulas proponit. 186,2
Salomonis de ſapientia iudicium. 102,3
Samonei. 156,1
Sapiens alius ab alio edocetur. 178
Sapientia tumida meritò deſpuenda. 215
Sapientiæ ſedes,arx, regia. 100
Emporium. 105
Sapientiæ domus, de Academia Hieroſolymitana. 314
Satyricum. 22
Scæuola IC. 195
In ſeriis Scæuolam agebat; in luſibus,hominem, quem rerum natura

natura continui laboris patientem eſſe non ſinit. ibid.
Scholæ Baianæ. 41
Quæſtorum & Capulatorum. ibid.
Scholarum capita. ibid.
Schorialis villa. 47,8
Scientia mundana, inſipiens ſapientia. 17,1
Naturalis, marceſcentis ſapientiæ vanitas. ibid.
Scientia nullius rei difficilior. 91,4
Scientia Chriſti. 126
Beata. ibid.8 & 9
Scientia paulatim adquirenda. 160
Scientiæ mundanæ fumus. 17,1
In illud præſertim ſcientiæ genus incumbendum, ad quod quiſque fuerit naturâ propenſior atque aptior. 163
de Scientia mundana D. Leonis dictum. 17,1
Scientiæ. 481
Scientiæ, aues, ex Platone. 218,1
Scientiarum vanitas. 103
Scipio Card. Lancellottus. 278
Scrinia. 451,1
Scriptio. 80,7
Scribendi ſcientia. 79
Scribi quâ olim materiâ ſolitum. 81
Scriptio librorum. 495
Scriptores, orbis Genij. 3,4
Scriptores, ſiue librarij qui. 453,1
Scripturæ ſacræ hortus. 84,6 & ſeq.
Interpretes. 305
Scripturo captandum ſcribendi deſiderium, & ſatagendum, vt animus afficiatur atque incaleſcat. 198
Scyphus Neronis. 189.5
Scythianus genere Saracenus. 403,5
Sedes ſapientiæ. 127
Semina. 339,3
Senex pſittacus ferulam negligit. 90,3
Senex inter pueros, inter ſenes puer, ex Antiocho. 200,2
Senes doctrinæ ſtudiis flagrantes recenſentur. 90,3
Serapeum inſana ſubſtructionis moles, & operæ magnificentiſſima dicata Serapidi. 34,2
Serenus Samonicus Medicus. 279
Sermo quid, ex Clem. Alexandrino. 409
Sfortia Card. 278
Sibylla. 145
τῦ Sibyllæ notio. ibid.1
Idem ac conſiliaria Dei. ibid.
Sibyllæ. 2,3 & 145 & 151 & 158
Sibyllæ gentium Prophetiſſæ. 145,1
Prophetiſſæ non Dei, Auguſtinus. ibid.2
Sibyllæ quot. 146,3
Sibyllæ quandoque plurima, quandoque nihil, aut parum præſagierunt. 214,5
Sibyllina carmina. 146,3
Sibylliſtæ, Chriſtiani. 145,1
Sidonius Apollinaris. 246,6
Sigalion. 159
Sigiſmundus Poloniæ Rex. 280
Siglo, σίγγλαι, vel σίγλαι, quid. 454
Silium Italicum Virgilij natalem religioſius quàm ſuum celebraſſe. 246,5
Simia Æſopica. 285,1
Simulacra quatuor numinum olim in Bibliothecis poni ſolita. 108
Sixtus I V. 277
Sixtus V. ibid.
Sleidanus. 266
Socrates. 10
Cum pueris ludere non erubeſcebat. 193,3
Socratis ſtudium. 91,4
Sol & eruditi hominis caput quomodo conſentiant. 230,2
Solis velocitas. 338,2
Soles ingeniorum, de libris. 2,3

Solitudinis laus. 73
Somnus, μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια, à Mneſimacho Comico appellari ſolitus. 52,4
Somni & literarum vnus idémque præſes Mercurius. 53,5
Sonus pro lectione apud Euripidem. 19,5
Sonum pingendi modus. 76,3
Sophiſtæ qui. 351,3
Sophiſtica. ibid.
Sophocles ſenex fabulam ſcripſit. 92
S. P. Q. R. 454
Sphæra ignis. 339,3
Sphæra Archimedis. 387,2
Spongiâ delendorum malorum ſcriptorum mos. 466
Staniſlaus Hoſius Card. 253
Statua Numeriani in Bibliotheca Vlpia. 246,6
Statuarum virorum eximiè doctorum vſus in Bibliothecis. 245, 2 & ſeqq.
Statuaria. 281,8
Stellæ. 338,2
Stephanus Hudelotius. 275
Studium philoſophicum, curarum quies. 14
Studia literarum præmiis & honoribus alendæ. 166
Studia literarum geniales ingenij epulæ. 224,2
Quantopere ad animi tranquillitatem iuuent. 227
Studiorum locus opportunus quis. 48,3 & ſeqq.
Studiorum diligentia, moderatio, ordo. 486
Studiis futilibus abſtinendum, in leuibus non immorandum. 161
Studioſis hominibus tranquilla commoratio deligenda. 197
Stylus ſcribendi qualis ſit. 496
Styli-exercitatio. 504
Qualis ſit. ibid.
Stylum vertere. 466.& ſeq.
Sugere idem quod addiſcere. 165,1
Sulpitia. 264
Supellex ſcriptoria à Bibliothecæ præfectis prouidenda. 471
Suprianus Sophiſta. 92
Tricenario maior primùm lectitare libros cœpit. 92
Surenæ Ducis Parthorum hiſtoria. 404.1
Suſcitabulum à viro ſtudioſo prouidendum, vt qua hora conſtituerit, euigilet. 473,4
Symbolum Friderici III. Rom.Imp. 445,7
Symbolica. 482
Sympoſiaca lectio olim hodiéque vſitata. 186,3 & ſeq.
Synopis apud veteres Iuriſconſultos. 457,1

T

Tabella Deiparæ V. à D. Luca picta. 130,7
Tabula Smaragdina Mercurij Triſmegiſti quam ſcripſerat περὶ τῆς χυμείας. 340,5
Tantali ſtatua. 178,1
Teleſilla poetria. 63,5
Teleſilla Argiua. 264
Templum Capenſe in Africa. 60,8
Theoſophiæ extructum à Iuſtiniano Imp. 100
Pacis erectum à Veſpaſiano. 198.3
Æſculapij. 341,1
Templa Chriſtianorum Orientem ferè ſpectant, & cur. 51,3
Tempus vtiliter impendendum. 158
Tentorium Federico Imp. à Soldano miſſum. 386,7
Terra. 339,3
Teſſeræ ſcutariæ vnde profluxerint. 147,3

Teſtudo

Teſtudo teſtudinis echo. 190
Thamus Ægyptiorum Rex. 30,3
Themiſtius. 180
Themiſtocles. 181,7
Theocritus. 10
Theodorus Atheus. 394,1
Theodoſius M.Imp. 31 & 180
Volumen Euangeliorum propria manu literis aureis deſcripſit. 31,3
Theologia Scholaſtica quid. 320,1
Eius vtilitas. 322
Theologia moralis,ſiue practica quæ. ibid.2
Theologiæ vberrimus fons. 288,3
Theon poëta. 413,2
Theophraſtus. 1
Trecenta volumina edidit. ibidem 1
S.Thereſia. 271
S. Thereſiæ operum exemplar ipſius manu ſcriptum in Bibliotheca S. Laurentij Eſcurialis. 371,2 & 535
Thermæ. 39 & 339,3
Theſaurus ſapientiæ. 102.& ſeq.
Theſauri L.L. 363,4
Thomas à Kempis. 272
Thorax Amaſis Regis Ægyptiorum ad Crœſum miſſus. 382
Titia,arbor. 81,2
Tituli pro inſcriptionibus. 112
Tonitrua. 76,2
Tragici,aut Togatæ. 25
Tragœdia. 22
Tragœdiæ Sophoclis, Euripidis, & Aſchyli,autographè. 370,1
Traianus Imp. 5
Herba parietaria vocatur à Conſtantino. ibid.2
Tribonianus Ethnicus. 326,4
Trœzeniorum mos, in vna eadémque ara Muſis facere, & ſomno. 53,5
Typographia. 283,9
Tyrius max. 186,2

V

VAleria. 413
Cum dentibus nata. ibid.2
V.D.P.I.L.P. 454
Vegetantia. 482
Venus amentiæ præfecta. 207
Verba per literas pingendi ratio. 78
Verſor Bibliothecarius. 453,1
Verus Imp. 234
Veru ſignare. 467,5
Vexillum primarium Selimi Turcarum Imperatoris. 535,2
Vicinitatis vis. 191,4
in Villas cur viri docti abdere ſe conſueuerint. 45,4
B.Virgo,liber diuiniſſimus. 127,1
Liber obſignatus. 128,2
Angelos adhuc ſuperſtes pleraque docuit. 129,4
Eius ingens ſapientia & ſcientia. ibid.5
Virgulam cenſoriam imprimere. 467,5
Virtus. 30
Virtutem, & eruditionem nec pecuniâ comparari, nec à quoquam mortali donari, nec caſu, vel hæreditate obuenire cuiquam poſſe. ibid.
Vide pag.481
Viſcera,de libris. 94,3
Vita. 218
Vitæ moderata aſperitas ingenuo alacritatem præſtat. ibid.
Vitellius. 234
Vitia. 60,1 & 482
Viuens eruditio, ex Iſidoro Peluſiota. 190,1
Vlpius Traianus Imp. 179
Vlyſſes πολύτροπος. 209
Vmbilicus pro libri fine atque extremo. 457,1
Vngue notare. 457,5
Vnus omnia,de Deo. 237

Volatilia. 482
Volumen. 457
Voluminis etymon. ibid.1
Voluminum ſacrorum quanta vtilitas. 14
Voluptas animi. 10
Literaria. ibid.1
Vox. 510
Vocis modus. ibid.
Vitia. 511
Vtilitas publica. 2
Vtilitati potius, quàm voluptati in librorum lectione ſtudendùm. 15

VV

VViclephus. 256
VVorſtius. 259

X

XAnthes Pagninus. 273

Z

ZEtæ, vide *Diatæ.*
Zoſimas apud Raderum. 462

FINIS.

DAVIDIS CAMERARII SCOTI.

DE SCOTORVM FORTITVDINE,
Doctrina, & Pietate, ac de ortu & progreſſu hæreſis in Regnis Scotiæ & Angliæ.

LIBRI QVATVOR.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITI.



PARISIIS.

Sumptibus PETRI BAILLET, viâ Iacobæâ, ſub Gallo & Leone repente.

M. DC. XXXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Emblems
9

à trecentis & ampliùs ſupra milleſimum annis Scotiæ Reges ac Populi floruere. Quod eius ſint fidei tenaces pro qua Apoſtoli, & innumerabilium Martyrum Chiliades Chriſti veſtigijs inſiſtentes vitam ſuam conſtanter oppignerarunt. Quam conſentientis Antiquitatis Authoritas, Paſtorum perpetua ſucceſſio; quam Auorum tuorum obſequentia; decreta honorifica; denique vniuerſalis Eccleſiæ Praxis appoſite confirmat: Quod huic Eccleſiæ firmiter adhæreſcant, cui ſe præſidio adfuturum Chriſtus adpromiſit: quæ repullulantis Hydræ ceruices executit, & omnes ex inferis emerſas hæreſes ſtirpitus eliſit. Equidem SERENISSIME REX, in hac πανολεθρία funeſtiſſima ſubditorum tuorum, diſsimulationem Maieſtatis tuæ (non enim dicam imperium) ſani omnes demirantur: Vtique cum, ſi non maxima, at certe optima pars ſubditorum tuorum violentiſsimis Nouatorum machinis opprimatur; Eorum inquam, in quorum Fide ac conſtantia Regiæ Maieſtatis ſecuritatem reponere debes, tuique firmitudinem imperij ſperare, cum nulla ſit Religio quæ ſubditos ſuperiorem poteſtatem revereri magis edoceat quàm Catholica, quoquo verſum iacti verſatique ſint iniquorum iudiciorum procellâ, morigeros tamen & in obſequio conſtantes eſſe iubet. Id quod non ſolum Catholicis Principibus indubiè liquet, ſed & omnibus omnium ætatum locorumue Monarchis, maxime vero ſub Regum Proauorum tuorum Imperio neminem verè Catholicum de legitima erga Principes ſuos reuerentia deſciuiſſe comperies, ſed plurima & pulcherrima obediêntiæ exempla poſteritati reliquiſſe. Neque conſentaneum eſt Eccleſiæ Dei crimini dare ſi qui priuata cauſa vel emolumenti vel inimicitiarum minus ſe deuotos erga Principes & obnoxios præbuerunt. Nec id magis mirum videri debet, quam in medio tritici ſupernaſci zizania, in Chriſti comitatu Iudam, inter Chriſtianos fures & Apoſtatas côniuere. At vero hæreſes non alia re magis quam proditionibus publicis ac perfidia in legitimos principes diſſeminari ſolent, in quos petulanter ac procaciter inſoleſcere debacchari que non dubitant: Iis vbi adoleuerunt initiis, clanculariis fraudibus innutriuntur ac tandem diuturna populorum tolerantia ſtabilitæ, impotenter ac tyrannice conſeneſcunt. Quinam Imperij ſtatus annare fœliciter ac perennare poteſt cum talibus diſcordiarum parariis ac proxenetis? Sed vti penitius introſpicias, & hoc quod dixi experimento luculentius edoceare, adiiciat oculos obſecro, MAIESTAS VESTRA, in Eccleſiæ Catholicæ perduelles hæreticos Ii tametſi per cuniculos irrepere ſolent, nullam tamen hæreſim ſeſe in Nationes

intruſiſſe comperiet citra tumultum, ſeditionem, ac ſtragem. Non hic commemorare attinet infinitas ab hominum memoria clades quas inuexit hæreſis: Haud abibo longius, vltima tantum tempora conſideranda ſunt, idque in auito tuo SCOTIÆ *Regno ſub* MARIA, *inque tuo altero Angliæ Regno ſub altera Maria. Recogita ſi placet quot & quanta pertulerunt Regales iſtæ Heroinæ à ſubditis Caluini Lutheri, & Zuinglii ſectariis, ſeditionum incentoribus & adminiſtris, qui quicquid humanitas indidit miſerationis in miſeros, id erga illas Principes denegarunt. Attende poſtea quid honoris Regibus à Catholicis exhibeatur, qui in tantum ab hæreticorum inſtituto ſunt alieni, vt non niſi afflictatione, tolerantia, labore, Chriſtianam fidem promouere conentur. Hoc cum ſic habeat, non abs re legimus hæreticos nihil aliud eſſe, quam diuini furoris inſtrumenta ex inferis ad Dei vlciſcendas iniurias excitata, qui peccantium deletis ſordibus & ipſi cum Rana in Apologo ſpiritum egerunt ac diſrumpuntur, vel cum locuſtis illis Ægyptiis paulatim in auras euaneſcunt. Id quod in Arianis, Manichæis, Donatiſtis, Eunomianis, Pelagianis cæteriſque omnibus priorum ſæculorum portentis intelligitur, qui poſtquam ſtrage & internecione totum pœne orbem cruentarunt, in inferos vnde eruperant abiere præcipites. Summatim præteriri non debet nuſquam ſerpſiſſe hæreſim, quin Reges & Regna ad certum tandem interitum deduxerit; Quod & præmonuerat Propheta, qui Eccleſiæ iura præcinens,* Gens, *inquit,* & Regnum quod non ſeruierit tibi, peribit. *Hoc Africa ipſa perſonat, continuis ab irato numine pœnis affecta; nam vbi frequentiori lapſu in Donati hæreſim decidit, Vvandalis primum in excidium, mox in ſempiternam ſeruitutem Saracenis eſt data. Quid plura? Ægyptus falſis Pſeudoſapientum dogmatibus irretita peſſum ire cœpit, donec in perditionem extremam Mahumetanis permiſſa fuit: Nec Alexandrina ſolum, & Conſtantinopolitana, ſed & ſedes aliæ Patriarchales vbi ſemel ab Eccleſia Romana ſchiſmate diuulſæ ſunt, à protectione pariter diuina ſunt diſcluſæ. Clamant & hoc ipſum experti (vt alios indictos prætercam) Inſulani noſtri Britones; quorum alius atque alius extitit pro religionis diſcrimine Reip. ſtatus. Nam Pelagij primùm erroribus infecti, cum auctoritas Apoſtolica deſpicatui apud eos haberi cœpta eſſet, in perpetuam Anglorum ditionem diuini iudicii acerbitate ſunt redacti: diſcant hìc ſuperbi, quod contremiſcant, diſcat Anglia quo ad meliorem frugem redeat, ne eam Deus Ana-*

UIUC

themate percuſſam deſerat , ac de ea dicat , Curauimus Babylona, & non eſt ſanata, derelinquamus eam : *Sed iſthæc te Rege ne accidant, toti ſunt fideles ſubditi ſynceri dico Catholici in deprecando numine, cuius miſericordiam votis, precibus, & quibus poſſunt pœnitentiæ lachrymis obteſtari non ceſſant, vt cœleſtem Maieſtati tuæ gratiam impendat, quâ diſſipatis obiectarum nubium velis veritatem internoſcas, ſeque diuturnâ laborantes hæreticorum iniuria, reſpirare tandem aliquando permittas, quod & futurum Deo propitio ſperant. Neque enim in tanto tamque difficili malo conſtituti cœleſtem illum oculum præterire poſſunt.*

Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα.

Nos etiam quibus perſpectiſſima eſt Maieſtatis tuæ ſumma facilitas, hæc te inuitum pati credimus nouantium politicorum ſolo pertractum impulſu. tamen quid facilitas illa in ſumma auctoritate poſſit velim æque expendas, ac ipſi ſentiunt innocentes. Benigne reſpice, ſubditorum lachrymas per ignotas vrbes miſerè fluctuantium, & Puritanorum inſolentiam quiritantium propitius exaudi, quorum ſi retundas immanitatem, Catholicorumque miſeriam releues ac mollias, tribus regnis tranquillitatem, Nobiliſſimæ totius orbis Inſulæ ſplendorem ſuum, nomini tuo Clementiæ famam apud exteros reddideris; ſed me ipſum comprimam ſuppliciter expoſcens vt ſicubi lapſa eſt παῤῥησία noſtra, vel potius ſalutis tuæ ſollicitudo, quæ mihi quotidiè obuerſatur ob oculos, rem ne inclementer accipias, ſed humillimo ſubdito Regem te præbeas humaniſſimum; Cùm & temporis ratio, popularium meorum calamitas, ac depereuntis patriæ ſtatus, me ad hoc iure impulerit. Fauente præſertim veritate; Cui ſuffragari pro eo ac debeo nunquam ſum veritus.

MAIESTATIS VESTRÆ

Humilis Subditus
DAVID CAMERARIVS.

INVICTISSIMO, SERENISSIMOQVE, CAROLO PRIMO, MAGNÆ BRITANNIÆ, &c. REGI.

DAVID CAMERARIVS SALVTEM plurimam & Æternam Felicitatem.

CVM multis, ijſdemque iuſtiſſimis de cauſis ad hoc elucubrandum opus aggreſſus ſum, REX INVICTISSIME, *(quo ſcilicet ornamenta Patriæ meæ, quæ, qualia ſint, non ſatis obſeruantur à multis, in medium proferrem, quæque à recenti memoriâ longè remota ſunt, ex ipſius Antiquitatis penetralibus eruerem) tum non ſanè pauca mihi mentem iniecerunt, Maieſtati tuæ hoc qualecunque dedicandi munus. Sed me imprimis ad hoc faciendum perpulit quod cùm omnia noſtra iure mancipij, nexique tua ſint, non tam mihi viſum oportêre, vt ea tibi nuncuparem, quàm vt pro tuo iure vindicares. Præterea cùm mihi quærendus eſſet Patronus, in cuius me clientelam reponere poſſem, vt non aliunde patrocinium ſubditus quàm à te ſperare debeo, ſic puto comparatum iri non difficulter. Et certè quis vnquam res Scoticas Scotorum Regi Potentiſſimo deberi non exiſtimet, Centum & octo Scotiæ Regum ſucceſſori? ſub quorum fælicisſimis auſpicijs, ſtrenuitate, Iuſtitiâ, Scotia*

§

hactenus claruit, & ſuprà cæteras nationes; quâ glo ria, quâ Pietate, ſe ita ſpectabilem præbuit, vt ei comparari perpauc æ anteferri nulla poſsit. Sanè verò Ecquænã Gens ac Natio reperitur, quæ per annorum διοχιλιάδα *quadam Regni perpetuitate ſibi ſuccedentes Reges accenſere queat. Ecquæ nam quæ extraneum iugum nunquam experta, ſui terrorem vehementiùs incuſsit; quæ in iciendis fœlicior, firmior in perdiu ſeruandis fœderibus; cum id quod ab octingentis annis cum Galliâ contraxit adhuc cum ingenti nominis ſui celebritate auſpicatiſsime perduret. Quodque longè præſtabilius eſt, an vſquam fuit Gens ac Natio, quæ in ipſis Euangelij cunabulis Orthodoxam doctrinam propenſiori ſtudio complexa ſit, quam anno reparatæ ſalutis ducenteſimo non reluctanter excepiſſe hiſtoriæ conteſtantur. Neque verò toto illo annorum curriculo defecit à ſede Apoſtolica, donec inſtigante Dæmone, Procurante vero eius Excurſoris & Emiſſarij Caluini ſectâ ſeſe à complexu Eccleſiæ reſcidit, Deumque ac Cælites omnes abiurauit. Præterea quænam vſpiam reperiri poteſt, quæ feruentiori zelo domus Dei tot ab hæreſi, tot ab idololatriâ, Reges ac Principes euocarit. Quas quidem præfatas Scotiæ prærogatiuas, quæ ei largiter & copioſè prælegatæ ſunt, prolixiùs ſum in hoc libro proſequutus. At vero* Quantum mutatus ab illo, *Scotiæ ſtatus; ceſsim omnia ac præ poſtere ſuccedunt; Degeneres ab illa antiqua pietate deflectimur, adeo exulcerati huius ſæculi malignitas obfuſcauit mentes, ac deformauit,* Tenebræ enim operuerunt terram noſtram & caligo populos: *Nec tamen id mirum cenſeri debet, cum ex erroris ſpiritu, gratiâ Dei de medio ſublata, mores, pietatem, Fidem, decus omne perire neceſſe ſit. Creſcit quoque malorum ſenſus, nec ſpes eſt publicis calamitatibus poſitum iri finem, dum varijs & exoticis abducti diſciplinis, nihil peius quàm priſtinam oderunt ac reſpuunt, tam alte in Scotiæ Regnum peruaſit impietas; vt huius virus intimas illius medullas occupet,* Dedit hanc contagio labem & dabit in plures, *niſi Deus afflicto Populo ſuppetias afferat, & eius pluſquam cimmeriis tenebris illuceſcat. Quod enim luctuoſius & commiſeratione dignius habendum eſt, qui auitam fidem, pietatem, conſtantiam profitentur, hos bonis omnibus ac fortunis euerti, multos falſis perduellionis criminationibus in capitis diſcrimen abripi; alios natali ſolo expelli; denique omnes ad certiſsimi exitus peſtem ac ruinam vocari videmus. Quorſum tandem hæc omnia? quod religionem profiteantur, in qua ſi memoriam præteritorum temporum replicare velimus,*

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

ABBATIÆ à Scotis & pro Scotis fundatæ, 67
Apoſtoli Scotos conuerterunt 62
Archiepiſcopus S. Andreæ primas vnicus Scotiæ 244
Archiepiſcopus S. Andreæ nunquam fuit ſubiectus Anglicanæ Eccleſiæ. ibid.
Archiepiſcopi S. Andreæ conſilium Mariæ datum, vt non fugeret in Angliam, 284
Arthurus filius Henrici 7. Angliæ Regis ducit Catharinam filiam Regis Hiſpaniæ vxorem, 247. moritur, ibid.

B

Card. BEtonius in hæreticos ſeuerè inquirit. 270 ab eiſdem trucidatur, 272
S. Boiſilus Prophetiæ ſpiritu clarus 105 deuotus erga Euangelium ibid.
Anna Bolena Henricum 8 in amorem ſui pellicit. 251 ab eo ducitur in vxorem 258. obtruncatur 260
Bothuellus in partes hæreticorum pertrahitur, 280 in iudicium vocatur ob necem Henrici regis Scotiæ, 281 Mariam rapit ;& cogit ad nuptias, 283
Brianus Inferni Vicarius, 251
Britannia quare Albion dicta, 4
Britanniam qui populi incoluerint, ibid.
Britones vnde & quando in Albionem venerint, ibid.
Britones Scotos bello ciuili attritos inuadunt, 16. apud Berigonium obſident, ibid. à Romanis auxilium implorant, 18 Saxones ad ſe vocant, 28
Buchananus Iudaiſmum exercet, 269

C

CÆſar ad Scotos legatos mittit nullo euentu, 20 iterum alia legatione ſollicitat ſed fruſtra, 21
Card. Campegius Iudex in cauſa diuortij Henrici Regis Angliæ, 255 Catharinam conuenit, 254 Iudicat de Matrimonio, 255 Romam reuertitur, 257

ſ

Caractacus Romanos & Britones vincit, 23
Caſſibilanus à Scotis contra Cæſarem iuuatur, 19
Cæſari ſecundò in Britanniam traiicienti ſe dedit, 20
Catharina filia Regis Hiſpaniæ nubit Arthuro filio Regis Angliæ, 247. poſtea Henrico eiuſdem fratri, 248. ab eo repudiatur, 258. moritur, 260
Claudius Imperator tranſit in Orchadas, 22
Cranmerus Romæ legatus Henrici VIII. 217. creatur Archiep. Cantuar. ibid.

D

Dempſteri Epitaphium. 45
Donaldus Brigantum Princeps Nothatum Regẽ impium obtruncat, 15. cum ferguhardo atroci prælio dimicat, ibid.
Druidæ in Scotia ante Chriſti aduentum, 41. inde in Galliam propagati, 42

E

Eduardus ſuccedit patri Henrico VIII. 261. moritur, 262
Elizabetha ſuccedit Mariæ ſorori 262. declaratur caput Eccleſiæ, 265
Religionem peruertit ibid. iniquas in Catholicos leges condit. ibid. & 267
Fœdus cum hæreticis Scotiæ contrahit, 273. ad Mariam legatos mittit. Raudulphum & Bacconium, 278. Mariam ad ſe fugientes ſub cuſtodia retinet, 284. eam obtruncat, 287

F

Fatalis Cathedra Scotis regnum portendente, 14
Fergusius I. ex Hibernia vocatur à Scotis, 13
Britones ſuperat prælio, interfecto rege Coilo, 14
S. Fillani ope Robertus Bruſcus Anglos ſuperat, 77

G

Galdus Romanos fatigat, 24 pugnat cum Iulio Agricola, 25. Romano cogit pacem petere, 26
Gathelus Scotorum origo, 2
Guillelmus Scotorum Rex puerum crucis ſigno infirmitate liberat, 129. Erga ſedem Apoſtolicam deuotus, 129

H

Hadrianus vallum extruit inter Scotos & Britones, 27
Hæretici in Scotia graſſantur, 271. obſident letham, 273. Henricum Regem occidunt, 280
Henricus VIII. Catharinam ducit vxorem, 248. ab ea alienatur ibid. capitur amore Annæ Bolenæ, 251. illam creat Marchioniſſam, 257. eam vxorem ducit, 258. ſeipſum caput Eccleſiæ conſtituit, 259. Monaſteria diripit, 260. Annam obtruncat & alias vxores ſubinde mutat, ibid. Iacobum V. Regem Scotiæ ad colloquium inuitat, 270. moritur, 261
Henricus Darlæus Mariam Stuartam vxorem accipit, 278

ab hæreticis occiditur, 279
Hibernia ab Hibero Gatheli filio, 3
Hiberni Scotiam deprædantes ab Eueno caſtigantur, 34. rurſus in hebrides traiicientes tempeſtate orta ſubmerguntur, 35 iterum à Gregorio Rege ſubiugantur, ibid.

I

IAcobus v. Scotiæ Rex hæreſim reprimit, 269. moritur, 270
Iacobus Stuartus hæreticorum in Scotia princeps, 273. cum Elizabetha fœdus init, ibid. rebellionem excitat in Mariam & fugit in Angliam, 278. duci Northfolciæ mortem parat, 285. interficitur, 287
Ioannem Duns eſſe nationem Scotum probatur fusè, 186
Irlandia à Chriſti tempore non eſt appellata Scotia, 222

L

LEnoxiæ Comes Adminiſtrator Scotiæ poſt Iacobum Morauiæ Comitem, 287. occiditur, ibid.

M

S. MArgareta Regina Scotiæ prædicit hæreticorum tempora, 156
Maria Henrici viii. filia fratri Eduardo ſuccedit, 262. eius pietas & ſyncera fides, ibid.
Maria Stuarta nubit Franciſco ii. 273. eo mortuo redit in Scotiam, 275. nubit Henrico Darlæo, 278. rapitur à Bothuello & cogitur ad nuptias, 281. capitur ab hæreticis & in arce Lochleuine cuſtoditur, ibid. euadit, 283. in fugam ab hæreticis vertitur, ibid. in Angliam ſe recipit, 284. arctiſſimè cuſtoditur, ibid. obtruncatur, 287
Marriæ comes Adminiſtrator Scotiæ, 287
Mathildis filia Regis Scotiæ in Galliam cum fratre Alexandro ob Chriſti amorem ſeceſſit, 71
Monaſteria à Scotis & pro Scotis fundata, 61
Mortonius Comes Adminiſtrator Scotiæ, 287. capite plectitur, ibid.

N

NOrthfolciæ Dux legatus Elizabethæ apud Scotos hæreticos, 285. obtruncatur Londini, 286

O

P

S. PAlladius à Cœleſtino in Britanniam mittitur, 225
S. Patricius poſt mortem S. Patricij Apoſtolorum in Scotiam accipit, 226. in Hiberniam mittitur, 227
Piſti vnde & quando in Albionē venerint, 5. funditus delentur à Scotis, 33. Card. Polus ſollicitatur ab Henrico viii. 257

Q

R

REuther Adoleſcens Scotiæ Rex declaratur, 15. apud

Berigonium obſeſſus a Britonibus per poſticum euadit, 16. in Scotiam cum copijs reuertitur, 17. Britones fugat, regnũ reſtituit, ibid.
Riccius Secretarius Mariæ Stuartæ coram ea occiditur, 279
Robertus Bruſeus Anglos exagitat, 28

S

Scoti à græcis & Ægiptiis originem trahunt, 2. à Scota Gatheli vxore ſic dicti, ibid. quando in Albionem penetrarint, 5. & 206. apud Berigonium à Britonibus obſidentur, 16. Britonibus contra Cæſarem ſuppetias ferunt, 19. Anglos occiſo Rege Egfredo profligant, 28. cum Gallis fœdus ineunt, 29. Athelſtanum Anglorum Regem ingenti prælio vincunt & occidunt, ibid. Pictos funditus delent, 33. Dauos & Noruegos ſæpe vincunt, 37 Belgas reprimunt, 38. præclarè ſe gerunt in Gallia, ibid. ab Apoſtolis conuerſi, 62. & 208 ſub Doualdo Rege fidem publice amplectuntur, 63. & 209 conſtantes ſunt in retinenda fide, 64. & 209. apud exteros fidem prædicant, 65
Scotia ſcientiarum Emporium 43. gratis exteros docet, ibid. quos Doctores mundo protulerit, 44. quibus olim nominibus ſit vocata 212. à Chriſti temporibus appellata eſt Scotia, ibid. appellata eſt aliquando Hibernia, 214. & deinceps.
Scotorum priſci mores, 7. & dein.
Scotorum huius temporis mores, 12
Scotarum mulierũ fortitudo, 16
Scotorum Reges qui fuerint ſancti, 71
Sedulium eſſe Scotum probatur, 229
S. Sernanus Orchades conuertit, 133

T

Tarbienſis Epiſc. legatus Regis Galliæ apud Henricum VIII. diuortium Henrico proponit, 250
Treſſanus cum 6. fratribus & 3. ſororibus in Galliam ſecedit, miraculis claret, 98

V

Veſpaſianus in Anglia, 24 Scotos fruſtra ſollicitat, ibid.
Vniuerſitates Scotiæ, 56
Vniuerſitas Aberdonenſis quot habeat Collegia, 57. eius ordo & diſciplina, ibid.
Vniuerſitatis Sanct-Andreanæ deſcriptio, 59
Vniuerſitates à Scotis apud exteros fundatæ, 60
Volſæus Card. Henricum VIII. ab vxore alienat, 248. iudex conſtituitur in cauſa diuortij, 253. iudicat de matrimonio Henrici & Catharinæ 255. ſpoliatur ab Henrico & relegatur in villam Asherienſem, 257

FINIS.

INDEX
ALPHABETICVS
OMNIVM SANCTORVM ET ILLVSTRIVM VIRORVM, QVI IN Menologio SS. Scotiæ continentur.

A

s. ABranus 25. Iul. 165
B. Accas Epiſ. 85
s. Adalgiſus 22. Ian. 89
s. Adam Epiſc. 15. Sept. 173
s. Adamannus Epiſ. 25. Sept. 177
s. Adamannus Abbas 27. Ian. 90
s. Adamannus Abbas Gueníis, 31. Ian. 92
s. Adamannus 23. Ian. 89
b. Adda, 17. Ian. 87
s. Adeſarius Epiſ. 20. Apr. 133
s. Adelinus Epiſco. & mart. 25. Apr. 134
s. Adelinus Abbas, 25. Maij. 150
s. Adeodatus Epiſc. 19. Iun. 159
s. Adrianus mart. & Arc. 4. Martij 110
s. Adulphus 17. Iun. 159
s. Aemilianus Epiſc. 12. Nou. 198
s. Aidanus Epiſc. 30. Aug. 170
s. Albanus protomart. 22. Iun. 159
s. Albinus Epiſc. 27. Nou. 199
s. Albuinus 29. Oct. 182
s. Alcuinus. 19. Maij 146
s. Alexander, 6. Aug. 166
s. Amphibalus, 24 Iun. 150
s. Amphibalus, 5. Decemb. 201
s. Anatolius, 10. Dec. 201
s. Andreas Apoſt. 30. Nou. 200
s. Andreas Abbas, 4. Aug. 166
s. Annichadus 30. Ian. 91
s. Annienus Mart. 17. Decemb. 202
s. Annualis, 2. Oct. 178
s. Archibaldus Abbas, 27. Mart. 112
s. Arnualdus Epiſc. 6. Ian. 75
s. Arnulphus Epiſc. 16. Aug. 167
s. Aſaphus Abbas, 1. Maij, 137
s. Attala Abbas, 11 Mart. 116
s. Attho Abbas, 5. Sept. 172
s. Augurius, 7. Feb. 100
s. Aurelia virg. & Mar. 15 Oct. 180

B

s. BAbolenus Conf. & Abbas 9. Sept. 112
s. Babolenus Abbas. 26 Ian. 160
s. Baldredus Epiſc. 29. Mart. 120
s. Barnitus Conf. 13. Ian. 76
s. Barrus, 29. Sept. 117
s. Bathanus Epiſc. 25. Dec. 203
s. Batheneus Conf. 13 Sept. 172
s. Beanus Epiſc. 16. Dec. 202
s. Beatus, 28 Ian 90
s. Bega Virgo, 8. Sept. 172

ſ. Beia Virgo & Abbatiſſa, 1. Nou. 182
ſ. Benedicta Virgo, 25. Oct. 181
s. Benignus, 8. Maij. 138
s. Berthus Conf. 10. Maij. 145
s. Berchamus Epiſc. 6. Apr. 127
s. Berectus Conf. 24. Feb. 107
s. Bernardus Edeſſanus Apoſt. 13. Feb. 100
s. Bertinus, 6. Sept. 172
s. Bertuinus Abbas, 11. Nou. 198
s. Berta 11 Feb. 100
s. Bigitanus Epiſc. Ian. 86
s. Blaithmacus Mart. 6. Dec. 201
s. Blanus Epiſc. 10, Aug. 167
s. Blanus Epiſc. 19. Iul. 164
B. Bodera Epiſc. 19. Feb. 104
s. Boiſilus Abbas, 23. Feb. 104
s. Bonifacius Archiep. & Mart. 5. Iun. 152
s. Bonifacius Epiſc. 16. Mart. 117
s. Bothanus Epiſc. 18. Ian. 87
s. Botulphus Abbas, 17. Iun. 159
s. Brabantius, 29. Oct. 182
s. Brandanus Apoſt. Orchad. 16. Maij 144
s. Brandanus Abbas Culroſſiæ, 16. Maij. 144
s. Brigida virgo, 1. Feb. 93
s. Brigida virgo, 31. Decemb. 204
B. Brixius Epiſc. 22. Feb. 104
s. Buo, 5. Feb. 96
s. Burchardus Epiſc. 8. Feb. 100

C

s. Caducanus Epiſc. 20. Iun. 159
s. Cailtanus Abbas, 25. Feb. 107
s. Cahinnicus Abbas, 2. Iul. 167
s. Canicus Abbas, 11 Oct. 179
s. Canicus, 12. Dec. 201
s. Caranus Epiſc. 23. Dec. 203
s. Carnocus Epiſc. 15 Iun. 159
s. Cathaldus Epiſc. 8. Maij. 138
s, Cathanus Epiſc. 17. Maij. 145
s. Celſus, 24. Iul. 165
s. Ceolachus Epiſc. 2. Iun. 157
s Ceolfridus Abbas. 29. Sept. 177
s. Chamnecus, 26. Iul. 165
s. Chilenus Epiſc. 13. Nou. 198
s. Chriſtianus Abbas, 87
s. Chriſtiana virgo, 3. Mart, 110
s. Chromanus, Epiſc. 4. Ian. 74
s. Chromanus Conf. 15. Maij, 144
s. Chumaldus Conf. 21. Feb. 104
s. Cibthacus Epiſc. 7. Aug. 166
s. Clarus, 18. Iul. 164
s. Claudius Epiſc. Altiſſiod. 5. Mart, 110
s. Clemens Epiſc. 19 Mart. 118
s. Cœlius Sedulius Epiſc. 20. Feb. 104
s. Coganus Abbas, 20. Feb. 104
s. Coganus, 11 Dec. 201
s. Colmannus Epiſc. 18 Feb. 102
s. Colmannus Mart, 8. Iul. 163
s. Colmannus Mart, 13 Oct. 179
s. Colmannus M. Abbas, 14. Iun. 159
s. Colmannus Epiſc. 7. Mart, 112
s. Colmolcus Conf. 26. Iul. 165
s. Colmus Epiſc. 9. Mart, 113
s. Colonatus Mart, 20. Maij, 147
s. Columba Conf. 6. Iun. 153
s. Columbanus Epiſc. 2. Maij 137
s. Columbanus Abbas 2. Nou. 199
s. Columbanus Abbas, recluſus, 19 Apr. 133
s. Columbanus Monachus, 22. Nou. 109
s. Cominus 6. Oct. 178
s. Comnanus Abbas, 14. Sept. 117
s. Comogellus Abbas, 20 Dec. 203
s. Comus Abbas, 9. Iun. 154
s. Congallus Abbas Benchorenſis, 2. Ian. 72
s. Congallus Abbas, 12. Maij, 143.
s. Coninanus Abbas, 9. Dec. 20.

s.Conleatus Epiſc.15.Martt. 117
s.Conon Epiſc.26. Ian. 89
s.Conranus Epiſc.14.Feb. 101
s.Conſtantinus Mart.Scot. Rex, 11.Martt. 115
s.Conſtantinus 3.Scotiæ Rex, 22. Dec. 203
s.Conuallanus Abbas 5. Oct.178
s.Conuallus Ab.17.Maij 144
s.Conuallus Rex Scot. 4 Apr. 126
s.Conuallus Monach.14 Sept.173
s.Cormachus, 28.Feb. 108
s.Cormachus Epiſc.15.Aug. 167
s.Cormanus, 20. Martt. 118
s.Cunibertus Epiſc.25.Apr. 134

D

s. DAgamus Epiſc.29.Maij, 151
s. Damianus, 2.Iun. 151
B.Daniel Darthuſianus ab hæreticis occiſus eſt, 28. Dec. 204
s.Dardalucha.1.Dec. 200
s.Daria 31.Martt. 120
s.Dauid Epiſc. 2.Martt. 110
s.Dauid Epiſc.Benchor. 26.Martt. 119
s.Dauid Rex Scotiæ, 11.Ian. 78
Dauid Betonus. S. R. E. Card. Archiep. s. Andreæ ab hæreticis occiditur, 29.Maij, 151
Dauid Dacglaſius ab hæreticis occiſus 8.Aug. 166
s.Deicola ſiue Dic.Ab.18.Ian. 87
s,Dermitius Conf.2.Aug. 165
s,Deſignatus Epiſc.8.Apr. 128
s.Deuinicus,13.Nou. 198
s.Diciboldus,24.Nou. 199
s.Dicullus Eremita,1.Iun. 151
s.Dimannus,19.Iul. 164
s.Dimaus Epiſc.8 April. 125
s.Dioconanus Mart.23.Aug. 177
s.Diuma 1.Aug. 165
s.Dobanus,12.Apr. 129
s.Domitius Abbas,21.Apr. 134
s.Domitius,22.Sept. 177
s.Donanus Abbas,17.Apr. 132
s.Donatus Mart.10.Iul. 163
s.Donatus Epiſc.20 Oct. 180
s Donualdus 12.Iul. 163
s.Donotius Epiſc.19.Aug. 167
s.Doranus Epiſc.4.Nou. 181
s.Dotto Abbas,9 Apr. 128
s.Draſtanus Abbas,11.Iul. 163
s.Duffus Scot.Rex, 1. Nou. 182
s.Dunſtanus Abbas,18.Iun. 159
s.Dunichadus Ab.24.Martt. 129
s.Duthacus Epiſc. 19.Iun. 159
s.Duthacus Epiſc.8.Martt. 112
s.Diſibodus,7.Iul. 163

E

s. EAdmerus Epiſc.6.Maij, 138
s. Eattanus Ab.26.Nou. 199
s.Ebba Virgo & Mart.2.Apr. 121
s.Eberhardus Epiſc. 14.Apr. 131
s.Echarius, 27. Nou. 199
s.Edmundus, 3.Oct. 178
s.Eduardus Epiſc. 18.Apr. 133
s.Egbertus Abbas,19.Nou. 199
s. Egbertus 17.Nou. 199
s.Elias Abbas, 13. Apr. 129
s.Eliſius mart. 16.Nouemb. 199
s.Eligius Epiſc. 14. Maij, 144
s.Eloquius Abbas 4.Decemb.201
s.Englatius Epiſc. 5.Nouemb.185
s.Eobanus Mart.5. Iun. 153
s.Eoglodius Monac.25.Ian. 85
s.Erchardus Epiſc. 24 Aug. 168
s.Erencius Abbas, 26 Apr. 135
s.Erent. Virgo & Ab 30.Iun. 161
s.Erehardus Conf.9.Feb. 100
s.Erlulphus M. & Ep 10.Feb.100
s Erualdus Mart 15.Feb. 101
s.Ethbinus 30.Dec. 204
s.Ethelreda Virgo, 22.Apr. 134
s.Etheluinus Epiſc.29.Iun. 160
s.Ethernanus Abbas,21.Dec. 203
s.Euſebius,21 Apr. 131

F

s. FAro Epiſc.17 Oct. 182
s. Fauſtus Epiſc.11 Maij, 143

s.Faſtidius Epiſc.13.Maij, 144
s.Ferranus Epiſc.24.Maij 150
s.Fetno Conf.12.Mart. 116
s.Fiacrius,29 Aug. 168
s.Fillanus Abbas,9.Ian. 76
s.Fimbarus Epiſc.6.Iun. 163
s.Fincana Virgo,21.Aug. 168
s.Findocha Virgo,31 Maij, 151
s.Finnanus Epiſc.17.Feb. 202
s.Fintana Virgo, 27.Maij, 150
s.Fintanus Conf.1.Feb. 95
s.Firminus Ep.& M.29.Sept. 177
s.Florentinus,18.Apr. 133
s,Florentius Epiſc.7.Nou. 181
s.Foillanus Ep. & M.31.Nou. 200
s.Foramnanus,24.Ian. 89
s.Fothadus Epiſc.3.Feb. 95
s.Fothadus,4.Iun. 152
Franciſcus Mayronis cœleſtia periit, 27.Iun. 160
B. Franciſcus Monachus ab hæreticis occiſus eſt,8.Dec. 201
s.Fridelinus Abbas,6. Mart. 111
s.Furſeus Abbas,16.Ian. 86

G

s. GAius Mart.Iun. 156
s. Galbaldus Epiſc.7.Iun. 153
s.Gallanus,7.Dec. 201
s.Gallus Abbas,16.Oct. 180
s.Ganinus Mart.28.Mart. 120
s.Georgius Durcius Ab.27,Ian. 90
s.Gernadius Epiſc.9.Nou. 196
s.Geruadius Epiſc.21.Iun. 159
s.Gilbertus Epiſc.1.Apr. 120
s.Gillenus,23.Iun. 159
s,Gillus,5.Nou. 185
s. Giſolarius, 29.Mart. 120
s.Giſualdus,26.Iun. 160
s.Glaſcianus Epiſc.1.Sept. 172
s.Gobbanus,3.Nou. 185
s.Godricus,27.Iun. 160
s,Golgus Abbas,17.Iul. 164
s,Gotha,23 Oct. 181
s,Guallaferus,29.Oct. 182
s.Gudalus,8.Ian. 76
s.Gudlocus,11.Apr. 129
s,Guenaltius,10.Ian. 78
Guillelmus Barclayus toparcha ladilandiæ ab hæreticis interfectus eſt,17.Dec. 202
s.Guillelmus Martir.23.Maij, 147
s.Guillelmus Scot.Rex,4.Ap. 125
s.Guindibertus, 27.Oct. 182
s.Guinochus Epiſc.13 Apr. 130
s.Gumbaldus,28.Oct. 182
s.Gunifortis,29.Oct. 182
s.Guthagonus Conf.3 Iul. 162

H

s. HArruchus Ab.16.Iul. 164
s. Haymarus Epiſc. & Mart. 4.Maij, 138
s.Heligrand.Ep.& M.22 Iun. 159
s.Herebertus Epiſc.7.Maij, 138
s.Hildebertus Abbas,10.Maij, 143
s.Hildebrandus Mart 3.Aug. 165
s.Hildulphus,27.Feb. 104
s.Hildulphus Epiſc.5.Aug. 166
s.Hiluuaris,25.Oct. 181
s.Himelinus Conf.10.Mart. 113
s.Hugo,7.Mart. 111

I

IAcobus,4 obiit,18.Sept. 175
Iacobus Vood Edimburgi ab hæret. cap. plectitur,1.Maij, 137
s.Ibar Epiſc.24.Mart. 118
s.Iero Abbas,16.Iun. 159
s Iero Mart 17.Aug. 167
s.Innocentius,1.pont Max 23.Iul. 164
s Ioan.Ep.Dum Keld 13 Iul. 163
s.Ioannes Scot.Ep.Magnop.&M. 10.Nou. 197
s.Ioannes Epiſc.Mechelb.30.Iun. 161
s.Ioannes Scot.Epiſc.26.Feb. 104
s.Ioannes Apoſt. Bauar.9.Maij, 143

s.Ioannes Scot Mart.10.Nou.196
B.Ioannes Aberd. Mart.15 Ian. 87
Ioannes Duns Scot 8.Nou. 185
Ioannes de Sacrobosco 17 Oct.180
Ioannes Maior, 1. Maij, 136
Ioannes Ogilbæus,10. Mart. 114
Ioannes Grayus Francis.13.D 201
Ioannes hamilt. Archiep S. Andreæ,7.Apr.128
Ioannes BlaK. Dom.15. Dec.202
s.Ionas Abbas,28 Maij, 150
s.Iseugerus Ep & Mar.21.Mart.118
s Inianus Conf.2 Dec. 200

K

s. KEnneira,29 Nou. 200
s. Kennocha Vir.10.Mar.115
s.Kentigerna vidua,7.Ian. 75
s Kentigernus Episc.13.Ian 79
s Kieranus, 22.Oct. 181
s.Kilianus Episc.& Mart.8 Iul.16
s.kortillus Episc.28.Apr. 135
s.korulla,14. Oct. 180
s.Kunegundis Virgo,10.Iul. 163
s.kunera Virgo,9.Iul. 163

L

s. Liberta,12.Oct. 179
s. Libertus Mart.14.Iul. 164
s Lólanus Episc.24.Sept. 177
s. Lucia Virgo,21.Sept. 176
s Lupita,10. Oct. 179
s.Lutbodus Abbas,20.Nou 199

M

s. MAcarius Ep.13 Nou. 197
s. Macarius Ab.9.Dec.202
s.Macceus,7 Oct. , 178
s.Machanus Episc.30.Sept. 177
s.Maclouius Episc.15.Nou. 198
s.Macra Virgo 15 Iul. 164
s Magnus Abbas, 7.Sept. 172
s.MaKKessogus Ep.10 Mart. 113
s.MaKnolocus Episc.29 Ian. 90
s Malcallinus.4.Oct. 178
s.Malchus Episc 30.Sept. 177
s Malcolm' Sc Rex,&M.2.Iu.151
s.Malcolmus,4.Sc.Rex,3.D.200
s.Maldulphus,28.Sept. 177
s Malrubius Mart.27. Aug. 168
s.Mancina Virgo 14.Ian. 86
s,Maneteus Abbas,12 Feb. 100
s Mannus Ep.& Mart.16.Ap. 131
s.Mansuetus Episc.3.Sept. 172
s Marcellus,27 Sept. 177
s.Margareta Sc Regina,10 Iu 154
s.Maria Stuarta Sc Regi 18 Fe 103
Marianus Abbas,4 Iul. 162
s Marianus Scot.30 Ian. 91
s.Marnanus Episc 1.Mart. 108
s.Marnochus Episc.25.Nou. 199
s.Mathildis Reg. Angl. 30 Ap.135
s.Mathildis Virgo,1 Ian. 72
s.Mathilla,9.Oct. 179
s.Mathissus Episc.2.Ian. 74
s.Mauerius Episc.18.Dec. 202
s Maura Virgo, 2.Nou. 185
s.Maxentia Vir.&Mar.24.Oct.181
s.Medanus Episc 14 Nou. 198
s.Melchiades Conf.29 Iul. 165
s.Merennus Abbas,28 Iun. 160
s.Merolilanus Mart.18.Maij, 143
s.Middanus Abbas,29.Apr. 135
s.Mimborinus Abbas,14.Dec.201
s.Mirinus Abbas,17.Sept. 175
s.Modanus Abbas,4.Feb. 95
s.Modesta Vir &Abb.12 Au. 167
s.Modocus Episc.31.Ian .93
s.moduenna Virgo,5.Iul. 162
s mofutacus Conf.26.Dec, 203
s molonachus,25 Iun. 160
s.mombalus,16 Sept. 173
s.monanus mart.1. mart. 109
s monon mart.,18 Oct. 180
*s.morocus Abbas 8 Nou. 185
s.mundus Abbas,15.Apr. 131

N

s NAthalanus Episc 8.Ian.76
s. Nectanus Ep.23 aug. 168
*s.Nennius Abbas, 8 Feb. 101
s.Ninianus Episc.18.Sept. 173
s.Noitila Ep.& mart.22.maij, 147

O

s. ODa Virgo,27.Nou. 200
s. Odilia,10.Sept. 172

s.Odranus,2.Sept. 172
s.OdunaldusAbbas,26.Maii, 150
s.Otgerus,12. Sept. 172
s.Ouanus,20.Iul. 164
s.Ouanus,29.Dec. 204
P
s. PAlladius Epiſc.6.Iul. 162
s. Paternus Epiſc.30.Mart.120
s. Paternus Monac. 10. Apr. 128
s.Patricianus Epiſc.28.Nou. 100
s.PatriciusEp.&Ap.Hib.17 M.117
B.PatriciusFranciſc.24 Apr. 134
sPatto Epiſc.30.Mart. 120
s.Peregrinus,26.Aug. 168
s.Plebæus,19.Sept. 175
s.PlechelinusEpiſc.15.Iul. 164
ss Poſenua & Promptia,3.Ian.74
s.Priſcus Epiſc.1 Oct. 178
s.Pſalmetus Conf.13 Iun. 158
s.Pumicia Virgo,27. Iul. 165
Q
s. QVeranus,11.Sept. 172
s. Quintinus Kennedius, 22. Aug. 168
R
s. RAbanus Maurus,4.Ian. 74
s. Regulus Abbas,17Oct.180
s.Richarda Imperatrix,20.Se.175
B.Richard⁹aS.Victore,10 M.114
Richardus deMediavilla,1.F.95
s.Rodulphus Epiſc.5.Ian. 75
s.Rouanus,6.Feb. 96
s.Ronnanus,25.Aug. 168
s.Rumoldus,1.Iul. 161
s.RupertusEp.27.Mart. 110
S
s. SAluſtius,18.Aug. 167
s. Sampſo Ep.28 Iul. 165
s.SanctinusAbbas,13.Aug. 167
s.Saranus,30 Iul. 165
s.ScandalausConf.5.Maij. 138
s.SernanusEpiſc.20.Apr. 133
s.SigeniusAbbas, 7 Apr. 128
s.SidoniusConf 21.Maij, 147
s.Stolbrand'Ep.&M.20.Aug. 178
s.SuibertusAb.9.Aug. 166
s.SyraVirgo&Ab.8.Iun. 153
T
s. TAncoEpiſc.16 Feb. 101
s. Tarkinus 30 Nou. 200
s.TerguſiusEpiſc.18.Nou 199
s.TernanusEpiſc.12.Iun. 156
s ThametisScot.Reg.18.Iul. 164
s.TheodatusConf.23.Mart. 119
s.TheodnanusM.25.Mart. 119
s TheuranusAbbas,26.Sept. 177
sThomasRobertſon,24. Dec.203
s.T.gernacusEp.5.Apr. 127
s.TolmannusM 28 Aug. 168
s.Tomerinus,23 Nou. 199
s TotnanusM.30.Maii 151
s Treſſanus,7.Feb. 97
s TrefanusConf 3.Iun. 152
s TriduanaVirgo,8.Oct. 178
s.TudaEpiſc.27.Dec. 203
V
s. VAſuulphusEp.11 Aug.167
s. Vdilma,19.Oct. 180
s.Veranus,4.Sept. 171
s.Verena Virgo&M.22.Iul. 164
s ViganusConf 13 Mart. 116
s.ViminusEpiſc.20.Ian. 88
s.Vinianus Epiſc.6.Iun. 153
s.VinocusAbbas,6.Nou. 185
s.VirgiliusEpiſc.29.Iul 165
ss.duæVirgines Anonimæ 12Ia 79
s.ViroEpiſc.8.Maii, 138
s.VltanusAbbas,1.Maii, 136
s.Vrſula,21.Oct. 180
s.VvalaricusConf 21.Ap. 134
s.Vvalpurga,1 Maij, 136
s.VvalterusAbbas,5.Maij, 137
s.VvandelinusConf.15 Iun. 159
s.Vvendelinus,29.Oct. 182
s.VvillibaldusEpiſc.1.Maij 136
s.VvillibrordusEpiſc.6.Nou. 181
s.Vvinibaldus,1.Maij, 136
s.Vvlferus,28 Feb. 108
s.Vvlganus, 4.Nou. 185
s.Vvlgilus,31.Aug. 172

FINIS.

INTRODVCTIO GENERALIS AD SEQVENTES LIBROS,

De Fortitudine, Doctrina, & pietate Scotorum.

INTRODVCTIONIS PARS PRIMA.

De Scotorum origine, & in Albionem aduentu.

Vbi etiam generalis totius Inſulæ, eiuſque incolarum deſcriptio traditur.

SCOTORVM fortitudinem, doctrinam, ac pietatem compendiariâ ratione, & quaſi per indicem deſcribere cupientes, è re & vſu futurum iudicamus, prius aliquid in genere, de gentis origine, progreſſu, atque in Albionem aduentu, ad fuſiorem rerum intelligentiam, non ex veterum commentis, aut coniecturis fabularum caligine inuolutis; ſed ex vetuſtiſſimis annalium monumentis, firma probabiliſſimorum ſcriptorum conſenſione, nobis traditis præmittere. Scotorum itaque gentis originem vetuſtiſſimam eſſe, ac peculiari quadam æterni numinis gratia, hactenùs fuiſſe illuſtratam, multa ſunt, eaque immortali hominum memoria digna, quæ id abundè teſtantur; diuturnum ſcilicet in ijs ſedibus quas hodie poſſident domicilium, legitima tot ſæculis regiæ ſtirpis ſucceſſio; fixa inſuper, & omni quidem æuo illibata libertas, admiranda ſemper animi magnitudo, quæ in aduerſis ac rebus maximè

Scoticæ gentis origo.

deſperatis,inuicta reluxit; Matura fidei Christianæ ſuſceptio, & in eadem ſuſcepta,intemerata ad noſtram vſqueætatem, ſeu impijſſimi Caluini tempora conſeruatio; antiquiſſima,eaque ſancta ſemper,& inuiolata cum varijs Principibus exteris fœdera. Hæc ſiquidem omnia ſimul iuncta,cum vix,ac ne vix quidem, in vlla alia ſub cœlo gente, reperiantur, meritò affirmari poteſt, Scotos, ſi non à Dijs (vt Romani à Marte, Britones à Ioue, alijque ab alio fictitio Numine ſe prognatos eſſe fabuloſè finxere) ab inuictiſſimis ſaltem, heroïbus ortum habuiſſe.Hos autem Græcos & Ægyptios fuiſſe, ab hiſtoriæ fide,& maiorum noſtrorum monumentis,quæ veritatis fundamento niti videntur, pro certo accepimus. Nam Princeps quidam Græcus,nomine Gathelus, ſeu Cecropis qui Athenas condidit,ſeu potiùs Argi Neoli quarti Regis Argiuorum (in dubium vocatur) filius, cum iuuenili quadam inſolentia, per Achaiam & Macedoniam graſſatus fuiſſet; nec acerbam patris, maiorumque correctionem æquo animo ferre potuiſſet, iuuenum validâ contractâ manu, claſſeque paratâ, patriam fugiens, in Ægyptum deſcendit; vbi à Pharaone,læto ſuſceptus animo, ei contra Æthiopes qui illa tempeſtate Ægyptum tumultuario bello inuaſerant, ſuppetias tulit : eorumque regiam in Meroe inſula expugnatam recepit. Vndè vniuerſis regni copijs ſummo omnium conſenſu præpoſitus, Pharaoni tandem adeò gratus extitit, vt ei filiam ſuam, nomine Scotam, matrimonio copulauerit; Thebe Ægyptiaca Iſraelitis adempta,& Gathelo in dotem data. Verùm rege illo extincto, ac Bocchate Pharaone eius filio , duriſſimâ ſeruitute Iſraelitas opprimente,cùm perſpexiſſet Gathelus Dei iram in Ægyptios deſæuire, quod Moſis verba,imò Numinis mandata, à rege & primoribus neglecta eſſent,admonituſque ex oraculi reſponſo,Ægyptum multò acrioribus adhuc plagis concutiendam, de Ægypto deſerenda,& nouis ſedibus quærendis conſilium inijt:quare omnibus quæ vſui ad nauigandum fore videbantur,comparatis,cum vxore, libeberis,Græcorumque & Ægyptiorum quoque ſelecta manu,è Nili oſtijs ſoluens,poſt varios per mare Mediterraneum errores,fretum Gaditanum egreſſus, in Iberiæ tandem partem illam, cui longa poſt tempora, Luſitaniæ nomen eſt inditum, appellit; à quo Portugallia, tanquam Gatheli portus (vt quidam volunt) poſteà , & adhuc dicta eſt,indeque orto priùs cum incolis diſſidio, & ſacris ex gentili inſtituto factis; ad Cantabriam , quæ nunc eſt Gallicia cum omnibus copijs contendit; vbi icto cum indigenis amicitiæ fœdere,oppidum Brigantiam nunc Compoſtellam condidit; & fatali marmori inſidens , Brigantiæ nomen regium adeptus, totam ſuam gentem Scotos,ab vxoris nomine, vocari voluit. Hi deinde in Celtiberiam(cuius pars eſt Cantabria) quam Iberus fluuius alluit, ſuas ditiones extendiſſe dicuntur. Et ne hæc quæ de Gathelo in hiſtorijs noſtris referuntur, ficta videantur, ipſius veri ratio ,rem

ipſam ſatis liquidò comprobat. Nam mores, viuendi inſtituta, & lingua ipſa (quæ antiquitùs & adhuc dicitur Gathelica, & corruptè Gathlic) Hiſpanorum qui illam Cantabriæ oram quam nunc Biſcaiam vocant, vel hodierno die incolunt, non multùm ab ijs quibus ipſi Hibernici, & noſtri Hibernenſes Scoti, hac etiam ætate, vtuntur, diſſimiles eſſe perhibentur. Creſcente verò Gatheli populo aliquot poſt annos, multi ex gente Scotica ſelecti viri, Hibero & Hemeco, Gatheli filijs ducibus, in Hiberniam inſulam, è regione Hiſpaniæ, ad Aquilonem ſitam, tanquam in coloniam miſſi ſunt: vbi poſt velitationes aliquot, rebus proſperè geſtis contra Agreſtes, ſeu Aborigenes (ſic enim incolas ibi repertos appellare licet) factis ſacris, Hiberus, fratre Hemeco inſulæ præfecto, maiori cum gentis parte, vxoribus ac liberis ibi relicto, in Cantabriam traiecit, qui mortuo patre longè ferocior, imperij ſui fines in Hiberia protulit, vicinaſque vrbes ibidem expugnatas, in ſuam recepit poteſtatem; vnde & prouinciam à ſuo nomine, tùm primùm Hiberiam, ſicut & vicinum fluuium, Hiberum dixit, Gatheli & Scotæ nominibus in Hemecum, eiuſque Comites, tranſlatis. Longa dehinc ab Hibero nepotum ſeries, Hiberis imperitantium deſcendit; inter quos Metellius, Hermonius, Prolemeus, Hibertus, & Simon Brechus famâ celebriores extitêre. Hemecus interim Hiberniæ præfectus, accepti memor beneficij, inſulam à fratris nomine, vt poſteris celebrius redderetur, Hiberniam vocat. Longâ indè annorum ſerie, fœlix in rebus populo erat ſucceſſus, ſumma ad eum quemcumque populus iuſſiſſet delata poteſtate. Sed obortis deinde factionibus inter Scotos & Aborigines, de ſumma rerum adminiſtratione, cruento bello ſæpiùs eſt certatum. Donec Scoti miſſis in Hiberiam legatis, omnes communi applauſu, Simonem Brechũm regio clarum ſanguine, ex Gatheli progenie, euocarunt & fatali inſidentem marmori (quod ſecum ex Hiberia, veluti ſtabiliendi regni teſtimonium vexerat) regem lætis acclamationibus conſalutarunt. Cœpit is omnium primus in Hibernia regnare, Anno ab vrbe Roma condita ſexageſimo; & ante Saluatoris noſtri Incarnationem ſexcenteſimo nonageſimo quinto. Ex eius Simonis progenie, per plurimos deductâ ſerie, erat Rotheſaus regius adoleſcens, qui primus colonias aliquot in Hebrides, ſeu (vt nonnullis placet) Ebonias inſulas ad Albionis occiduum ab Hiberi, vel Hiberniæ nomine, ita nominatas, deduxit, quamque primùm ſe incoluit, Rotheſaiam a ſuo nomine appellauit, anno poſt initum à Simone Brecho, in Hibernia imperium, centeſimo decimo ſexto. Frequentes inde Scoti, cum omni rei pecuariæ apparatu, in Hebrides migrauêre: Occiduas quoque Albionis partes, eas præſertim quæ Aquilonem ſpectant, Argatheliam ſcilicet ab ipſo Gathelo gentis parente ita dictam, nunc verò corruptè Argadiam) tandem inhabitare cœperunt.

Sed vt nos in ſcribendo confuſionem, & alij in legendo faſtidium faciliùs euitent; antequam illa quæ Scotis ſunt propria apertiùs enarrem, ea prius quæ toti inſulæ communia ſunt paucis hîc perſtringam.

Hæc inſula igitur Britannia omnium inſularum Longè pulcherrima, optima, & maxima habetur, quæ Scotiam Angliamque complectens, è regione Galliæ ſita, Oceano vndique circumluitur; à Meridie, Britannico, ſeu Gallico; qua occidentem ſpectat, Hybernico (quod & olim mare vergilium dicebatur) ad Orientem, Germanico; ad Septemtrionem Deucaledonico, Ambitu ſuo bis mille propè milliaria, ſeu paſſuum millia complectitur. Longa ampliùs quàm ſeptingenta millia; vbi autem latiſſima eſt, in pede ſcilicet verſus mare Gallicum trecenta & quinquaginta propè millia expanſa: alias autem nunc terræ anfractibus incluſa, nunc angulis eminentior æqua vbique latera non habet; nam vbi Scotiæ Angliæque termini exiſtunt, a promontorio nimirùm Gallouidiæ ad promontorium vſque Ebb r, non plus eſt centum ſexaginta millibus ſpatioſa. Albionis nomen huic inſulæ vetuſtiſſimum, alij ab albis rupibus quæ in eam ex Gallia nauigantibus obiectæ primæ apparent, deducunt: Alij, Albina quadam ab fabuloſa deductione (vt Poëtæ olim de Danai Arginorum Regis filiabus confinxere) dictam volunt; quæ Albina cum quinquaginta ſororibus, interfectis maritis claſſe delata extra fretum Gaditanum, & in inſulam hanc tandem appulſa, ſedes illic ſuas, nullo prohibente, poſuiſſe dicitur; deinde nefario concubitu dæmonibus omnes mixtæ, homines immanis ſtaturæ procrearunt, quos appellarunt Gigantes, quoſque ad Bruti vſque Britannorum progenitoris tempora, inſulam tenuiſſe volunt. Alij verò Albionem, ab Albanaco Bruti filio, dictam arbitrantur, quem Brutum tribus ſuis filijs Locrino, Cambro, & Albanaco totam diuiſiſſe inſulam perhibent, Illamque inſulæ partem, quæ poſteâ a Scotis Pictiſque, vacua forte cultore, occupata fuerat, Albionem ab Albanaco nominatam affirmant. Tandem verò inſulam ipſam, à Bruto Britannicæ gentis autore, Britanniam appellatam fuiſſe comperimus. Hæc ſuccinctè de ipſius inſulæ ſitu ac nomine, quid verò alij recentiores, curioſiùs forſan quàm veriùs de hiſce ac ſimilibus ſentiant, recepta vbique veterum ſententia contentus, nihil moror. Inſula autem hæc Albion ſeu Britannia, multos habuit ſucceſſiuis ſæculis habitatores Britannos ſeu Britones, Scotos, Pictos, Romanos, Saxones, Danos, & Nortmannos: quorum omnium primi erant Britanni, à duce quodam (vt dictum eſt) nomine Bruto, Syluij poſthumi Latinorum Regis filio, Æneæque, vt fertur, Nepote, ſic nominati. Hunc ſiquidem affirmant ſcriptores, ob cædem & inimicitias, ex Italia in Peloponeſum profugum, reliquias Troianorum, in illis regionibus adhuc ſuperſtitum collegiſſe, & claſſe inde ad nouas ſedes quærendas, per fretum Ga-

Longitudo & latitudo inſulæ Britanniæ.

Diuerſi & varij Britanniæ incolæ.

ditanum, totamque circumuectum Hiſpaniam, ventorum procellis, in Albionem tandem fuiſſe delatum, ante partum virgineum, mille & ducentis annis, Scotorumque in Albionem aduentum, ſexcentis ferè annis. Hi igitur Britones, multis ante Scotos ſæculis, inſulam ingreſſi, loca meridiei propinquiora occupauerunt.

Quando Britones in Britanniam venerint.

Proximi, poſt Britones Scoti, (vt iam dictum eſt) ex Hebridibus in Albionem tranſmiſere; in prouincias nempè Hebridibus oppoſitas; deſertas penè, nec dum ob Britannorum paucitatem, eò promoto adhuc imperio. Annum autem quo Albionem Scoti primum ingreſſi feruntur ante humani generis reſtaurationem tradunt ſupra ſexcenteſimum. Ne igitur ſine imperio ac legibus vitam agerent, populus per tribus, veteri gentis inſtituto, eſt diuiſus; ac ſingulæ tribus, ſingulos ſibi creauere Regulos ſeu duces & capitaneos, quorum arbitrio, & pacis, & belli temporibus, ſeſe ſubmiſere. Adeò autem cuique tribui, ducis ſibi nomen erat venerandum, vt in aliquo periculo conſtituti, illud veluti ſanctum, cui aliquod ineſſet numen, ſubmiſſè inuocarent; ita vt per illorum nomina, maneſque peierantes, haud ſecus quam per Deos peieraſſent immortales, ſupplicio afficerentur. Qui mos Hibernicæ adhuc genti, atque Monticolis etiam Scotis, qui Hibernicâ vtuntur linguâ, in vſu hodie cernitur. Haud multum poſt Scotorum in Albionem aduentum, memorant gentem quandam, Pictos nimirum Agathyrſos ex Agathyrſia Scythiæ prouincia, poſt varios per Sarmatiam Europam; & Germaniam errores, poſteà in Cimbricam Cherſenoſum, nunc Daniam demigraſſe, ibique aliquandiu conſediſſe. vnde nouas quærendi ſedes ſtudio, comparatis nauibus, ac oris Gallicis, Britannicíſque, ab incolis prohibitos, in Hiberniam appuliſſe: incolarumque inde ſuaſu (qui alienæ gentis congreſſus, ſemper fuere impatientes) in Albionem tandem delatos fuiſſe. Alij probabilius, eos in Orcadas inſulas, primum veniſſe ſcribunt, ibique ſedes tenuiſſe; in cuius rei fidem, Orcadas antiquum Pictorum regnum vocitatum, certum eſt. Vnde Maris illud deſtrictum ſeu Euripus, qui Cathaneſiam ab Orcadibus dirimit, Pictici Boſphori, vulgò *Pichtland Fyrth*, in hodiernum vſque diem, nomen obtinet. Poſtea traiectu breuj in Cathaneſiam penetraſſe, regioneſque Orientales inſulæ occupaſſe, pulſis inde paſtoribus, agreſtibuſque Britonum, qui rari illas prouincias tunc obtinebant, certius conſtat. Hi autem à corporum elegantia, ſeu à colore veſtium, vel potiùs quòd oris pingendi eis eſſet vſus, Picti dicebantur. De ijs fidem facit Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ, dùm Scotos Hiſpanicæ, ac Pictos Germanicæ originis appellat. Horum etiam meminere Virgilius, Claudianus, Mela, Eutropius, Paulus Diaconus, Vadianus, & Sabellicus. Annus autem quo Picti in Albionem venêre, fuit ducenteſimus quinquageſimus ex quo priùs in eam ingreſſi fuerant Scoti. Nec id quidem rectè in dubium a quibuſdam

Quo tempore Scoti primo in Britanniam venerint.

Quo tempore Picti in Britanniam venerint.

vocatur, Pictorumne an Scotorum prior fuerit in Albionem aduentus, Reutharem ſcilicet (Reudam ipſum nominat Beda) authorem gentis noſtræ in Albionem extitiſſe aſſeuerantibus; cum vetuſtiſſimi quique noſtrarum rerum Britannorumque ſcriptores, quinque ante eum in Scotia, reges numerent, Ferguſium, Feritharem, Mainum, Dornadillam & Nothatum. Nam quod de Reuthare memoriæ prodiderunt, de reditu, non de aduentu eius in Albionem, intelligendum erat. Picti igitur protinùs atque in inſulam deſcenderunt, electo vno qui ſceptro & imperij clauo præeſſet, extructiſque ſine mora munitionibus, legatos ad Scotos, de mutuo cum eis fœdere ineundo, mittunt; Et vt amicitiæ vinculum illud affinitatis iure arctiùs ſanciretur, dùm de futura prole ſolicitè cogitant, poſtulant ſibi ab illis vxores dari. Ingrata Scotis initio videbantur hæc poſtulata. Verùm poſtquam conſilia diligentiùs inter ſe agitaſſent, veriti ne ſi Picti repulſam ferrent, ſocietatem illicò cum Britannis, in Scotorum exitium inirent, idcircò eorum votis benignum præbuere aſſenſum, hoc inſuper adiecto pacto, vt mutuã in armis ſocietatem, vterque populus aduerſus externos quoſcumque hoſtes, ſanctè iurarent; ita vt qui alteri bellum inferrent, vtrique inferre cenſerentur. Vnde factum eſt, vt hi duo populi, quam plurima exinde bella aduerſus Britones, aliaſque potentiſſimas gentes, quæ ſubſequentibus ſæculis, Britonibus ipſis iura dederunt, fœlici commiſerint ſucceſſu; donec tandem mutuis adinuicem armis decertantes, Picti penitùs Scotorum fortitudine fuerint deleti, de quibus ſuo loco.

Tribus igitur ab initio diuerſis populis ac variè oriundis, Britannis, Scotis & Pictis, habitata fuit primum Britannia Inſula. Verum Britanniæ nomen ea pars propriè accepit, quam primi omnium Bruti commilitones tenuerunt veteri totius inſulæ nomine; Albionis ſcilicet, in reliquam ſeſe partem recipiente. Hæc igitur de inſulæ ſitu, nominibus, & prima Britonum, Scotorum, & Pictorum origine & in Albionem appulſu ſummatim & quaſi per indicem percurrimus, vt facilior ad ea quæ ſequuntur, ſeruetur via. Nunc ſupereſſe tantum video nonnulla carptim de priſcis Scotorum moribus in medium proferre, quantaque animi generoſitate & robore, tot ac tantos aduerſarios, cum ingentibus in Albionem exercitibus ingruentes, tanto ſuſtinuerunt tempore; rerum ordo poſtulat, vt primo loco de præclaris eorum in bello geſtis, aduerſus Britones, aliquid dicamus: deinde vt ſigillatim de Romanis, Pictis, Hibernis, Saxonibus, Danis, Nortmannis, & alijs materiam proſequamur.

INTRODVCTIONIS
Pars ſecunda.
De priſcis Scotorum moribus.

ARduum certè ac difficile eſſet gentis Scoticæ, longè omnium bellicoſiſſimæ res in bello præclarè geſtas, poſſe dignè enarrare; ſed cum nefas eſſe duceremus tot ac tanta illius populi monumenta in obſcuro latêre, hæc paucula ex multis, vtcumque delibauimus, primiſque tantum Lineamentis adumbrata, vt ijs, qui in annalibus Scoticis Tyrones adhuc ſunt ac rudes, argumentum præbeant, quantũ ea præ ſe ferrent decoris, ac magnitudinis, ſi ſingula & integra, viuis quaſi coloribus exprimerentur. Nec eſt quod quiſquam inſignia hæc & admiranda fortitudinis exempla in Scotis admiretur, modò ipſorum hiſtorias percurrendo, diligentiùs inueſtigare velit, quiſnam ſcilicet ipſis viuendi modus, quive mores, tũ domi, tũ militiæ, priſcis fuerunt ſeculis quare vt hac etiam in parte, aliquid in gratiã lectoris, præſtare videar, hinc lubuit præcipua quædam de antiquis gentis inſtitutis, ingenio, ac moribus, in compendium contrahere. Imprimis, religionem, Deorumque cultum, ſacra item publica & priuata, more ethnico (vt prima illa ante Chriſtum ætas patiebatur) ſacerdoteſqũe ad ſacrificia, & thus adolendum, priſco Ægyptiorum ritu, ſumma ſemper veneratione habuerunt. Poſtquam verò fidem, ac pietatem chriſtianam ſemel ſuſceperunt, ſicut eam ante cæteras gentes, longo tempore amplexi ſunt; ita etiam, ſupra quam cæteræ, venerabilius coluerunt. *De Religione.*

Iuſtitiam tanquam fidiſſimam vitæ ciuilis præſidem, ſine qua humanam ſocietatem ſtare non poſſe haud ignorabat, ſummo ſemper ſtudio tutati ſunt; ita vt res olim vulgò, & per noctem etiam proponi ante ædes, & ſine cuſtode relinqui ſolerent. *De Iuſtitia.*

Domi, bellique, cum reliquas virtutes, tùm earum omnium matrem, imprimis coluerunt temperantiam; nihil enim graue, nihil difficile illis eſſe iudicabant, qui temperatè viuerent, conſuetaque olim, ac familiari victitandi moderatione vterentur: cùm econtra compertum haberent, nullum vnquam populum bellica laude floruiſſe, qui ſpreta ſobrietate, luxui ac crapulæ, ſeſe dedidit. Et hinc erat, vt manducones, helluones, voraces & per- *De Temperantia.*

De Helluonum pœna. petuò ebrietati indulgentes, capitali odio proſequerentur: Imò ne tam fœda monſtra in patriæ dedecus, diutiùs ſupereſſent, eos flumine mergentes (priùs quantum libuit cibi ac potus vorare, & ingurgitare eis præbentes) miti ſupplicio exterminarunt.

Ratio victus de pane. Panem domi faciebant ex frumento, leguminibus, vel auena; ex ijs nimirum frumentis, in quaque regione, quorum ager ferax erat, haud vt nunc, cribrationibus nimium exactis, guſtui ſuauiorem reddentes. At in bello, accepta farina, eaque aqua ſubacta, & in maſſam compacta ſubiectis carbonibus, panem, quem apud veteres ſubcineritium dictum fuiſſe legimus, ſibi quiſque faciebat. Quod & Romanos aliquando, & ipſum etiam Antonium Caracallam, apud Herodianum factitaſſe legimus. Semper autem maſſam quandam, ex farina, butyro, caſeo, lacte, atque aceto temperatam, contra extremam famem, domo aſportabant, multos nonunquam dies, vbi extrema commeatus inopia premebat, eius ſuccu appetitum lactando, vitam ſuſtinentes.

De Carnibus. Carnium apud eos rarior erat vſus, niſi quas ex præda cepiſſent, eaſque ſemicrudas deſumebant, ſucci ita optimi plurimum ineſſe, maioremque ad corpus ſuſtentandum vim continere affirmantes. Ex domeſticis verò animantibus, bubula imprimis aut vitulina, vnicé oblectabantur.

De piſcibus. Piſcium verò ad ſolem ſiccatorum (vbi hoſtilis ager nulla præbebat corpora) frequens erat vſus; copiam ſiquidem abundantem maria ac flumina, vbique ſuppeditabant.

De Refict. Ex ſupra dictis igitur, tenue ſumentes ientaculum, in cœnam ſuſtentabantur. Sic enim animus, non pleno cibis ventre, minimè grauatus, ad munia ſua obeunda haud erat ineptus.

De Cœna. Cœna verò largiore vtebantur; ita tamen vt vnum ferculum non excederet. Quas natura vires cibis addidit, iis puris vtebantur, nullis eos corrumpentes condimentis: famem videlicet per exercitia optimum ciborum condimentum afferentes; vnde rei culinariæ, ac deliciarum nullam ferè habebant curam. *De re culinaria.*

De Potu. Potus vulgaris in vſu quotidiano, vt & alibi, fuit Cereuiſia; at vbi Cereuiſiæ penuria laborabant, fontes & riuuli ipſis potum ſubminiſtrabant; ſicut & in caſtris, potum vt plurimum latices præbebant. Quando verò in pace animos exhilarare Libebat, potus genus, quem aquam viſſam, ſeu aquam vitæ appellamus, non ex aromaticis exoticis, ſed ex patrijs herbis thymo, menta, anyſo, ſimilibuſque odoratis per diſtillationem, vt nunc quoque fit, conficiebant.

De Continentia. Ab eximio igitur hoc temperantiæ fonte admiranda illa in Scotis continentia effluxit, quam alius nunquam populus tamdiu retinuit, nec illius inimicam voluptatem, tam ægrè admiſit.

Hæ inſuper virtutes, parſimoniâ videlicet, & continentiâ, corpora

pora ab aduerſa valetudine tutabantur, vitamque Scotis in longum æuum protrahebant.

De veſtitu. Veſtimenta, non ad luxum & ornatum, ſed vt maximè vſibus ac bello accommoda eſſent, ferre gaudebant. Tibialia non vltra genua ſurſum ducta, ex lino aut lana. Femoralia ſimpliciſſima, pudori quam frigori aut pompæ aptiora. Chlamides æſtate ex lana ſubtiliore, hyeme verò ex rudiore contextas, variegatas, & complicatas, ſibi conficiebant. Stragulis etiam villoſis, alijs ad iter, alijs ad lectos accommodis, vtebantur. Nudis ſemper capitibus (niſi ægritudo obſtitiſſet) ijsque tonſis, incedebant. Vt caluaria, ad ſolem indurata, caloris & frigoris, vbique patientes eſſent: vndè etiam propter continuam capitis tonſuram, nullus olim apud Scotos, viſus eſt Caluus.

In pace exercitia. Vbi verò tempus ab armorum fremitu, bellique incendijs vacuum erat, corpora non molli ſegnitie corrumpebant ſed aut aſſiduis luctis, reliquiſque palæſtricis certaminibus exercebant; aut venatu (cui plurimum apud nos honor habitus fuit) aut curſibus longinquis, imò impetu montium iuga ſuperantes, rurſumque dictu citiùs in planum ſeſe præcipitantes delectabantur: ferendi ſic omnibus ex aſſuetudine laboribus pares ſemper erant, nec æſtate ſolem, nec hyeme frigus, cùm opus eſſet, metuentes.

De puerorum educatione & lactatione. Parentes, magnam in liberis educandis ab ineunte ſtatim ætate, curam adhibuerunt. Neque enim lactandis infantibus nutrices accerſebant; ſed ipſæ matres ſuas proles proprio ſucco educabant; matriſque munus ſolæ implentes, nullam liberorum partem nutricibus concedebant: degenerare item nonnihil prudentiſſimi homines, à parentum natura filios arbitrabantur, familiari matris in vtero alimento aſſuetos; vbi ad aliena vbera admouerentur. *De educatione.* Adoleſcentes parcè valdè ac duriter, à pueritia educabantur: ab omnibus ſiquidem prohibiti delicijs, non niſi ſemel, ſingulos in dies, alimento, & eo minùs delicato, reficiebantur; ab omni inebriante penitùs abſtinebant; capitale ſiquidem erat, ſi adoleſcens puer ebrius fuiſſet conſpectus. *De exercitiis.* Curſu, palæſtrâ, diſco, arcu, miſſilibus, iaculis exercebantur, vt otio, torpore, temulentiâ, cunctiſque animum effœminantibus liberi, robuſtiores ad omnia toleranda redderentur. Pauimentum, aut aſſer vnico ſagulo ſtratus, eis cubile erat; nihilque aut mollitiem inducens, aut laſciuiam præſe ferens, noctù inter diùve experiebantur. Hinc vigiliarum, inediæ & algoris, mortalium omnium patientiſſimi habiti erant. Hinc etiam & milites non mollitie aut luxu diffluentes, ſed virtute ac corporis robore imperium legeſque patrias tutantes euaſerant. *De commerciis cũ externis.* Illud prætereà vel maximè illæſam conſeruauit Scotorum audaciam & fortitudinem, quod minùs eſſet eis cum exteris gentibus commercij. Hoc ſiquidem in cauſa erat, quod minùs molles eſſent, minùſque peregrino ſanguine corrupti; & tamen ante exortas hæreſeospro-

De hoſpitalitate. cellas, nullus legitur in hoſpitij iure colendo ſanctior populus, quàm Scotorum reges ac omnes penè Nobiles florebant, qui cum ipſo matris lacte hanc ſemper opinionem ſuxerunt, in hoſpitij iure violato, ipſum diuinum numen planè fuiſſe violatum. Bella illis aut externa, aut inteſtina, propemodum continua fuerunt. Nam pacem Scoti vix diù ſufferre poſſunt, otio ſiquidem & pace, fortunis paululùm exundantibus inſolentiores vt plurimum efficiuntur; vnde perpetuis ſe caſtrorum laboribus, aduerſus externos hoſtes aſſueſcere, ſibi conſultiſſimum putabant.

De Moribus in bello. Cum autem ad bellum proficiſcendum eſſet, quiſque iubente Rege quinquaginta dierum cibum caſtrenſem, proprio ſumptu (qui nos adhuc à noſtris obſeruatur) panem, caſeum, butirum, carnemque bubullam, vel ſiccatos piſces ſecum ferebat: nam rarus tunc erat miles conductitius; nec etiam bellicoſa Scotorum ingenia, fœda & ſeruilis effœminauerat ingluuies. Reges ac Duces ſemper in conſpectu militum, peractis ex more ſacris, diuinum numen precari erant ſoliti, vt ſuum bellum ſuæ ſine gentis culpa ad fœlicem exitum ducerent: omnes belli verterent clades in eum populum, qui alteri primum fuiſſet iniurius, ſacraque fœdera violaſſet. In campos exilientes, occiſo quod primum omnium occurriſſet, animali ſanguine eius gladij cuſpidem tingentes, omnes deguſtabant, ea ſibi proſpera fore auſpicia pollicentes. Si quis autem in *Ignauiæ pœna.* itinere, aut in caſtris, igniario non inſtructus, & gladium non lateri accinctum, nec manu geſtare, deprehenſus eſſet, loris per magnam ignominiam cædebatur, arma ſua magna cum cura colebant; præcipuas pretioſiſſimaſque in illis opes ponentes: neque id temerè nam ſi quis gladium oppigneraſſet, exauthoratus militis conſortio vt indignus prohibebatur; quæ periuro quoque pœna erat, eaque *Armorum genera.* maximè ignominioſa. Leui armatura veluti arcu, miſſilibus catapultis, loricis alij ferreis, alij pelliceis (vulgò actones dicunt) vt plurimùm vtebantur. Lanceam alij geſtabant, alij verò gladium latum & oblongum acie longè acutiſſimum ferebant: ita vt primo conatu hominem diſſecaret medium. Hoc igitur (modò pedites eſſent) indiuiduè lateri accinctum vmbone à latere pendente portabant. His enim armis inſtructi, ad inuadendos hoſtes expeditos, nec *De ordine in acie.* quicquam, vbi Mars cecidiſſet contrarius, fugæ impedimento fore arbitrabantur. Turmas duabus alis, ac media acie inſtruere ſolebant: In harum qualibet triplex militum erat ordo, Primus, arcus, tela, catapultas, ſariſſaſque geſtantium; ſecundus eorum, qui contos & præliaria ferebant: hos ſequebantur, enſibus plumbatiſque *Ad vltionē proni.* haſtis muniti. Acceptam fortè ab hoſtibus contumeliam pariter omnibus æqualem, inuſtam exiſtimantes, non prius vnquam dolere ceſſabant, animumve cura laxabant, quàm iniuriam ſanguine *Audacia in pugna.* hoſtium eluiſſent. Si in pugna proprium effundi ſanguinem vidiſ-

ſent, non ſtatim proſtrato animo concidebant, ſed irato potiùs; in hoſtes veluti furentes, omnibus viribus incurrebant. Certatim enim nobiliſſimus quiſq; in prima acie verſari, ac dum facinus aliquod egregium perpetraret, conſpici pro magna gloria ducebat; ſicque non germanæ gloriæ vmbras ſectabantur, nec nobilitatis ſibi cognomina imponebant, ea quæ oſtentabant; ſed is haberi, eſſeque nobiliſſimus ſolebat, qui virtute non opibus, qui egregijs à ſe, non maiorum factis, clarus erat. Vbi verò nobilium quiſpiam periculosè medio prælio verſari conſpectus erat, qui illum ad bellum ſequuti fuerant, domini ſui diſcrimine commoti in medios ſeſe hoſtes immittere, & aut pro domino, aut cum ipſo animam profundere ſoliti erant, qui verò metu aut aciem deſeruiſſet, aut caſtris copiam, non obtento à Duce commeatu profugiſſet, impunè à quouis necabatur, omneſque eius fortunæ fiſco adſcribebantur: militaris inſuper Scotorum gloria, in hoc maxime relucet, quod fidem ſemper, etiam hoſtibus datam, vel mordicùs ſemper tutati ſunt, adeò vt violatâ fide nihil putent eſſe ſceleſtius. In bellis namque gerendis, ſicut & in priuatis inimicitiis, nihil dolo, nihil fraude agebant, aperto Marte decernere ac vincere generoſum ducentes: turpe ſiquidem arbitrabantur, inimicitias blandiloquio occultantes, per dolum poſteà non opinantibus inſultare; Cenſentes id eſſe imbecillium nec ſuis viribus confidentium: Fortium, & qui pro patria egregia fecerant geſta, ſempiterna habebatur memoria: quique aduerſus hoſtes fortiter dimicando occubuerant, celebribus decorabãtur monumentis: ſepulchris enim tot adhibebãtur Obeliſci, quot ex hoſtibus occiderãt, obtinuit prætereà vſus, vt clariſſimorum, & eorum qui optimi fuiſſent, ſepulchra veluti ſacra quædam, omnibus venerationi haberentur, adiectis lapidum aceruis horum complurimi montanis in locis noſtris adhuc ſeculis haud ſine intuentium ſtupore conſpiciuntur: inter egregias iſtas tum animi, tum corporis dotes vnum tamen illis erat peculiare vitium, quod ſcilicet ad arma & factiones, quàm ad agrorum culturam, mercaturam, aut artium manualium profeſſionem, naturæ quodam impetu propenderent, affectabant enim magis, ſe nobiles: in ſumma etiam inopia, aut ſtrenui ſaltem milites cenſeri, quàm mercatores etiam opulentiſſimi, aut artifices & agricolæ nominari: & hinc ſuperbia illa, nobilitatiſque iactantia, quibus vitijs authores quidam gentem Scoticam haud omninò temerè notarunt, ex parte fluunt.

Virtutis præmia. *De ignauis.* *De fidelitate.* *Virorũ fortiũ præmia* *Ad factiones proni.*

Hi mores ſunt, quibus priſci noſtri Scoti imbuti erant; imò & quibus illi adhuc qui Scotiæ montes incolunt, & antiqua Scotorum lingua, Hibernica nempè, loquuntur (vnde & Hibernenſes Scoti appellantur) penitus vtuntur. Et tamen non deſunt lauti ac delicati quidam homunciones (Sic enim illos vocare libet) qui in

Mores Mõtanorum Scotorum.

eorum laude malitioſè obterenda acerrimis inuidiæ ſtimulis inardeſcant, quaſi in antiqua illa vitæ auſteritate, virtutiſque ſplendore, non eam morum elegantiam, qua ſibi vnicè applaudunt, inueniant; ſed ſi veris rationibus examinent, nihil ferè reperient quod germanæ virtutis indicia non contineat, & pauca admodum quæ Chriſtianæ pietatis normam excedant; cum interim, ſi potiorem regni partem, hoc noſtro æuo intuerentur, quantaque morum ciuilitate in ea homines viuant, facile, me iudice, faterentur, Gallis, Flandris, aliiſque vicinis nationibus nos neutiquam inferiores eſſe. Sed de hac re ſatis. Supereſt vt iam pro inſtituti noſtri ratione heroïca Noſtratium in bello geſta deſcribamus.

Mores modernorum Scotorum.

LIBER PRIMVS, DE SCOTORVM FORTITVDINE,

CAPVT PRIMVM.

De Scotorum fortitudine aduerſus Britannos.

SCOTORVM fortitudinem deſcripturi, à bellis contra Britones geſtis initium ſumimus: quod illi primi fuerint, cum quibus Noſtrates in Britannia dimicarint. Britones enim perſpecto (vt in introductione à nobis eſt memoratum) arctiſſimo illo inter Scotos & Pictos neceſſitudinis fœdere, vehementer ſibi timere cœperunt à tam vicino inuiſæ maximè gentis Scoticæ incremento. Et cum ſcirent quod Scotis & Pictis concordi pace coaleſcentibus, ipſi nunquam quietas in Albione habituri eſſent ſedes, anxij inter ſe conſilia agitarunt, vt mutuam illam, ac affinitatis vinculo firmatam amicitiam dolo aliquo & artibus diſſoluerent, compertum habentes, ſe nullâ aliâ ratione faciliùs gentes illas perdere potuiſſe quàm ſi concitato hinc inde diſſidij ac belli veneno, ſuis ipſi viribus exciderentur. Quare diſcordiæ ac tumultus ſemina inter eos ſubminiſtrantibus Britannis, poſt contumelias & rixas, ad vindictam vtrinque accenduntur, tandemque ad cædes & cruenta impelluntur prælia. Scoti interim, ne instantis belli motu, ſine duce ac ſupremo aliquo moderatore, repentè opprimerentur, inito conſilio, omnes vnanimi conſenſu, Ferguſium Ferguhardi Hibernici Regis filium, ætate viribuſque florentem, modeſtiâ inſuper, iuſtitiâ, prudentiâ, liberalitate, ac militari etiam diſciplinâ egregium iuuenem, ex Hibernia cum copijs, ac ſelecta militum manu, rogatũ accerſunt, qui quamprimùm in Albionem, cum ſuis copijs deſcendit fatali cathedræ, quam ſe-

Ferguſius Scotorum Rex in bello ſtrenuus.

cum, Deorum oraculo, velut omen ſtabiliendi in Albione regni, ab Hibernia deportauerat, inſidens, primus omnium Scotorum Regum in Albione, fauſtis totius gentis acclamationibus rex conſalutatur: Regijs inſignibus ipſi ſimul traditis, enſe ſcilicet nudo, virgâ rectâ ſeu ſceptro, & aureo diademate, tanquam patrię libertatiſque tutandæ, ſontium feriendorum, iuſtitiæque adminiſtrandæ, ſimul & ſummæ poteſtatis fortitudiniſque indicijs & notis. Fuit lapis iſte marmoreus, cathedræ inſtar fatalis vt qui vbicunque inueniretur, Scotis regnum portenderet: in quo marmore inſidentes poſtea Scotorum Reges, per mille ſexcentos & quinquaginta circiter annos, vſque ad Roberti Bruſij Regis tempora, omnes indiſtinctè coronabantur. Supraſcriptio lapidi, longa poſt ſæcula (vti res ipſa indicat) hoc eſt inſculpta;

Fatalis Cathedra in Scotia quæ Scotis. Vbicunque inuenitur, regnū portendit.

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum,
Inuenient Lapidem, regnare tenentur ibidem.

Annus autem quo Ferguſius ſummam rerum in Albione obtinuit, fuit ante Natum in carne Chriſtum Dominum, Trecenteſimus Trigeſimus. Ab vrbe Roma condita quadringenteſimus viceſimus: poſt Bruti in Britanniam appulſum, octingenteſimus trigeſimus ſeptimus. Erat autem Ferguſio Regi pro inſignibus in bello rubeus Leo erectus, aureâ deſcriptus facie, caudâ tergum verberans, vt ferè eſt mos, cum ſeſe ad pugnam incitat, generoſam ſignans iracundiam, quod deinceps, in hodiernum diem manſit Scotorum Regibus inſigne. In hoc primùm, eximia Ferguſij Regis prudentia enituit, quod detecta grauiter Britonum malitia ac fraudibus, Scotos & Pictos mutua denuò ſocietate, ac fœderis Sacramento vnicè deuinxerit: quod quamprimum Britonibus innotuit, ſuis viribus ac multitudine freti, aperto Marte Scotos adoriri ſtatuunt. Indicto ergo bello, ductiſque ingentibus cópijs in Scotorum agros qui Hibernico alluuntur Oceano, ferro ac igni omnia ſunt depopulati, ſtatimque commiſſo prælio, ipſe Coilus Britannorum Rex oppreſſus, occubuit, Prouinciæque illi Nouem Coili perpetuò ad poſteros relinquens quo in bello Britones Scotorum vires ſunt primùm experti, ſuo damno didicere, victoriam non tam multitudine, quàm virtute & audacia, frequentiùs parari. Britanni interim amiſſo Rege, exercituque magna ex parte deleto illi quibus gladius in prælio pepercit ſupplices à Ferguſio pacem & miſericordiam petiere, exemplum dantes, quàm ſit infirmum, humanis confidere viribus. Ferguſius recenti victoria, haud inſolētior factus, nulla poſt confectum prælium vſus eſt in victos violentia, ſed liberos eos cum armis ac fortunis omnibus abire permiſit. Attritis igitur memorabili hoc prælio Britonum viribus, rebuſque Scotorum, quæ prius in aperto verſabantur diſcrimine pacatis, firma cum Britonibus inita eſt pax, quæ in vtriuſque gentis ſalutem, per centum & viginti ſex annos, inuiolata permanſit, dum ſcilicet apud

Coilus Britonum Rex in bello cōtra Scotos. cadit.

Scotos Reges illi Ferguſius, Ferithtris, M inus, Dornadilla, & Nothatus rerum ſummã ſucceſſiuè tenerẽt. Hi . tandem vltimus, dum populum rapinis ac turpi ſeruitio, regniquẽ Proceres cæde & exilijs nefariè perſequeretur, inuiſum omnibus ſuum Nomen, & infirmum reddidit imperium: Nec monitus deſtitit, ſed flagitijs cum ætate creſcentibus, in lauta progreſſus eſt ſcelera, vt Tyrannis iure ab omnibus prædicaretur. Quare Donaldus Brigantum princeps, vir vehementi admodùm ingenio, cum alijs ex prima Nobilitate compluribus, quos ob potentiam vel probitatem, ſuſpectos habebat Rex Nothatus, inita proditione ipſum impetu facto obtruncant. Et ne populum infenſum redderent, Reutketem adoleſcentem, Dornadillæ Regis filium, ſummæ poteſtatis adhibitis inſignibus, regem conſalutant. Fergohardus Nothati Regis gener, ac Nouantis gentis princeps, homo callido ingenio, dominandique cupidiſſimus, tempus magna moliendi adeſſe ratus, ſummamque rerum iam animo concipiens, poſtquam multa apud populum queſtus fuerat de nefario ſcelere à Donaldo in Regem Nothatum perpetrato, cum ſuis Fautoribus in hebrides aufugit ibi concione facta, populi animos in ſuam ſententiam facilè traxit; Nec multò poſt, ingenti comparato exercitu. In Albionem tranſmiſit; vbi initis copijs, cum alijs ſuæ factionis ducibus, quos ſequebantur etiam nonnulli Pictici ſanguinis Nobiles, hoſpitij & neceſſitudinis iure pellecti, omnes ſeſe in Donaldi fautores maxima armant alacritate, Donaldus ex aduerſo, eorum quæ fiebant certior factus, ad arma cum ſuis & ipſe decurrit, in cuius exercitu fuère Reuther adoleſcens, cum compluribus ex Scotorum primoribus qui Donaldi partes tutari conabantur: & Gethus Reutheris Regis ſocer, Pictorum Rex, cum magnis ſuæ gentis copijs, Triduò continuò, à prima quaſi luce, ad Noctem vſque acerrimè eſt pugnatum. Nam vbi aliquandiu prælium traxiſſent, & inſtanti cæde, & amittendæ victoriæ metu degrauati vtraque partium, ancipiti victoria alteri ſæpiùs cedebat: in tantùm vt horrenda cædes, iſtis congreſſibus, in omnes vagata eſt, vt ex vniuerſa multitudine eorum qui ad certamen conuenerant, octingenti dumtaxat viri remanſerint incolumes cæteris ad vnum interemptis; Donaldus & Ferguhardus, iſti factionum Duces, tribuumque Scoticarum Principes, penè omnes gladio abſumpti ſunt. Gathus quoque Pictorum Rex, cum plurimis ſuæ gentis Primoribus & plebeijs interijt, Reuther adoleſcens Rex, ſolus in prælio captus, ac Beligonium in Argadia reductus, illæſus permanſit. Cruentâ hac & exitiali clade effectum eſt, vt nec Scoticæ nec Picticæ gentis ſupereſſent viri, quî effectum eſt, vt nec Scoticæ nec Picticæ gentis ſupereſſent viri, qui aut rebus præeſſe, aut ſceptra contra hoſtium inuaſiones, tutari potuerint. Vnde Britanni, veteres vtriuſque Populi hoſtes, tantæ cladis famâ impulſi, tempuſque adeſſe ratu, quo deletis Scotis, totius Albionis imperium, obſtante nullo, ob-

tinere poſſent; Oelus Rex, confluentibus vndique ingentibus copijs in Scotorum, Pictorumque agros continuò mouet, vbi omnia depopulatus, quoſcumque Scotici ac Pictici ſanguiniæ inuenit, infecto deleuit ferro. Picti, vbi omnia graſſatorum direptionibus & incendiis plena perſpexerant, ne bello fracti, inuiſis hoſtibus, ſubitanea fierent præda, oppida, villas, agros, & prouincias deſerentes, in Orcadas inſulas, magnis itineribus conceſſere; vbi concordi pace cum priſcis incolis, ad aliquot annos permanſere. Et hinc eſt (vt creditur) quòd Orcades inſulæ, à quibuſdam noſtrarum rerum ſcriptotibus, antiquum Pictorum regnum vocitentur. At non ita Scotorum Reliquiæ, ſed neceſſitate ad concordiam cõpulſi, & furore vires ac animum adminiſtrante, pro patria & libertate, intrepidi cucurrerunt; ſed ingenti Britonum multitudine oppreſſi, pauci qui ſupererant fugâ ſibi ſalutem quæſierunt, in varias regiones delapſi. Attritis, infœlici hoc ſucceſſu, Scotorum rebus, vulgò cœpit prædicari, veniſſe tempus, quo Ferguſij regno amiſſo, omnis Scototum progenies in Albione ſimul cum ipſo nomine extingueretur. Scotorũ interim Proceres, qui hoſtiũ euaſerant manus, alij cũ coniugibus ac liberis in Hebrides inſulas, vel in Hiberniã traiecere. Alij Berigoniũ ad Reutherem Regem tutandum, conceſſere. Britones de hóc certiores facti, inſtructis aciebus, Oeli Regis iuſſu Berigonium illicò contendunt, vbi circumuallato vndique caſtro, obſidionem Scoti fortiter tollerauere. At nimia tandem cõmeatus inopiâ degrauati, ne in hoſtium venirent poteſtatem, ſuorum corporibus, quos ſors dederat vitam aliquandiù tollerauere. Quæ viuendi ratio cum horrore eſſe cæperit, habitâ conſultatione, eruptionem, dùm vires ſuppeterent attentandam cenſuerunt. Quare fortiſſimus ille mortalium omnium Colanus Nouantæ gentis Dux, pro Regis ac Patriæ ſuæ ſalute, vltima obire cupiens, intrepido animo, cum centum delectis ex tribu ſua militibus, dato ſigno in Campos erupit; Leonidæ Lacedemoniorum Principis gloriæ, apud Thermopylas minimè cedens. Dum autem Britones acriùs prælio incumberent, Rheuter Rex cum omnibus qui Berigonij fuerant, per poſticum delapſus, ad Naues proximo ſinu, neceſſarijs omnibus ad id, dedita opera, inſtructas deuenit, vnde in Hibrides primùm, deinde in Hiberniam, à ſuis eſt delatus. Inter hæc, duo maximè, de admiranda Scotorum fortitudine externa memoria notanda veniunt. Alterum quod nouantæ mulieres, quæ è proximis monticulis accuratiùs rem omnem, quo fiebat ordine, in conflictu proſpicientes, viroſque ſuos fortiter pugnando, multis confectos vulneribus, tandem ante oculos proſtratos intuentes, ne in crudeliſſimam Tyrannidem, ac turpem poſteà hoſtium ſeruitutem inciderent, muliebri correptæ furore, omnes aut propriis manibus, aut mutuis vulneribus, conſtanti animo ſeipſas interemerunt: Alterum, quod Scoti, quos ex infœlici hoc rerum ſucceſſu fuga ſeruauerat,

Scoti fortiter obſidionem tolerant.

uerat, quamuis nulla amplius eſſet ſpes, vt contra Britonum vires ex æquo confligere potuerint, nunquam tamen induci poterant (de abiecta plebe & infimæ ſortis hominibus, hic non loquimur) vt quibuſcumque conditionibus ignobilem hoſtium ſeruitutem agnoſcerent, ſed in ſyluas ac prærupta montium iuga concedentes locorum aſperitate, ſeſe contra hoſtes fortiter tuebantur; vbi parcè, ac duriter victitantes, lacte, herbarum radicibus, nigriſque quibuſdam baccis, quibus montanæ illic regiones plerumque abundant, æſtate vitam tollerauere: Hieme verò, ferarum carnibus, & nonnunquam prædis, quæ regionibus monti ſubiectis, cruentis in Britones factis incurſionibus vi abegerunt. Hic ac huiuſmodi agitabatur malis Scoti, ſpatio duodecim annorum, donec Reuther Rex, ab ijs ſimul, & à Getho Pictorum Rege, epiſtolis ac precibus pellectus, militari manu adiutus, ab Hibernis in Hebrides primùm traiecit, vbi robuſtiſſimo coacto exercitu, in Albionem deinde ad Velaum ſinum (vulgò Lochbrum) transfretauit; ibique copiis in terram expoſitis, quos primùm hoſtium obuios habuere, ad internecionem penitùs extinxerunt, eorumque ex ſanguine (vetus enim erat Gentis inſtitutum cum ad bellum progrederetur) nonnihil mucronis cuſpide acceptum, orique admotum vnuſquiſque guſtauit, Deos precatus, enſe tenſo in cœlum, vt maiorum ſanguinem fœlici prælio, dignè vlciſcerentur. Dùm autem in Auſtrum contra Britannos ducere inſtituerat, accepit de aduẽtu Gethi Pictorum Regis, ex Pomonia Orcadum maxima, in Albionem, cum exercitu, à Germanis amica gente, accito. Vterque Regum mutuis gratulationibus congrediuntur, & cum copiis Auſtrum verſus, contra hoſtes contendentes, poſthabitis munitionibus quæ Britonum præſidijs tenebantur, Britanniam hoſtiliter inuadunt, flammâ ac ferro cuncta miſerè vaſtantes. His obuiam fit Siſillius Rex Britonum, cum numeroſiſſimo exercitu, eoſque iniuriæ vindicandæ animo, cruentâ pugna illicò adoritur: ſed cum hoſtium impetum diu ſuſtinere non poſſet, in fugam coniectus maximam copiarum partem amiſit. Præclara Reutheris virtus in illo prælio, omnium ſententiâ victoriam parauit. Quare locus vbi certatum fuit Nomen Rederdail, hoc eſt, Reutheris vallis, à victore Rege, exinde apud Poſteros in hodiernum vſque diem retinuit. Siſillius, vbi intellexerat, vires ſibi vehementer fractas, ſpe exercitus reparandi depoſita, pacem cum Scotis ac Pictis per legatos inire coactus eſt, eo pacto, vt Prouinciæ, caſtella, arces ac præſidia à Britonibus hoſtiliter occupata, ipſis liberè reſtituerentur. Annus autẽ quo in Regnum reſtitutus eſt Reuther, fuit ducenteſimus quartus ante Chriſtũ incarnatũ.; Et poſt Romã conditam quadringenteſimus quinquageſimus ſextus Beda in Eccleſiaſtica ſua hiſtoria gentis Anglorum minimè doctus de Rebus Scoticis, Reutherem Re dam vocat, eiuſque in Albionem reditum, inconſultè aduentum aſſerit, cum omnes in vniuerſum

Siſillius Britonum Rex à Scotis in fugam conijcitur,

ſcriptores qui Scotorum res geſtas tractant, præcipuè autem Veremundus. Ioannes Campobellus, & Cornelius Hibernicus, ipſum appellent Reutherem, & à Ferguſio primo Scotorum Rege, in Albione ſextum. Multos dehinc annos dùm ſcilicet Imperij clauo apud Scotos ſucceſſiuè præeſſent Reuthar, Therens, Ioſma Finnanus, & Durſtus per centum & ampliùs annos, ea pax firma inuiolataque permanſit, in ſecundum vſque annum Imperij Regis Eueni, illius Nominis primi; quo tempore Britones depopulatâ Deeræ nunc Merciæ prouinciâ, in Pithlandiam cum ſummo belli apparatu, venerunt. Quare Euenus ex fœdere, coactis ſubitò magnis copijs, cum confœderatis Pictis, in Britones, veluti ad iam partam victoriam, bellũ mouit, nec ſpes eum fefellit; nam quamuis acre fuerit certamen, diùque dubio Marte, atque incertâ victoriâ præliatum, multis vtrinque vulneribus acceptis, Britones tamen, præcipuis ex Ducibus amiſſis, vbi nox ſuperueniens conflictum diremerat, domum ſunt regreſſi copioſiſſimâ hoſtibus relictâ prædâ. A quo tempore ſummam rerum apud Scotos moderantibus, præfato Eueno, Gillo, & Eueno ſecundo, nihil legimus hoſtile, ab hac vel illa parte, alteri illatam, ad Edeni vſque regimen, & Romanorum in Albionem aduentum; de quibus ſequenti capite, cum de egregiis Scotorum geſtis aduerſus Romanos erit ſermo. Interim hoc capite adnotaſſe ſufficiet nec Romanorum ferociam obſtare potuiſſe, ne Britones eorum ſubditi in Scotorum poteſtatem venirent. *Beda.* Refert Beda lib. 1. cap. 13. illos Epiſtolam ſupplicem admodum Romam ad auxilium contra Scotos implorandum Theodoſij Iunioris Imperij anno 20. miſiſſe, in hæc verba. *Ætio Ter Conſuli, gemitus Britannorum. Barbari ad mare pellunt; Repellit mare ad Barbaros: Inter hæc oriuntur duo genera funerum, aut mergimur, aut iugulamur &c.* Venerunt autem in Scotorum poteſtatem his legibus; vt nullum deinceps legatum, nullum Romanorum exercitum, penes ſe haberent; vt inconſultis Scotorum Regibus bellum, vel fœdus cum nulla gente inirent; Scotorum hoſtes bello perſequerentur, Eboracenſi agro, & omnibus eis Humbrum locis cederent, ac illos Scotis, confœderatiſque Pictis, incolendos traderent; vt ſexaginta aureorum nummorũ millia militibus Scotis partitò diſtribuenda darent: vt tributi nomine quotannis, viginti millia penderent: inſuper centum obſides, natũ nec octodecim annis minores, nec maiores triginta, quos Scoti poſtularent, darent. Anno igitur Chriſti 436. Britanniæ pars illa, quam nunc Angliam vocamus Romanis adempta, Scotis vectigalis facta eſt.

Supplex Britonum ad Romanos Epiſtola.

Britones in Scotorum poteſtatem veniunt.

CAPVT SECVNDVM.

De Scotorum fortitudine aduerſus Romanos.

SCOTORVM fortitudo contra Romanos quingentorum ferè annorum ſpatio maximè enituit: Romanj enim, ſuperbè gloriantes totius orbis imperium, Deorum ſibi munere delatum, ex Gallia (quæ tota ſub Romanorum iugum redacta erat) in Albionem primùm ſub Iulio Cæſare, cum valido exercitu traiecerunt, eo conſilio, vt deuictis Britonibus, alijſque gentibus ibi repertis imperij Romani fines latiſſimè propagaret. Caſſibilanus autem Britonum Rex per exploratos certior factus, Cæſarem hoc animo immenſam parare nauium claſſem, extemplò legatos ad Ederum Scotorum regem, ſimul & ad Pictos fœderis Religione ſibi, ea tempeſtate arctiſſimè deuinctos mittit, votis omnibus rogans vt ad commune illud periculum communibus armis, ſuppetias quàm primum ſibi à Britannis amico populo, mittere dignarent. Ederus re in conſultationem ductâ, cõpertumque habens, quàm alienorum cupidi ſint Romani, quàm viribus potentes, quàmque ſuperbè ſubiectis gentibus dominarentur, & quod ſi victis ſemel Britannis libertatem adimerent, eos pari auaritiâ, parique iniuſtè dominandi libidine, in Scotos poſteà bellum eſſe moturos: communi igitur ſalute inductus, omnium ſententiâ ſtatutum eſt, Britannis contra Romanos ſuppetias conferendas eſſe, Delectuque ex iuuentute decem millium militum habito, eis Cadallanum Brigantiæ, & Donoaldum Argatheli, principes arte militari inſignes duces præfecit, miſitque Trinouentum (hodie Londinum) ad Caſſibilanum, auxit Caſſibilano victoriæ ſpem Scotorum militum, quibus Britanni plurimùm confidebant, aduentus. Nec immeritò: nam quamuis inito poſteà cum Romanis certamine, dubio ſub Marte, aliquando pugnatum ſit, pugnâ vtrimque acerrimè perdurante. Vbi tamen ingruentium Scotorum impetum (vt narrat Veremundus) cenſere Romani, turbatis ordinibus, multiſque cæſis, coacti ſunt inſequentibus hoſtibus, terga dare. Acceptâ hac plagâ nuncius de Romana claſſe, tempeſtatis vi vehementer afflicta, ita Cæſaris animum percuſſit, vt protractâ in aliud tempus vindictâ, reparatiſque ad nauigationem nauibus, in Galliam cum legionibus traiecerit. Annus autem quo Romani, duce Cæſare, expiditionem hanc in Britanniam ſuſceperunt fuit ante Chriſti Domini in carne aduentum ſexageſimus. Tanta igi-

Iulius Cæſar in Britannia.

Decem Scotorum millia, Ducibus Cadallano Brigãtiæ, & Donaldo Argatheliæ principibus in auxiliũ Caſſibilani Britonum Regis, contra Iulium Cæſarem miſſa, eumdem vincunt, & in fugam conijciunt.

Veremundus in hiſt.

tur victoria, Cæſariſque diſceſſus, Albianis omnibus ſperantibus ſe à Romanorum iniuria impoſterum liberatos, incredibilem peperere lætitiam, quæ tamen diuturna non fuit; Enimverò haud emenſo exinde anno, Cæſar vlciſcendæ iniuriæ ſimul ac inſulæ Romanorum ditioni ſubigendæ gratiâ, cum immenſa nauium claſſe, ſecundò in Britanniam tranſmiſit; vbi fuſis infœlici prælio Britannis (qui nimiùm, ſibi confidentes, auxiliares Scotorum copias, illa vice renuerant) Caſſibilanus, multis calamitatibus alias ſuper alias attritus rebuſque tandem deſperatis, Cæſari ſe dedit; vnde Britannici primum Romano populo vectigalis eſſe cœpit. Cæſar tamen cum animaduerteret Britannos vix diùin fide manſuros, ob viciniam Scotorum (quorum animus innatam quandam ferociam & bellicam virtutem quodammodò exhorruit,) vt eos in officio contineret, expeditionem in Scotos totis viribus parat, ex prætextu quod bello ſuperiori auxiliares copias Caſſibilanó contra ſe miſerint. At ne prius eis bellum indiceret, quam eorum animos, quibus poterat tentaſſet illecebris, pacemne vellent an bellum; viſum eſt miſſis legatis pacem eis benignè offerre, modo Romanis exinde forent audientes; ſin verò amicitiam ſuperbè detrectarent, bellum apertum eis nunciaretur. Legati haud ſegnius officio functi, multis perſuadere conantur, nihil eſſe quod maius decus ac ſplendorem Scotorum genti poſſet adferre, quam cum populo Romano ſocietatem inire, amicos & ſocios Romanorum haberi, quibus tot Monarchæ bello ſubacti deſeruirent; tot regna in prouincias redacta ſubmitterentur; Britones, Hiſpanos, Gallos. Italos, Siculos, Macedones, Græcos, Aſiaticos, Galatas, Tyrios, Paleſtinos, Arabes, Syrios Aſſirios, Medos Perſas, Parthos, Afros Ægyptios, & omnes nationes quas ſol ſuo curſu illuſtrat, ſibi eſſe Romanis tunc legibus parere. Vix in orbe locum eſſe ad quem Romana non peruenerint arma; multa regna quæ deorum munere ipſis non cederent; imò nec mortalibus vitam vllam eſſe tutam, eſſe honeſtam vbi leges non dominarentur Romanæ: populum Denique Romanum omnium gentium eſſe patrocinium, eſſe tutum portum ac refugium. Quare ſuadent, ne Scoti Cæſaris amicitiam, ipſis tantopere expetendam aſpernentur, niſi dijs fortè, qui omnia Romano iam imperio ſubijcere decreuerant, aduerſari velint. Suadent etiam, vt non ſolùm Romanorum Maieſtate nominiſque magnitudine, ſed potiùs vt aliarum gentium rebellium, præcipuè ipſorum nuper Britannorum, incommodis moueantur; ne ſicut & illi, cum Romanis totius orbis dominis decertando, regnum; libertatem & vitam in extremum traherent diſcrimen, cauerent denique, ne ſuis viribus tantum confiderent, vt Romanos omnium gentium dominatores, a ſe Scotis, vltima orbis gente putarent poſſe vinci, orbemque ipſorum fortitudine. a Romanorum ſeruitute poſſe liberari. Ad hæc reſponſum eſt iubente Edero,

Romã ad Scotos legatos mittunt, qui ab illis ſocietatẽ & amicitiam impetrarẽt ſed à Scotorum Rege Edero, eorum poſtulata reijciuntur.

Romanorum nomen ob id ſolùm fuiſſe cognitum, quod fama referente præter commune hominum ingenium cupidiſſimi prædones, aliena rapientes habiti fuerint; quod ſceptra Regibus ſub falſo prætextu ademerint; liberoſque populos impio ſæpè bello petitos, ſuis faſcibus ſecuribuſque ſubdiderint. Quod cum ita eſſet perſuaderet ſibi Cæſar, Scotos nec fraudulentis eius blanditijs permotos, nec minis territos impelli poſſe, vt amiſſa ſine certamine libertate ſeſe vltro ſeruituti ſubmitterent: ſed econtra paratos ſemper fore, omnem mortem ſeruituti præferre, ſuamque libertatem, patriam, parentes, coniuges ac liberos, abſque periculi metu ad extremum defendere. Cùm ſoliti hactenùs fuerint ſuis ſolum regibus iure moderantibus, non regnorum prædonibus immaniſſimis parere, & proinde ſe, & Romanorum amicitias (cùm fraude non careant) reiicere, & inimicitias, bellumque ab eis imminens prorſus contemnere. Etſi interim, Romani nulla iniuria laceſſiti Scotos iniuſto bello peterent, vt regnum ac libertatem eis adimerent, ſe conteſtatis numinibus penes quos & Regnum & iniuriarum vlciſcendarum eſſet poteſtas, paratos eſſe pro patria decertando omnes ad vnum glorioſam mortem oppetere.

Aliam legationē ad Scotos decernit Cæſar ſed nihil impetrat.

Accepto hoc reſponſo inſtat adhuc Cæſar alia legatione aſperiora contra Scotos minitando, niſi mandatum agnoſcerent: qua denuntiatione palam Scotis factà, tantus populi furor & fremitus eſt ſubortus, vt legati pro concione penè fuerint diſcerpti: quibus auditis Cæſar grauiter commotus, expeditionem in Scotos ſummo ſtudio molitur, ſed Labieni literis certior factus Morinos, Neuſtrios, & Carnutes magnos in Gallia motus concitaſſe, paucis poſt diebus, vix territis Scotis ab Albione nunquam rediturus diſceſſit. Vnde L. Seneca (ad Martiam cap.14.) & alij probatiſſimi referunt authores Cæſar Britanniam ingreſſus verius vidit, quàm ſubiecit. Hinc M. Lucanus lib.1 .v.752.

Cæſar molitur expeditionem in Scotos, ſed nulla re acta in Gallias redit.

Lucanus.

Oceanumque vocans incerti ſtagna profundi
Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

Britanni interim imperantibus apud Scotos Edero, Eueno tertio, & Metellano vectigal impoſitum perſoluentes, in fide & amicitia cum Romanis perſtiterunt, donec Kimbellano eorum Rege extincto, Ginderioque populi ſuffragijs in demortui locum ſuffecto, indignè ferentes ſe tot annos Romanorum iugo ſubactos libertate priuari ad arma concurrunt, omnique crudelitate in Romanos ſæuiunt, ita vt quicumque Romani nominis reperti ſunt, quoſque fuga aut præſidium aliquod non tutabatur, omnes penitùs perierint, de quibus Claudius Cæſar, qui eo tempore rem tenebat Romanam certior factus, Aulum Plantium, & Cneum Sentium viros conſulares ad turbas iſtas comprimendas cum ingentibus copijs in Britanniam miſit. Hos Ginderius Britonum Rex ad primum appulſum acri accepit prælio, ſed militari hoſtium peritia loco cedere le-

ui tamen cum damno eſt coactus. Crebra dehinc prælia, & populationes ſunt ſecutæ, donec Britanni, & multitudine & pugnandi arte inferiores, Rege Ginderio interempto, omnes tandem fuerunt profligati, quo infœlici bello attriti Britones omni impoſterum depoſita ſpe, ad Claudij Imperatoris in Britanniam tunc trajicientis pedes ſeſe proſtrauere, violatæ fidei veniam ſuppliciter deprecantes, quod vt conſequerentur Veſpaſianus multis rationibus apud Imperatorem euicit. Vnde Britannis in fidem receptis. Aruiragus Ginderij Regis nuper in prælio deſiderati frater eis Rex præficitur. Aulus Plantius Proprætor, & Marcus Trebellius publici cenſus Procurator creati ſunt, eiſque mandatum ne Scotis & Pictis gentibus vt audiuerant, bellicoſis, & ſeruitutis impatientibus, bellum vltrò inferrent. Rebus itaque in Britannia ſic ritè conſtitutis Claudius Imperator, idoneam ad nauigandum tempeſtatem nactus cum claſſe ſua in Orcadas vltimas Oceani inſulas traiecit, idque ſolâ vincendi cupiditate, ne ſcilicet ſine hoſtium ſanguine, cæde & captiuis Romam rediret: cum certiùs ſciret Scotos, ſi vincendi forēt, ſine cruentis prælijs non ſuperandos: Expoſitis igitur in Pomoniam inſulam Orcadum maximam nunc Kirkvvalliam copijs, poſt acrem pugnam, repulſi tandem ac victi inſulani vltrò ſe dedunt Romanis: bello autem hoc ita confecto Claudius Romam redijt vbi maximo triumphauit apparatu Gauo Orcadum Rege, cum coniuge liberiſque, aliiſque captiuis, necnon Britannorum obſidibus in triumphum ductis. Sed noſtra proſequamur. Plantius, vt dictum eſt, Romanorum in Britannia Proprætor conſtitutus, vt ſublata affinitate & amicitiæ fœdere, inter Aruiragum Britannorum, & Caractacum Scotorum Reges Scoti Britonibus (ſi quando in Romanos rebellionem concitare vellent) auxilio non eſſent conſilio & aſtu procurauit, vt Aruiragus repudiata, & in carcerem coniecta legitima ſua coniuge Voada Caractaci Regis ſorore Geniſſam quādam Romanis communione ſanguinis coniunctam, ſuperinduceret. Hoc autem opprobrium Reginæ illatum ægrè ferentes Britonum primores Aruirago recentium adhuc nuptiarum delicijs furenti multis perſuadere nituntur argumentis, vt ſemotâ pellice Romanâ Voadam Reginam denuò reciperet. Quod cum fruſtra tentaſſent effracto carcere, Voadam eductam in Cambriam deducunt Hinc rebelliones & turbæ, ita vt vtrimque collectis copijs acerrimè ſit pugnatum, ſed cum inter Britonum maiores, Cambros ſcilicet, Tegenos & alios non ſatis conueniret cui ad inſtans bellum gerendum ſumma rerum foret tradenda, magnatum vix quoquam alteri cedente, legationem illicò ad caractacum Scotorum Regem virum ſuperbo Romanorum nomini ſemper infenſiſſimum, mittendam decernunt; vt is ſororis ſuæ Voadæ, nepotis ſimul ac Britannicæ gentis ſuſceptâ tutelâ, illatam iniuriam in Aruiragum ac Romanos vindicare velit; omnibus interim promittentibus ſe in bello geren-

do ipſi vt ſupremo ſuo Principi, fideliter obtemperaturos. Caractacus auditâ legatione benignè reſpondit ſe indignè quidem ferre probrum illud ſorori ac nepotibus ſuis ab Aruirago illatum, ſed multò magis quod Romanam fœminam, iniuſto connubio, ac in ſui etiam regni, gentiſque perniciem, ſibi inuexerit: cum ſcire debuiſſet Romanos conſuetos eſſe ſuſpenſo gradu, ſimulata amicitia ac varijs fraudibus aliena regna inuadere, ſceptriſque ademptis, incautos Reges in ſeruitutem redigere; quare id incunctanter expectarent ipſum pro viribus ſuis ad prima veris ſigna expeditionem in Romanos paraturum. Condicto igitur die haud procul ab Eboraco Britones primum, deinde Caractacus Scotorum, ac Conxiſtus Pictorum, Reges, cum maximis copijs conuenerunt, imperij ſumma Caractaco ad id bellum conficiendū vnanimi omnium conſenſu eſt impoſita, cuius prudentia ac fortitudine ducti omnes alacres ac fiduciâ pleni ad certamen aduerſus publicæ libertatis hoſtes, conſtanti animo deſcenderunt. Nec ſegnius Plantius Prætor & Aruiragus rex contractis copijs obuiam contenderunt. Verùm cum compertum haberent inuictum Caractaci animum & in re militari peritiam, diutinâ temporis protractione, laboribus ac vigilijs potiùs eſſe fatigandum, quàm cum illo manus illicò conſerendas cenſent: tandem verò prælium ineunt, acerriméque vtrinque ac dubio Marte (donec nox ſuperueniens conflictum vtrique parti triſtem dirimeret) eſt dimicatum. Plantius eadem nocte, vbi intellexit vires ſuas vehementer fractas, maiore nimirum equitatus parte amiſſa, redintegrandi exercitus depoſitâ ſpe loco ceſſit ac trepido greſſu fugienti ſimilis Londinum abijt. Caractacus haud minore clade afflictus collectis, vt potuit copiarum reliquijs, dimiſſoque ad tempus exercitu, & ipſe domum conceſſit, ad quem miſſis proximo vere ineunte legatis expoſtulat Plantius quod Scoti nulla iniuria à Romanis laceſſiti eis bellum intulerint, eorumque prouincias, in fauorem rebellium hoſtili manu inuaſerint, immemores eximiæ illius gratiæ, quâ ſuperioribus annis Claudius Imperator erga ipſos affectus, cum poſt ſubactam Britanniam eos etiam priſtina libertate priuare potuiſſet, nulla tamen iniuria affeciſſet, imò econtra in Orcadenſes infenſos Albianorum hoſtes omnem belli vim tranſtuliſſet. Quare aut illatas iniurias in ſolidum repararent, & à nouis impoſterum temperarent; aut indicto bello ſcirent ſe Romanorum indignationem ſeueriùs experturos. Ad hæc Rex Caractacus ſe nullam Romanis iniuriam intuliſſe reſpondit, nec magis Romanas inſolentiùs inuaſiſſe prouincias, ſed ſororis ſuæ Voadæ nepotiſque Gindeiij ſecundum ius & æquum partes contra Romanorum tyrannidem tutatum fuiſſe, ne & ſuus nepos regno iure ſibi debito inſtantibus Romanis (qui ſcelerata cupiditate ducti aliena inuadere ſolerent, defraudaretur, & ſoror ignominioſè à marito Aruirago in vincula coniecta, Romanâ pellice ſuperinductâ, indignè tracta-

Caractacus Scotorum Rex contra Romanos & Aruiragū Britonum Regem pugnat, eoſdēque vincit.

Mittunt Romani ad Scotorū Regē Caracta cum Legatos.

Caractaci ad Legatos reſponſio.

retur, neque etiam Cæſarem beneuolentia aliqua motum, à Scotis poſt deprædatam Britanniam bellum auertiſſe; ſed ipſum minimè ignarum eos ſi vincendi forent, non ſine cruentis prælijs ſaltem ſuperandos. Orcades proprerea gentem rudem, & inermem aggreſſum fuiſſe, vt his facilè deuictis, captaque inde præda ac Romam perducta bellicoſiſſimus Imperator ementita gloria ſplendidius de imbellibus triumpharet: quare econtrariò veteres ac nouas Romanorum in Scotos iniurias eſſe reparandas, illiſque aut tota Albione excedendum, ſi ſecus nihil aliud deinceps ſperandum, quàm Scotos vltimam vt aiunt, orbis Gentem libertatis amore, & in patriam ac deos penates charitate, hoſtes Romanis in ſempiternum futuros. Reſponſum Plantium vehementer commouit: ingens enim animum eius indignatio ſubijt à Caractaco Romanorum gloriam tantoperè contemni; ſed ante Veſpaſiani in Britanniam appulſum auſus nunquam eſt prælio aut armis rurſus decertare. Poſt Veſpaſiani aduentum, tam ipſe quàm Veſpaſianus Scotorum imperium euertere conati ſunt: Inuictum tamen & excelſum Caractaci animum ne terrere quidem potuerunt: Auerſantibus dijs infœliciter cum illis pro libertate ſæpiùs decertauit; verũ in ea etiam fortuna conſtitutus, Amici Senatus populique Romani nomen illi vltro à Veſpaſiano etiam poſt Britones Pictoſque ſubactos oblatum modo impoſterum à bello Romanis inferendo deſiſteret, conſtanter recuſauit, ſeſe ad vitæ exitum contra Romanos bello perſeueraturum dictitans, nec aliud Romanis à ſe expectandum. Illo laboribus potiùs quàm ſenio fracto, ac è viuis ſublato, in campoque Caractonij celebri, vt par erat pompa ſepulto, Corbiedus eius frater Scotorum Rex ſalutatur, vir acerrimi ingenij, & Scoticæ libertatis ac gloriæ propugnator egregius, nam Oſtorium, Cæſeum Naſicam, & Catum Romanorum in Britannia duces ſæpius fudit, & tandem vniuerſa Albione expulit. Mortuo Corbiedo Dardanoque trucidato, Galdo (Tacitus Galgacum nominat) Scotis imperante recruduit cum Romanis bellum: Nam Petilius Cerealis Romanorum in Britannia legatus, à Veſpaſiano Cæſare miſſus pacatis in Britanniarebus, in Albionem & imprimis Brigantiã ac Ordouiciam expeditionem parat. Galdus primis Romanorum conatibus, antequàm regni viſcera penetrarent, occurrendum ratus, quinquaginta millium delectu habito obuiam procedit, alacerque irrumpentes excipit. Fit atrox & cruentiſſima pugna, in qua dum Duces militeſque ſua munia obeunt, maxima vtrinque ſtrages ſecuta eſt, nam Scotorum ferè duodecim, Romanorum ſex millia deſiderata ſunt. Dum hæc geruntur ſecuta eſt in Cantio rebellio, quæ Petilium à bello Scotico reuocauit, ſed illo, ſequenti anno profluuio ventris, extincto, Cæſarne nullus in Albione eſſet qui rem Romanam aduerſus Scotos curaret, Iulium Frontinum virum conſularem cum duabus legionibus illuc miſit. Ad cuius in Siluriam appulſum Galdus

Veſpaſianus Imperator Caractacum Scotorũ Regem rogat, vt à bello Romanis inferendo deſiſtat, ſed fruſtrà.

Galdus Scotorũ Rex cũ Petilio Cereali Romanorũ Legato cõfligit.

dus contractis vndique copijs ſe oppoſuit; nunquam tamen iuſto prælio, ſed leuibus tantum vtrinque incurſionibus certatum eſt; erat enim Galdo conſilium, morbo cauſam præbente, fatigandi potiùs quàm oppugnandi hoſtem. Sequenti hyeme elapſâ, in grauem incidit Frontinus ob exundantem pituitam, morbum, quem non parum inſolitum auxit frigus. Id vbi ad Domitianum Romæ imperantem perlatum eſt. Frontino in Italiam reuocato, Iulium Agricolam ducem præſtantiſſimum miſit, qui ſubactis cœteris ferè Albionis gentibus Tao flumine ſuperato Scotos grauiſſimo bello terrâ mariqne vehementer exercuit. Sed inuictæ eius virtuti fortiſſimè reſtitit inuictus Galdus, quem ad contractam multitudinem iam tum prælium contra Romanos acriùs poſcentem in hunc modum locutum fuiſſe Author eſt Tacitus in vita ſoceri ſui Iulij Agricolæ. *Quoties cauſas belli & neceſsitatem noſtram intueor, magnus mihi animus eſt hodiernum diem, conſenſumque veſtrum initium libertatis totius Britanniæ fore; nam & vniuerſæ ſeruitutis expertes, & nulla vltra terra, ac ne mare quidem ſecurum, imminente nobis claſſe Romana: ita præliũ atque arma, quæ fortibus honeſta, eadem etiam ignauis tutiſsima ſunt. Priores pugnæ quibus aduerſus Romanos, varia fortuna certatum eſt, ſpem ac ſubſidium in noſtris manibus habebant: quia nobiliſsimi totius Britanniæ, eoque in ipſis penetralibus ſiti, nec ſeruientium littora aſpicientes: oculos quoque à contractu dominationis, inuiolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, receſſus ipſe ac ſinus famæ in hunc diem defendit nunc terminus Britanniæ patet atque omne ignotum pro magnifico eſt. Sed nulla iam vltra gens, nihil niſi fluctus & ſaxa & infeſtiores Romani, quorum ſuperbiam fruſtra per obſequiũ & modeſtiam effugeris: raptores orbis poſtquam cuncta vaſtantibus defuere, terram & mare ſcrutantur: ſi locuples hoſtis eſt, auari: ſi pauper, ambitioſi: quos non Oriens, non Occidens, ſatiauerit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt: auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperiũ: atque vbi ſolitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos natura chariſsimos eſſe voluit: hi per delectus alibi ſeruituti auferuntur: coniuges ſororeſque etſi hoſtilem libidinem effugiant nomine amicorum ac hoſtium polluuntur, bona fortunæ quæ in tributum egerat annus, in frumentum: corpora ipſa ac manus, ſyluis ac paludibus emuniendis, verbera inter has contumelias conterunt, nata ſeruituti mancipia, ſemel vaneunt atque vltrò à dominis aluntur. Britannia quotidiè ſeruitutem ſuam emit, quotidiè paſcit: ac ſicut in familia, recentiſsimus quiſque ſeruorum etiam conſeruis ludibrio eſt, ſic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, noui nos, & viles in excidium petimur, neque enim arma nobis aut metalla, aut portus ſunt, quibus exercendis reſeruemur. Virtus porrò, ac ferocia ſubiectorum ingrata imperantibus: & longinquitas ac ſecretum ipſum, quò tutius eò ſuſpectius. Ita ſublatâ ſpe veniæ, tandem ſumite animum: tam quibus ſalus, quàm quibus gloria chariſsima eſt. Brigantes fœmina duce, exurere Coloniam, expugnare caſtra, ac niſi fœlicitas in ſocordiam vertiſſet, exuere iugum potuere: nos igitur integri & indomiti, in*

Galdus pugnat cum Iulio Agricola.

Galdi oratio ad Scotos pugnã poſcentes.

libertatem nos ſumus laturi primo ſtatim congreſſu. Vnde oſtendamus quos ſibi Calidonia viros ſepoſuerit, an eandem in bello Romanis virtutem, quàm in pace adeſſe laſciuiam adeſſe creditis, noſtris illi diſceßionibus ac diſcordijs clari. Vitia hoſtium in gloriam exercitus ſui vertunt: quem contractum ex diuerſißimis gentibus, vt ſecundæ res tenent, ita diuerſæ diſſoluent: niſi ſi Gallos & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum pleroſque dominationi alienæ ſanguinem tam nobilem ſeruituti accommodent: diutiùs tamen hoſtes, ſeruos fide & affectu teneri putatis, metus & terror ſunt infirma vincula charitatis, quæ vbi remoueris, qui timere deſierint, odiſſe incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis ſunt, nullæ Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi ſunt: aut nulla pleriſque certa eſt patria, aut ab ea quam aſſerunt aliena: paucos numero locorumque in circuitu trepidos ignorantia, cælum ipſum & mare ac ſyluas, vt ignota omnia circumſpectantes clauſos quodammodò ac victos dij nobis tradiderunt: ne terreat hortor vos vanus iſte aſpectus & fulgor auri vel argenti, quod neque tegit neque vulnerat, in ipſa hoſtium acie inueniemus noſtras manus: agnoſcent Britanni ſuam cauſam, recordabuntur Galli priorem libertatē, deſerent vltrà illos cæteri Germani, veluti Vſipij reliquerunt: nec quicquam vltrà eſt formidinis: Vacua ſunt caſtella, ſenum Coloniæ inter malè parentes & iniuſtè imperitantes in mancipia inuita & diſcordantia, hic dux, hic exercitus: ibi tributa & metalla, & cæteræ ſeruientium pœnæ: quas in æternum proferre, aut ſtatim vlciſci in hoc campo eſt. Proinde ituri in aciem, & maiores veſtros, & poſteros cogitate. Hæc fuit cultiſſima illa, animoſiſſima, Regijque ſpiritus pleniſſima Galdi Regis ad Scotos ſuos, contra Romanos propè Grampij montis radices, pugnam poſcentes oratio, de qua hanc habet Iuſtus Lipſius ſententiam. *Egregium membrum, & qualia multa in corpore huius orationis Galgaci Scoti, qua moriar, ſi quid meo ſenſu prudentius, diſertius, argutius in omni Romana lingua.* Et erat ſanè venuſta Oratio ſed longè ſuprà eam animus & fœlicitas; nam Agricola Domitiani Cæſaris inuidia Romam reuocato, ac veneno ſceleratiſſimè extincto, Cneum Trebellium, Caiumque Seſinnium Romanorum Duces, ter magna cum ſtrage fudit, fugauitque, poſtremò lethaliter etiam vulnerato; ac tandem Horeſtia, Siluribus, & Brigantibus excluſit, vitamque per Legatos deprecari, ſe, ſuaque omnia eius voluntati ſubmittendo, coegit. Quorum poſtulata rerum humanarum non immemor reſpuere noluit: his tamen interpoſitis conditionibus, vt nullum impoſterum Scotis, Pictiſve confœderatis bellū inferrent: vt prouinciæ omnes ſiue regiones, oppida, caſtella, &c. nulla interpoſita mora redderēt: ſtatim obſides, perfugas, captiuos, ac res recentes ablatas reſtituerent: denique fœdus & amicitiam cum Scotis & Pictis, pro ſe poſteriſque in perpetuum iuramento firmarent. Hunc in Galdum non immeritò ſic luſit Ionſtonius Noſtras in Hiſtoricis Scotorum Regum inſcriptionibus,

Lipſius.

Romani à Scotis ſuppliciter pacem petūt, obtinentq; ea tamen conditione: vt ablata omnia nulla interpoſita mora redderent.

Victrices Aquilæ, atque acies, quas maximus orbis, *Ionſtinus.*
Obſtupuit, vires obſtupuere meas.

Procedente tempore varij in Britanniam miſſi Romanorum Duces, ſed nulla re memorabili editâ, crebris Scotorum incurſibus, ita vexati fuêre, vt Hadrianus Imperator rei fœditate commotus, delectu per vniuerſam Italiam & Galliam habito, cum validiſſimis copiis in Britanniam transfretarit, & muro ac vallo (aliqui enim vtrumque ponunt) à mari Hybernico ad Germanicum ductis, partem illam quam Angliam vocamus, contra Scotos muniendam cenſuerit. Hunc murum ad Caronis Fluuij ripam ſæpè diruerunt Scoti, Romanos, Britannoſque inuaſuri, ſæpè reparauerunt Romani, præcipuè Septimius Seuerus, qui firmiſſimum reddidit, adiectis turribus, ex quibus certo interuallo æneatores tubà Scotorum aduentum ſignificarent, vnde nonnulli ſcriptores ab eo cōditum non reſtitutum perperam dixere. Sed Scotorum fortitudo valli murique obice coerceri non potuit, vnde vallo ac muro dirutis, diſiectiſque præſidijs, longè animoſius quàm antea Romanos Britannoſque aggreſſi, omnia ad Humbrum vſque vaſtantes progreſſi ſunt, & tandem Britones ſibi Vectigales fecere, vt ſuperiori capite explicauimus. Quæ omnia ab Hiſtoricis noſtris fuſius deſcribuntur, breuiter ſequentibus verſibus perſtrinxit Georgius Buchananus Gentilis noſter, vir impius, ſed bonus Poëta, in Epithalamio Franciſci & Mariæ, Galliæ & Scotiæ Regum, vbi cum multa in Scotorum laudem dixiſſet, ſubiungit, *Buchanan.*

----ſi voluere priſcos
Non piget Annales, hic & victoria fixit
Præcipitem Romana gradum: quem non grauis auſter
Reppulit, incultis non ſquallens Parthia campis,
Non æſtu Meroe, non frigore Rhenus & Albis
Tardauit, latium remorata eſt Scotia curſum:
Solaque gens mundi eſt cum qua non culmine montis,
Non rapidi ripis amnis, non obice ſylua,
Non vaſti ſpatijs campi Romana poteſtas,
Sed muris foſſaque ſui confinia regni
Muniuit: genteſque alias cum pelleret armis
Sedibus, aut victas vilem ſeruarit in vſum
Seruitij, hic contenta ſuos defendere fines
Roma ſecurigeris prætendit mœnia Scotis;
Hic ſpe progreſſus poſita, Caronis ad vndam
Terminus Auſonij ſignat diuortia regni.

Concludo Scotos inuictos manſiſſe, reliquâ Britanniâ à Romanis debellatâ.

CAPVT TERTIVM.

De Scotorum fortitudine aduerſus Anglos.

SVPERIORIBVS duobus capitibus, Scotorum in Romanos eorumque ſubditos Britones, victorias proſequuti ſum⁹, vbi & Noſtrates, Britones ſibi vectigales feciſſe abundè demōſtrauimus; ſupereſt iam vt de bellica ipſorū virtute cōtra Anglos diſſeramus. Britones Scotorū vectigales facti, ſuæ ſortis pertæſi, miſſis, vt explicatum eſt Romā Legatis, auxilij cōtra Scotos petendi cauſa, nec impetrato, ne quid non experirentur in Germaniam ad Saxones falſorum Deorum veneratores ſcribunt, eoſque ad ſubſidium euocant. Præſto aduolant Saxones, Hergeſti, & Orſi, ſequuti ductum, ſed Magno Britonum malo; nam quibus in ſui liberatione fideliter vti ſperabant, eorum ſeruitutem exiguo poſt tempore miſerè ſubierunt. Cum enim Saxones numero ac virtute potentiores euaderent, Britonibus in Cambriam, nunc Valliam, pulſis, Britanniæ partem quam Britones prius incolebant, occupāt, & a Duce ſuo, ſiue gente (vt Britonicæ ſobolis memoriam ſempiterna obliuione ſepelirent) nouum nomen imponunt, vt videlicet Anglia deinceps vocaretur, & populus Anglorum ſeu Anglo-Saxonum nomen acciperet, quod ad initium Martiani Imperatoris acci-diſſe ſcribunt Authores. Hinc tandem inter Scotos & Anglos grauiſſima bella, quæ tamen Eugenij Scotorum, & Egfredi Anglorum Regum tempore maximè exarſerunt. Egfredus enim Pictorum amicitiâ fretus, qui ſe illi auxilio adfuturos promiſerant, delectu habito in Scotiam mouet. Illi Eugenius ad amnem Leuicem occurrit: fit Atrox prælium, nam in eo Egfredus Rex, & cum eo viginti plus minus Saxonum millia, ex noſtris ſex circiter millia periere. Rem totam narrat Beda lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum cap. 26. *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* 684. *Egfridus Rex Northumbrorum miſſo in Hiberniam cum exercitu Duce Berto, vaſtauit miſerè gentem innoxiam, & nationi Anglorum ſemper amiciſſimam, ita vt nec Eccleſiis quidem aut Monaſteriis manus parceret hoſtilis. At inſulani & quantum valuere armis, arma repellebant, & inuocantes diuinæ auxilium pietatis cælitus ſe vindicari continuis diù imprecationibus poſtulabant. Et quamuis maledici regnum Dei poßidere non poßint, creditum tamen eſt, quod hi qui merito impietatis ſuæ maledicebantur, ocyùs domino vindice pœnas ſui reatus luerent. Siquidem anno poſt hunc proximo, idem*

Britones in auxilium contra Scotos aduocāt Anglo-Saxones.

Anglorū Rex, & cū eo 20. millia occumbunt.

Beda.

Anglorū impietas.

Rex cum temerè exercitum ad vaſtandam Pictorum Prouinciam duxiſſet, multum prohibentibus amicis, & maximè beatæ memoriæ Cuthberto, qui nuper fuerat ordinatus Epiſcopus, introductus eſt (ſimulantibus fugam hoſtibus) in anguſtias inacceſſorum montium, & cum maxima parte copiarum quas ſecum adduxerat, extinctus, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, regni autem 15. die 13. Calendarum Iuniarum. Et quidem, vt dixi, prohibuerunt amici ne hoc bellum iniret, ſed quomodo anno præcedente noluerat audire Reuerendiſſimum patrem Egbertum, ne Scotiam nil ſe lædentem impugnaret, datum eſt illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos qui ipſum ab interitu reuocare cupiebant, audiret, &c. Narrat & Illuſtriſſimus Baronius tomo 8. ad annum Chriſti 684. qui etiam optimè obſeruat Scotiam hoc loco à Beda vocari Hiberniam, de qua re alibi. Narrant de ique Leſlæus libro 4. Hiſtoriæ, Boëtius libro 9. & alij. Quieuere fere ab hoc prælio cùm Noſtrates, tùm Angli, vſque ad Achaij & Carolj magni tempora qui legationē ad Achaiū Regem & Noſtrates decernens, enixè eos hortatus eſt ad fœdus cum ipſo contra Anglos, Maria, Germanicum, & Gallicum, & nonnunquam ipſam Galliam, fœdis latrocinijs infeſtantes, coniunctis ſtudijs paſciſcendum. Auditi ab Achaio præſente vniuerſa nobilitate Scotica Legati, & poſt maturam deliberationem his legibus ipſorum petitioni ſatisfactum. 1. Vt quoties Angli Galliam bello peterent, Scoti eis bellum inferrent; & ſi Angli Scotos bello aggrederentur, Gallj Angliam inuaderent. 2. Si ex Scotico Gallicoue populo priuatus vel publicus Anglum contra hunc vel illum pecuniâ, conſilio, aut quauis alia ratione iuuerit, apud vtrumque Regem, vt læſæ Majeſtatis reum habendum. 3. Vt Gallus cum Anglis, niſi Scoto aſſenſum præbente, & contra, fœdus non iniret. 4. iniuriam vni genti illatam, vtrique illatam cenſendam. 5. Francis Anglorum armis laceſſitis, Scotum militibus, Francorum Rege ſumptum ad arma & commeatum adminiſtrante ſubuenturum. Contra verò Scotis bello Anglorum armis petitos, Francos impēſis ſuis auxiliū laturos. 6. denique fœdus hoc non certo tempore circumſcribendū ſed æternū fore. Angli ictum hoc inter Scotos & Gallos contra fœdus indignè ferentes, ſummis animis Scotos, & confœderatos Pictos Duce Athelſtano ipſorum Rege bello petunt, hoſtiliter cuncta diripientes; ſed hoc bello aliud nihil conſequuti ſunt, quam vt glorioſam de ipſis Scoti Pictique victoriam reportarent; confoſſo enim lancea Athelſtano, exercitus eius ita vndique proſtratus eſt, vt vix quingenti viri in pacatum euaſerint. Pugnæ locus, a cæſo Rege, Athelſtam nomen retinet. Scribunt hiſtorici non ſine D. Andreæ ope victoriam hanc reportatam: Aiunt enim ſupra Scotorum, Pictorumque caſtra, lucidam in Cælo apparuiſſe crucem, illius inſtar, quà ſanctus Apoſtolus pro ſeruatore noſtro, ſupplicio affectus fuit; ſimulque Apoſtolum ipſum Pictorum Regi Hungo illam oſtendiſſe, addendo in illa, ipſum Scotoſque, Anglos proſli-

Baronius.

Leſlæus.

Boetius.

Cōditiones fœderis initi inter Scotos & Gallos.

Athelſtanus Anglorū Rex cum toto exercitu è medio tollitur à Scotis.

Boëtius li. 10. gatures. Addunt in tantæ memoriæ victoriam, Noſtrates ab illo tempore in bellis effigiem crucis cui Beatus Apoſtolus affixus fuit, *Leſlæus li. c.* ſemper geſtaſſe. Longum eſſet infinitas alias Scotorum de Anglis reportatas victorias recenſere, plures enim libri ad illas deſcribendas ſufficere non poſſent. Certè fatetur virulentus ille Anglus Hũ- *Hũfridus Luydus* fridus Luydus; *Cum nulla vnquam alia gente, Anglos totis copijs ſimul pugnaſſe, quàm cum Scotis.* Quale id eſt Raphaëlis Hollinſhedi etiam Angli teſtimonium pag. cccviii. *Nulla in Scotia domus Anglicis mancipijs carebat.* Vlteriora hic perſcrutari non licet, ſed ſufficiet breuiter pugnam inter Robertum Bruſcum Scotorum, & Eduardum Anglorum Reges, commiſſam, referre: ſic autem ſe habet. Eduardus Anglorum Rex anno 1305. Ex Hollandia, Zelandia, Brabantia Flandria, Picardia, Bolonia, Normandia, Vaſconia, &c. (nam hæ omnes ferè prouinciæ eo tempore Anglorum parebant imperio) & cæteris vicinis Regionibus contra Scotos (cum ſuis viribus quicquam proficere meritò deſperaſſet) exercitum ingentem ſupra trecenta millia hominum (ita enim communi conſenſu ſcribunt Authores) comparauit. Robertus Scotorum Rex, omnem ſpem ſuam in Deum collocans, ſtrenuè ſe ad pugnam accinxit; ita tamen vt piam præparationem, vt Chriſtianum Principem decebat, non omitteret. Quid multis? à Roberto Rege ita profligatur Anglus, vt exercitu & totâ penè nobilitate amiſſâ, lintre (quo in tendendis retibus vtuntur piſcatores) vitæ ſuæ conſulere coactus fuerit. *Ferunt* (inquit Ioannes Leſlæus Roſſenſis Epiſcopus) *Eduardum quaſi victoriâ certum Monachum quendam Carmelitam poëtica arte, illa ætate inſignem, ſecum in caſtra præmio allectum duxiſſe, vt Scotos penitùs deletos, poſteris carmine decantaret: hunc Monachum poſteà comprehenſum, facetè pungit Robertus; Macte, inquiens, mi pater animo: diſsipatas mentis tuæ cogitationes collige, remque totam, vt erat geſta, ingenij tui monumentis, nunc tandem illuſtra. Monachus animo conſternatus, carmen puſillâ commentatione interpoſitâ, putidum illud quidem, & inconditum, ſed mœroris luctuſque plenum effudit, ſeu verius effutiuit.*

Fugã capeſcit Anglorũ Rex, diſsipato à Scotis eius exercitu.

lib. 7. hiſt.

De planctu cudo, metrum cum carmine Nudo,
Riſum retrudo, dum tali themate ludo.

Hanc victoriam, ſi non Monachus ille, certè Scotus quidam, meritò deſcripſit, in Scotichronico lib. 12. cap. 20.

M. ſemel, & C. ter, ſemel X. I. iungito quater
Nato Baptiſtâ, noua gratia contigit iſta,
Quod Rex Scotorum, peditum cum parte ſuorum
Anglos proſtrauit, Equites cum Rege fugauit,
Riuulus eſt ſuper hoc, teſtis cognomine Bannoc
In quo ſubmerſa iacuerunt corpora verſa
Quo Rex Anglorum, numero fidendo ſuorum
Armatis populis, Equitum ter millibus centis
Et peditum turmis circumdatus innumeroſis.

Scotos aggreditur & eos delere molitur,
Rursum facere caſta cupiens Striuelina,
Te Striuelina commendant prælia bina,
Gens vi diuina cadit Anglica teſte ruina
Turba ruit procerum, cadit hic vtroque dierum:
Ad magnum numerum, fit ibi diſperſio rerum,
Gens cadit Anglorum, fugit & Rex triſtis eorum.
Stat Rex Scotorum feruens in amore ſuorum,
Hic releuat iura quæ iam fuerant peritura,
Peruigili curâ tollit Rex noxia plura,
Annisus totos quos Anglia pluribus annis
Concepit in Scotos, lux obruit vna Ioannis:
Nam Rex Anglorum molitus nomen terrum
Funditus auferre, luis in ſe prælia Guerra,
Arma mouet, concepta fouet, perit in perimendo,
Aggreditur, dum non fugitur, fugit ipſe latendo
Dedecus aſſequitur aggreſſor quando fugatur
Cui bene conſulitur, quod vel ſic ſe tueatur,
Cum paucis fugit, in campo Rex enſe relicto,
Nec populo patet vlla fugæ via, Principe victo,
Turba ſuperba ducum, morbum perpeſſa caducum,
Si tamen euadit equos ante, pedes modò vadit.
Aſpiceres illos Proceres aliosque Potentes
Diſperſos, illos merſos, hos enſe ruentes,
Si forſan viui fugiant, alij fugitiui
Rupibus aut riuis latitant aut vallibus imis
Dum captiuatur proſternitur atque fugatur
FORTH *ſepelit multos armis & equis benè cultos.*
Quos tu ſeruiles reputabas Anglice miles,
Et quos tu viles opus eſt fatearis heriles
Sic leuat Eliſos dominus dans robora paruis
In ſe confiſis, altos proſternit in armis
Anglica quos plenis promebas cantica venis
Summe ſub his pœnis Ieremiæ conſona Threnis
Expertos Scotos metuens tibi iam benè notos
A modo ne temerè contemnas diſce canere
Expulit à primis Anglis lux alma Ioannis
Chriſti Baptiſtæ, pro quo tibi gloria Chriſte
Bannoc habet limus, quorum nec nomina ſcimus
Quando domi deſint, perpendit gens ſua qui ſint
Palma triumphalis, inimicis exitialis
Scotis dum ceſſit, laus his celeberrima creſcit
Anglica militia, bis victa, fugata, perempta
Per loca Forthina fugientum facta ruina
Diuitiæ captæ, currus, res deniquè raptæ

Materiem flendi dedit Anglis atque gemendi:
Sic Gens Scotorum laudat dominum dominorum,
Inter Deſpoſitum fontem caſtrumque nodoſum
Corruit Anglorum Gens perfida, fraude ſuorum.
O Deus immenſe! quàm iuſto percutis enſe,
Colla ſuperborum calcans, & vota tuorum
Supplens ſupplicium precibus placatus eorum,
Scotorum cœtus vigeat virtute repletus:
Et Rex ſic lætus vertens in gaudia fletus,
Anglis proſtratis diuiſis atque fugatis,
Et captiuatis, ſit laus Regi pietatis.

Parte 7. Hiſtoriæ Angl. Hanc eandem victoriam, in Anglorum contemptum cecinisse Scotos ſequentibus Scoticis verſibus, ſcribit Fabianus Hæreticus Anglus, licet omnium penè quos vidi Hiſtoricorum mendaciſſimus.

Maidins of England ſore may zore morne
For zour Lemmens zone haue loſt at Bannokborne, &c.

In Eduardo 2. pag. CVI. Concludamus hoc caput Thomæ Vvalſinghamij Angli Scotiæ noſtræ hoſtis infenſiſſimi teſtimonio. *Anglis in tantum adempta tum fuit conſueta audacia, vt à facie duorum aut trium Scotorum fugerent centum* Angli.

CAPVT QVARTVM

De Scotorum fortitudine aduerſus Pictos.

AD Pictos nunc deuentum. Hi enim mutuo ab initio fœdere, & arctiſſima affinitatis neceſſitudine vniti erant Scotis; Nam cum adoleſcens adhuc res Scotorum eſſet, nec eò creuerat, vt Britonibus, quibus à principio erant ſemper inuiſi, bello par eſſe potuerit, poſtulantibus Pictis, ictum eſt inter eos fœdus, & conſilio, vt vterque populus, amica alterius acceſſione fortior effectus, hoſtium quorumcumque vires & iniurias faciliùs propulſaret. Hoc verò cum Britonibus ſuſpectum eſſet, metuq; perculſi, ne gentes illæ nouitiæ maiora ſumerent incrementa, quam ipſis & poſteris tutum crederetur, ardens eos inuaſit cupido, aſtutiâ & artibus vtriuſque gentis delendæ. Vnde numquam ceſſarunt, vafris impulſionibus, Pictos ad arma contra Scotos ſtimulare, eo nimirum fine, vt alterâ parte bello attritâ, alterâ fractâ viribus, vtraque facilius opprimeretur. Hoc autem non magno negotio Britones ſæpiùs ſunt conſequuti, non ſolùm

Britones Pictis ſuadent vt bellũ Scotis inferãt.

ſolùm quod Picti, Scotorum fortitudinem ac inuinctos in bello animos cernentes, ſibi ac ſuis Poſteris, altiùs metuerent, ſed & quod veteribus ac recentibus etiam Deorum oraculis ſuper ſuo in Albione ſucceſſu ſuſcitatis, reſponſum acceperant, ſe tandē ad vnum Scotorum armis delendos. Hinc ſæpiùs inter eos eſt indictum bellum, crebræ incurſiones vtrimque factæ, & tamen quamuis gens eſſet ciuilis admodùm & bellicoſa, multitudine, opibus, ac ditionum amplitudine Scotos ſuperans, rarò tamē aut numquam cum Scotis decernere aperto Marte auſi ſunt, niſi inito priùs amicitiæ fœdere cum Britonibus, ſuppetias ab eis, contra Scotos obtinuiſſent. Sed repugnantibus licet Britonibus eorumque Rege Edmo poſt multas victorias, vnà cum Rege ſuo Dunſtreno prorſus deleti fuere Picti à Noſtratibus, imperante Kenetho Scotorum Rege 69. Res hoc pacto accidit. Hungo Pictorum Regi duo fuerant filij, Doſtolargus, Eganus, filia vnica Ferguſia, Achaio Scotorum Regi in matrimonium data, ex qua deinde ſuſcepit Achaius Alpinum. Eganus Doſtolargum fratrem vt regno potiretur, ſuſtulit, fratriſq; Doſtolargi vxorem inuitam connubio ſibi iunxit; cuius illa complexus impietatemque, vt par erat auerſata, in lecto dormientem confodit. Ad Alpinum itaque ex Ferguſia Hungi filia natum deuoluitur Pictorum Regnum. quod ipſe miſſa ad Pictos Legatione iure petijt. Verùm illi externi hominis imperium non ferentes Feredechum, Dongallo Scotorum Rege Alpini cauſam ſuſcipiente, ſibi Regem præficiunt. Exorta ſtatim inter vtrumque populum bella; ſed Duncano Rege dum Speam trajiceret ſubmerſo, Alpinoque, qui poſt ipſum Regia ornamenta ſuſceperat, à Pictis nefariè trucidato, Kenethus Alpini in Regno, & paterni in Pictos odij hæres, acceptam iniuriam iure vindicaturus in ipſos mouit, conſertaque propè Striuelingum manu, poſt ſeptem eodem die relatas victorias cum ſuo Rege Dunſtreno, (Feredechum enim iam Scoti ſuſtulerunt) penè ad vnum Pictos omnes cædit. Nec ceſſandum ratus, donec extremus bello finis imponeretur, in omnem Pictorum Regionem ita ſæuijt, vt præter duo ferè hominum, qui ad Anglos confugerant, millia, nullus vllius ſexus aut ætatis ſuperſtes relictus fuerit: de Kenetho Rege antiquum hunc verſum in noſtris Annalibus legimus.

Cauſa belli inter Scotos & Pictos ſeritur.

Leſlaus l. 5 hiſt. Boët. Maior & alij.

Picti ad internecionem deleti à Scot. poſt ſeptem vno die relatas victorias.

Primus in Albanis fertur regnaſſe Kenethus
Filius Alpini prælia multa gerens.
Expulſis Pictis regnauit is octo bis annis.

CAPVT QVINTVM.

De Scotorum fortitudine aduerſus Hibernos Hirlandicos.

HIRLANDI ſæpiùs per prædationes, ad bellum Scotos euocarunt. Nihil in hiſtorijs apertius, aut verius: Gillus enim Tyrannus regnante apud Scotos Eueno illius nominis primo, ex Scotia in Hirlandiam profugus, facto Hirlandorum conuentu, eos ad expeditionem in Albionem contra Scotos ſuſcipiendam commouit, frequenti iureiurando pollicitus, ſe Hæbrides Inſulas Hirlandiæ ſceptro adiuncturum, modo ipſe illorum ſuppetijs adiutus, in regnum pacificè reſtitueretur. Illi autem inani Inſulanorum potiundorum ſpe illecti, maximo comparato exercitu, in Albionem trajicere ſtatuunt. Sed cum nunciatum ijs fuiſſet, omnia ibi loca maritima, quibus acceſſuri eſſent, præſidijs munita fuiſſe, mutato conſilio, in Ilam Inſulam, Hæbridum maximam cum exercitu tranſmiſere; vbi nulli ſexui, aut ætati parcentes, ingentem prædam abegere. Euenus Scotorum Rex tanta iniuria grauiter incenſus, in condignam vltionem ſelectum parat exercitum negotijque ſummam, Brigantum Duci Cadallo, probatiſſimæ virtutis Principi, commiſit, qui parata claſſe, cum ſuis copiis in Hiberniam delatus, in hoſtes illicò duxit: Illi econtrà, re cognita, ordinatis copiis, prælium ſine mora iniere. Maxima vtrinque vi, aliquamdiù eſt dimicatum; tandem cum Hirlandi, Scotorum impetum diutiùs non ferrent, fracto animo in fugam ſe dedere, Gillo Tyranno tot malorum ſentina ſublato. Cadallus interim humanæ conditionis memor ab Hirlandorum cæde abſtinuit; eiſque quos facti ceperat pœnitudo, in fidem receptis, veniam vltrò conceſſit: nec clementia tamen vlla eos poterat ad pacem & quietem aſtringere; nam collectis paulò poſt latrunculis ex Hæbridibus in Albionis regiones maritimas trajicientes, omnia rapinis, cædibus, & depopulationibus turbare non ceſſarunt, primum ſub Bredo Inſulari, Præfati Gilli cognato; deinde ſub Murketo eiuſdem Gilli nepote, regnante Edero; ſed omnes ſemper in fugam verſi aut cæde ſunt deleti, aut à regijs militibus capti laqueo vitam finiuere. Turbis hiſce ita compoſitis, Hirlandi haud ampliùs cum Scotis, belli fortunam, experiri auſi ſunt ad regnum vſque Achaij Scotorum Regis; tunc enim veterum beneficiorum immemores, Scotorum in ſe arma denuò prouocarunt: Nam cum Hæbridiani Scoti eos in Prouincia

Hyberni Hirlandici Hæbrides deprædantur.

Cadallus Brigantum Dux ab Eueno Scot. Rege in Hyberniam cũ exercitu mittitur, ibique poſt Hirlandos egregiè caſtigatos tandem in fidē recipit.

Rurſus deprædantur Albionis quædã loca maritima, ſed in fugã vertuntur, laqueoque vitam finiunt.

Cantyr, latrocinantes, cruenta ſtrage affeciſſent, & ipſi rurſus acceptam hanc contumeliam armis vlciſci conarentur, Achaius, miſſis Oratoribus ad Hyberniæ Proceres (nullus ſiquidem ea tempeſtate regni clauo præerat) enixè petijt, ne in Hæbridianos, cum ingenti forte ſuo diſpendio arma mouerent, præſertim nulla belli cauſa oblata, quamuis latrones nuper latronibus inſidiati, & prælio congreſſi, iniuriam acceperint, & etiam intulerint. At Primores illi viribus ſuis fidentes, nihil ſe de pace acturos, reſponderunt, priuſquàm quas accepiſſent iniurias, aut vltæ, aut vltrò reparatæ fuiſſent: quare ingenti contracta multitudine in Ilam Inſulam ex Hæbridibus vnam tranſmiſerunt, & agris ac vicis populatis, pecudumque maxima collecta præda, dum in Hiberniam remearent, omnes aduerſo ſidere depreſſis nauibus, in mari ſimul cum præda, ad vnum fuerunt abſorpti. Vnde Hirlandiæ Magnates offenſi Regis iram, anxiùs timentes, Legatos continuò miſerunt, pacem ſupplices ab Achaio petentes, multiſque fatentes lacrymis, ſe meritò expertos (nec ſine documento etiam alijs mortalibus) quàm ſuperos reddat infenſos, nulla affectos iniuria, proximos, impio bello laceſſere. Ad quos Achaius reſpondit; quod magna priùs diligentia diſcutere debuiſſent, quam vtilis ſit pax ſecura, & quos damna ac mortes, cum ſit tempeſtiua prohibeat; quod commodiùs ſit in otio pacem, quàm pacem in bello quærere; Hibernos Hirlandicos, ipſum ſcire, gentem eſſe contumacem: nec niſi verberibus affectos, vt ſæpiùs ſapere; ſolitos eos eſſe quod expediret frequentiùs auerſari, vltroque eligere incommoda; ineptire, furere, inſultare, cùm minimè oporteret: Verumtamen iniurijs poſthabitis, vt ſe verum Chriſti cultorem, qui pacem adeò laudauit, & reipſa mortalibus comprobauit, oſtenderet, ipſe Hibernico populo, tametſi id parùm meritò, petitam pacem libenter concedere non recuſauit.

Tertio latrocinijs Scotiã infeſtant, ſed in Mari mergũtur.

Hirlandi ſupplices veniã deprecantur ab Achaio Scotorum Rege.

Præclara & verè Chriſtiana ad Legatos Hirlandicos reſponſio.

Hirlandi, venia ab Achaio impetrata, plurimis poſtea annis, à ſolitis abſtinuere prædationibus; donec ſummam rerum moderante Gregorio Magno Scotorum Rege, Scotos rurſus contra ſe euocarunt, propter eruptiones ab eis in Brigantiam ſeu Gallbuidiam Scotiæ Prouinciã factas. Gregorius enim comparata claſſe in Hirlandiam contra Prædones tranſmittens, totum regnum facili labore ſubiugauit, prælio victis ac cæſis, primum Duce Breno, ad Bani fluminis ripam, ſub Futo, miræ altitudinis in ea regione monte; deinde Cornelio Principe propè Dubliniã, primariam Hirlandicorum Regum ſedem, cum multitudine, quanta nunquam anteà tum hominum memoria, ea in Inſula exercitus erat conſpectus; toto regno in poteſtatem recepto, cum ipſo etiam Rege Duncano adhuc impubere. Nam cum nihil ſupereſſet, in quo ampliùs ſperarent ſalutem Hirlandi, Cormachus ciuitatis illius Antiſtes, vir pietate inſignis ſolenni habitu amictus, manibus Crucifixi Chriſti effigiem, cum cruce tenens, appropinquanti Regi obuiam eſt egreſſus, di-

Hiberni Hirlãdici quartò Scotiam deprædãtur.

Greg. Mag. Scot. Rex in Hiberniã trãſmittit, vbi Hirlãd. cæſis eorum ducib. vincit regnũq; vniuerſum nullo negotio ſubiugat.

uerſis piorum Religioſorum concomitantibus Cretibus. Primores inde omnes Hyberniæ, cum reliqua vtriuſque ſexus multitudine, ſupplices, cuncti veniam deprecantes, ſequebantur. Gregorius autem ſui Saluatoris ſigno inſpecto : equo ſine mora deſiliens ; poſitis ante Cormachum genibus, Chriſti effigiem venerabundus eſt deoſculatus ; ita interim ſubactis, ac deditis Hybernis parcens, vt nec ferrum, nec flammam, nec hoſtile quidquam vltra in eos euagari permiſerit, ſed corpora & fortunas quæ iure belli eius erant, victoria clementiſſimè vſus ipſis liberè ſit largitus. Paruulum inſuper cognatum ſuum Duncanum, Hybernici regni hæredem, Præceptorum tutelæ bonis inſtitutis, ac diſciplinis, formandum tradit. Primores ſolùm Gentis Hybernicæ ſanctiſſimo aſtrinxit iureiurando, eos non Britonem, non Anglum, non Danum, inſenſos Scotici nominis hoſtes, ſine eius, aut ſucceſſorum ſ orum commeatu, vel negotiationis ſaltem cauſa, in Hyberniam deinceps admiſſuros. Quibus contentus illos ſolitis ſuis legibus ac libertate frui dignatus, cum vniuerſum Regnum nullo negotio occupare potuiſſet, in Albionem fœliciter remeauit ſub annum ſalutis humanæ octingenteſimum nonageſimum. Plura de Scotorum fortitudine contra Hybernos Hirlandicos. Vide apud Hiſtoricos Boëtium, Leſlæum, & alios; quibus adde Dempſterum lib. 2. Apparatus c. 18.

Grego. Hirland. proceres iuramēto aſtringit ſe Scot. hoſtes in Hirlandiā admiſſ.

Boetius. Leſlæus. Dempſter.

CAPVT SEXTVM.

De Scotorum fortitudine aduerſus Orcadenſes.

IN Scotorum fortitudine contra Orcadenſes deſcribenda non multùm immorandum eſt. Hi enim antequàm Scotorum imperio ſubiecti erant, ſæpius Pictico Boſphoro traiecto, à Danis adiuti in Cornanam, & Lugiam, nunc Cathaneſiam & Roſſiam Septentrionales Scotorum Prouincias tranſmiſerunt, eaſque prædonum more ſunt depopulati ; ſed leui ſemper pugnâ victi ſunt & profligati. Huius rei veritas (vt alia omittam) cernitur in Balo Orcadum Rege, qui præfatas regiones hoſtili manu ingreſſus, & ab Eueno Scotorum Rege deuictus, ne in hoſtium poteſtatem veniret, deſperatâ ſalute, ſibi ipſe manum intulit. Videri poſſunt Boetius, Leſlæus, & alij.

Orcadenſ. Iuuatibus Danis Cathaneſiam & Roſſiam inuadunt, ſed à Scotis vincuntur, Balo Orcadum Rege capto.

Boetius. Leſlæus.

CAPVT SEPTIMVM.

De Scotorum fortitudine aduerſus Luſitanos.

TRADIT Leſlæus hiſt. lib.4. Ioannẽ Vaſque & Ioannem Pret Luſitanos, armatis nauibus, vniuerſa Luſitanorum claſſe inſpectante; Scoticam nauim mercibus onuſtam, è Sleucia Flandriæ Portu egreſſam, inuaſiſſe, nec Regem Luſitaniæ vllam ſatisfactionem, re ad ipſum delata, iniunxiſſe. Quod cauſam belli inter Scotos & Luſitanos ſubminiſtrauit; Nam Ioannes & Andreas Bertamij, Litteris repetundarum (quæ Repreſſaliæ dicuntur) à Iacobo 4. Scotorum Rege contra Luſitanos impetratis, Luſitanorum littora legentes, multis eorum nauibus direptis, merce longè preciosiſſima onuſti domum ſæpiùs rediere. *Quod genus direptionis à Bartamijs ſæpius iteratũ, Portugallenſibus cauſam attulit*, inquit Leſlæus, *in Scotos, tanquam in nefarios prædatores coram Rege ſuo acriùs exagitandi. Verum nec Rex Luſitanus ſuo conſilio, nec Portugallenſes ſuis viribus, Bartamios Regis ſui litteris munitos, vnquam potuerunt comprimere, quominus Luſitanas naues, ſi in quas inciderent, inuaderent, ſpoliarent, diriperent.* Conſule Leſlæum loco citato. In hac enim immorandum non eſt.

Lib.8.hiſt.

Luſitani Scoticam nauim diripiunt, ſed egregiè à Scotis caſtigantur.

Leslæus.

CAPVT OCTAVVM.

De Scotorum fortitudine aduerſus Danos, Noruegos, &c. Deque præclaris eorum geſtis in Gallia, Germania, Italia Hiſpania & Oriente.

EXTREMO hoc capite breuiter perſtringenda eſt Scotorum fortitudo aduerſus Danos, Noruegos, & Belgas; breuiter etiam attingenda præclara eorum geſta in Gallia, Italia, Germania, & Oriente.

Dani certè & Noruegi, ſæpiùs tentarũt, & quanta potuerunt vi, Scotiam ſubigere, nec tamen valuerunt; ſed cum dedecore ſemper repulſi ſunt; quòd eo magis mirandum eſt, quod incredibili Scotorum fortitudine repreſſi, ſemel Angliam inuaſerunt, & in poteſtatem redegerunt; iterum in Gallias ſe receperunt, & inuitis Gallis domicilium fixerunt.

Dani & Noruegi à Scot. vincũtur & repelluntur.

li.8. de ſign. Eccl. cap.1.

Dani,

inquit Bozius, *qui ſunt ijdem cum Northmannis, vt Eghinartus Caroli Magni ſcriba in vita ipſius tradit, antequàm Chriſto ſe dederent, Conſtantino Secundo, Etho, & Gregorio in Scotia regnantibus, nihil non contenderunt, vt Scotiam ſubigerent; ſed non contigit iis idem, quod in ea Galliarum parte quam ceperunt, & de ſe Northmanniam vocarunt. &c.* Certè Sueno Noruegorum ac Danorum Rex, cum ingenti exercitu Scotiam ingreſſus, à Duncano Scotiæ Rege ad Kingornum profligatus legitur. Alijs etiam vicibus, Camus Danorum, Canutuſque Suenonis Germanus, varijs prælijs à Malcolmo 2. fuſi & deleti dicuntur: certè tantam Danorum ſtragem edidiſſe Malcolmum ſcribit Leſlæus lib. 4. hiſt. vt *Scotia Danorum Buſtum* paſſim appellaretur. Videri poſſunt Iuo Carnotenſis in Chron. & Coſ. Fredegarius Scolaſticus Boëtius, Leſlæus, & alij. De Belgis quid dicam. Certè & ipſi Scotorum fortitudinem non ſemel experti ſunt. Nonne (vt alia omittam) cum Chriſti anno 1506. Naues aliquas Scoticas, mercatoribus partim ferro ſublatis, partim in mare deturbatis, cepiſſent, ab Andrea Bertayno noſtræ claſſis præfecto, ita in ordinem redacti fuere, vt illorum capitibus cados plurimos refertos, Regi noſtro muneris loco miſerit, vt videre licet apud Leſlæum lib. 8. Præclara eorum in Gallia geſta, quis eſt qui neſciat? à fœdere enim inito inter Achaium Scotorum Regem & Carolum Magnum, nulla vnquam ſine Scotis potiti ſunt Galli victoria vt pulchrè poſt alios ſequentibus verſibus expreſſit Georgius Buchananus in Epithalamio Franciſci & Mariæ Galliæ & Scotiæ Regum.

Leſlæus in hiſt.

Belgæ à Scotis in ordinē rediguntur.

Leſlæus hi.

Præclara Scotorū geſta in Gallia.

Tu licet ex illa numeres ætate triumphos,
Et coniuratum cunctis è partibus orbem
Nominis ad Franci exitium, ſine milite Scoto
Nulla vnquam Francis fulſit victoria ſacris,
Nulla vnquam Hectoridas ſine Scoto ſanguine clades
Sæuior oppreſſit: Tulit hæc communiter omnes
Fortunæ gens vna vices, Franciſque minantes
Sæpè in ſe vertit gladios &c.

Georg. Buc.

At Buchananus, inquies, Scotus eſt. Ita eſt; ſed ſi Scoti tibi ſuſpecta eſt fides, en Gallum teſtem, nec noſtratibus, ſed nudæ veritati addictum: is eſt Michaël Hoſpitalius Aruernus, ac Regni Galliæ Cancellarius, qui in nuptijs Franciſci Franciæ Delphini, & Mariæ Scotorum Reginæ ſic canit Epiſt. lib. 4.

Cum bellum gererent noſtris in finibus Angli
Deſertam illorum patriam ſimul agmine facto
Scoti incurſabant, metus hic ſua protinus illos
Reſpicere, & noſtris cogebat cedere terris.
Quin etiam tellus his tam fæcunda virorum
Tamque ardens animus, bellique incenſus amore
Vt cum alius premeret vicinum exercitus hoſtem
Suppetias alius nobis laturus eodem

Michaël Hoſpitalius.

Tempore Cærulei tranſmitteret æquora ponti.
Pro quo Rex Scotus frater ſociuſque vocari
Regibus à Francis meruit, ſtipantque frequentes
Semper adhuc Scoti, Francorum corpora Regum.

Hoc in cauſa fuit quod Gallorum Reges, Scotos tanti fecerint; vndè Ludouicus duodecimus legato Ottomannico miranti, quod tam imbelles eſſent Pariſiorum muri, reſpondit, *huius ciuitatis mœnia & propugnacula in Scotia ſunt.* Vnicum locum Philippi Cominæi apponam. *Oppugnarunt*, inquit, *acerrimè* (Leodienſes videlicet) *ipſius Ludouici ædes, & eas exercitus ingreſſus, repulſus cæſuſque eſt à Scotis qui ſe viros ſtrenuos exhibuerunt, pedibus* Regis *Domini ſui quem ſtipabant numquam moti, ſagittas acerrimè eiaculati, & Leodienſes & Burgundos lædebant.* Omitto Franciſcum primum ad Ticinum ferali illa pœna, non prius captum, quàm ex centum Scotis (tot enim Prætoria illa cohors ea ætate conſtabat) quatuor tantum ſupereſſent. Omitto etiam Carolum octauum Gallorũ Regem in celebrata illa expeditione in Italiam, non ſine Scotorum copijs (quibus imperabat Robertſonus Dux armorum gloria clarus) profectum. In eadem etiam Italia, ſtrenuam Carolo magno contra Deſiderium Longobardorum Regem nauaſſe operam, Gulielmum Achaij Scotorum Regis fratrem cum 4 millibus Scotorum, ſcribunt Authores; adduntque Leonem 3. ſummum Pontificem omnibus bonis euerſum, in priſtinum honoris gradum ab eo reſtitutum; Florentiamque ciuitatem conuulſam & penè cõmunitam, in antiquam libertatem aſſertam: vnde Florentini (vt libertatis à Gulielmo acceptæ beneficium memoria ſempiterna gratiſſimè colerent) legem de Leonibus, quos in inſignibus Scotorũ Reges præferunt, publico ciuitatis ſumptu alendis, tulerunt.

De Germania & Hiſpania quid dicam? ſanè in illis etiam Carolo Magno Scotos eandem operam quam in Italia præſtitiſſe Authores ſunt Paulus Æmilius, & Philippus Belleforeſtus, quorum prior ſcribit Carolum eiſdem propter præclara eorum in bello Saxonico geſta, honores, Magiſtratuſque Saxoniæ contuliſſe. *Honores*, inquit, *Magiſtratuſque gentis alienigenis, & imprimis Scotis mandabat, quorum egregia fide, virtuteque vtebatur.* Poſterior addit, etiam propter ſtrenua eorum in bello Hiſpanico facta, eoſdem honores collatos illis fuiſſe. *Dignitates*, inquit, *& Magiſtratus Saxoniæ peregrinis hominibus dedit, & maximè Scotis, quorum fideli opera non parum adiutus in bello Hiſpanico fuerat.* Denique Scotorum fortitudini non parum accedit gloriæ ex expeditionibus in terram ſanctam ad Chriſti cauſam protegendam ſuſceptis. Primo enim cum Vrbanus II. ſub annum Chriſti M. XCV. in Claromontano Concilio bellum pro ſepulchro Domini gerendum ſtatuiſſet, & ex omni ferè regno & prouincia milites conſcriberentur, Scotorum (quos miſit Sanctus Malcolmus Scotiæ Rex) ea expeditione præclara emicuit virtus. Videri

Ludo. Gal. Regis de Sco. ſententia.

Cominus lib. 11. cap. 12.

Scoti plures Gal. Reges contra inimicos ſtrenuè defendunt.

Scot. geſta in Ital.

Leslæus in hiſt. & alij

Scotorũ ope Leo III. ſũmus Ponti. in priſtin. honoris gradum reſtituitur, & Flor. ciuitas in libertatem aſſeritur.

Paul. Æmil. lib. 2. hiſt. in Carolo magno

Bellefor. in hiſt. Carol lib. 1.

Scot. geſta in Germ. & Hiſpania.

Scot. geſta in Oriente. poſſunt Sigebertus Gemblacenſis, & Conradus Lichtenauu Abbas Veſpergenſis, ad annum citatum. Torquatus Taſſus pœmatis Heroicj lib. 7. numero 69. inducit Eberardum Scotum, cupiditate *Sigebertus.* gloriæ Arganthj illi immani occurrere volentem. Sed quis bello *Conradus.* hoc Scoticarum copiarum Dux, inquiet aliquis? Alanus Ferranus *Licht. Tor. Taſſus.* is fuit, & B. Bernardus Patriarcha Antiochenus, Archiepiſcopus Edeſſanus. Secundo, cum Richardo Angliæ Rege in Syriam profi- *Dauid Gulielmi Sco. Regis frater expugnat Ptol.* ciſcente, cum lectiſſimis Scotorum copiis miſit S. Gulielmus Scotiæ Rex Dauidem fratrem ſuum, cuius ea expeditione clariſſimum, nomen ac celebrata fortitudo. Ptolemaïdis ſanè, cum difficilis eſſet oppugnatio, per Dauidem capta: erat enim in vrbe Scotus quidam Oliuerius nomine, militum præfectus: ille Ioannem D'Vuiruatd, ſibi cum in Scotia eſſet, notum, compellat, oratque vt veniam ſibi à Dauide impetret, pactus ſe, ſi obtineret, portas Chriſtianis, nocte intempeſta, aperturum, quod impetrata venia præſtitit. Vide Hectorem Boëtium lib. 13. hiſt. pag. cclxxvii. Paulum Iouium in deſcriptione Scotiæ pag. 24. Dempſterum, & alios. Tertio cum Ludouicus Galliæ Rex expeditionem in terram ſanctam ſuſcepiſſet, Alexander ſecundus Scotorum Rex maximè pio ac liberali ſtudio eum eximiis ducibus validiſque Scotorum cohortibus adiuuit, inquit, Paulus Iouius loco citato. Vide Boëtium lib. 13. pagina du- *Boëtius. Paulus Iouius.* centeſima octuageſima. Duces Scotorum fuere Patricius Comes Merchiarum, Dauid Lindſay à Gleneſk, Vvalterus Steuuart à Dundonnald, viri prudentia ac militari arte illuſtres. Hæc de Scotorum fortitudine.

LIBER

LIBER SECVNDVS,

DE SCOTORVM DOCTRINA.

CAPVT PRIMVM.

Floruiſſe ante Chriſti aduentum litteras in Scotia.

SVPERIORI libro Scotorum fortitudinem explicauimus; hoc libro eorundem doctrinam deſcripturus, iuremeritò mihi videor vſurpare poſſe, quod olim Buchananus noſtras de Scotia, Scotiſque noſtris, explicata eorum fortitudine, vſurpauit.

Neue putes duri ſtudijs aſſueta Gradiui,
Pectora manſuetas non emolleſcere ad artes. *Buchanan.*
*Hæc * quoque cum latium quateret Mars barbarus orbem,* * Scotia.
Sola propè expulſis fuit hoſpita terra Camænis.

Sanè antequàm Saluatoris noſtri aduentus, radiorum diuini ſui luminis concurſu, errores diſſipaſſet, quibus humanum genus primis illis ſæculis arctiùs aſtringebatur, inter antiquas ſectas, quæ Sacerdotum, Philoſophorumque erant inſignitæ nomine ſuas in Britannia Noſtra, ſeu Albione, ſedes habuiſſe Druidas, veterum litteris conſtanter eſt proditum: Quamuis enim apud Iuuenalem reperiatur quod, *Druides in Scotia.* *Satyra 6.*

Gallia cauſidicos docuit fœcunda Britones.

Contrarium tamen certum eſt, & communi authorum calculo approbatum: Tradit enim id Cæſar lib. 6. Comment. *Diſciplina,*

Cæſ. lib. 6. Comment. (Druidum nempè) *in Britannia*, inquit, *reperta atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur; & nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt plerumque illò diſcendi cauſa proficiſcuntur*, &c. Cæſari ſuffragantur Strabo, Tacitus, vetereſque communiter; quibus recentiores omnes adhærent. Vnus ſit inſtar omnium Hector Boëtius l. 2. Hiſtoriæ Scotorum, vbi tradit Scotorum Regem Fynnanum, primum omnium Druides in Mona Inſula, tanquam in primaria ſede locaſſe. *Primum omnium*, inquit, *Eccleſiæ Duces Durcerglijs Priſca Scotorum lingua appellatos, qui minoribus Sacerdotibus præeſſent, varijs ex Scotorum Regionibus collectos, vt alicubi primariam haberent ſedem in Albione inſtituit, publica atque priuata ſacrificia procurarent: inuitarentque mortales ad Religionem, hos Romani ſcriptores Druides, vt peregrinum vocabulum inflexionem caperet Latinam, appellant. Horum erat Regis primorumque decreto publicis ſacrificiis intereſſe, Religiones interpretari, ſacras ſolemneſque inſtituere ceremonias, nobilium liberos melioribus diſciplinis & moribus formare: vt ipſi Athenis didicerant: vt omnibus Druidibus vnus præeſſet eadem lege ſancitum eſt, ſummam inter eos habens authoritatem, ante quem ignis dignitatis honoriſque inſigne deferretur: huic mortuo ſuccederet, aut qui reliquos dignitate excelleret, aut ſuffragiis victor. Data eſt his Druidibus Mona Inſula (quæ Britanniam & Hiberniam eminùs) Brigantiam verò cui & continenti tum penè iuncta, cominùs reſpiciebat: nunc autem magno maris tractu quatuor ſuprà viginti millibus paſſuum ab illis diſiuncta: vt illic loco ſacrato, & Druidum omnium ſede primaria ſacer magiſtratus conſideret. Reliqui per regiones diſperſi ſacris intenderent miniſteriis. Certo verò omni tempore Monam cuncti conuenirent ſummi ſui Magiſtratus arbitrio, etſi quid forſitan minus ritè ad religionem attinens dudum factum fuiſſet, communi conſilio repararetur.* Profecerunt exinde *(ſed aliquot poſt tempore) tantum & in naturalium cauſarum ſtudijs, & in Morali diſciplina, quibus erant deditiſſimi, vt omnium ſententia iuſtiſſimi & eſſent & haberentur. Hinc legales libri priuataque & publica complura iudicia eorum fidei demandata, pœnas in ſontes, præmia in benemerentes conſtituebant*, &c. Hæc ille. De nominis Etymo, non ſatis apud Scriptores conuenit. Alij enim à Druide Celtarum Rege nomen Druidum, diſciplinæque inſtitutionem petierunt. Alij verò ἀπὸ τῦ δρῦος, à quercu nimirùm nomen illud emanaſſe putant, eò quod illorum ſacrificia ſupplicationeſque factas in quercetis plerumque compertum ſit. Probabiliùs tamen mihi videtur quod ex Boëtio attulimus.

Druidũ diſciplina ex Scotia in Galliam tranſlata.

Strabo. Tacitus. Boetius.

Quare Druides ſic à Romanis vocati.

CAPVT SECVNDVM.

Floruiſſe in Scotia litteras mirum in modum poſt Chriſti in terras Aduentum.

HABVIT Scotia noſtra poſt Chriſti in terras aduentum, viros doctrinâ planè admirabiles, & quos cuiuſcunque tandem gentis clariſſimis, ſi ſcientiam ſpectes, opponat. Tantus certè fuit Doctorum in Scotia numerus, vt in illam cœteræ ferè gentes, diſcendi ſtudio, tanquam ad commune Litterarum Emporium, communemque Matrem, conuenirent; Quibus omnibus, Scoti Chriſtianæ liberalitatis Gratis quæcunque ad vitam & ſtudia neceſſaria erant, Chriſti cauſâ libenter conferebant. *Erant*, inquit Beda, *ibi*, nempè in Scotia, de ea enim agit: *multi Nobilium Anglorum, quos omnes Scoti libentiſſimè ſuſcipientes, victum eis quotidianum ſine pretio, libros quoque ad legendum, & Magiſterium gratuitum præbere curabant.* Quin & ipſos Anglorum Reges in Scotia litteris operam nauaſſe Author eſt idem in vita ſancti Cuthberti, *Ailfridus*, inquit, *Anglorum Rex in Inſulis Scotorum operam dedit, & ſacras litteras didiſcit.* Bedæ ſubſcribit ſanctus Marcellinus in vita ſancti Suuiberti. *Audierat*, inquit, *quod in prouincia Lindiſſa eſſet Monaſterium Scotorum Bearnenſe cui præfuit Abbas* Higbaldus *vir manſuetiſſimus & ſanctiſſimus, in quo multi ſancti patres ex Scotia, Hybernia,* Anglia, *regulari inſtitutione inſignes pietatis & charitatis opera obſeruarēt.* Et verò in Mailroſſenſi, Huy, Inshbuinde, & Bearnenſi Monaſterijs, cum ſanctitatis & eruditionis optimo fructu, omni æuo Noſtrates publicas, nam noſtratibus tantùm ſed & aduenis aperuiſſe ſcholas, nihil certius; ex ijſque infinitos propè prodiiſſe ſanctos & Eccleſiæ Doctores ex hiſtorijs apertum eſt. Vnde plerique Authores, Scotorum Doctorū, ſanctorumque multitudinem admirari ſæpiùs ſunt, rectè inter alios Middendorpius lib. 8. Academiarum, poſtquam de ſanctiſſimis Culdæis patribus Scotis egiſſet, ſubiecit. *Quorum diſcipuli Kentigernus, Columbus, Patricius, Sernanus, Ternanus, Aidanus, & alij multi tantos progreſſus in Chriſtiana fide fecere, vt ſubſequenti ætate, Scoticis Monachis nihil ſanctius, nihil eruditius fuerit, & in vniuerſam Europam ſanctiſſimorum virorum examina emiſerunt, quibus Fulda Germaniæ, ſanctus Gallus Heluetiæ, aliaque vrbes, & Monaſteria, originem debent ſuam.* Rectè etiam Eucharius Sangius Virceburgenſis ſuffraganæus, oratione de Tranſlatione Beati Macarij Scoti. *Citrà*, inquit, *iactantiam inanem de Scotia*

Scotia ſciētiarū Emporium.

Lib. 3. hiſt. cap. 27.

Scotia libenter Externas nationes gratis docet.

Anglorum Reges in Scotia dāt operam litteris.

affirmare poſſumus matrem fuiſſe, tum Sanctiſſimorum tum Doctiſſimorum virorum fœcundiſſimam.

Certè qui Doctores, Sanctoſque Patres Scotos, qui tum Natale ſolùm, tum cæteras etiam orbis partes illuſtrarunt, penitiùs conſiderauerit, me iudice, fatebitur, Scotiam hac in parte nulli ſub Cælo Regno cedere. Quod ne à me oratoriè potiùs, quàm verè dictum exiſtimetur, è multis aliquos in medium adferam, vt illorum aliqualem ſaltem notitiam habeat prudens Lector. Primò ergo, Scotus fuit S. *Alcuinus* Caroli Magni Præceptor, ac Pariſienſis Vniuerſitatis Fundator. Scotus etiam fuit *Claudius Clemens* Papienſis Vniuerſitatis in Italla Fundator. Scotus prætereà *Ioannes Scotus*, Caroli Calui Præceptor, Oxonienſis Academiæ in Anglia Fundator. Scotus *S. Rabanus Magnentius Maurus*, quem Balæus ipſe Iuratus pietatatis & Scotiæ hoſtis, centuria 2. cap. 17. Scotum facit. Scotus *S. Hildebertus*, multorum Doctorum in Scotia Magiſter, Cœnomanenſiũ in Gallia poſtea Epiſcopus, & tandem Archiepiſcopus Turonenſis. Scotus S. *Sedulius*, vir humaniore literaturâ, & in ſcripturis eruditiſſimus, vt eius opera fidem faciunt. Scotus *S. Ailredus* Abbas Ricuallis, cuius homiliam, quæ ad manus meas peruenit, lectori ſequenti capite proponam. Scoti SS. *Bonifacius*, *Columbanus*, *Vvillibrordus*, *Adamannus*, *Columba*, *Gallus*, *Vvinebaldus*, *Vvilebaldus*, *Manſuetus*, *Kentigernus*, *Aidanus*, *Patricius*, *Liuinus*, *Rumoldus*, *Viro*, *Hiero*, *Furſæus*, *Colmanus*, *Anatolius*, *Sernanus*, *Ternanus*, *Brandanus*, *Maclounus*, *Kilianus*, *Ionas*, *Rupertus*, qui multis Gentibus profuerunt ad ſalutẽ. Scoti *B. Richardus à ſancto Victore*, Theologorum ſuæ ætatis facilè Princeps, cuius libri apud Theologos tantæ ſunt autoritatis, vt inter Patrum ſcripta meritò reponantur. Eum ſæpè conſuluit S. Bernardus, cum quo familiaritatem magnam habuit. S. *Marianus*, *Scotus*, diuinis, humaniſque litteris apprimè excultus Hiſtoriographus longè clariſſimus. *Ioannes de Sacroboſco*, ita dictus à Monaſterio *Sacri Boſci* in Scotia, Scoticè *Holy Vvood*, Mathematicus longè præclariſſimus, vt eius ſcripta fidem faciunt. *Richardus de Media Villa*, Scoti in Theologia Præceptor. *Ioannes Duns* a Patria *Scotus* appellatus, dictus etiam propter eius ſubtilitatem *ſubtilis Doctor*, & meritò, nam mortalium omnium fuit ſubtiliſſimus. A multis *Theologorum Princeps* vocatur; ab aliis *Lima veritatis*; ab omnibus honorificis nominibus decoratur. *Franciſcus Mayronis*, ſiue *Mayronius*, dictus *Doctor illuminatus*, in ſacra Pariſiorum ſchola celeberrimus, Author enim fuit *actus Sorbonici*. Magiſtrum Sententiarum doctiſſimis Commentarijs illuſtrauit, in quibus *Doctoris ſubtilis*, Magiſtri ſui doctrinam præclarè explicat & tuetur. Scripſit etiam alia multa, vt videre eſt apud Poſſeuinum in Apparatu, Bellarminum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & alios. *Ioannes Baſſolis*, ſiue, *Baſſolius*, magnus doctrinæ *ſubtilis Scoti* illuſtrator, & Theologus ſubtiliſſimus, *Ioannes Canonicus* Scotiſta celebris, ac Philoſophus acutiſſimus. *Ioannes Maior* Eximius Theolo-

Præcipui S. Doctores Scoti.

gus ac Philoſophus. *Hector Boetius Abradonenſis Academiæ Rector* non infimi nominis Theologus, Hiſtoriographus clariſſimus.

Hi omnes veteres; ſequuntur Recentiores. *Ioannes Leſlæus* Roſſenſis Epiſcopus Hiſtoriographus præclarus; ſcripſit enim noſtræ gentis hiſtoriam, aliaque opera præclariſſima. *Ninianus Vuinzetus* vir in humanioribus litteris, necnon in Philoſophicis & Theologicis ſtudiis egregiè Verſatus. *Knoxij*, *Buchanani*, aliorũque Miniſtellorum & Sectariorum Scotorum oppugnator acerrimus, vt fidem faciunt, quæ poſteris reliquit ingenij ſui monumenta. *Robertus Balfurgus* Philoſophus clarus, Mathematicus nobilis, in Grçcis longè verſatiſſimus: teſtantur hoc eius opera. *Gulielmus Ballendenus* vir Doctiſſimus, vt opera eius partim edita, partim edenda, fidem faciunt *Iacobus Chinæus ab Arnage* Philoſophus clariſſimus, ac Rhetor Eximius vt eius opera legenti patebit. *Ioannes Fraſerius* Scotorum Miniſtrorum, Hçreticorumque reprehenſor egregius. *Thomas Dempſterus* Iuris vtriuſque Doctor & ſæpiùs profeſſor; in humanioribus litteris nulli ſecundus; Primarius in Bononia Italiæ Profeſſor. Obijt in eadem Bononia, & ſepultus eſt ad D. Dominici, vbi Cippus eius hoc inſigne præfert Elogium. *Recentiores Doctores Scoti viri que doctiſſimi.*

LVGETE BONI, LVGETE DOCTI. *Thomæ Dempſteri Epithaph.*

Thomas Dempſterus inclytus ille veſter hic conditur, vbi Hiſtoriam, Poeſim, Aſtream, literas Satius condi fuerat.

Scotia glorioſè genuit, Italia prouidè rapuit, Felſina piè tumulauit. Æthere ſpiritus, hoc lapide cinis, ſcriptis ingenium, vbique gloria eminet, colitur.

Tot magna diutius tam arcto Claudi limite inuidioſum fuerat. Academia NOCTIS *tanti ſui ſyderis occaſum deflens, lachrymarum vitali rore magis, quàm celte loquacem vobis ſpectandum exponit lapidem.*

Cæterum (inquit Matthæus Peregrinus, Italus) *fuit Dempſterus, vir corpore & animo egregius; altitudo illi ſupra mediocrem vulgaris hominis magnitudinem; coma ſubnigrior, & cuti color non longè diſpar; caput magnum, ac totius corporis habitus planè regius; robur, & ferocitas, quibus vel præſtantiſſimum militem præſtare poſſet, reque ipſa ſæpiùs ſe talem exhibuit. Indefeſſus in legẽdo, ita vt quatuordecim diei horas in librorũ lectione ſe continuare ſolitum mihi ſæpè retulerit. Mentis acumine ſatis valuit, ſed memoriæ tenacitate longè plurimum, adeò vt multoties diceret ignorare ſe, quid ſit obliuio. Nihil adeo abditum in antiquitatis monumentis cuius non meminerit non ſenſum alterius ſcriptoris ſeu Græci, ſeu Latini, (æquè enim vtrumque norat) quem ſtatim cum longa verbõrum præcedentium ac ſequentium ſerie verbatim referre non poſſet. Ita vt illuſtriſſimus Senator Franciſcus Coſpius, vir per omnes literarum titulos omni comparatione maior Dempſterum magnam bibliothecam loquentem compellare conſueuerit. Declamationem omni Rhetorico numero abſolutiſſimam ea celeritate dicta-*

bat, vt ſcriptorem quantumcumque velocem nihil moraretur, & quod caput eſt abſque litura vel leuiuſcula quàm Græcos quàm Latinos quæ vocabat αὐτοχεδιάσματα *in quouis argumento ex tempore propoſito ſcripturum recipiebat, & ita, ſi dictaſſet, vt calamum, vel leuiſſimè excurrentem euincere ſponderet; vnde vti de magno illo Stephonio Dempſteri Præceptore cecinit Poeta non illepidus*

Carmen inexhauſto fundentem carmine vatem
Dixiſſes.

Stylus quidem ei copioſus, confragoſus tamen: moribus ferax fuit, apertus omninò, & ſimulandi neſcius, ſiue enim amore, ſiue odio aliquem proſequeretur, vtrumque palam; conſuetudine iucundiſſimus, amicis obſequentiſſimus, ita inimicis maximè infenſus, acceptæque iniuriæ tenax, eam apertè agnoſcens ac repetens, cæteroquin pius, religioſus, & in ijs locis, in quibus mira pietatis Chriſtianæ viſuntur exempla non infrequens.

ita Math. Peregrinus apud Baſſianũ Gatum in initio poſthumæ hiſt. Eccleſiaſticæ gentis Scot. Authore Dempſtero.

Hæc ego *Mathæus Peregrinus, nec beneficio, nec iniuria in eum affectus breuiter retuli: ſciant poſteri iſthæc me loquutum inter eos non qui audiuerint, ſed qui viderint, attrectauerint.*

Sed ad rem. Scoti ſunt *Gregorius Conæus* magni ingenij vir, Scotiæ noſtræ, ac piiſſimæ Mariæ Eccleſiæ Martyris, Scotiæ, Galliæ, Angliæ, & Hiberniæ, quondam Reginæ præclarus illuſtrator. *Adamus Regius* vir doctiſſimus, hiſtoriographus clariſſimus. *Iacobus Gordonius* Hunthlæus Theologus clarus, ac in controuerſijs inter Catholicos & Hæreticos noſtri temporis agitari ſolitis, egregiè verſatus, vt opera quæ poſteris reliquit, præclarè teſtantur. *Alexander Scot* Ciceronis magnus illuſtrator. Scoti denique *Georgius Crichtonus, Ioannes Coluillus, Ioannes Duræus, Ioannes* Hayus, *Alexander Anderſonius, Patricius Anderſonus, Archibaldus* Hamiltanius, *Nicolaus Burn, Ioannes* Hamiltonius, *Iacobus Gordonius Leſmoræus, Iacobus Languius, Georgius Strachanus, Iacobus Setonus, aliique magni viri quos breuitatis cauſâ prætereo.*

CAPVT TERTIVM.

Homilia Diui Ailredi Abbatis Rieuallis in illud, Luc. 2. Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim aſcendentibus parentibus eius in Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non agnouerunt parentes eius, &c. *In cuiuſdam Diſcipuli ſui gratiam, ab ipſo conſcripta.*

PETIS à me, fili chariſſime I. quatenus ex lectione Euangelicâ quâ duodenis pueri Ieſu pia geſta narrantur, aliqua piæ meditationis & ſancti amoris eliciam ſemina; & ſportulis litterarum commendans, tibi colligenda tranſmittam. Adhuc nuntius iſta loquebatur, & ecce ſenſi in ipſis medullis cordis mei ex quanto, ex quali, ex quam ardenti, ex quàm dulci tua id fraternitas petebat affectu, cùm ſubitò mihi venit in mentem: vbi aliquando fuerim, quid ſenſerim, quid in me ipſa Euangelica verba nonnunquam egerint, vel cum legerentur, vel cum cantarentur. Reſpexi, reſpexi, miſer reſpexi, & vidi quàm longè poſt tergum meum illa ſuauia ac iucunda reliquerim, quam longè ab his delitiis occupationum ac ſolicitudinum me funes abſtraxerint, adeò vt quæ tunc tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſint. Hæc recordatus ſum & effudi in me animam meam, cùm emiſſa in me manus Domini tetigit cor meum & vnxit illud vnctione miſericordiæ ſuæ. Cernis in ipſo tuæ inquiſitionis modo, quid luminis, quid ſplendoris tuus mihi ſtillabat affectus, cùm inſinuari tibi flagitares: puer Ieſus triduo illo quo quærebatur à matre, vbi fuerit, quo ſit vſus hoſpitio, quibus cibis alitus, quorum delectatus conſortio, quibus negotijs occupatus. Sentio fili mi, ſentio ea ipſa quàm familiariter, quàm affectuoſè, cum quibus lacrymis in orationibus tuis ſanctis ab ipſo Ieſu ſoleas ſciſcitari cũ antè oculos cordis tui dulcis pueri dulcis verſatur imago, cũ ſpecioſiſſimũ illum vultum ſpeciali quadam imaginatione depingis, cum oculos illos ſuauiſſimos ſimul ac mitiſſimos in te iucundiùs radiare perſentis. Tunc vt mihi videtur intimo clamas affectu: ô dulcis puer vbi eras? vbi latebas, quo vtebaris hoſpitio? quorum fruebaris conſortio? Vtrùm in cœlo an in terrâ, an in domo aliqua interim morabaris vel certè cum aliquibus tuæ tunc ætatis paruulis ſecreto loco conſiſtens eis ſecretorum myſteria profundebas, ſecundum tuam in Euangelio vocem: ſinite pueros venire ad me, & nolite prohibere illos? Fœlices ſi qui fuerint illi, quibus vt diebus, tam familiariter præſentiam tuam indulſiſti. Sed quid eſt dulcis Domine, quod ſanctiſſimæ matri tuæ quærenti, dolenti, ſuſpiranti non compatiebaris? Denique ipſa & pater tuus dolentes quærebant te. Imò tu domina mea dulciſſima cur puerum quærebas quem Deum eſſe non ignorabas? An ne cruciaretur fame? ne vexaretur frigore? ne à quolibet ſuæ ætatis puero iniuriaretur, formidabas? Nonne ipſe eſt qui paſcit omnia, omnia nutrit? qui fœnum agri, quod hodie eſt & cras in clibanum mittitur glorioſius à Salamone veſtit & ornat? Quin potiùs Domina mea (pace tua) dico, dulciſſimum filium tuum cur tam facilè amiſiſti? tam incurioſè cuſtodiuiſti? tam ſerò quòd deerat animaduertiſti? Vtinam mihi inſpirare dignaretur ipſe Ieſus, quid ſibi ſic quærenti, ſic fla-

granti, ſic æſtuanti interno ac ſpiritali ſermone reſpondeat, vt mea tibi ſcribere ac guſtata eructare ſufficerem. Videamus tamen ſi placet, quidnam ſit quod Dominus Ieſus in Bethleem naſcitur, latet in Ægypto, nutritur in Nazareth, & inde duodenus ad Templum & metropolim ciuitatem aſcendit, nec ſolus tamen, ſed ſub parentum diſciplina. Vt quid omnia iſta? Quia profectò dux eſt Dominus meus Ieſus, quia Medicus, quia Doctor. Et vt Dux noſter exultauit vt Gygas ad currendã viam, quoniam à ſummo cœlo egreſſio eius, & vſque ad Bethleem deſcenſus eius, vbi plena cœleſtium odoramentorum relinquens veſtigia poſuit tenebras.j Ægyptum latibulum ſuum, & cùm ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis lucem ſupernæ gratiæ infudiſſet & Nazareth ſanctâ ſuâ nobilitauit præſentiâ, ſicque Nazareus effectus, templum ingreditur quaſi puer diſcens non docens, audiens & interrogans, & in his omnibus à parentum diſciplinâ non recedens. Sic Domine, ſic præcedis miſeros, ſic ſanas ægrotos. Hanc viam errantibus, hanc ſcalam aſcendentibus, hunc exulibus reditum præmonſtras. Quis dabit mihi Ieſu bone tuis inhærere veſtigijs, & ſic currere poſt te, vt quandoque apprehendam. Ego prodigus ille filius qui accepi ad me ſubſtantiam meam nolens cuſtodire ad te fortitudinem meam profectus ſum in regionem longinquam, regionem diſſimilitudinis, comparatus iumentis inſipientibus & ſimilis redditus illis. Ibi diſſipaui omnia mea viuendo luxurioſè & cœpi egere. Infœlix egeſtas cui & panis defuit & porcorum cibus non profuit, ſequens quidem animalia immundiſſima erraui in ſolitudine inaquoſa viam ciuitatis habitaculi non inueniens. Eſuriens & ſitiens anima mea in malis contabuit, & dixi: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hîc fame pereo. Dum ſic clamarem ad Dominum, exaudiuit me, deducens in viam rectam, vt irem in ciuitatem habitationis. Quam niſi illam quæ abundat pane & domus panis dicitur.j. Bethleem? Confiteantur tibi Domine miſericordiæ tuæ, quia ſatiaſti animam inanem & animam eſurientem pane vtique illo qui de cœlo deſcendit, & poſitus in præſepi ſpiritualium factus eſt cibus iumentorum Et hæc quidem conuerſionis quaſi ſpiritalis cuiuſdam natiuitatis initia, vt conformemur paruulo, paupertatis ſuſcipiamus inſignia: & facti vt iumentum apud te Domine præſentiæ tuæ delitijs perfruamur. Sed quia ſcriptum eſt: fili acceſſiſti ad ſeruitutem Dei, ſta fortiter, & præpara animum tuum ad tentationem abſcondit modicum faciem ſuam à nobis Dominus Ieſus, non vt diſcedat, ſed vt lateat. & ecce Ægyptus, ecce tenebræ, ecce turbatio. Sedentes quippè in tenebris & vmbra mortis laborantes ex parte iucunditatis, inopia vincti & compediti fræno proprij videlicet cordis duritia, neceſſe eſt vt clamemus ad Dominum cùm tribulamur, & ipſe de neceſſitatibus noſtris eruet nos. Luce enim

conſo-

conſolationis ſuæ diſſipans tenebras huius tentationis, & gratiâ interioris compunctionis rumpens vincula duritiæ interioris ſereniori vultu nos præcedit ad Nazareth. Et inter flores Scripturarum & virtutum fructus ſub ſenioris diſciplina nutriti duodecim anni delitias ſortiamur. Sicut enim Dominus Ieſus in nobis naſcitur & concipitur, ita profectò & creſcit & nutritur in nobis, donec occurramus omnes in virum perfectum in menſura ætatis plenitudinis Chriſti.

Cùm ergò factus eſſet Ieſus *annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus cum redirent, remanſit puer* Ieſus *in Hieruſalem.* Primùm itaque ne nos prætereat ſanctiſſimæ huius hiſtoriæ mira ſuauitas. Sciendum id moris fuiſſe Iudæis vt aſcendentes ad diem feſtum, ſeorſim viri, ſeorſim fœminæ incederent, ne fortè aliquid coinquinationis ſubreperet, præſcribente lege diuinâ, vt mundi tantùm ſacris ſolennibus intereſſent. Vndè credibile eſt puerum Ieſum in illo itinere nunc patri & viris adhærentibus, nunc matri & mulieribus comitantibus eam ſuæ præſentiæ dulcedinem indulſiſſe. Cogitemus, rogo, quanta fuit eorum fœlicitas, quibus datum eſt, tot diebus videre faciem eius, & mellifluos illius audire ſermones, conſiderare in homine & in puero ſigna quædam cœleſtis radiare virtutis, & inter confabulationes mutuas myſterium ſapientiæ ſalutaris inſerere. Stupent ſenes, iuniores admirantur, & ſuæ tunc ætatis pueri morum grauitate & ſermonum illius pondere deterrentur. Credo enim in illo ſpecioſiſſimo vultu tantam gloriæ cœleſtis elegantiam refulſiſſe, vt omnium in ſe conuerteret aſpectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne, quæſo, quemadmodum à ſingulis rapitur, à ſingulis trahitur. Senes oſculantur, amplectuntur iuuenes, pueri obſequuntur. Et quæ lacrymæ à pueris cum diutiùs à viris teneretur? quæ ſanctis mulieribus querimoniæ cum paulò plus cum patre & eius ſocijs moraretur? Credo ſingulos intimo proclamare affectu: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Et pueris eius præſentiam ſuſpirantibus, ſed ſenum contubernijs ſe inſerere non audentibus illud facillimè coaptatur: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deoſculer?* Cum hac itaque iucunditate ingredientibus cunctis ſanctam ciuitatem, contemplare, rogo, inter ſingulas familias, quàm pia fuerit & ſancta contentio cunctis deſiderantibus ſibi eius dulciſſimam, ac iucundiſſimam præſentiam indulgeri. Fœlix qui vicit. Fortè ob hanc cauſam, conſummatis diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius; arbitratus enim vnuſquiſque quod eſſet cum altero, vtpotè qui amabatur ab omnibus, ab omnibus petebatur, non cognouerunt parentes eius, quod abeſſet donec itinere diei expleto per ſingulas familias, quæ ſimul aſcendebant, quæreret inter cognatos &

notos, & non inuenientes regreſſi ſunt in Hieruſalem. Poſt triduum autem inuenerunt eum in Templo. Per illud itaque triduum vbi eras, bone Ieſu? Quis tibi cibum miniſtrauit ac potum? quis detraxit calceamenta? Quis membra puerilia vnguentis fouit & balneis? Scio certè quia ſicut voluntate noſtram infirmitatem ſuſcepiſti: ita cùm velles propriam virtutem, oſtendiſti, & ideò cùm velles his obſequijs non eguiſti. Vbi ergo eras Domine? De his omnibus æſtimare, vel conjicere, vel opinari aliquid libet, affirmare autem temerè nihil licet. Quid dicam Deus meus? An vt te per omnia noſtræ conformares paupertati & omnes in te humanæ miſeriæ calamitates ſuſciperes, quaſi vnus è turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, vel ſaltem diuini illius edulij reliquijs ſaginari? Sed ad ſublimioris opinionis ſecreta veniamus. Primâ fortè die paternis ſe vultibus præſentauit, non vt conſideret, ſed vt de ordine ſuſceptæ diſpenſationis paternam voluntatem conſuleret. Nec abſurda videtur talis opinio, ſi æſtimetur Dei filius de his in diuinâ naturâ ipſe ſimul cum Patre & Spiritu ſancto coæqualis & conſubſtantialis, vtriſque diſpoſuerit in forma ſerui quam ſuſceperat: homo Deum, paruus magnum conſuluerit, non vt diſceret, quod ipſe cum Patre in forma Dei æternaliter nouerat, ſed vt Patri per omnia deferret, obedientiam offerret, præferret humilitatem. Ibi igitur in illo ſecreto cubiculo Patris de baptiſmate ſuſcipiendo, de eligendis diſcipulis, de condendo Euangelio, de miraculis faciendis; poſtremò de tollerantia Paſſionis & Reſurrectionis gloria cunctis diuino modo diſpoſitis. Altera iam die Angelicis & Archangelicis Choris ſuauitatem ſui vultus indulſit, referenſque antiquorum ciuium ſupernorum ruinam poſt modicum ſeparandam vniuerſam lætificat ciuitatem Dei. In tertia die cuneos Patriarcharum & Prophetarum inuiſens, ea quæ à ſancto ſene Simeone iamdudùm audierant, proprij vultus manifeſtatione probauit. Sicque expectationis illorum moras: inſtantis iam redemptionis promiſſione conſolans animæquiores & alacriores reddidit vniuerſos. Meritò igitur poſt triduum inuenitur in templo in medio Doctorum & ſeniorum, vt paternæ pietatis de hominum reparatione conſilium, ſicut Angelis & ſanctis carne exutis, quemadmodum videbatur propalauerat, in omnium mundialium locorum ſacratiſſimo templo, ſcilicet, Hieroſolimitano, & his primò qui pretioſiſſimum huius promiſſionis theſaurum in ſacris litteris conſeruabant, paulatim inciperet reſerare. Primò audiens & interrogans deinde interrogatus ſacratiſſima myſteria prodens. Denique mirabantur omnes ſuper prudentia & reſponſis eius.

Data eſt pueris & adoleſcentibus humilitas & verecundiæ forma vt in medio ſeniorum taceant & audiant, interrogent & diſcant. Indica mihi, ô dulciſſima Domina mea mater Domini mei,

Qui tibi tunc fuerit animi? quid ſtuporis? quid gaudij? cùm dulciſſimum filium tuum puerum Ieſum inuenires, non inter pueros, ſed inter Doctores. Cùm omnium oculos intentos in ipſum, omnium cerneres aures erectas ad ipſum. Cùm de prudentia eius & reſponſis puſilli & magni, docti pariter & indocti loquerentur. *Inueni*, inquit, *quem diligit anima mea, tenui illum nec dimittam.* Tene, ô dulcis Domina, tene quem diligis: Rue in collum eius, amplectere, deoſculare, & triduanam abſentiam eius multiplicatis delitijs recompenſa. Fili, quid eſt quod feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Interim dico tibi, Domina, quid doles? Credo non famem, non ſitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras; ſed tamen ſubſtractas tibi vel ad modicum ineffabiles præſentiæ eius delitias querebaris. Tam enim dulcis eſt Dominus Ieſus guſtantibus eum, tam ſpecioſus videntibus, tam ſuauis amplectentibus, vt breuis eius abſentia maximi doloris materia ſit. *Quid eſt*, inquit, *quod me quærebatis, quia in ijs quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Iam hîc cœleſtium myſteriorum in quibus per triduum fuerat obuerſatus incipit reſerare ſecretum, vt humilitatis & obedientiæ ſimul & propriæ voluntatis deferendæ, ſeniorumque præceptis etiam vtilibus prætermiſſis obtemperandi expreſſius & excellentius commendaret exemplum: cum de ſublimibus, tam vtilibus, tam denique neceſſarijs prætermiſſis ſeniorum ſe ſubdiderit voluntati, vt ait Euangeliſta: *Deſcendit cum eis, & erat ſubditus illis.* Sed quid eſt quod ait Euangeliſta: quia, ſcilicet, ipſi non intellexerunt verbum quod locutus fuerat? Non hoc de Maria dictum arbitror, quæ ex quo Sp. S. ſuperuenit in eã, & ei virtus altiſſimi obumbrauit, nullum filij ſui potuit neſcire conſilium, ſed cæteris intelligentibus quæ dixerat. Maria vt ſciens & intelligẽs conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Memoriâ conſeruabat, meditatione ruminabat, & hæc cum cæteris quæ de Deo viderat & audierat conferebat. Ita Beatiſſima Virgo etiam tunc miſericorditer prouidebat nobis, ne tam dulcia, tam ſalubria, tam neceſſaria aliquâ negligentiâ laberentur, & propterea nec ſcriberentur, nec prædicarentur, & ſic ſequaces huius ſpiritualis mannæ delicijs fraudarentur. Omnia igitur hæc Virgo prudentiſſima fideliter conſeruauit, verecundè tacuit, opportunè prodidit, & ſanctis Apoſtolis & Diſcipulis prædicanda promiſit.

De eis quæ ſequuntur: *Ieſus proficiebat ſapientiâ, ætate & gratiâ apud Deum & homines*, multi multa dixerunt & diuerſi diuerſa ſenſerunt, de quorum ſententijs non eſt meum iudicare. Alij animam Chriſti ex quo creata eſt & aſſumpta in Deum æqualem cum Deo ſapientiam habuiſſe putarunt. Alij quaſi creaturã creatori adæquare timentes, ſicut ætate: ita eum ſapientiâ profeciſſe dixerunt Euangelicæ adnitentes autoritati, quæ ait *Ieſus autem proficiebat ſapientiâ, ætate & gratiâ.* Nec mirum inquiunt ſi minor dicatur fuiſſe

ſapientiâ cum mortalis atque paſſibilis ac per hoc beatitudine minor tunc fuiſſe veraciſſimè prædicetur. De horum ſententijs iudicet quiſque, vt volet, mihi ſufficit ſcire & credere Dominum Ieſum ex quo in vnam cum Deo eſt aſſumptus perſonam perfectum, fuiſſe Deum ac per hoc perfectam ſapientiam, perfectam iuſtitiam, perfectam beatitudinem, perfectam inſuper fuiſſe, & eſſe virturem. Et quicquid de Deo ſecundùm ſubſtantiam dici poteſt, de Chriſto potuiſſe dici etiam cum in vtero eſſet matris, non ambigo. Nec ideò ante reſurrectionem, aut mortalitatem, ei aut paſſibilitatem abrogamus, cum eum non phantaſticè, ſed verè hominem fuiſſe confitemur & veram hominis habuiſſe naturam in qua potuit proficere ætate. Vtrùm autem ſapientiâ, ipſi viderint qui de huiuſmodi contendere nôrunt? Tu autem fili mi non quæſtiones quæris, ſed deuotionem, nec vnde lingua acuatur, ſed vnde affectus excitetur. Ea propter his quæ ad hiſtoriam pertinent, prætermiſſis ad ſpiritalem intelligentiam enucleandam, ſicut ipſe de quo loquimur, inſpirare dignabitur, tranſeamus.

Dominus Deus noſter vnus eſt: Non poteſt variari, non poteſt mutari, dicente Dauid: *Tu ſemper idem ipſe es & anni tui non deficient.* Hic igitur Deus noſter æternus, intemporalis, incommutabilis in natura factus eſt noſtra mutabilis & temporalis vt mutabilib⁹ & tẽporalib⁹ ad ſuam æternitatẽ & ſtabilitatem viam faceret eam, quam pro nobis aſſumpſit mutabilitatem. Vt in vno eodemque Saluatore noſtro & via eſſet quâ aſcenderemus, & vita ad quam veniremus & veritas quâ frueremur ſicut ipſe ait: *ego ſum via, veritas & vita.* Magnus itaque Dominus in ſua natura perſiſtens paruulus natus eſt ſecundum carnem, per certa temporis ſpatia profecit & creuit ſecundum carnem, vt nos mente paruuli, imo penè nihili ſpirituales naſceremur, & per ſpiritualium ætatum diſtinctiones creſceremus & proficeremus. Ita eius profectus corporalis, noſter eſt profectus ſpiritualis, & ea quæ ab eo in cunctis ætatibus acta deſcribuntur, in nobis per ſingulos profectuum gradus ſpiritualium agi à benè proficientibus ſentiuntur. Sit igitur corporalis eius natiuitas ſpiritualis noſtra natiuitas .i. ſanctæ conuerſionis exemplum. Perſecutio quam paſſus eſt ab Herode, illius quam initio noſtræ conuerſionis ſuſtinemus à Zabulo tentationis indicium. Educatio eius in Nazareth noſtrum exprimat, in virtutẽ profectum. In primo prodigus filius, fame tabeſcens ad domum panis inuitatur vbi non ſimilagineus ſed ſubcineritius inuenitur vt cinerem cum pane manducet & potum ſuum cum fletu temperet. Eſt enim panis ſimilaginis purus mundus ſine cinere, ſine fermento, ſine paleis. In principio erat verbum & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum. Sed ad hæc quis idoneus? panis eſt Angelorum quorum palatum ad guſtum vuæ acerbæ non obſtupuit. ideo plenè & perfectè guſtant & vident quàm dulcis eſt Dominus. Sed vt panem Angelorum manducaret homo

ſuſceptis paleis noſtræ paupertatis, ſuſceptis cineribus noſtræ mortalitatis ſuſcepto fermento noſtræ infirmitatis panis Angelorum factus eſt homo, magnus factus eſt paruulus, diues pauperculus, vt tu magnus in oculis tuis humilitate fias paruulus, diues cupiditate facultatum in abiectione fias pauperculus. Nec vbi ſpiritualiter naſceris, locum habeas in diuerſorio, dum non tuæ voluntati, tuo ſenſui, tuæ ſcientiæ, tuæ induſtriæ, ſed alieno iudicio inniteris. Tunc cinerem cum pane manducabis, quando cibabit te Dominus pane lacrymarum & potum dabit tibi in lacrymis in menſura. Sic tu naſceris in Chriſto, ſic in te naſcitur Chriſtus. Turbatur Herodes ſcilicet Diabolus quod ſuum Chriſtus inuaſit imperium, nec æquis aſpicit oculis ſuum domicilium in Chriſti hoſpitium commutari, vibrat gladium, tendit arcũ & in eo parat vaſa mortis vt ſagittet in obſcuro rectum corde. Inflammat carnem naturalibus incentiuis, turbat mentem cogitationibus noxiis & paruulos cogitatus priori ſuauitate lactentes multiformi tentatione confodit. Tunc videtur tibi Chriſtus defuiſſe, donec Herode tuis viribus, ſed gratiâ diuinæ miſerationis extincto cum ampliori tranquillitate redeat, tuumque in Nazareth præſtoletur occurſum. Poſt tentationem namque neceſſe eſt vt ad virtutum ſtudia ſpiritualia & exercitia mentis alacritate cõſcendas quaſi ad Nazareth, id eſt, florem quia ſicut flos non quidem fructus eſt, ſed ex eo fructus producitur: ita exercitia hæc non quidem puræ virtutes ſunt, quamuis ex iis veræ virtutes Deo operante naſcantur. Inde aſcendendum eſt Hieroſolymam ſed modo congruo & tempore opportuno. Cum enim factus eſſet Ieſus annorum duodecim aſcendit Hieroſolymam planè ſecundum leges allegoricas Chriſtus de Nazareth aſcendit Hieruſalem quando relictâ ſynagogâ Eccleſię gentium præſentiam ſuæ pietatis exhibuit. Meritò tunc duodecimus erat quia qui legem non venerat ſoluere adimplere denarium legis binario auxerat Euangelicę perfectionis. Verbũ abbreuiatum ſed conſummans & conſummatum faciens ſuper terram, & legem & Prophetas bipartito charitatis præcepto concludens. Remanſit itaque puer Ieſus in Hieruſalem & non cognouerunt parentes eius. Eſt adhuc in Eccleſia Chriſtus & Iudæi parentes ſcilicet eius ſecundum carnem, ignorant. Eſt adhuc in Ægypto Ioſeph & linguâ Ægyptiacâ non Iudaïcâ dicitur Saluator mundi & ipſo frumenta ſapientiæ ſuæ Ægyptiis A Gentibus diuidente, fratres eius inter Chananeos immundos, ſcilicet ſpiritus, verbi Dei fame tabeſcunt, exiſtimantes, inquit eum eſſe in comitatu. Quid eſt hoc? adhuc ô Iudæi Chriſtũ in veſtro comitatu pręſumitis, cum iam ſecũdum Hieremiam veſtrum reliquerit domum ſuam, dimiſerit hęreditatem ſuam, quoniam facta eſt ei hęreditas eius quaſi ſpelunca Leænæ. Quibus indiciis, quibus myſteriis, quibus ſacramentis in veſtro eſt comitatu? vbi templum, vbi iuge ſacrificium, vbi ſacerdotium, vbi altare illud, quod ſolum vobis in ſola Hieroſolyma con-

ceſſum eſt? vbi ignis ille perpetuus, quo extincto omnia pariter holocauſtomata perierunt, quæ non poſſunt alieno igne conſumi? Ergò aut nihil horũ habetis, aut fortè vos ea habere præſumitis, quæ nõ ſecundum Dei præceptum habetis, ac proinde nec Chriſtum habetis. In his enim omnibus ſecundum Prophetica myſteria Chriſtum aliquandò habetis, ſed apparente eo quem prænunciabant, ipſa prænuntia ſublata ſunt, de quibus fruſtrà poſt eius aduentum præſumebatis. O mira peruerſitas! O mira cæcitas! Hæc omnia non attendentes Iudæi adhuc eum eſſe in ſuo æſtimant comitatu. Inquirunt eum inter cognatos & notos. Quem quæritis Iudæi, quem quęritis. Iam lapis abſciſſus de monte ſine manibus vniuerſam impleuit faciem terræ, & adhuc quæritis? ecce vbique terrarum diſperſi, vbi Chriſtum offenditis & adhuc quæritis? vbique inter gentes in laudibus Chriſti veſtrum Amen reſonat, veſtrum Alleluia cantatur, veſtrum Oſanna reſultat, & adhuc quæritis? *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*, & adhuc quæritis? quæritis eum inter cognatos & notos. Quæritis eum apud Iſaiam, ſed ſicut ipſe ait: *cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem non cognouit me, populus meus non intellexit.* Ideò non inuenitis. Quæritis eum apud S. Dauid, ſed & ſecundum ipſum facta eſt mens veſtra coram vobis in laqueum, ideò non inuenitis. Obſcurati enim ſunt oculi veſtri ne videant, & dorſa veſtra incuruantur. Quæritis eum apud Hieremiam, ſed ipſo teſte ſacerdotes ignorant legem, neſciunt videntem, ideò non inuenitis. Quæritis eum apud Moyſen. Sed vſque hodie cum legerint Moyſen velamen poſitum eſt ſuper cor veſtrum ideò non inuenitis. Reuertere itaque reuertere Sunamitis, reuertere in Hieruſalem & inuenies. Nuntiatur certè Ieſu quod mater eius & fratres foris ſtent quærentes eum. Nunquid egreditur? væ potius ingredimini, & inuenietis. Et ingrediẽtes inquit, inuenerunt eum poſt triduũ in tẽplo. Si fuerit numerus filiorũ Iſraël ſicut arena maris, reliquię cõuertuntur, reliquiæ inquã Iacob ad Deũ fortem quando! vtique poſt triduum. O tempus deſiderabile, quando cognoſcet Iſraël Deum ſuum & pauebit ad Dauid Regem ſuum! quando vtraque gens faciet ſibi caput vnum & aſcendent de terra! Quando hoc erit Ieſu bone! quando reſpicies carnem tuam domeſticos ſanguinis tui, cum nemo carnem ſuam odio habeat? frange domine eſurientibus panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Quamdiu miſer Cain vagus & profugus erit ſuper terrã tuam, quæ aperuit os ſuum & ſuſcepit ſanguinem tuum ô noſter Abel de manu eius Nonne adhuc reddidiſti ei ſeptuplum in ſinum eius cum vbique maior ſeruiat iuniori. Cum vbique ſit iugum premens & gladius vt terrens, nec ſit qui redimat neque qui ſaluum faciat. Scio, ſcio quia tandem conuertentur & famem patientur vt canes, ſed ad veſperam. Poſt triduum enim inuenerunt eum in templo. Prima dies quâ ingreſſus noſtram Hieruſalem Dominus Ieſus

abſcondit ſe à matre ſua Synagoga & fratribus ſuis Iudæis Apoſtolica fuit in gentibus prædicatio, ſicut ipſis Iudæis Paulus loquitur: quia indignos vos iudicatis æternæ vitæ ecce conuertimur ad gentes tunc quippe tenebroſis gentilium cordibus lux cœleſtis infulſit, ſplẽdor fidei mentibus perditorum radios ſuæ claritatis inuexit, ſed huius diei lumen nox diræ perſecutionis interpolat quando ſæuientibus in Chriſtianos mundi principibus cruces, beſtiæ, eculei ferreęque manus, ignitæ ſartagines & ardentes laminæ & mille tormentorum genera in eorum exitium præparantur. Quæ omnia licet Chriſtianorum pars maxima fidei virtute riſiſſet, non modica tamen multitudo tortoribus cedens luctum miſerabilem Sanctis indixit. Secutus eſt hanc noctem dies diuinæ miſerationis luce clariſſimus, quando regibus mundi ad Chriſtum conuerſis ſubuertuntur templa Gentilium, & delubra Dæmonum in martyrum memorias conſecrantur & paulatim veritate mortalium pectoribus illabente nox perfidiæ confuſa repellitur. Sed tunc iterum ſplendidiſſimum diem nebula hæreſiacæ prauitatis obtexit, donec labore doctorum error productus in lucem Chriſtianorum corda deſeruit, & in ea iam fides diù examinata & multis probata rationibus Solem iuſtitiæ periclitanti mundo reuexit Et ecce nunc adueſperaſcit & inclinata eſt iam dies. O tempora periculoſa! iam tertiæ diei lucem falſorum Chriſtianorum perdita vita recondit, & noctem ſuperabundanti iniquitate caligantem ſeneſcenti iam mundo refundit. Superabundat enim iniquitas & refrigeſcit charitas, Expectamus diem quà, prędicente Enoch & Elia Ieiuni inueniat mater eius Synagoga ingreſſa in mirum templum id eſt Eccleſiam, in qua inter ſeniores & doctores medius reſidet mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus in paruulis audiens, in adoleſcentibus quærens, in ſenioribus docens; tunc vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis Iacob perſonabit, quando agnitus a fratribus verus Ioſeph populo Iudæorum in fine mundi quaſi patri ſeneſcenti iuuenis nuntiabatur à dicentibus Ioſeph filius tuus viuit & ipſe dominatur in tota terra Ægypti. Fili inquit quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quid feciſti ô Ioſeph: mater moritur, pater perpeti fletu cõteritur, periclitantur fratres, tota inſuper domus langueſcit & tu tuorum negligens Ægyptijs conſulis ad ſalutem. Fili quid feciſti nobis ſic? Eunt fratres in Ægyptum & redeunt, cernunt te Dominum terrę nec recognoſcunt, & ſpecioſus ille vultus, quem Ægyptus tota miratur domeſticis tantum tuæ carnis abſconditur. Fili quid feciſti nobis ſic? reſpicis tuos quaſi alienos, imponis crimina, minaris ſupplicia & quẽ clemẽtiſſimum inueniunt alieni tui, te crudeliſſimum reperiunt. Fili quid feciſti nobis ſic? Prodigus ille filius tuus qui dilapidauit omnẽ ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, qui fornicatus in ligno & lapide & mutauit gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum atque ſerpentum intro-

ductus in domum tuam. Ecce iam tot annis vituli ſaginati carnibus paſtus & ſanguine vuæ meraciſſimæ inebriatus in noſtri Dauid deliſijs ſimphoniâ luſit & choro & nos quorum erat teſtamentum & legiſlatio & obſequium & promiſſa quorum patres, ex quibus tu ſecundum carnem, quaſi alieni foris ſtetimus. Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Putabamus nouo miraculo templum reædificandum, reſtaurandum Sacerdotium, diſperſionem Iſraël Hieroſolymam reuocandam, Chriſtum inueniendum in finibus Iudææ, quem nunc inuenimus in campis ſyluæ, dolentes quærebamus te. Doluimus antiqua ſublata miracula, oracula ſiluiſſe prophetica, Ducem de ſeniore Iacob nullum.

Non pauca, vt videre eſt, hic deſiderantur, quæ in antiquo meo manuſcripto defuerunt.

CAPVT QVARTVM.

De Scotiæ Academijs ſeu Vniuerſitatibus.

Numerus Vniuerſitatum in Scotia, & earũ nomina.

QVIA in ſuperioribus Scoticarum Academiarum mentio facta eſt ad Scotorum doctrinam explicandam, eæque ad Scotorum doctrinam explicandam plurimum faciunt, idcirco de illis earumque numero hoc capite aliquid dicendum.

Sunt igitur in Scotia Vniuerſitates ad minimum Tres: *Abredonenſis*, ſiue *Aberdonenſis*, aut, *Abbirdonenſis*, *Sant-Andreana*, & *Glaſcuenſis*, de ſingulis ordine diſſeremus.

Aberdonia, & Aberdonenſis Academiæ deſcriptio.

Aberdonenſis ab *Aberdonia* ciuitate, nomen ſortita eſt. Ciuitas duplex eſt, ſitus amœnitate ac aëris ſalubritate nulli ſecunda. Epiſcopatu celebris, Salmonum capturâ vberrima, portu nauali perópportuna, magnâ ciuium frequentiâ nobilis; inter duos fluuios nauigabiles, *Donam* & *Deam* poſita: vnde illi nomen (*Abbir*) Enim priſco idiomate Scotico ſignificat propè, vt *Abbrigeldi*, *Abbirbroth*, *Abbirdonr*, *Abbircorn*. Nolo huius Academiæ ortum ad proximum poſt euictam Troiam ſæculum referre, vt ridiculè Oxonienſis Academiæ ortum referunt quidam Angli, cuius tamen fundatorem ſequenti capite oſtendemus fuiſſe Ioannem Scotum. Sufficiet ergò ad Alexandri Scotorum Regis tempora referre: is enim ſub annum Domini M. CC. XI. multis, magniſque illam priuilegijs ornauit. Quibuidam antiquior viſa eſt; Sed quod diximus, eſt veriſſimum: Ante enim Alexandrum non-

niſi

niſi Scholæ nomen obtinebat, aut meritò obtinere poterat, cum ad Academiæ ſeu vniuerſitatis appellationem requiratur, vt iam ſuppono, ſcientiarum omnium quæ in Academijs doceri ſolent publica profeſſio, quam tamen in Abbirdonia, ante Alexandri Regis tempora fuiſſe penitus reperiet: ab eo autem tempore, quantoperè floruerint litterarum ſtudia, quantuſque ex omni parte, ad eam tanquam ad virtutis doctrinæque celeberrimum emporium concurſus ſemper factus fuerit, difficile eſt dicere.

Sex Collegia in Vniuerſitate Abbirdonenſi

Habet hæc Academia Collegia varia, & quidem ſpecie magnifica numerantur omninò ſex. *Primum eſt Collegium Regium*; auguſtiſſimum, ſi fabricam ſpectes, opulentum, ſi diuitias conſideres, vt verè Regium dici poſſit. Eius Fundator fuit *Beatus Gulielmus Elphenſtonus* eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, vir raræ admodum pietatis, qui in aquoſo loco, profundiſſimus iactis fundamentis, ſummis ſumptibus, illud extrui curauit; in eoque pro duodecim *Burſarijs*, (qui numerus hoc noſtro tempore duplicatus eſt) alendis redditus ritè aſſignauit. Tegitur hoc Collegium omni ex parte plumbo, in eiuſque angulis quatuor aſſurgunt præcelſæ turres, in quarum vna, quatuor ſuprà viginti numerabis campanas, ſumma cum audientium voluptate, ſingulis quadrantibus ac medijs horis, muſicè pulſantes. In hoc Collegio leguntur Philoſophia, Theologia, ac litteræ illæ quæ humaniores dici ſolent. Et quidem Philoſophia ac humaniores literæ, non ſine aliqua laude, quamuis frigeat hoc noſtro tẽpore. Deformata Nouatorũ Theologia. Inſtructum erat olim hoc Collegiũ præclariſſimâ Bibliotheca: ſed (quod dolendum eſt) cum hæreſi furenti, religioſa omnia profanata ſint, & illa etiam à Sathanæ miniſtellis, partim combuſta, partim in cloacas iniecta cernitur. Nimirùm verebantur Noctuæ præclarum diem, hoc eſt, Sanctorum Patrum incorruptam doctrinam, quâ noua ipſorum portenta, luce clarius, erroris atque inſaniæ conuincuntur.

Huius Collegij diſciplina ac ordo mirabilis eſt, nam ad horam quintam matutinam, ſigno ad ſurgendum dato, ſi hyems ſit, ad Profeſſorum & Philoſophorum cubicula, lumen ab vno ad id deputato defertur, qui tamen ne quietem eorum, quibus facultas data eſt, vlterius quieſcendi, perturbet, quærit num velint lumen. *Vultis*, inquit, *lumen*? Cui ſi reſpondeant *ingrediatur*, ingreditur: ſin minus, recedit. Si æſtas, pulſatur vniuſcuiuſque oſtium ab eodem clamante, *ſurgite*, exacto deindè certo tempore, vnus ex Philoſophiæ Profeſſoribus (per vices enim hoc munus obeunt) qui hebdomadarius dici ſolet, omnium cubicula viſitat, vt an ſurgant perſpiciat. Hora deindè ſexta omnes ſcholas, præmiſſo Campanæ ſigno ingrediuntur, in eiſque, lectionibus ſuis vſque ad octauam, operam nauant. Tùm verò, ſigno dato, omnes in templum Deum oraturi conueniunt; & ne quiſquam deſit, eorum omnium nomina à Cenſore citantur: cui ipſorum nomen inclamanti, niſi reſpondeant, *adſum*, vt abſentes

notantur poſteà puniendi. Oratione finita vſque ad Nonam, in ſcholas ſuas redeunt; qua data, ientatum dimittũtur vſque ad decimam; tum verò ſigno campanæ in ſcholas rurſum reuocantur, vſque ad vndecimam, quâ elapſâ, omnes cum ſuis magiſtris in ſcholam ſeu *communem* dictam, in qua cuique ſcholæ ſuus locus eſt ritè aſſignatus. Ibi diſputando inter ſe ad duodecimam, tempus terunt, Profeſſoribus interim in medio ſimul deambulantibus, ac ne quis impunè ab hac ſchola, vt nec à priuata, abſit, ſtatim poſt ingreſſum à Cenſore omnium nomina citantur, vt antea dictum eſt, datâ duodecimâ domum quiſque prandij cauſâ (niſi ſint in ipſo Collegio conuictores vel Burſarij, quibus Collegio ſine venia exire non licet) petit; Neque in ſcholas ante ſecundam vſque redeunt. A ſecunda vſque ad ſeſquiquintam, in ſuis quique manent ſcholis. Deinde præmiſſo campanæ ſigno, omnes cum ſuis Profeſſoribus, in Collegij templum, Deum oraturi, conueniunt. Ante orationem, omnium nominibus, vt mane, à Cenſore citatis. Finitâ oratione, cœnatum domum reuertuntur. Octaua deindè hora rurſus monentur Philoſophi, vt ſe in Collegium conferant: hora nona cubitum ituri. Poſt nonam ab vno ex Profeſſoribus, vt manè, viſitantur omnium cubicula, ne vllus extra Collegium, non obtenta facultate, pernoctet. Diebus Sabbathi diſputationes publicæ habentur, neque vnquam niſi graues ob cauſas omittuntur. Ter in ſeptimana vacant; verùm non tota die, ſed à prandio tantùm, ſed nec eo tempore licet quò velint diuertere: nam in locum publicum ludo deputatum ab vno ex Profeſſoribus, prius omnium nominibus à Cenſore citatis deducuntur, ibique rurſus ijſdem nominibus citatis; poſt aliquot horarum ſpatium in ſcholas deducuntur. Quatuor annos in Collegio inſumunt, tertiò Bacchalaureatus; quarto Licentiatus, ac Magiſterij artium gradus, poſt varias concertationes, tùm priuatas, tùm publicas, aliaſque varias ſolemnitates, adipiſcuntur. Tanta eſt autem celebritas in creandis artium Magiſtris & Doctoribus, vt ex varijs regni partibus confluant, non modo docti, ſed etiam indocti, per biduum ad minimum celebratur, habenturque in ea orationes tanto ornatu, vt omni orationis flore expolitæ. Lectiones item multiplici eruditione refertæ, vt omnem fidem exſuperet, nec facilè ab ijs qui oculis non conſpexerunt credi poſſit.

SECVNDVM COLLEGIVM, & huic proximum, ſi ſitum ſpectes, eſt Medicorum, in quo medicina ab eiuſdem Profeſſoribus legebatur.

TERTIVM vbi ſacri Canones docebantur opere ſanè magnificum & ad ſtudentium vtilitatem, ſi loci amœnitatem ſpectes, conuenientiſſimum.

QVARTVM in quo Iuriſconſulti leges profitebantur.

QVINTVM, in noua ciuitate à Comite Mareſcallo nouiſſimè

fundatum, eo in loco in quo olim fuit Franciſcanorum Monaſterium.

Sextum in eadem ciuitate, in quo tantùm humaniores literæ docentur.

Et hæc de Vniuerſitate Abbirdonenſi.

Sanct-Andreana a fano Sancti Andreæ ita dicta: eſt autem Sancti Andreæ fanum nobile terra, marique emporium commodo in Fiſa prouincia ſitu ab Heirguſto Pictorum Rege in gratiam ſancti Reguli conditum nominatumque Kirkreuil quaſi Reguli templum dicas, & à Pictis Rigmund & Centimunt, ſeu Conrumunt. Fuit ſanctus Regulus patriâ Græcus, domo Achaius, præcipuæ inter Eccleſiaſticos Patrenſes dignitatis qui diuinitùs monitus brachium diui Andreæ Apoſtoli cum alijs reliquiis in Albionem detulit anno 365. & in ea æde ſacra venerandum depoſuit: cuius religioſiſſima remanſit veneratio, donec cum Athelſtano Angliæ Rege Scoti, Pictique manus conſerturi crucem Diui Andreæ in aëre cernentes, ſpemque victoriæ non leuem concipientes ſe, ac poſteros eius patrocinio ſubmiſerunt, ac in clientelam dederunt, vt imposterum ſub eo ſigno Reges dimicarent & potiti victoria afflictoque grauiſſimâ clade hoſte votum vterque Rex ſoluit loco nomen mutarunt, templum ingentibus donariis ornarunt. *Sancti Andreæ Vniuerſitatis deſcriptio.*

Huius Vniuerſitatis Fundator reperitur fuiſſe *Henricus de Vvardlavv*, ſancti Andreæ Archiepiſcopus, habet Collegia in vniuerſum quatuor.

Primum Saluatoris Collegium, & antiquum appellatur, ſtructurâ ſplendidiſſimum, opibus ditiſſimum, in eo ſunt ſcholæ præclariſſimæ, & ſi capacitatem ſpectes maximè huius Collegij fundator reperitur Archiepiſcopus Rennedeus ſub annum Chriſti 1411. quem dubitaſſe ferunt ex tribus quæ fieri curauerit, aurea nimirùm Chriſti Domini imagine, ſepulchro ſuo, & Collegio quodnam pluris ipſi ſtetiſſet.

In hoc Collegio ex fundatione octo in vniuerſum ſunt Profeſſores quatuor Philoſophiæ, quintus Matheſeos, ſextus Geographiæ, ſeptimus Legum, octauus Medicinæ.

Secundum Collegium eſt S. *Leonardi*, in quo humaniores litteras, ex fundatione à quatuor profeſſoribus docetur Philoſophia. Magna eſt inter huius & prioris collegij ſtudioſos in literis æmulatio quæ eouſque aliquando procedit, vt ne ad manus veniant vix cohiberi poſſint.

Tertium Collegium Marianum, à B. Virgine Maria dictum; alio nomine nouum appellatur. In hoc docentur Theologia & lingua Hebraica.

Quartum Collegium eſt, in quo iuuenes humaniores literas edocētur.

Glaſcuenſis Vniuerſitatis deſcriptio.

Glaſcuenſis Academia à Glaſcua, ciuitate emporio nobiliſſima, ita appellata in ea duplex collegium.

Primum in quo, præter Philoſophiam ex fundatione Theologia & linguæ docentur.

Secundum, in quo humanioribus literis excolitur iuuentus.

Edimburgi propriè loquendo nulla eſt Academia.

Dixi ſuperiùs ad minimum in Scotia eſſe tres Vniuerſitates, quia à quibuſdam tanquam quarta additur *Edimburgenſis* in quâ humaniores litteræ Philoſophia, Theologia, & linguæ docentur. Sed illã non exiſtimo Academiæ nomen obtinere debere, cum ad veram Academiam requiratur ſcientiarum omnium, quæ in Academiis edoceri ſolent, profeſſio; quæ tamen in ea non reperitur. Verùm qui quartam vocare voluerit, per me licet, dummodò quæſtio non ſit de nomine. Hæc de Scotia, Academijs; Scotorumque doctrina breuiter dicta ſint, in quibus ſi quid contra Sanctæ Rom. Eccleſiæ matris meæ mentem dictum ſit, reuocatum volo, eidem me ac mea omnia libenter & ex animo ſubmittens.

CAPVT QVINTVM.

De Vniuerſitatibus apud exteras Nationes à Scotis fundatis.

SCOTIS, Domi gratis, publicas Aduenis omnibus aperuiſſe ſcholas, ſatis non erat, niſi etiam, ſuis Anguſtiis minimè contenti, apud exteras gentes illas erigerent.

Prima Vniuerſitas à Scotis apud exteras Nationes erecta, meritò numeranda venit *Pariſienſis*, omnium aliarum Vniuerſitatum iure mater, litterarum domicilium, ſcientiarum Emporium, à *ſancto Alcuino* Caroli Magni Præceptore fundata & erecta. Fuit autem *Alcuinus* Patriâ Scotus, vt ipſe teſtatur epiſt. 26. Vbi ſe *Scotorum vernaculum* nominat, id eſt, *ciuem*. Iterum, ad Eboracenſes apud Malmesburienſem lib. 1. de Geſtis Pont. Angl. cap. 3. *Ego parabam ad vos redire, apud quos educatus*; ipſe epiſt. 21. *Et in patriam reuerti*, id eſt, Scotiam vbi natus. Qui ipſi de ſe ſcribenti non fidit, cui credet? ſed an ipſe ſolus id aſſerit? Certè idem cùm ipſo ſentiunt *Hermanus Kirchnerus* lib. 2. de iure Legati cap. 9. *Rudolphus Buterus*, *Boſius*, *Saillij*, aliiſque, quos breuitatis gratiâ omitto, quibuſque accedit ille alius, qui in Lutetia ſua, ſic de *Alcuino* canit.

Et tandem egregijs Scotorum emerſit ab oris
Alcuinus, &c.

Albinus dictus eſt, quod *Scotum* ſonat linguâ noſtrâ. Vide quæ de illo dicemus lib. ſeq.

Secunda Vniuerſitas, apud exteros à Scotis erecta, eſt *Ticinenſis*, ſiue *Papienſis* in *Italia*, à *Claudio Clemente* in Legatione ad Carolum Magnum, pro firmando inter *Gallos* & *Scotos* fœdere, Collega. Vide Poſſeuinum in Apparatu, pag. 321. Tritemium de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Paulum Merulam, Vuionem, & alios.

Tertia Academia, apud exteros, à Scotis fundata eſt *Oxonienſis*, Aſſer, Nam cum Ælfredus Anglorum Rex, in Anglia Præceptorem non inueniret (vt loquitur *Aſſer Menenenſis*) *Sanctum* Ioannem *Scotum* vocauit, qui ipſum inſtitueret, & Oxonienſem in Anglia Academiam fundaret. Notent hoc ex Anglo, Angli.

Quarta Academia erat *ſancti Galli*: conſtat enim ſancti *Galli Scoti Cœnobium*, in Germania ſancto Columbano Scoto præcipiente, nobiliſſimum litteratum Emporium euaſiſſe; ex quo deinde alia in Germania loca viros doctos habuerunt.

Hæ ſunt præcipuæ Vniuerſitates apud exteros à Scotis fundatæ: aliæ apud alios videri poſſunt.

LIBER TERTIVS, DE SCOTORVM PIETATE.

CAPVT PRIMVM.

De Antiquitate Religionis Chriſtianæ apud Scotos, & conſtantia eorum in eadem.

Clementis VIII. teſtimonium.

REGNVM *Scotiæ quod Nobiliſsimum exiſtit* (inquit Clemens VIII. ſummus Pontifex in literis ſuis Apoſtolicis à Laërtio Cherubino de Nurſia publicatis, tomo 3. Bullarij pag. 103.) *Et inter prima quæ fidem Chriſtianam receperunt, numeratur; & licet hæreſi iampridem labefactetur, non deſunt Chriſti fideles, qui ſummis conflictati calamitatibus, fidem tamen ipſam retineant, & plerique ex eodem Regno proſcripti, vel ablegati, ſub obedientia & deuotione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ perſiſtentes, ad vrbem limina Sanctorum viſitandi, dictamque ſedem amplectendi & recognoſcendi gratia confluere ſoleant.* Honorificum ſanè & veriſſimum Chriſti in terris Vicarij, ac Eccleſiæ Dei ſummi Moderatoris de Scotorum pietate teſtimonium; quò & antiquitas Chriſtianæ Religionis apud ipſos, eorumque conſtantia in ea ſuſcepta demonſtrantur.

Scoti ab Apoſtolis cõuerſi.

Veriſſimum inquam Elogium; nam primo ſi de Antiquitate agatur, Conſtat Apoſtolos Chriſti fidem in Scotiam inuexiſſe: Certè Sanctum Petrum Apoſtolorum Principem Scotis noſtris Euangelium prædicaſſe, & ex Scotia ſecum eduxiſſe S. Manſuetum quem *Leuchorum* vrbis primum Epiſcopum conſtituit) teſtantur Sancti *Manſueti* Acta, *Arnoldus* in theatro conuerſionis gentium, *Franciſcus de*

Roſier tomo 2. Stemmatum Lotharingiæ, *Demochares* in Catalogo Epiſcoporum Thulenſium, *Hunterus* lib. de Sanctis Scotiæ. *Paulum* quoque Apoſtolum Noſtratibus Euangelium annunciaſſe Author eſt *Venantius Fortunatus* Pictauienſis Epiſcopus, doctrina & ſanctitate celebris: Pauli enim peregrinationes carmine enarrans ſic ſcribit.

Tranſijt Oceanum vel qua facit inſula Portum
Quaſque Britannus habet terras, quaſque vltima Thule.

Vides aſſerere Fortunatum, Paulum Apoſtolum non tantum in Britannia, ſed & in vltimis eiuſdem Britanniæ Inſulis Chriſtum prædicaſſe: vixit Porrò Fortunatus anno 570. Simonem denique Cananæum etiam in Britannia Chriſti fidem annunciaſſe Authores ſunt Nicephorus lib 2. cap. 40. Dorotheus in Synopſi, Eiſengremius in conuerſione Britannorum, alijque. Clarum ergo & apertum eſt Scotiam non niſi Apoſtolis ipſis ſuam debere ad Chriſti fidē conuerſionem Quod tamen non ita intelligi volo, quaſi vniuerſum regnum tunc Chriſti fidem amplexum ſit; hoc enim tantum ſub victore primo Romano Pontifice: ſub Chriſti annum 203. contigit. Tunc enim Donaldus Scotiæ Rex, cum vniuerſa nobilitate Chriſtianam fidem amplexus eſt: Eiuſque exemplo commotus populus, Chriſto nomen dedit: ita enim habent Cardinalis Bellarminus in Apologia pro reſponſione ad librum Iacobi Magnæ Britanniæ Regis, cuius titulus eſt, *Triplici nodo triplex Cuneus.* Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 429. Azorius tomo 2. Inſtit. Moralium, Sanderus lib. 4. de claue Dauid. Sebaſtianus Veronius in Chronico. Arnoldus Mermannius in theatro conuerſionis gentium, *Aubertus Miræus* Eruditionis Ecclaſiaſticæ lumen, in præfatione libri quem ſcripſit, de bello Bohemico Ferdinandi ſecundi Cæſaris. Bozius lib 8. de ſignis Eccleſiæ, alijque; de qua re infra plura dicenda erunt cum contra Hirlandos diſputabimus.

Vniuerſum Scotiæ Regnum ſub Donaldo Rege Chriſti fidē amplectitur.

Aubertus Miræus, Baronius. Bellarminus, Bozius.

Scotorum in Religione Chriſtiana ſuſcepta Conſtantia tanta fuit vt omnes illam ſummoperè admirarentur. vt non immeritò Ioannes Leſlæus Roſſenſis Epiſcopus, poſtquam Scotiæ noſtræ laudes, & præſertim ſinceritatem fœderis cum Gallis, explicaſſet, ſubdat; *ſed & alia tamen noſtra gloria, & ad decus ſplendidior, & ad ætatem diuturnior, quod maiores noſtri, ad mille trecentos & ſexaginta plus minus annos, fuerint domeſtici & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, id eſt, quod fuerint Orthodoxæ religionis ſinceri cultorēs, & Eccleſiæ puriſſimæ integerrimi filij. Teſtatur ipſa Eccleſia, & ſua maxima lætitia, pia teſtatur, & noſtro ſummo honore grata teſtatur* (nempe Scoticanæ Eccleſiæ in fide ſuſcepta conſtantiam) *ſiquidem cum Alexandria quod Arrium; Conſtantinopoli; quod Macedonium, Neſtorium & Eutychen; Ponto, quod Marcionem; Perſia, quod Manichæum; Africa quod, Donatum; Hiſpaniæ, quod Priſcillianum; ac (vt vicinias noſtras attingam) Franciæ, quod Vigilantium & Berengarium; Britannis,* (Britones intelligit) *quod Pelagium; Anglis, quod Vuicleſum, tanquam teterrimas religionis peſtes effuderint,*

In præfatione hiſt. ad nobilitate Scot.

labes aliqua inuſta videatur: Scotiæ tamen noſtræ, vllam hæreſeos ac Schiſmatis maculam aſperſam fuiſſe, nulla planè hiſtoria prodit. Hæc Leſlæus, & benè. Sed quia Scotus ille eſt, externos audire iuuabit. *Qui igitur,* inquit Card. Baronius in ſupplementis ad annum 429. de Scotis noſtris loquens *Euangelium primo à Victore Pontifice maximo accepere, & à Cælestino Papa primum Epiſcopum, à quo ſunt omnes penitus redditi Chriſtiani, eatenus Chriſti gratia profecere, vt poſteà omnium præſtantiſſimi euaſerint Chriſtiani, Chriſtianamque fidem ſummâ diligentiâ excolentes, Apoſtolico munere (vt ſuo loco dicturi ſumus) in exteras gentes longè poſitas latiſſimè atque locupletiſſimè propagarunt.* Bozius lib. 8. de ſignis Eccleſiæ cap. 7. *Secundum,* inquit, *ſit Scotiæ nationis admirandum; nulla gens è Borealibus tamdiu perſtitit in vnamini religionis vnius conſenſu, vt Scotica. Conſtat ex Annalibus Proſperi, Anno 434. miſſum à Cæleſtino Pontifice Palladium Epiſcopum ad Scotos. ſed adijcit Proſper, iam credentes in Chriſtum: quocirca tradunt in Scotia, quæ tunc erat Hibernia, Chriſti cultum diſſeminatum eodem tempore, quo in Britannia,* (terram Britonum intelligit) *ſub annum ſcilicet 203. Victore ſedente: agitur itaque annus milleſimus trecenteſimus & quinquageſimus, ex quo Scoti Chriſti cultum ſunt amplexati, & in eo conſtantes fuere. At hoc nulli alij genti è Borealibus euenit.* Et paulò pòſt, de irruptionibus Danorum in Scotiam agens, ita loquitur. *ſit igitur hoc Scotiæ proprium, vt nunquam ſuccubuerit barbaricis irruptionibus iure, nam hæreticis opinionibus locum nunquam dedit, populo ac Rege catholica ſentiente, neque par erat, vt Barbaris cederet vllo modo.* Michaël ab Iſſelt in hiſtoria ſuj temporis pag. 119. de ſancta Martyre Maria Scotiæ Regina agens *Capitur,* inquit, *& ad pœnas poſcitur optima potentiſſimaque Regina, quæ non vi, non dolo malo, ſed legitima optimè de regno promeritorum patrum ſucceſſione, imperium erat adepta. Profligatur ſancta, ſincera, vera & ſola ſaluifica fides, quam Victor ibidem Pontifex Romanus ſub annum 203. plantauit; quam Cæleſtinus Papa anno Domini 452. à Pelagianis Anglis, quibuſdam in locis contaminatam, miſſo Palladio ſub Dungardo Rege Scotorum 42. reformauit; quam ipſi Scoti mille trecentos quinquaginta circiter annos (quod de nulla gente Septentrionali dici poteſt) conſtanter defenderunt, & noua numquam audita, nuper è ſtygiis paludibus emerſa, in eius locum intruditur.* hæc ille.

Baronius.

Bozius.

Nota hic ex Bozio Scotiã noſtram appellatam Hiberniã.

Præclara Bozij de Scot. ſententia.

Michael ab Iſſelt.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Nullam ſub Cœlo gentem eſſe, quæ plures populos veritatem docuerit, quàm Scotica.

HVIVS rei teſtes locupletiſſimi ſunt illi ipſi quos variæ nationes pro Apoſtolis habent. Et vt à vicinis Anglis initium ſumam, *S. Finnanus* Orientalium Anglorum Regem primo congreſſu, ad fidem Catholicam, repudiatis idolis traduxit; vti & *Pendam* Mediterraneorum Anglorum Regem cum omnibus Proceribus baptizauit. *ſanctum etiã Furſeum* Anglis prædicaſſe author eſt Tritemius: quod & de *ſancto Aidono* teſtatur Beda, qui tradit illum Oſuualdi regnum conuertiſſe. Hinc idem Beda in hiſt. *Imbuebantur*, inquit, *à præceptoribus Scotis paruuli Anglorum*. Et Polidorus Virgilius lib. 4. hiſt. Angl. *Reges*, ait, *Angliæ cupidi ſalutis æternæ; Legatos ad Eugenium quartum Scotorum Regem miſerunt, vt ille dignaretur viros idoneos mittere, per quos illi Chriſtianæ Fidei Rudimenta docerentur, Et ſacro Baptiſmatis fonte abluerentur. Quod ille haud grauate Indulſit.* Galliæ ſeu Vualliæ populi habent S. Aſaphum Apoſtolum ſuum: Vuion, Goduuinus, & alij. *Scoti aliarum nationum Apoſtoli.* *Polidorus Virgilius.*

Hibernia, Irlandica adhuc Idola coleret, niſi Scotorum ſtudiis inuictaque patientia, veros Chriſti Cultus accepiſſet: nam ſanctus Patricius cum magna cœleſtique Scotorum Patrum frequentia gentem illam, vt potuit ſexaginta annorum Sudoribus Euangelij luce perfudit; Cardinalis Baronius, Candenus Hæreticus & alij.

Belgæ ſe à Scotis fidem accepiſſe non inuiti fatebuntur: Flandris enim prædicauit ſanctus Liuinus: Brabantis, S. Rumoldus: Atrebatenſibus, Sanctus Chilianus: Hannoniis, Sanctus Veſnulphus. Hollandis, S. Hiero: Traiectenſibus, S. Dyſignatus: Friſonibus S. Egbertus.

Non minus beneficium à Scotia, ipſa Gallia accepit. Gallis ſiquidem prædicauit S. Vuito tempore Pipini Regis, cuius etiam Cõfeſſarius fuit· Aremoricis S. Sampſo Dolenſis Epiſcopus, cum ſancto Maclouio. Nortmannis, S. Sidonius: Burgundis, S. Fridelinus; S. Columbanus, S. Anatolius. Campanis, S. Abram, S. Merolilanus, S. Gibrianus: Lotharingis, S. Manſuetus Beati Petri Diſcipulus, Sanctus Guthaganus, S. Eliſius Picardis, S. Foillanus & alij. Vnde Sigibertus Gemblacenſis, ad annum DCLI. Multi, inquit, de Anglia vel Scotia in Galliis peregrinantes, verbum Dei ſeminabant, multumque fructum Deo faciebant.

Apud Germanos etiá, Chriſti fidem prædicarunt SS. Erchardus, Hildulphus, & Albertus Fratres: Moguntinenſibus idem beneficium præſtitit S. Bonifacius: Saxonibus, S. Ernulphus Martyr & Epiſcopus Verdenſis, S. Tanco, &c. Paderbornenſibus, Sanctus Paternus: Franconibus, Sanctus Kilianus, Sanctus Colonatus: Alſatus, S. Arbogaſtus, S. Florentius: Thuringis & Haſſis, S. Bonifacius: Bauaris, S. Rudbertus, aliis Rupertus, Saliſburgenſium Archiepiſcopus, S. Giſibarius: Auſtriacis, S. Colmannus: Heluetiis, S. Gallus, S. Beati S. Petri diſcipulus: Treuirenſibus, S. Hildulphus: Bohemis, S. Trudbertus, & alij. Idem beneficium à Scotis per S. Kentigerni diſcipulos acceperunt Noruegia, Iſlandia &c. Verùm vt multa his ſimilia omittamus, ex Probatis authoribus idẽ confirmabim.ıs. Baronius loco citato de Scotis agens; *Chriſtianam Fidem*, inquit, *ſumma diligentiâ exolentes, Apoſtolico munere (vt ſuo loco dicturi ſumus) in exteras gentes longè poſitas latiſſimè atque locupletiſſimè propagarunt. Aubertus Miræus in Falſis Belgicis & Burgundicis*, in S. Vuaſnulpho; *Non ſatis fuit Scotis*, inquit, *Doctrinam Chriſtianam apud Hebridum, Orcadum, aliarumque Inſularum vicinarum incolas publicaſſe, ſed ſuis minimè contenti anguſtiis, apud exteras etiam gentes, ſummo eam ſtudio propagarunt. Huius rei teſtes ſunt* S. *Manſuetus*, Primus *Tullenſium in Lotharingia Epiſcopus; S. Colmanus Martyr*; S. *Vuaſnulphus, & alij innumerabiles.* Hæc Miræus Middendorpius lib. 8. Decædemicarum, de Culdais patribus Scotis agens; *Quorum*, inquit, *Diſcipuli, Kentigernus Columbus*, Patricius, *Sernanus, Vernanus, Aidanus, & alij multi, tantos progreſſus in Chriſtiana fide fecere, vt ſubſequenti ætate, Scoticis Monachis nihil ſanctius, nihil eruditius fuerit, & in vniuerſam Europem, ſanctiſſimorum virorum examina emiſerunt, quibus Fulda Germaniæ; S. Gallus Heluetiæ, aliaque vrbes & monaſteria originem debent ſuam.*

Theodoricus Abb. Theodoricus Abbas in vita S. Rumoldi de Scotis loquens, *qui ſtatim*, inquit, *vt ab illius æternitatis ſole tacti ſunt, ad ardorem vſque Martyrij feſtinauerunt incaleſcere, & ſtridentia, anhelantiaque verba in dulce crucis Melos didicerunt infringere: vnde autem hoc tam latè diffuſum Germinarium, niſi quia in eorum cordibus coaluerunt Ieſu Chriſti amor & deſiderium: Aſſentit in hoc* Herbipolis *glorioſa Martyris* Kiliani *meritis, & corpore, nec minùs prona Scotorum talium, & tantorum* Patrum *glorioſa veneratione: Columbanus Italiam, Bertinus & Vuinocus illuſtrant Occidentalem Galliam, & innumerabiles alij ſuis quique in locis; qui vitæ ſinceritate, & fidei integritate, multos ad iuſtitiam erudierunt, & quaſi ſtellæ fulgent in æternitate.*

CAPVT TERTIVM.

Multitudo Monaſteriorum & Abbatiarum tam in Scotia, quàm extra illam, pro Scotis fundata eorumdem pietatem probat.

SCOTORVM pietatem mirum in modum commendat multitudo Religioſorum Conuentuum, quos Scoti tam in Scotia, quàm extra illam, Catholicorum & Piorum Principum munificentia erexerunt. Omnium Nomenclatura ad meam notitiam non peruenit, aliqualem tamen reperi, cuius aliquam partem, ſi placet, accipe. Et primò quidem, extra Scotiam, præcipua hæc fuêre.

Sancta Trinitas Scotorum, Romæ pro ſanctis S. Benedicti Monachis erecta, huius rei teſtis eſt Card. Baronius tomo vndecimo, ad Chriſti annum 1057. Ex occaſione enim tituli cuiuſdam epiſtolæ à Petro Damiano ſcriptæ ad Epiſcopos Cardinales, eorumdem titulos in vrbe, in hunc modum, recenſet ipſe. *Sunt*, inquit, *in vrbe Abbatiæ viginti duæ, videlicet*, S. *Cæſarij in palatio. S. Gregorij in Cliuo Scauri. S. Maria in Auentino. S. Sabini Epiſcopi. SS. Alexij & Bonifacij, &c. Sancta Trinitatis Scotorum. S. Valentini iuxta* Pontem, *&c.* Vides hîc S. Trinitatem Scotorum. Hoc noſtro tempore, Angli, dum hæreſis in Scotia omnia vaſtaret, vſurparunt, & minùs ſincerè, malaque fide; agentes mutato nomine Sanctam Trinitatem Anglorum appellant. Fuit & olim Romæ pro Scotis Xenedochium, cuius adhuc veſtigia conſpiciuntur, ſed quia noſtri non eſt inſtituti de talibus agere, ad propoſitum redeo.

Luxouium in Burgundia fundauit S. Columbanus, anno DCXC.
Bobium in Italia fundauit idem.
Fuldenſe in Germania fundator S. Bonifacius DCCLV.
Herbipolenſe, in Franconia in popularium ſuorum gratiam S. Chriſtianus MCLXXIX.
Pragenſe in Bohemia S. Adelbertus, DCLXIX.
Feſulanum, in Italia, S. Andreas Archidiaconus, DCCC.
Chaobchesburg, S. Furſcus. DCL.
Altomunſter, in Germania, S. Atho. DCCLIX.
Folſenſe, S. Foilanus, DCL.
Vualciodorum, in Belgio, S. Eloquius, DCLI.
Argentinenſe, S. Fridelinus, cognomento viator, Regis filius, CCCCXCV.
In Voſagi, cacumine, idem.

Numbergenſe, ſancta Erentrudis, DCXXXII.
Erfordienſe, S. Adelarius.
Latiniacum, S. Furſæus, DCLII.
Meldenſe, in Gallia, S. Fiacrius, DCXXXII.
Leodienſe, S. Hadrous, DCCCLXXXII.
Egmondanum, in Hollandia, S. Hier. DCCCLVI.
Conſtantienſe, S. Ioannes, DCL.
Malmesburienſe, in Anglia, Maildulphus cognomento Pædagogus, DCXC.
Arduenſe, S. Mono, DCCXXXVIII.
Salisburgenſe, S. Rudbertus, DCXXXII.
Fieſſenſe, in Germania, S. Magnus, DCXXVIII.
Cænomanenſe, S. Hidebertus, CCCC.
Montenenſe, S. Himelinus, DCCLXXV.
Dolenſe, S. Samſon, DC.
Monaſterium S. Vuendelini, quòd poſteà in vrbem excreuit celebrem, DCCXXX.

Vuendelinus erat Scotorum ſanguine Regum
Et Regum ſanguis ipſe regebat oues
Poſt homines rexit quos ſanctè tenebat Eremus,
Vrbs quoque nunc huius nomine dicta manet.

Aichſtadenſe, S. Vvillibaldus.
Boſanhan, in Anglia, S. Dicullus.
Rhodenſe, S. Odda, DCC.
Paeſtovv, in Vvallia, S. Petrocus, DLXIII.
Montenſe, in Belgio, S. Otgerus, DCCLVII.
Norimbergenſe, S. Rudbertus,
Duplex *Viennenſe*, Sancti Iacobi virorum vnum: Sanctæ Mariæ Scotorum Sanctimonialium alterum. Colonienſe S Martini; & alterum Colonienſe S. Pantaleonis. Ratisbonenſe S. Iacobi in Vrbe; & alterum Ratisbonenſe extra muros vrbis. *Paderbornenſe* in quibus ſolos Scotos recipi poſſe probaui opere meo citato, breuitatis cauſâ omitto.

Veniamus iam ad Monaſteria in ipſa Scotia, piorum Eleemoſinis, Religioſis ac Deo deuotis viris extructa, quæ certa talia erant, vt in hac parte Scotia, cuilibet Europæ Regno, pietatis ac magnificentiæ titulo, par eſſet. Omnia recenſere, non eſt inſtituti Noſtri. Hoc enim integrum exigeret libellum: tantùm ergo præcipua, & ex multis pauca enumerabimus. Hæc ergò præcipua erant.

Scona in Gaurea ord. S. Auguſt.. Fundauit Rex Alexander primus, & ſanctæ Trinitati, ac diuo Michaeli dicauit. Hîc lapis fuit fatalis coronandis Scotorum Regibus, à Regni principio, ſumma veneratione habitus: illi hi verſiculi inerant

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Inuenient lapidem, Regnare tenentur ibidem.

Sanctæ Crucis vulgò *Holyrudhenſe* in Laudonia, propè Regiam *Edimburgum*, in Sylua olim condita; vbi die feſto, ſanctiſſimus Rex Dauid inter venandum à Ceruo percuſſus, dum cornu comprehenderet, Crucis imaginē in Cerui cornu vidit, eodemq; loco cœnobium magnificentiſſimum erexit, & Diui Auguſtini Canonicis conceſſit; vt narrat illius loci Martyrologium. Annus fundationis, MCXIII.

Ieduuood in Clyddiſdalia, Ordinis Diui Auguſtini, Fundauit Rex Dauid, Hiſtorici vocant *Iedburgum*. Hoc Angli Iacobi quinti Scotorum Regis tempore, impiiſſimè expilarunt & deuaſtarunt, nec loci reuerentia, rapaces ipſorum manus coërcuit. Nomen à fluuio ſyluam interluente; quare meliùs *Iedvvood*, quàm *Iedburg*. Sic enim Scotichronicon habet, lib. 10. cap. 40.

Vnda, Nemus, verè ſunt bona, nata placere
Compoſitum de ſe, dic ſingula laudis habere.

Perthanum Carthuſianorum, annus fundationis rudibus his verſiculis continetur, MCCCCXXIX.

Annus Millenus, vicenus, ſicque Nouenus
Quadringentenus, Scotis fert munera plenus:
Semina florum, Germina morum, Myſtica mella
Cum tibi Scotia ſit Carthuſia ſponſa nouella.

Sancti Andreæ, in Fiſa, Ordinis S. Auguſtini, fundauit Rex Alexander primus. Priores in ſolenni Conciliorum Regni Conuentu, omnes Abbates præcedebant, non modò ex veteri prærogatiua, ſed ex ſententia Iacobi Quinti Regis.

Abirbrothe, vulgò *Arbrothe*, in Anguſia. Monaſterium opulentiſſimum, ac nulli fortaſſis in Europa, ſiue diuitias, ſiue ſtructuram ſpectes, ſecundum. Turonenſi Ordini fundauit S. Gulielmus Rex, anno Domini, MCLXXVIII. vt alibi in eius vita dixiſſe me memini. *Lib. 1. de ſtatu hom.*

Paſlatum in *Kenfrovv Ordini Cluniacenſi fundauit Rex Vvalterus Steuart.*

Dryburgus, in *Teuidalia*, Præmonſtratenſi Ordini fundauit Hugo Meruillus.

Æmonia, Inſulæ Ordinis D. Auguſtini, fundauit Rex Alexander primus, cognomento ferox. Hoc Hiſtoriis aſſeruandis ac publicis regni monimentis reponendis dicatum.

Balmurem, vulgò *Balmurenoch*, in Fiſa, Ordinis Ciſtercienſis, fundauit Emergarda Regina, Gulielmi Regis vxor, ac Beatiſſimæ Virgini dicauit.

Cuprum, in Anguſia Ordinis Ciſtercienſis, fundauit S. Malcolmus IV. Rex, cognomento virgo, anno MCLX. ab eodem Rege Deiparæ dicatum.

Deer in Buchania, Ordinis Ciſtercienſis, fundauit Gulielmus Cumin Comes Buchaniæ.

Calco, ſiue *Celſo*, Benedictinis fundauit S. Rex Dauid, annus fundationis, MCXIII.

Killos, ſiue *Kinlos*, in Morauia, Ordinis Ciſtercienſis, fundauit S. Rex Dauid. Nomen à floribus habet, qui præter anni naturam, derepentè vicino in Cāpo pullularunt, dùm S. Duffi Regis corpus releuaretur, quaſi *kilflos*. Vide quæ diximus de hoc ſancto, lib 1. de ſtatu hominis, annus fundationis MCX.

Londoris, Ordinis Turonenſis, fundauit Dauid Comes de Huntinton, Gulielmi Regis frater, Capta Ptolemaide à ſuis militibus. Serpentes alit innoxios, nec vllum venenatum animal ibi viuit, fundationis annus MCLXXVIII.

Aberbredoc kuidel, famoſiſſimum Cœnobium, ædificiis munitiſſimum, ac facultatibus opulentiſſimum, ab Anglis Scotiam depopulantibus, fœdè ac impiè direptum, expilatumque anno MCCCIII.

Pluſcardi, in Marauia, Ordinis vallis Caulium fundauit Alexander II. Rex ſiue Carthuſianis.

Coldingham, duplex in Mers, ſeu Merchia, in vno ex his vixit ſancta Æbba, quæ cum ſuis à Danis Martyrio affecta fuit; vt dixi libro primo meo citato.

Leithanum, Ordinis ſancti Antonij fundatum, Magnificentiſſimum fuit, ſed ita hæreticorum furor debacchatus, vt ne veſtigia hodie ſuperſint.

Abbirdonia, fundauit Trinitarijs S. Gulielmus Rex, domo ſua Regia in Cœnobiū verſa, annus fundationis exiſtimatur eſſe MCLXXXI. dirutum fuit ab hæreticis.

Inſula Ionæ, Antiquiſſimum Monaſterium, cuius fundatorem quidam exiſtimant S. Columbam. Poſteà datum fuit Auguſtinianis.

Colum. Cœli, fundauit S. Columba, anno DC.

Dunfirmelinum, ſplendidiſſimum Monaſterium fundauit S. Rex Dauid, anno MCXIII. Hoc Angli nefariè ſpoliarunt, Religione loci nihil moti.

Inſula huy, fuit à S Aidano conditum, ac diù Arx omnium Septentrionalium Monaſteriorum Scotorum, inquit Beda in Hiſt.

Colmkil, in Inſula Ionæ antiquiſſimum fuit, vtpote conditum à Ferguſio II. Rege; ac Regum ſepulchro addictum.

Mailros, à S. Eata Scoto fundatum ad Tuidi fluminis ripam, cuius etiam circumflexu clauditur: ex hoc Monaſterio prodierunt infiniti Sancti

Vrvvhart, in Morauia fundatum, fuit Ordini S. Benedicti.

Monaſteria, Trioit, Diui Ruris, Birra, & reliqua id genus præclariſſima Monaſteria; Itemque *Menros*, vulgò, *Montem Roſarum*, *pettinvvimeum*, *Abbirnetheum*, *Reſtennotum*, & infinita alia ordinaria, breuitatis cauſa, lubens pertranſeo.

Ad hoc caput pertinet Templorum, ac Canonicorum Clauſtrorum in Scotia magnificentia, quæ certè tanta erat, vt ſi hac in re alia Europæ regna, non ſuperaret Scotia, ſaltem æquaret: Quale, quæſo templum erat illud Elginenſe in Morauia? Quale Glaſcuenſe? Qua-

le erat Diui Macarij templum Abbirdonis? Qualia Canonicorum & Capellaniorum ibidem clauſtrum & horti cum Epiſcopi palato? Auſim, & ſine ſcrupulo dicere, celebriora me in Gallia, Italia, Hiſpania, Belgio pauciſſima vidiſſe, immò nec ſimilia.

CAPVT QVARTVM.

Numerus Scotorum Regum, eorumque filiorum, & filiarum, in relat. Sanctorum, Scotorum pietatem probat.

VLTIMVM caput hoc eſt, ex quo Scotorum pietatem petere libet, octoginta videlicet Regum eorumque filiorum pietas, quorum nullus vlla in Hiſtoria reperitur vel leuiſſimâ hæreſeos maculâ inuſtus; immò quorum ſinguli Eccleſiæ partes propè depoſitas ſuſceperunt ſemper, vt ſumma nobis laus tribui debeat, quòd noſtri Reges legũtur, ſi fortaſſis non primi (de qua re iam non diſputo) ſaltèm inter primos totius orbis Reges ab Eccleſia fidem hauſiſſe ſanctè, tenuiſſe mordicùs, defendiſſe fortitèr; vnde meritò, duo ſummi Eccleſiæ Antiſtites, Scotiæ Reges Catholicæ fidei protectores nominarunt, Lucius 3. S. Gulielmũ Regem; Iulius 2. Iacobum eius nominis 4. vt videre eſt apud Boetium in hiſtoria Scoticana; Bzonium in hiſtoria Eccleſiaſtica, & alios: & verò quis ſanæ mentis negauerit admirandum in regib. noſtris pietatis argumentum eſſe, quòd inter illos inuenti fuerint (præ cæteris B. Conuallus) qui Chriſti Crucifixi imaginem quocunque præ ſe ferri volebant, & priuſquam equos conſcenderent, deuotè cum Proceribus exoſculabantur. Curauerat verò Conuallus Rex, hæc verba cruci inſcribi; *Gloria Chriſtianorum*: Quis etiam negauerit numerare Scotiam, quouis alio regno plures Reges, regumque filios, ſanctitate ac pietate illuſtres? Vis Reges? habes ſanctum Gulielmum, miraculis clariſſimum, quem Lucius Romanus Pontifex (vt iam diximus) fidei protectorem nominauit. Sanctum Dauidem, qui Scoti Epiſcopatus ac præclariſſima in ea Monaſteria, vel fundauit, vel certè reditibus auxit; S. Malcolmum ſanctæ Margaritæ maritum cultu pietatis inſignem, vt loquitur Malmesburienſis lib. 4. Beatum Conuallum, quem cum magnus Columba vidiſſet, miraculum ſe vidiſſe dixit; S. Conſtantinum 2. Martyrem, Sanctos Duffum ac Indulphum Martyres; Sanctum Conſtantinum Monachum; S. Margaretam, cuius mirabilem ac effuſam erga pauperes liberalitatem, meritò celebrant omnes qui de illa ſcripſerunt;

S. Dariam S. Vrſulæ matrem; Beatam illam animam, Mariam dico, Catholicæ fidei eximium decus & ornamentum.

Regum filios ac filias requiris? præſto ſunt S. Rumoldus Mechlinienſium in Belgio patronus, ac primus Epiſcopus, S. Fiacrius apud Gallos ac Belgas nominatiſſimus; S. Florentinus, apud Lothoringos & Campanos celeberrimus; S. Vualterus ſeu Gualterus, antiquiſſimi ac ſanctiſſimi Monaſterij Mailroſſenſis Abbas; S. Colomannus Auſtriæ patronus; B. Hugo glorioſi ordinis S. Dominici ſplendor; S. Kentigernus Culroſſani Monaſterij gloria; S. Fridelinus, cognomento viator; S. Mathildis triplex, Virgo, Regina, Imperatrix; S. Vrſula, martyrij laude glorioſiſſima, quam Maldonatus in vitis Sanctorum, legenda Lombardica in vitis Sanctorum, Demſterus noſter, & alij meritò, Regis Scotiæ filiam ſcripſerunt; S. Lucia de monte apud Lotharingos celebris; S. Oda, quam Haræus in eius vita ſcribit, innocentiæ legem tenuiſſe.

Poteſt & Scotorum pietas ex magno imò, & infinito Scotorum numero peti: quare catologum ſubijcio.

ENVMERANTVR PRÆCIPVI SANcti, doctique viri qui ſuis natalibus Scotiam, exteros verò Gallos, Lotharingos, Germanos, Belgas, Burgundos, Anglos, Hibernos, quâ doctrinâ, quâ virtute illuſtrauerunt.

STatui hic apponere Catalogum & breue quoddam Menologium Sanctorum Scotorum & gloriâ præſtantium virorum qui olim in regno Scotiæ floruerunt, vt vel hinc diſcat lector fuiſſe Scotiam, *Fertilem Sanctorum virorum Inſulam, & ſtellarum numerum* (vt de Scotiâ loquitur auctor vitæ S. Vvironis apud Surium 8. Maij) *prope æquantem patrocinijs Sanctorum.*

IANVARIVS

SANCTA Mathildis virgo & Regis Scotiæ filia. Huic Sanctiſſimæ virgini, in regia & paternâ domo commoranti præter ſolitum, fulgor diuinæ mentis illuxit, vt dum ſecum attentè reputat, quo tandem rerum humanarum faſtigium Principumque honores & blandimenta reciderent, tota animi intentione decreuerit, ſpretis omnibus ſe Deo dedere, ſalutemque ſuam in tuto locare, Chriſtique paupertatem humilitatemque magnificis ſplendidiſque Regum ædibus anteferre. Quocirca ſtudiis

diis

diis pietatis in paternâ domo cum annos aliquot diligenter vacaſſet, coniugioque regali (quod ſeſe per id tempus offerebat) ſpreto, Galliam furtiuè petiit, vbi in villa Lampion non procul à Fonij Ciſtercienſium monaſterio humilem & peranguſtam ædem, vt paupertatis ferebat amor, rudi è materia atque impolita conſtrui curauit, hic totos dies in oratione traducere, hic tenellum & virgineum corpus pariter & animum edomare, ſtudere humilitati, & omnes numeros perfectæ ſanctitatis explere cœpit. In orationibus multoties ita ſenſibus abſtracta erat, vt nec coruſcationes aduerteret, nec tonitrua audiret. Quatuor habuit fratres, vnum Ducem, qui vxore pro Chriſto relictâ paupertimus exulauit, alium Comitem, qui vitã Eremiticam duxit, tertium Archiepiſcopum, qui Archiepiſcopatu relicto Ciſtercienſis eſt factus: Quartus fuit Alexander quem pater regnare cogebat: ſed Mathildis viginti annos nata Alexandro perſuaſit, vt regno relicto Chriſtum ſequeretur: Alexander frater chariſſime (inquiebat) quid nunc ages? fratres tui mundum terramque deſeruerunt, vt cœlum acquirerent: regnum ſpreuerunt mortale, vt regna perpetua poſſiderent: tibi ergo ſoli regnum relictum eſt, pro quo es fortaſſis & cœleſtem gloriam, & animam perditurus. Nec mora, Alexander reſolutus in fletus. Heu, ait, ſoror, & quid conſulis facere? ego paratus ſum quicquid iuſſeris adimplere. Quo audito, gauiſa ſoror, accepit fratrem, & mutato habitu in Gallias ſe contulerunt, vbi eum & mulgere vaccas & lac ad coagulum coadunare, & caſeos facere docuit. Inde venerunt ad Fonij Clauſtrum, ordinis (vt dictum eſt) Ciſtercienſis, vbi ſoror locauit fratrem pro mulſore Vaccarum, & probatus inuentus eſt (inquit Cantipratenſis) in optimis caſeis faciendis. Hinc monaſterij fratrem conuerſum factum ſoror alloquitur, dicens. Multum chariſſime frater apud Dominum meritum acquiremus, quod terram parenteſque dimiſimus, ſed in hoc ſpecialiſſimam remunerationem habebimus, ſi vſque ad tempus futurum quo nos inuicem in cœlo ad conſolationem perpetuam videamus, ad præſens nos, vt nullus noſtrûm amplius alterum videat, ab inuicem ſequeſtremus. Hoc audito fleuit frater, grauius iſtud dicens omnibus quæ dimiſit: & licet inuitus, imperat animo, & à ſorore totaliter ſeparatur. Illa autem ad octo leucas, in villa quæ dicitur Lampion ſeu Alapion, ibidem manſura, ſeceſſit: domunculamque paruam habens quaſi aucarum tugurium, ſolo manuum labore viuebat. Domum vel eleemoſynam alicuius accipere, nec cogi poterat, nec rogari. Cum cæteris pauperibus in Auguſto ſpicas colligere recuſabat, ſed extrema cum porcis quæ vix euaſerant diripientium manus rariſſimè colligebat. Vix aliquid ſubſtratum habebat membris, & caput iacens humeris æquatum, cibum & potum incumbens calloſis genibus capiebat: hoc idem & in prolixiſſimis precibus faciebat. Celebrabatur vbique Mathildis, & eius fama ſanctitatis longè lateque manabat, atque ad miracu-

Cantipratenſis.

lorum multitudinem, quæ Deus per ſuam operabatur ſponſam, exciti viri, fœminæque promiſcuè certatim ex ædibus aduolabant, geſtientes ſanctiſſimæ virginis ora cominùs intueri, vel orationum ſuffragia repoſcere, vel variis oppreſſos morbis offerre, vel denique ſalutare aliquod conſilium pro animarum ſalute exquirere. Tandem nouem annis antè mortem, à quibuſdam militibus, qui eam in Scotia viderant, agnita, vt gloriam declinaret inde aufugiſſet, niſi ab Incolis vi retenta fuiſſet. Multis miraculis in vita & poſt mortem clara ad Chriſtum migrauit, ſub annum Chriſti 1269. Fit eius commemoratio duodecimo Aprilis. De ea agunt Thomas Cantipratenſis lib. 2. cap. 10. Spinellus libro de Maria Deipara, Trinitate, de virginibus, ſect. 7. num. 62. & alij

2. die SAnctus Congallus Abbas Benchorenſis Monaſterij in Scotia, cuius conuerſatio in cœlo erat, & hoc inſignior quod ex occupationibus tantis (erat enim multorum monaſteriorum Pater & ſuperior) torque peregrinationibus in viſitandis monaſterijs ſuſceptis, non inde laxamentum ſed pabulum & incrementa capiebat. Scribunt aliqui habuiſſe in præceptorem Diuum Columbam qui apud Scotos in Inſula Iona mortuus eſt, *quique* (ait Nokerus in Mart ad 5. Idus Iulij *cum plurimos diſcipulos vel ſocios ſuæ ſanctitatis pares habuiſſet, vnum tamen Congallum latinè ſauſti nominis illuſtrem præceptorem Diui Columbani magiſtri & domini patris noſtri Galli, virtutum ac meritorum ſuorum quaſi vnicum, exemplo Iſaac, reliquit hæredem.* De eo agit Antonius Poſſeuinus in Apparatu *Congallus*, inquit, *Scotus Abbas Benchorenſis floruit anno 590. Reliquit methodum vitæ regularis & plures Epiſtolas, quas Patribus Cænobiorum ſcripſerat.*

Nokerus

Poſſeuinus.

Hoc eodem die. SAnctus Mathiſſus Epiſcopus & Confeſſor in Scotia. Hoc eodem etiam die ſanctus Fredegandis. Vita S. Furſæi, alij.

3. die. SAnctæ Poſenna & Promptia Scotæ vna cum ſex aliis fratribus.

4. die. SAnctus Rabanus Magnentius Maurus, Academiæ Pariſienſis fundator, Abbas fuldæ, Abbas Moguntiæ. De eo agunt Vvion in adiunctis, Ioſias Simlerus, Geſnerus Lilius, Giraldus Ferrarienſis, Balæus ipſe, iuratus pietatis & Scotiæ hoſtis, Centuria 2. cap. 17. Zabarella Cardinalis apud Chaſſanæum & alij; qui omnes fatentur eũ eſſe natione Scotum. Catalogum eorum quæ ab ipſo ſcripta ſunt habes apud Poſſeuinum, & alios.

Hoc eodem die. SAnctus Chromanus ſiue Chronanus Epiſcopus & Confeſſor. Fuit hic ſanctus celebris admodùm apud Cuningamenſes in Scotia, apud quos cum ſuis in rebus, tum in alienis & authoritate valebat, & gratiâ; quorum multos ex vitiorum probris eripuit, multos etiam ab humanis ad diuina traduxit, quorum plerique non vulgari aliquâ probitatis laude contenti, perpetuis ſeſe incluſere Cœnobijs, in Kiluuiningenſi præſertim & Faillenſi, quæ celebriora fuere apud Cuningamenſes. De hoc ſancto agit Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis

lib. 4. hiſt. Scoticæ. *ſcotiam*, inquit, *hoc tempore vitâ ſanctè, exemplâ ſincerè, & doctrinâ ſolidè illuſtraſſe Chromanum, Columbanum, Dimanum, Epiſcopos, loquuntur noſtræ hiſtoriæ.* De eo etiam fit mentio in Epiſtolâ quadam, quæ extat apud Bedam (lib. 2. hiſt, Eccleſ. cap. 19.) ſcripta ad Scotos à Ioanne Pontifice Romano, qui Seuerino ſucceſſerat, quæ ſic habet. *Dilectiſſimis & Sanctiſſimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Bathano, Epiſcopis: Chromano, Hermanoque, Lauſtrano, Stellano & Segiano, Præſbiteris, Sarano, cæteriſque Doctoribus ſeu Abbatibus Scotis Hilarius Archipræſbiter & ſeruans locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, Ioannes Diaconus & in Dei nomine electus, &c.* Cum hic ſanctus videret breui ſe è corporis cuſtodiâ mittendum, tantis animi voluptatibus deliniri, tantis perfundi gaudiis cœpit, ſpe atque expectatione æternæ beatitudinis, vt fluentibus ſine modo lachrymis illud Dauidicum (Pſal. 83.) iteraret ſæpiùs; *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Mortuus eſt in prædictâ Cuningamiâ Scotiæ prouinciâ, ſub ânnũ Chriſti 641.

SAnctus Rodulphus Epiſcopus Aberdonenſis, de quo Leſlæus lib. 6. hiſt. Scoticæ ita ſcribit. *Eadem ætas protulit Rodulphum prudentiâ inſignem, ſanctitate admirabilem, primo quidem Abbatem Aberbrotheum, Epiſcopum deinde Aberdonenſem: qui ita vtramque & religioſi & Epiſcopi viam in omni poſtea vita tuebatur, vt dubites planè, fueritne diligentior Epiſcopus, an arctior religioſus. Nam etſi diœceſim ſummis exhauſtis laboribus obierit, vt Clerum intra officij ſui terminos contineret, tamen tenuiore veſte Epiſcopus quàm Abbas, duriori parcimoniâ diues quàm pauper, arctiori regulâ publicus quàm priuatus ſemper vixit. Vnde Alexandro ſanctiſſimo Regi tam fuit in intimis, vt Eccleſiam Aberdonenſem & fundo opimo & alijs donis lautiſſimis eius cauſa amplificarit.* Octo annorum ſpatio, egit Epiſcopum partim vitæ innocentis exemplo, partim docendi hortandique aſſiduitate, ingentem in Aberdonenſi diœceſi animorum mutationem faciens. Tandem vitæ laboribus ſanctiſſimè functis, defixis in cœlum oculis illud ſæpè ingeminans: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*; ſanctiſſima illius anima inter Angelorum manus euecta ad Paradiſi peruolauit gaudia ſub annum Chriſti 1148. Vide Boëtium in vitis Epiſcoporum Aberdonenſium. 5. die. *Boëtius*

SAnctus Arnual Epiſcopus Santonum, Tritemius libro 1. Compend. Annal. pag. 57. Sigibertus anno 649. 6. die. *Sigibertus.*

SAncta Kentigerna Vidua. Hæc ſenili prudentiâ & grauitate iam matura, mundanis honoribus vale, poſt longas tamen cum amicis concertationes, dicere ſtatuit. Quæ cum ſe voti compotem factã vidit totam ſe contulit ad exercitationem, diſciplinamque virtutum ſolidarum, præcipuè verò erga ſanctiſſimam Dei matrem, tutelaremque ſuum Angelum inflammato ferebatur ſtudio, curans vt teneras illas mentes (quarum curam habebat) tantæ virginis poſſideret affectus. Fuit ſancta Kentigerna Tyrei Laginenſium Reguli 7. die.

filia, habuitque in fratrem Conganum quendam ſanctitate clarum. & in filium Filanum Abbatem ſanctitate item celebrem. Teſtantur hoc Dumfermlenſia monumenta. Sub vitæ finem, vt liberius contemplationibus diuinis vacaret, tradit Breuiarium Aberdonenſe, ad Inſulam Inchelroche in Lochloumont profectam, & varijs ibidem claruiſſe miraculis, in quorum memoriam & Sanctæ huius viduæ honorem, extat Parrochialis Eccleſia in eadem Inſula ſanctæ Kentigernæ nomine inſignita. De eadem agit King in Calendario & alij.

8. die. *Breuiariũ Aberdonẽſe.* SAnctus Nathalanus vel Nethelmus Epiſcopus. Breuiarium Aberdonenſe, & Dumfermlenſia Chronica tradunt hunc ſanctum ſpretis mundi illecebris, vt liberiùs Deo vacaret, agriculturæ operam dediſſe; cumque fames valida Septentrionalem Scotiæ partem occuparet, magna in pauperes pietate ductum, quæcunque habuit pro Chriſti nomine egenis erogaſſe. Sed veris tempore, quo ſemina terræ viſceribus commendantur, adueniente, non habens Nathalanus vnde terram quam ſuis colebat manibus ſeminaret, iuſſu & inſtinctu diuino terram arenâ & ſabulo ſeminauit. O Dei potentiam! meſſis tempore frumentum optimum abundanter collegit Nathalanus, qui Dei erga ſe liberalitatem altius animo reuoluens, pauperibus omnia cum diſtribuiſſet, Romam ſe contulit, vbi variis ſanctitatis ſuæ ſignis editis, à Romano Pontifice conſecratur in Epiſcopum, quo munere in Scotiam regreſſus ſanctiſſimè functus, in Aberdonenſi diœceſi Eccleſiis de Tullicht, Borthelim, & Colle, ſuis etiam ſumptibus erectis & ab eodem conſecratis poſt varios labores, fœliciter ex hac vita migrauit apud Tullicht. De eo agit Adamus King ſeu Regius in Calendario. Præterea Breuiarium Aberdonenſe & Chronica Dumfermlenſia citata. *Regius.*

8. die. SAnctus Gudalus Confeſſor. De eo plurimi.

9. die. SAnctus Fillanus ſeu Filanus Abbas Fifani illius Monaſterij cui Pettinuimeum nomen. De hoc ſancto agunt Chronica Paſlatenſia his verbis. ſanctus Fillanus ex patre Feriath viro nobili & Kentigerna matre ſanctiſſimâ traxit originem, natum iam Filanum pater in vicinum lacum præcipitari iuſſit, quod is in lucem emiſſus adinſtar monſtri lapidem in ore videretur geſtare. Verùm (vt tradit ad hunc diem Aberdonenſe Breuiarium) Angelorum miniſterio ab aquis liber ad ripam lacus ab iiſdem conſeruatus eſt, donec ab Ibaro Epiſcopo viro ſancto, Filanus inter Angelos inuentus, baptizatus eſt, & matri Kentigernæ (quæ lachrymis à Deo aſſiduè poſtulabat, vt Filanus filius, quem ſciebat à patre in lacum præcipitatum, vitæ reſtitueretur & baptiſmi ſacramento donaretur redditus eſt. Porrò grandior factus Filanus ab Ibaro Epiſcopo traditur

Mundo Abbati educandus, apud quem omnes numeros ſolidæ virtutis explere, eiuſque fama ſanctitatis longè latéque manare cœpit. Sæpè viſus eſt Filanus, dum noctes integras in oratione tranſigeret, cœleſti circumfundi lumine, quod ſole clarius cellam illuſtraret totam. Quandoque cum eſſet in tenebris, ſiniſtra manus inſtar facis lucidiſſimæ dexteræ manui dum ſcriberet, aut legeret, lumen præbere à cæteris Monachis videbatur. Abbate Mundo ex hac vita ſublato, Filanus conſenſu Monachorum in Abbatem eligitur, quo in officio omnium virtutum cœteris præluxit exemplo. Sed breui poſt, diem ſuæ migrationis ex hac vita adeſſe ſentiens, relicto ſucceſſore ad ſolitudinem Sirach, non procúl à Glenderchy ſe contulit, quo in loco ſe totum cœleſtium rerum contemplationi tradidit, varioſque á corporis & animæ infirmitatibus diuinâ ope liberauit. Inter varia eius miracula vnum tantùm reliquis relictis hic apponam. Robertus Bruſeus Scotorum Rex hoc nomine primus, in quem cum Eduardus Angliæ Rex ex Vaſconibus, Hollandis, Normannis & Zelandis (parebant enim tum temporis Anglo Normannia & Vaſconia) copioſiſſimum collegiſſet exercitum, ad centum & quinquaginta millia peditum & Equitum multa etiam millia: Rex Robertus precibus vacans ſpeque tota in Deum collata, orat Deum ac S. Filanum in quem tenerrimo mentis affectu ferebatur, cuiuſque brachium in exercitu ſuo (qui triginta quatuor millia militum habuiſſe non dicitur) argenteà capſulà incluſum ſe habere (petierat quippè à Sacerdote quodam hoc ſacrum pignus) credebat, res admirationis plena! Argentea illa capſula, in qua incluſum cuſtodiebatur S. Filani brachium, multis aſtantibus repentè aperiri, & rurſus claudi nemine eam tangente viſa eſt: quod cum mirandum videretur Sacerdos acceſſit, quid actum eſſet inſpecturus, & vbi vidit verum ineſſe brachium, exclamat, verè numen adeſſe diuinum, factumque ſuum confeſſus eſt Regi,, quod roganti brachium S. Filani capſulam tantùm argenteam exempto brachio dediſſet, veritus ne in prælio perderetur. Plenus igitur Rex Robertus ſpe, reliquum noctis in precibus ac gratijs agendis perſeuerauit. Poſtero die præparatis omnibus ad rem ſacram, milites conuocat, iubetque omnes Chriſti corpus, quo robuſtiores ſpiritu eſſent ſumere. Erat in exercitu Abbas Inſulæ Miſſarum, nomine Mauritius, qui exaltiori loco tum rem diuinam faciebat. Is Regi ac nobilibus Euchariſtiam adminiſtrabat. Deinde à reliquis Sacerdotibus idem factum cœteris militibus, quibus omnibus ex more Chriſtiano peractis, conuocatiſque deinde ad concionem militibus (quæ à Roberto Rege fuit habita) Mauritius Abbas accepta duabus manibus cruce in qua Chriſtus crucifixus pendebat, oſtentanſque eam militibus vt Chriſti nomine magno animo patriam defenderent, in eoque ſolo confiderent, Deo ſeſe, cunctos in terram proſtratos, commendare mandat: atrox denique pugna committitur & victoria

Eduardus Anglorũ Rex à Roberto Bruſeo Scotorũ Rege profligatur ope S. Fillani.

Dei beneficio ac S. Filani precibus penes Scotos remanſit. Cecidere eo prælio ex Anglis quinquaginta millia, ex Scotis pauciſſimi, præſertim primariæ nobilitatis. Ipſe Rex Angliæ vix cum vno, exiguâ cymbâ Tuedam tranſmittens, euaſit. Commiſſum eſt hoc prælium anno Chriſti 1314. in celebri illo apud Scriptores Scotiæ loco, cui Bannochorn nomen. Videantur de hoc miraculo Hector Boëtius
Leslæus. lib. 14. hiſt. Scoticæ, Leſlæus lib. 7. eiuſdem hiſtoriæ. Sub annum
Boetius. Chriſti 649. migrauit ex hac vitâ S. Filanus, de quo præter citatos
Regius. authores agit Adamus Regius in Calendario his verbis. In Scotia S. Filanus Abbas.

10. die SAnctus Guenaltius Confeſſor, Romalij Comitis, viri potentiſſimi filius. In ipſis primæ adoleſcentiæ annis Religioſorum conuerſationi cœpit eſſe addictiſſimus. Palatio templum & Monachorum vitæ aſperitatem paternæ domus delicijs, eorumdem aſſuetudinem nobilium familiaritati, vitæ denique religioſæ dulcedinem totius mundi honoribus præferebat: vnde & prouectior factus, remotam à parentibus vitam complexus eſt. Sed cum parentes ſeceſſum illum ſuum ſæpiùs interturbare cerneret, relictâ Scotiâ in Galliam profectus eſt, vbi ob ſanctitatem vitæ & miraculorum gloriam
Theuetus. omnium erat in ore. In eius gratiam, ſcribit Theuetus Coſmographiæ tom. 2. lib. 16. cap. 9. Reges Scotiæ Religioſis S. Benedicti plurima erexiſſe monaſteria. Addit idem author S. Guenaltium mortuum in Galliâ propè ciuitatem Corbeium, tempore Comitis Edmundi eius ciuitatis domini, qui in honorem Dei, ſub nomine S. Guenaltij templum ibidem erexit, in quo fuerunt ſacræ eius reliquiæ collocatæ.

11. die SAnctus Dauid Scotiæ Rex, quatuor Epiſcopatuum & quatuordecim Monaſteriorum fundator. Fuit hic Sanctus Rex, Sanctorum Malcolmi & Margaretæ Principum filius natu minimus. Summa fuit humanitate in omnes, præſertim in pauperes, quorum egeſtatem ſubleuabat ſumptu, & nuditatem velabat veſtitu, pietate maximâ, oſtentatione nullâ. Eorum querelas audiebat ipſe, contrà quos (quod etiam alijs omnibus exhibebat beneficium) ſi quis iudicium ſalſum iudicaſſet, res iudicatas non reſcindebat, ſed iudicem litis, æſtimationem cogebat victo pendere. Monaſteria vel collapſa vetuſtate, vel ab Anglis belli tempore diruta inſtaurauit. Præterea Cœnobia ſiue Abbatias quatuordecim (vt iam dixi) præclaro ſanè & regio opere à fundamentis erexit, ſcilicet Calco, Iedburgũ, Neubottel, Halurcuſtraium Dundrada, S. Crucis propè Edimburgum, Campũ Kennethi, Killon in Morauia, Dumfermling, Holme in Cumbria (ſpectabant quippè tum temporis Comitatus Cumbriæ, Northumbriæ & Hundintoniæ ad Scotos iure belli,) Carlil, Betuicum, ad Nouum Caſtrum duplex monaſterium, vnum Præmonſtratenſium, aliud denique Diui Benedicti. Ad Epiſcopatus priores quos habebat Scotia, adiecit, vt dixi, quatuor alios, Roſſen-

ſem, videlicet, Brechinenſem, Caledonienſem ſeu Dunkeldenſem & Dumblanenſem, quos prouentibus annuis abundè donauit. Glaſcuenſem Sedem Sancto Kentigerno ſacram & Morauienſem donatijs & prouentibus regijs auxit. Eius vitam quemadmodum & patris S. Malcolmi & matris S. Margaretæ vitas ſcripſit ſanctus Ealredus Abbas Rieuallis. Carleoli fine beatiſſimo diem clauſit ſub annum 1153. vel vt alijs placet, 1151. Et Dumfermlini regio parentum ſepulchro poſtea inhumatus eſt. De eo agunt, vt Noſtrates omittam, Rogerius de Houeden 1. parte Annal. qui tradit ſub mortem in hæc verba prorupiſſe: *Domine Ieſu* (ferebatur enim tenerrimo affectu in Chriſtum Dominum) *regnum quod à te accepi, tibi reddo, colloca me, quæſo, in illo regno, in quo viuere regnare eſt.* Neubrigenſis lib. 1. De rebus Anglicis cap. 23. S. Bernardus. in vita S. Malachiæ apud Surium 5. Nouemb. Eius feſtum alij ponunt 24. Maij.

Rogerius de Houedē. *S. Bernard.* *Neubrigēſis.*

12. die SS. Anonimæ duæ Virgines, Martyres in Germania, ſorores SS. Guinifortis & Guimbaldi. Videatur Iacobus Gualla, & alij.

Iacobus Gualla.

13. die. SAnctus Barnitus Confeſſor. Videatur Scoti-Chronicon. Alij eius diem feſtum ponunt 5. Ianuarij.

EOdem die S. Kentigernus Archiepiſcopus Glaſcuenſis qui & Mungo, id eſt, dilecte mi, dictus eſt. Hic Sanctus fuit Eugenij III. Scotorum Regis filius ex Thamete Lothi Pictorum Regis filia. A parentibus ita educatus fuit, vt iam inde à puero pietatis ſentire igniculos & S. Spiritus inſtinctus ad deuotionis affectum inciperet, quo ex tempore videtur omnem eius voluiſſe animam poſſidere Cœleſtis Pater. Ad educationem porrò domeſticam accedebat Sanctiſſimi præceptoris inſtitutio Sernani Orcadenſium Apoſtoli, cuius virtutum ſemina, & documenta adeò in Kentigerno excreuere, vt duodecimo ætatis anno in agrum ſolus Deo inſpirante prodierit, & vniuerſorum Domino ſe totum vouendâ caſtitate dicauerit, beatique Sernani coquum caſu repentino extinctum, fuſis ad Deum precibus ſine mora vitæ reſtituerit. Multis igitur annis non ſine ſanctitatis laude in Culroſſano Monaſterio ſub Sernano peractis Glaſguæ fit Epiſcopus, vbi paſtorali munere diligenter perfunctus, fidei Catholicæ ſeminandæ, & Pelagianæ hæreſeos conuellendæ flagrans deſiderio, relictâ Glaſguâ ad Britones ſe contulit. Apud quos inter fluuios Eluuide & Eluui Cœnobium condidit, ad quod hominum multitudo confluxit maxima, ex quibus tam multi Kentigerni & diſcipulorum quos Scotiâ eduxerat, inſtituto ſeſe adiunxerunt, vt monachos (teſte Capgranio in legenda SS.) breui numerarit 965. quorum pars magna (quæ ex illiteratis conſtabat) agriculturā exercebat: cœteris verò in ipſo Monaſterio decantandis Dei laudibus die, nocteque (hæc enim apud Scotos iam tum conſuetudo inoleuerat, vt vbi magna eſſet monachorum multitudo, die, nocteque per vices Dei laudes canerent) per vices perſeuerarent. Kentigernus

omnium primus eo loci Cathedralem erexit Eccleſiam, quæ à nonnullis Eluenſis à fluuio Eluc, propè quem ſita eſt, alijs Elguenſis & Lancluenſis, nunc verò Aſaphenſis, ab Aſapho Scoto ibidem à Kentigerno relicto nuncupatur, quâ conſtructâ Scotiam repetijt. Quocirca meritò affirmant varij hunc Dei famulum plurimos ſuis concionibus ad fidem conuertiſſe, Apoſtatas reuocaſſe, Pelagianos expulſiſſe, nondum renatos baptiſaſſe, ſimulachra euertiſſe, Eccleſias condidiſſe. Miſit quoque ad Noruegiam & Iſlandiam ex ſuis diſcipulis plurimos, vt eorum prædicationibus & concionibus Chriſtianæ fidei religionem acciperent illarum regionum incolæ. Fuit Propheta inſignis, prædixit namque inter alia, regni Britonũ euerſionem. Tradens, inquit, tradet Dominus Britanniam exteris nationibus Deum ignorantibus, indigenis euacuabitur. Dum eſſet S. Kentigernus ſub S. Sernani diſciplinâ, condiſcipuli ipſius videntes quod à S. Sernano plus omnibus amaretur, illum odio proſequi incœperunt. Inſidiabantur, conuitiabantur, detrahebant. Quandam auiculam ob ruborem corpuſculi Rubiſ am vocatam, de manu S. Sernani alimoniam accipere, ſcapulis eius & capiti ſeu gremio inſidere, oranti vel legenti aſſiſtere, alarum plauſu & vocis ſuæ ſono affectum illi oſtendere ſolitam, inter ſe tractantes, caput à corpore auellunt & extingunt: Kentigerno abſenti crimen imponere non verentes. Qui auiculam in manibus ſuſcipiens, & caput corpori applicans, fuſâ ad Deum prece ſignaculum crucis impreſſit, & auis vitæ reddita Sernano de Eccleſia reuertenti more ſolito applaudens obuiam proſiliuit. Statuit autem S. Sernanus vt vnuſquiſque puerorum, per ſeptimanæ circulum (ne aliqua negligentia ob defectum luminis in Eccleſia diuino obſequio in noctibus eueniret) ignem diligenter dum dormitum irent. ſubcinerarent. Accidit quadam nocte ſolẽni dum Kentigernus puer vice ſuâ ignem cuſtodiret, condiſcipuli eius inuidiâ excæcati, totum ignem intrà monaſterij ſepta extinguerent. Vigiliarũ tempore, Kentigernus ignẽ monaſterij extinctum reperiens, ramum cuiuſdam Coryli viridis arripiens, in nomine Sanctæ Trinitatis data benedictione, inſufflauit, & confeſtim igne cœlitus emiſſo ramus ingentem flammam produxit, & abſque ſui detrimento ardere cœpit, accenſis autem candelis, lumen ampliùs in ramo viſum non eſt. Anno ætatis ſuæ 25. conſecratus eſt Epiſcopus, & omni tempore vitæ ſuæ poſt triduum & multoties quatriduum cibum ſumebat, panem ſcilicet, & lac vel caſeum & butyrum. A carnibus & vino omnique quod inebriare poteſt, omninò abſtinuit. Iacebat autem in ſaxo inſtar monumenti cauato, habens capiti lapidem ſuppoſitum, & proiectis aliquantis cineribus & cilicio ſubſtrato, potiùs dormitando leuiuſculè, quàm dormiendo, ſicque hauſto modicæ quietis ſopore, nudum in aquis frigidis ſe immergens, totum pſalterium decantabat. Hanc conſuetudinem niſi itinera, aut ægritudines prohiberent corporales, nec grando, nix,

Magna Kentigerni miracula.

nix, aut pluuia aliquatenus interrumpere poterant. Omnis eius ſubſtantia pauperum ærarium ſemper fuit multoties, dum ſacramenta diuina tractaret, Columba niuea roſtrum quaſi aureum habens capiti eius inſidere conſueuit. Crebrò dum ſacris adſtaret altaribus, Miſſàmque celebraret, nubes lucida obumbrabat caput eius; aliquoties non ipſe ſtare videbatur, ſed Columba ignea, cuius fulgore intuentium intuitus obtuſi videbantur; dum vice quadam ſacra myſteria celebraret, nebula quædam odorifera totã Eccleſiam impleuit, ineffabilique ſuauitate perfudit, & variis incommodis laborantes perfectæ ſanitati reſtituit. Omni quadrageſimâ à conſpectu hominum ſeparatus, deſerta loca petebat, ſolas radices herbarum in cibum ſumens; aliquoties verò totum illud tempus, Domino virtutem tribuente, abſque terreno ſuſtentaculo tranſigebat. In Cœna tamen Domini, multitudinis pauperum, leproſorumque pedes cum lacrymis lauans ac tergens, crebriſque oſculis demulcens, eis poſtmodum in menſa diligenter miniſtrabat. In die paſſionis, plagis virgarum, nuditate, & crebris genuflexionibus diem cum nocte continuabat. Sabbato autem Sancto & vſque ad horam Reſurrectionis dominicæ, tempore diuini officij excepto, in quodã ſepulchro ſe flagellando latitabat. Multas Eccleſias conſtruxit, parrochiaſque certis limitibus diſtinxit, & vbique lucrum animarum quærendo non equo vectus, ſed more Apoſtolorum pedes ire ſolebat. Ne autem panem ſuum otioſus comederet, manibus ſuis in agriculturâ laborare conſueuit, & cum boues ſemel ſibi deeſſent. Ceruos de ſaltu in nomine Domini ad ſe venire, & loco boum terram arare præcepit, qui ſtatim obtẽperantes & manſueti effecti terram arare, ad paſcua ire, & ad opus conſuetum redire ſolebant. Tandem vnum de Ceruis labore fatigatum Lupus irruens ſuffocauit, & voracem ingluuiem ex eius cadauerè ſaturauit. Quo audito S. Kentigernus manum contra ſyluam extendens dixit: In nomine ſanctæ Trinitatis præcipio vt Lupus, qui mihi damnũ intulit ſatisfacturus ſine morâ accedat & ecce Lupus de ſylua proſiliens, cum vlulatu corruit ante pedes eius, cui Sanctus, ſurge, inquit, & in nomine Ieſu Chriſti præcipio tibi vt loco Cerui, quem deuoraſti, aratro applicatus ares ex integro quod reſtat arandum. Lupus itaque verbis ſancti obediens, & Ceruo copulatus nouem iugera arando explens, liberè abire permittitur, & cum multi conueniſſent ad ſpectaculum, Sanctus os ſuum aperiens dixit: viri fratres quid admiramini aſpicientes verbum hoc? Credite mihi antequam homo inobediens ſuo conditori exiſteret, non ſolùm animalia, ſed etiam Elementa obtemperabant, Nunc verò ob ipſius præuaricationem, omnibus in aduerſa verſis Leo, Lacerare, Lupus deuorare, Serpens ſauciare, aqua ſubmergere, ignis comburere, aër corrumpere, terra ſæpè ferrea effecta fame ſubruere conſueuit. Et ad cumulum conſueti mali homo, non ſolùm hominem, ſed

ipſe homo in ſeipſum præliando contra ſeipſum ſponte deſæuit. Sed quoniam plerique Sancti, in verâ innocentiâ & purâ obedientiâ, in ſanctitate, dilectione, fide & iuſtitia coram Domino perfecti inuenti ſunt, quaſi antiquum commune ius, & naturale donum à Domino recuperant, dum beſtijs & Elementis, morbis & mortibus imperare ſolent: porrò hoc adeò celebre fuit miraculum, vt nequando excidere poſſet eius memoria, ipſi ciuitati illi (quæ anteà alio vocabatur nomine) Glaſcu (quæ vox Lupum & Ceruum ſignificat) indiderint, ſitque in hodiernum diem ciuitatis illius nomen Glaſgua, inſigni Archiepiſcopali ſede ornata. Huic miraculo acceſſit & aliud in quo non minor Dei clementia & bonitas erga famulum ſuum Kentigernum elucet. Annulum quendam (vtor ego verbis cuiuſdam fragmenti ſeu manuſcripti quod ex antiqua Archiepiſcopali Glaſcuenſi bibliotheca habui) magni pretij habebat Regina Scotiæ, quem acceperat à Rege Scotiæ in maximi amoris mnemoſynon, hunc verò annulum Regina non multò poſt caſu quodam, regias domos Regni quâ mari quâ terrâ viſitans, perdidit & amiſit. Rex annulum deeſſe animaduertens, in ſuſpicionem pudicitiæ Reginæ iam domum reuerſæ venit, & à Regina, ſubiratus, annulum repopoſcit: at illa conſcia ſuæ fidei coniugalis ſimul & pudoris, mœrens & dolens ad Deum conuerſa ab eodem inſtanter poſtulat, vt pro immenſâ ſua bonitate & clementiâ annulum deperditum reddere dignetur, & ſuo pudori conſulere. Poſt preces venit Reginæ in mentem Sanctiſſimus Kentigernus, miraculis quem ſciebat celeberrimum; Sanctum itaque Pontificem lacrymabunda adit & obteſtatur ſuæ famæ velit conſulere, & deperditū annulum, ope Dei, apud quem ſciebat nihil eſſe impoſſibile, ſibi reddere. Sanctus verò Dei ſeruus miſericordiâ motus, Reginam benè ſperare iubet, nihil enim occultum apud Deum quod non reueletur, nihil abſconditum quod non manifeſtetur, nouit quippè abſcondita cordis multò verò magis deperdita quæque; ad preces & orationem confugiendum eſſe in re tanti momenti, aiebat. Ad preces itaque conuerſus Sanctus Dei, ſubitò factus eſt ſuper eum Spiritus Domini & ab oratione ſurgens concito gradu ad fluuium Glottam Salmonum feracem ſe confert, & primò quem obuium habuit piſcatori, dixit, mitte quàm poteris ocyſſimè in capturam rete, & quem primùm prehenderis piſcem huc ad me deferto viuum: O Dei maieſtatem & omnipotentiam! vix iactum erat in flumen rete, cum ecce Salmo magnus & vnicus reti confeſtim fuerit incluſus, quem oblatum à piſcatore accepit Sanctus, & facto ſigno crucis, piſcis ori manum immittit, extractumque inde Regis annulum aſtanti Reginæ &, omnia admiranti liberè donat, piſcem tanti muneris velut miniſtratorem in fluuium ad priſtinam libertatem remitti iuſſit: Reginæ verò vt Deum timeret & amaret ſemper, regiamque prolem in timore Dei educaret vnicè, commendauit. Hoc triplex miraculum per totam poſteà Scotiam

celeberrimum reddit Kentigernum, Regemque Connallum ſibi magno amoris vinculo deuinxit, in cuius rei memoriam perennem Rex à fundamentis ædificari fecit auguſtiſſimum Monaſterium, in quo ad trecentos quandoque habebat verbi Dei prædicatores S. Kentigernus, templi prætereà (quod alij poſteà Reges continuauere) auguſtiſſimi fundamenta iecit: ſucceſſores denique omnes famuli Dei, ſiue Epiſcopi, ſiue Archiepiſcopi in huius miraculi perpetuam memoriam in ſigillis & diplomatibus, in monumentis publicis, in hodiernàm vſque diem depictum aut inſculptum habent Salmonem reſupinum, curuato aliquantulum flexu, roſtroque annulum infixum quaſi porrigentem; Glaſcuenſis etiam ciuitas in huius rei memoriam pro ſtemmate habet Salmonem, huiuſmodi necnon & campanam (quæ in hodiernum vſque diem à Glaſcuenſibus aſſeruatur) quâ vir Dei vtebatur. Nec prætereundũ, quod cum totam annonam pauperibus ſæpè erogaſſet, aſſumpta arena, vice ſeminis in terram ſpargebat, & meſſis tempore triticum optimum terra producebat; omnes hoc audientes Deum in ſanctis eius laudare & benedicere ſolebant. Dum victualia pro fratribus vice quadam non haberet Regulum Cambrenſem nomine Martium adijt, penuriam ſuorum inſinuans, vt ſuam inopiam illius abundantia iuxta Apoſtoli monita ſubueniendo ſuppleret, humiliter petijt. Ille verò ore blaſphemo ironicè dixit ad eum: Iacta curam tuam in Domino & ipſe te nutriet, quoniam nihil deeſt timentibus Deum, ſicut cæteros admonere conſueuiſti. Tu verò cum timeas Deum, & mandata eius obſerues omnibus bonis & victu etiã neceſſario indiges? mihi autem qui nec regnum Dei quæro, nec iuſtitiam eius, omnia proſpera & rerum affluentia (vt cernis) arrident. Inanis ergo fides tua, & falſa prædicatio tua comprobatur. At vir ſanctus ſacræ Scripturæ teſtimonio & rationum aſſertionibus & exemplis, multos iuſtos & ſanctos egeſtate & ſiti in hoc ſæculo affligi, reprobos rerum affluentiâ, honorum faſtigijs ſæpè ſublimari aſſerebat: pauperes diuitibus patronos fore, quorum beneficiis ſuſtentantur, diuiteſque pauperum patrocinio ſicut vites vlmi ſuſtentaculo indigere euidenter edocuit. Tandem Regulus eius verba nõ ferens, ſic reſpondit, ſi confidens in Deo tuo abſque humano ſuffragio, omnia blada quæ cernis in horreis contenta, ad manſionem tuam transferre poteris: libenter annuo, & poſtulationibus tuis de cætero deuotus obtemperabo. Sanctus Dei eleuatis in cœlum oculis & manibus; orationem cum lacrymis fudit ad Dominum. Et ecce eadem horâ fluuius Cluda ſubtus decurrens ſubitò intumeſcere, ripas tranſcendere cœpit, & horrea Reguli integra cum ſegete vſque ad locum vbi ſanctus manere ſolebat nomine Mellingdenor ſecum traxit, & quidem ſegetes adeò intactæ ab aquis apparebant, vt ne vel minima ariſta aquis humectata cerneretur. Vbicumque fere pergebat vel prædicabat, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis

greſſum, mutis loquelam, furioſis ſenſum reddebat, dæmonia ejiciebat, Paralyticos erigebat, leproſos mundabat, & omnes languores curabat. Multoties ex tactu veſtimentorum ſuorum, & crebrò particulis cibi & potus eius ſumptis, multi ægroti ſanitatem conſequuti ſunt. Aliquoties etiam ex vmbra corporis eius, velut alterius Petri, infirmi curari meruerunt: nunquam vel pluuiâ, niue, vel grandine, veſtimenta eius maduerunt, nam dum aëris inclementiâ ingruente, imber validè difflueret, & ſpiritus procellæ in circuitu eius deſæuiret, immobilis quandoque ſtans, quandoque gradiens ab omnī cuiuſuis ſtillæ contactu illæſus ſemper extitit, & incedebat. Id ipſum etiam turba diſcipulorum ſuorum in eius præſentiâ ſæpiſſimè eſt experta. Rex quidam Hyberniæ (verba ſunt eiuſdē fragmenti ſeu manuſcripti Archiepiſcopalis Glaſcuenſis bibliothecæ) audit â Regis Scotiæ liberalitate & munificentia, ioculatorem in arte ſua peritum mittens tentare voluit, ſi famæ latè diffuſæ veritas reſponderet, cumque peractâ quadam ſolennitate munera ſpecioſa ei Rex conferret, & ille accipere renuens, talia in terra ſua ſe ſatis habere poſſe aſſereret, requiſitus quid vellet accipere? ait, ſi vis vt benè remuneratus recedam, detur mihi diſcus moris recentibus plenus, & timens Rex, ne honori eius & famæ derogaretur, ſi ioculator irremuneratus abiret, cuncta retulit Epiſcopo Sancto. Et cum hyemis tempus eſſet, ad Deum preces vir Dei fudit, & diſcum moris recentibus plenum oſtendit, & tollens diſcum ioculatori oſtendit. Quo viſo miraculo, poſt paucos dies relictâ arte ſuâ, melioris vitæ viam ingrediens diuino ſe mancipauit obſequio. Sanctus Columba in illo Cœnobio, quod in Inſula Huy (quæ vna Hebridum eſt) in Scotiâ conſtruxerat, virtutibus clarus Sancti viri famam audiens, ad illum venire, viſitare, videre, & familiaritatem cum eo agere cupiebat, & cum multâ diſcipulorum turbâ de monaſterio egreſſus, cum loco appropinquaret vbi S. Epiſcopus manebat, in tres turmas omnes diſcipulos diuiſit. Similiter & Pontifex ſuis trifariè diuiſis, cum canticis ſpiritualibus, illis obuiam proceſſit. In primâ turma erant iuniores, in ſecundâ prouectiores, in tertiâ ſenes decorâ canitie venerabiles, & canebant dicentes: In vijs Domini magna eſt gloria Domini, & via iuſtorum recta facta eſt, & iter Sanctorum præparatum eſt, &c. Ex parte S. Columbæ canebant: Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion, alleluya, &c. Et ait Columba diſcipulis ſuis: video columbam igneam in modum coronæ in tertio choro ſuper Epiſcopum Sanctum deſcendentem, & lumen claritatis cœleſtis ſuper eum: & appropinquantes adinuicem Sancti in amplexus mutuos & oſcula ſancta ruunt. In ſignum quoque mutuæ dilectionis, alter Sanctorum alterius baculum ſuſcepit, & baculus, quem S. Columba contulit Epiſcopo apud Ripvvn in Eccleſia ſancti Vulferi multo tempore in magna reuerentia habitus eſt. Cum crucem quandam

miræ magnitudinis lapideam in Cœmeterio Glaſcuenſi multi viri erigere non valerent, fuſâ ad Deum ſanctus prece, Angelus in nocte de cœlo deſcendens crucem illam erexit, benedixit, ſanctificauit, & receſſit: ibi virtute diuinâ ſanitatem perfectam multi poſtea meritis Kentigerni conſequi meruerunt. Aliam crucem in locis illis, de ſola arena maris erexit, quam nulla aëris inclementia vſquam diſſoluere valuit; vbi variis langoribus grauati, furioſi, & dæmoniis vexati, ſanati ſunt. Fabricauit autem molendinum ſuper fluuium Cludam, quod nullam annonam furto ſublatam vlla ratione molere poſſet, neque molam aut eius rotam, poſt horam nonam Sabbati, donec celebraretur Dominica dies, aquæ circumducere poterant. Vir Dei nimiâ tandem ſenectute confectus, cum neruorum compago penè emarceſcens diſſoluta fuiſſet, quodã ſubligari lineo, per medium capitis & ſub mentum circumducto, mentum & maxillas ſuſtentabat, vt ad proferendum, quæ vellet, expeditior redderetur. Demùm conuocatis diſcipulis ſuis, de obſeruatione Catholicæ Religionis, mutuæ charitatis, pacis, hoſpitalitatis, lectionis ac orationis, ardenter hortabatur eos. De Sanctorum Patrum & prædeceſſorum decretis, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ inſtitutis firmiter cuſtodiendis fortia dedit ac dereliquit præcepta. Quidam autem qui illum arctiùs dilexerant cum lachrymis proſtrati dicebant. Scimus Pater & Domine, quia cupis diſſolui & eſſe cum Chriſto, ſed noſtri quæſumus miſerere, quos in Chriſto parturiſti. Quicquid humanâ fragilitate deliquimus ſemper in conſpectu tuo confitentes, ad arbitrium diſcretionis tuæ emendare curauimus, tibique ſemper obediuimus. Pete ergò a Domino Ieſu vt ex hac valle lachrymarum ad gaudium Domini tecum commigrare valeamus: credimus enim quia quicquid petieris a Deo, dabit tibi Dominus. Graue autem nobis videtur vt Pontifex ſine choro, Paſtor abſque aliquo de grege ſuo Pater abſque filiis intret ad gaudia Domini ſui. Sanctus pietate commotus, collecto flatu, vt valuit, dixit: voluntas Domini de omnibus nobis fiat, & ſicut melius nouit & ei placuerit, de nobis omnibus diſponat: & ecce Angelus Domini cum ineffabili fulgore & claritate apparens circumfulſit eum, & dixit: Kentigerne electe & dilecte Dei exulta & lætare, quoniam exaudita eſt oratio tua, & præparationem cordis tui audiuit auris diuina, fiat enim tibi ſuper diſcipulis tuis ſicut vis. Cras egrediemini de corpore mortis huius ad vitam indeficientem, & Dominus erit vobiſcum, & vos eritis cum eo in æternum. Et quia tota vita tua in hoc mundo iuge fuit martyrium, placuit Domino vt mitiorem cæteris hominibus habeas vitæ finem. Fac tibi in craſtinum parari lauacrum, in quo ingrediens abſque anguſtia, in manus Dei reddes in pace ſpiritum tuum. Poſt te etiam fratres illi lauacrum ingreſſi, & mortis vinculis abſoluti, in ſplendoribus Sanctorum cœleſtia regna tecum penetrabunt. Recedente Angelo miri odoris fragrantiâ locum & omnes inhabitantes

in eo inæſtimabiliter reſperſit. Kentigernus itaque cæterique diſcipuli (qui maximo numero monaſterium illud incolebant) confeſſione præmiſſâ, & Chriſti pretioſo corpore accepto lauacrum ingrediuntur, & primò quidem Kentigernus ingreditur, qui eleuatis oculis & manibus in cœlum, quaſi in placidum reſolutus ſomnum, inclinato capite tradidit ſpiritum. Extracto autem à diſcipulis de lauacro corpore, ſinguli fratrum antequam aqua frigeſceret in lauacrum immerſi, ad æthereas manſiones cum Patre ſancto commigrarunt. Sanctus itaque Kentigernus cum eſſet centum octoginta quinque annorum (ita enim omnes qui de illo ſcribunt) anno Epiſcopatus ſui centeſimo ſexageſimo ſignis præclarus & prodigiis, Idibus Ianuarijs migrauit ad Dominum, ad cuius tumulum in Glaſcuenſi Eccleſia cæcis viſus, ſurdis auditus, claudis greſſus, mutis loquela, leproſis munditia, paralyticis membrorum valetudo, furioſis ſenſus reſtituitur, impij, ſacrilegi, periuri, & pacis, Eccleſiæque violatores, & ſancti loci inquinatores, condignâ pœnâ plectuntur. Agunt de ſancto Kentigerno Arnoldus Vvion lib. 4. ligni vitæ, qui teſtatur fuiſſe ipſum Eugenij Scotiæ Regis filium. Molanus in Annotationibus ad 13. Ianuarij. In Scotia (inquit) Sancti Kentigerni Epiſcopi Glaſcuenſis & Confeſſoris, Hector Boëtius lib. 9. hiſtoriæ fol. 172. pag. 2. Ioannes maior lib. 2. de geſtis Scotorum cap. 7. Ioannes Læſlæus Epiſcopus Roſſenſis lib. 4. hiſtoriæ in Eugenio, Breuiarium Aberdonenſe citatum, fragmentum etiam Glaſcuenſe citatum, præterea Skonenſia Chronica, Hunterus etiam in libro de ſanctis Scotis, Du Cheſne lib. 5. Hiſtoriæ & alij qui omnes Scotum eſſe teſtantur.

Vvion. *Molanus.* *Ioannes Maior.* *Hunterus.* *Du-Cheſne*

SAncta Mancina virgo apud Hebridianos miraculorum gloriâ celeberrima. De ea fit mentio in vita ſanctæ Columbæ, floruitque eodem quo ille ſæculo.

BEatus Accas, Actas, Arcas, Epiſcopus Hagulſtadienſis in Anglia, & Candidæ Caſæ in Scotia. De eo agunt Hermanus Contractus ad annum 710. Vveſtmonaſterienſis ad annum 734. Et alij.

Hermannus. Contractus Vveſtmonaſterienſii.

EOdem die Sanctus Bigitanus Epiſcopus in Scotia. Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ, & alij.

SAnctus Furſeus Abbas. De eo agunt, Tritemius lib. 3. de viris Illuſtribus ordinis ſancti Benedicti cap. 8. S. *Furſeus*, inquit, *Abbas monaſterij, quod Chaobherſburg dicitur in prouincia orientalium Anglorum, natione Scotus, genere nobiliſſimus, verbo & actibus clarus, & ſignis ac miraculis egregius, per Angliam prædicando multos ab errore ad viam veritatis conuertit &c. Molanus in indiculo SS. Belgij. Furſeus* (inquit) *multis annis in Scotia patria Inſulâ, verbum Dei annuntiauit. Inde omnibus relictis per Britones in prouinciam deuenit Anglorum, vbi nobile conſtruxit monaſterium, & prædicatione verbi Dei multos incredulos ad Chriſtum conuertit, & credentes in fide & amore Chriſti confirmauit &c.* Beda lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 9. *Erat autem*, inquit, *vir Dei Furſeus de nobiliſſi-*

Beda.

mo genere Scotorum, ſed longè animo nobiliore quàm carne. Et *alij* communiter. Vitam hic non appono propterea quod apud Lippeloum habeas fuſè deſcriptam tom. 1. ad hunc diem, & apud Surium ad hunc etiam diem.

EOdem die S. Foillani ſiue Foilani Inuentio celebratur, teſte Molano in indiculo &c. Fuit S. Foilanus frater S. Furſei.

BEatus Adda primus Apoſtolus Nordanimbrorum: Regem & magnam illius populi partem ſacro fonte luſtrauit. Vide Florentium Vvigornien. anno 653. Et alios. 17. die. *Florentius Vvigornie͂.*

SAnctus Deicola ſiue Dicullus Abbas Sutrenſis, diſcipulus S. Columbani, Deicola dictus, quaſi Dei cultor ſiue ex Culdæis vnus. Fuit hoc genus monachorum apud Scotos antiquiſſimum, qui Culdei quaſi cultores Dei vocabantur: & ſanè ſi quid fuerit Chriſtianæ fidei, pietatis, ſanctitatis, vel ſinceræ diſciplinæ Eccleſiaſticæ apud Scotos primis octingentis annis Culdeis Patribus tribuendum, qui quod ſedulò (teſte Boëtio lib. 6. hiſt. Scoticæ) prædicationi vacarent, eſſentque frequentes in oratione, ab Incolis taliter ſunt appellati; quod nomen apud vulgus in tantum inualuit, vt Sacerdotes omnes ad noſtra penè tempora Culdei vocitarentur. Pontificem inter ſe omnium ſuffragio eligebant, penes quem diuinarum rerum eſſet poteſtas, qui deinde vocabatur Scotorum Epiſcopus. De hoc Sancto vide Petrum de Natal. in Catalogo, Tritemium lib. 3. cap. 61, Tabulas Peronenſes quæ teſtantur fuiſſe ipſum natione Scotum, Bedam lib. 3. cap. 19. Martyrolog. Romanum ad hunc diem, Molanum ad hunc diem, &c. 18. die *Petrus de Natalibus* *Beda.*

Hoc eodem die S. Bothanus Epiſcopus Dumblanenſis in Scotia. Vide Martyrologium S. Crucis.

BEatus Ioannes Abercrombi martyr, conſtans verbis & factis, Catholicæ cauſæ aſſertor, miraculis clarus. Vide Bruni Collectanea, &c. *Bruni Collectanea.*

SAnctus Chriſtianus Abbas Scotorum Herbipoli, quo in monaſterio nulli vnquam niſi Scoti admiſſi, vt clarè teſtantur literæ Alexandri VI. Pont. Maximi ad Reuerendiſſ. Patrem D. Laurentium Epiſcopum Herbipolenſem ſuper reformatione illius Abbatiæ: literæ autem Pontificis ſic incipiunt. *Venerabilis frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus, quod in Monaſterio S. Iacobi maioris Scotorum ordinis S. Benedicti tuæ diœceſis trans flumen Mogonum non longè ab arce tuâ Herbipoli conſtituto à primaeuâ ipſius Monaſterij fundatione ſolum monachi Scoti recipi poſſunt &c.* Habentur hæ literæ apud Tritemium in Chronico monaſterij S. Iacobi apud Herbipolenſes. Quod de hoc monaſterio dictum eſt, idem de aliis in Germania monaſterijs Scotorum intelligi debet. De hoc Sancto agit Tritemius in Chronico Sponheim. *Embrico*, inquit, *Herbipolenſis Eccleſiæ Antiſtes motus precibus ſanctiſſimi viri Chriſtiani natione Scoti, religione monachi, de monaſterio Scotis prope Herbipolim erigendo cogitare cœpit, vnde &* *Tritemius.*

Capellam nouam in honorem S. Iacobi Apoſtoli 6. Idus Iulij, anno 1140. *dedicauit &c.* Fuit hic Sanctus Abbas ordine ſecundus huius monaſterij. Inter cætera pietatis præcepta, quæ ſæpè ſuis inculcabat monachis, iſtud etiam in extremo ſpiritu multùm inculcaſſe fertur. *Ego quidem, ô filioli & viſcera mea, ſecundùm eloquia ſcripturarum, quæ didici à SS. Patribus & Prædeceſſoribus meis, viam vniuerſæ carnis ingredior, iam enim Dominus me inuitat dicens, Euge ſerue bone, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, iam cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, iam cupio videre cœleſtia, Sed vos ô viſcera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repentè perdatis, ne feruorem ſpiritus, & mentis coram Deo renouationem vnquam intermittatis, ſed quæ retrò ſunt obliuiſcentes, hodie vos religioſum habitum arripuiſſe arbitramini, & inchoare vos quotidie credite, vt renouata ſæpè voluntatis fortitudo ſuccreſcat & feruor. Præfuit monaſterio annos 26. De eodem vide Tritemium in Chronico monaſterij ſancti Iacobi.*

SAnctus Viminus Epiſcopus & Confeſſor qui & Vimius dictus eſt. Hic Sanctus ex Abbate cuiuſdam monaſterij Fifanæ prouinciæ in Scotiâ factus eſt Epiſcopus: fuit enim apud Scotos primis ſæculis in more poſitum Epiſcopos ex monachis ſeligere qui poſt excurſiones varias (nullas enim ſibi fixas habebant adhuc diœceſes) in prædicãdo ſine ſumptu, Dei verbo ad monaſteria redire ſolebant, fratribuſque monachis ſub eadem regulâ cohabitare, & ſpiritualibus pietatis exercitiis ad menſes integros ſecreti ſeſe recolligere, & guſtare & videre quàm ſuauis eſſet Dominus: quam conſuetudinem Aidanum Scotum monachum & poſtea Epiſcopum inuexiſſe in Angliam teſtatur Beda lib. 4. hiſt. cap. 27. & in vitâ S. Cudberti vel Cuthberti, Breuiarium Aberdonenſe & Skonenſia Chronica tradunt ſanctum Viminum vt faciliùs cœleſtibus inhæreret cogitationibus à loco illo, in quo ob miracula multùm innotuerat, ſeſe cũ diſcipulis contuliſſe in locũ qui hodie *Halyvvod*, id eſt, *ſacer Boſcus* dicitur. Verùm non habentibus diſcipulis aquam, quam biberent, oratione à beato Vimino ad Deum fuſâ, fons limpidiſſimus ſcaturiuit, cuius aqua ab infirmis hauſta ad noſtra vſque tempora præſentiſſimo fuit remedio. Beato Vimino ibi commoranti apparuit Angelus dicens: Vimine viriliter age & confortetur cor tuum in Domino, hunc enim locum ad incolendum præparauit tibi altiſſimus: Viminus tali confortatus oraculo, omnipotenti Deo gratias egit, ibidemque nobiliſſimi monaſterij fundamenta iecit, ex quo viri ſanctitate & doctrinâ inſignes prodiere, quibus Ioannes à ſacro Boſco (ab illo loco ita dictus) inſignis Mathematicus meritò annumerandus eſt. De hoc ſancto agit Regius in Calendario SS. cœlumque petiiſſe affirmat anno 615. Extat perantiqua Scotorum, ad S. Viminum oratio, quæ quod Sanctorum cultum apertiſſimè oſtendat, hic ſubiicienda eſt. *Sancti Vimini Præſulis tui & Confeſſoris inclyti ſolemnia agentes, te Domine ſuppliciter deprecamur, vt dum tui nominis in*

Breuiariũ Aberdonenſe. Skonenſia. Chronica.

Regius.

Oratio ad S. Viminũ

honorem, ipſius geſta recolimus, eiuſdem pro nobis intercedendo patrocinia ſentiamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

22. die. SAnctus Adalgiſus, Mireus, & eius vita.

23. die. SAnctus Adamannus Eugenij VI. Scotorum Regis præceptor, fœderis cum Brudæo Pictorum Rege conſiliator. Boëtius lib. 9. hiſt. Eius reliquiæ in Morauia conſeruabantur, teſte Fordano in ſuâ hiſtoriâ.

24. die. SAnctus Foramnanus Archiepiſcopus, qui adoleſcentulus adhuc in Scotia, in vſu & inſtitutione quorumdam Religioſorum deguſtatâ pietate cœpit ad ſummum eius faſtigium à S. Spiritu incitari. Liberalibus diſciplinis in tenella ætate dum excolitur pietatis conceptæ ſemina ſuccreſcere cœperunt: Deo igitur ſuauiter omnia diſponente poſtquam ad maturam perueniſſet ætatem, & ad Archiepiſcopatus apicem fuiſſet euectus, Scotiâ egreſſus Galliam petijt, vbi, ſummam in proximo iuuando diligentiam exhibuit, vbi & prudentia in lucrandis Chriſto animabus maximam ſibi apud omnes authoritatem conciliabat & gratiam. Poſt reuelatum illi fuit à Deo vt ſeſe in Belgium conferret ad locum *Valencourt ſeu Bellenalle* (qui latinè *Vallis decora* dicitur) in Namurcenſi Comitatu, vt Comiti Alberto nomine, cui in votis erat monaſterium erigere, aſſiſteret. Profectus ergo in Belgiũ Sanctus iecit fundamenta Valciodorenſis monaſterij, ſiue vallis decoræ anno Chriſti 944. Vide de hoc Sancto, Molanum in Indiculo, vbi agit de morte S. Eloquij, qui ibi ait fuiſſe Archiepiſcopum Scotorum, vide eumdem in Chronicâ recapitulatione SS. Belgij vbi ait illum in Scot â nobili proſapiâ ortum. Vide etiam Gazetum in hiſt. Eccleſ. SS. Belgij, quj ait illum fuiſſe natione Scotum, additque eumdem eduxiſſe ſecum ex Scotia duodecim ſocios, cúmque veniſſet ad mare, nec inueniret paratam nauem, duo ligna in formam crucis diſpoſita conſpexiſſe, quæ cum comitibus conſcendit, & ſtupendo miraculo, placido vento acti in Gallias peruenerunt. Plura de vitâ huius Sancti vide apud eumdem Gazetum. Molanus eius diem feſtum ponit 30. April. alij alio die.

Molanus. *Gazetus.* *Stupendũ Miraculũ.*

25. die. SAnctus Eoglodius Monachus & Confeſſor, apud Galouidianos, ſanctitate vitæ & miraculorum gloriâ celebris: fuit magni illius Columbæ ſocius, & Pictorum alter Apoſtolus. De hoc Sancto vide Ioannem Leſlæum Epiſcopum Roſſenſem, & Hectorem Boëtium in hiſtoriâ Scoticâ, Scoti-Chronicon, Brunum, Sinclarum & alios. Alij eius diem feſtum ponunt 13. Octobris.

Scoti-Chronicon, Brunus, Sinclarus.

26. die. SAnctus Conon ſiue Conanus Epiſcopus Sodorenſis, qui licet in lubricâ adoleſcentiæ ætate poſitus, frequens tamen erat in adhibendis Deo precibus, multus in colendis tum pœnitentiæ, tum pietatis officijs: ſed præcipuè erga Sanctiſſi nam Dei matrem inflammato ferebatur ſtudio, huiuſceque Virginis intuitu

caſtitatem mentis & corporis tanto cordis affectu colebat, vt nihil omninò aut in dictis aut in factis petulans aut laſciuum appareret His ab initijs profecta Cononis virtus eos habuit cum ætate progreſſus, vt (teſte Breuiario Lemouicenſi ad 30. Auguſti) Fiacrius Eugenij IV. Scotorum Regis filius ab ineunte ætate vna cum duobus fratribus à patre traditus ſit moribus & literis informandus Conano Sanctiſſimo Epiſcopo, cuius doctrinâ tam fœliciter inſtitutus eſt Fiacrius, vt contempto quocunque huius ſæculi honore, Chriſto militare, & procul ab hominum frequentiâ aliquò ſecedere in animum induxerit. Porrò Sodorenſis Eccleſia, cui S. Conon præfuit, inter primas fuit quæ in Epiſcopalem apud Scotos erecta eſt ſedem, quippe quam Cratlintho Scotorum Rege (Diocletiano Synchrono) erectam conſtat in Mona Inſula (quæ olim Druidum ſedes) in qua eſt oppidum Sodora dictum, à quo Sodorenſis Epiſcopatus. In eadem Inſula Cratlinthus Rex â fundamentis extrui curauit ſub Chriſti annum 280. monaſterium in quo Regia præſertim, & primariæ nobilitatis proles in omni virtute & literaturâ erudiebatur. Tranſlata eſt poſtea Sodorenſis ſedes à Ferguſio 2. Rege in Ionam Inſulam quæ Hebridum vna eſt, in qua deinde duo ampliſſima Cœnobia extrui curauit idem Ferguſius, monachorum vnum, alterum monialium, ex quibus vtriuſque ſexus ſanctitate inſignes prodière. Vide Boëtium lib. 9. hiſtoriæ, breuiarium Lemouicenſe citatum, Leſlæū in hiſt & alios. De hac vita ad meliorem ſublatus eſt S. Conon ſub annum Chriſti 648. Celebris habetur apud Hebridianos.

Boëtius. *Leſlæus.*

27. die. SAnctus Georgius Duræus Abbas Dunfermilenſis, *Chriſti hoſtia effectus laboris ſui præmium vitam æternam accepit in cœlis*, ait Sanderus lib. 7. de viſibili monarchia.

Sanderus.

HOc eodem die S. Adamannus Abbas Coludius, de quo vide VVeſtmonaſterien. Ad annum 701.

VVeſtmonaſterienſis.

28. die. SAnctus Beatus primus Apoſtolus Heluetiorum, S. Petri diſcipulus. Vide Cratepol. pag. 21. & alios. Eius diem feſtum alij alio die ponunt.

Cratepolius.

29. die. SAnctus Maκnolocus Epiſcopus & Confeſſor, qui adoleſcentiam vix egreſſus, eâ erat cum doctrinæ tum pietatis apud ſuos famâ, quam ipſe, excellenti vt pote natura præditus, parique culturæ diligentia perpolitus, de ſe facilè poterat polliceri, vt qui præter humaniores literas, quibus peculiari curâ ſe dederat, eam præcipuè Sanctorum ſcientiam (iam prouectior factus) meditandis cœleſtibus, & SS. Patrum ſcriptis lectitandis non calleret modo, ſed etiam in tota vita præclariſſimè exprimeret. Perfamiliaris fuit hic Sanctus S. Berecto ob ſanctitatis famam, imò ob miraculorum gloriam maximo fuit in honore apud Mordacum Scotorum Regem, cui inculcabat ſæpe vt pacem cum vicinis Pictis & Saxonibus coleret, & in iuſtitiâ ritè adminiſtrandâ ſeſe impenderet. Quod & fecit Mordacus Rex, nec hoc ſolum,

ſed eius ſuaſu Cœnobium illud cui Candidæ Caſæ nomen eſt, Diuique Niniani miraculis illuſtratum, plurimaque alia pietatis ſtudijs conſecrata loca, refecit. Hanc vitam, poſt varia ſanctitatis ſuæ ſigna edita mutauit cum cœleſti S. Maxnolocus ſub annum Chriſti 755. biennio ſcilicet à Mordaci Regis morte. Celebris eſt in Baluenia, Strathdona, & Marria, Scotiæ prouintijs ob miraculorum gloriam. Extant in Marria duæ parochiales Eccleſiæ, ſcilicet Tunimeg & Logi in S. Maknoloci honorem dedicatæ. De hoc Sancto agunt Chronica Skonenſia quæ & Volocum nominant, Breuiarij Aberdonenſis pars hyemalis, Adamus Regius in Calendario, & alij. *Regius.*

30. die. SAnctus Annichadus, ſiue Amnichadus Monachus & Confeſſor. Vir magnæ ſimplicitatis, & ſolitudinis amantiſſimus, de quo Tritemius in hiſt. Monaſt. Hirſaugien. *Amnichadus monachus Fuldenſis natione Scotus moritur, qui multis annis in eodem Cœnobio pro Chriſti nomine fuerat incluſus. Vir ſanctiſſimæ vitæ, ſuper cuius ſepulchrum noctu lumina viſa ſunt, & Angelorum pſalmodia diuinitus audita.* Et in libro de viris illuſtribus S. Benedicti: *Amnichadus* (inquit) *monachus Fuldenſis natione Scotus, cum ferueret magno deſiderio ſolitudinis & amoris Chriſti, apud Fuldam monaſterium, ſolitarius fuit incluſus, ad cuius meritum declarandum viſa ſunt lumina & pſalmodia audita ſuper eius ſepulchrum & cœlitus miſſa.* *Tritemius.*

HOc eodem die Sanctus Marianus Scotus Monachus Fuldenſis hiſtoriographus clariſſimus, de quo Tritemius in lib. de viris illuſtribus, quemque vocat idem Tritemius *vita & conuerſatione deuotum & ſanctiſſimum, & in diuinis ſcripturis eruditiſſimum.* Teſtatur Ioannes Maior Doctor Theologus lib. 3. hiſtoriæ Scotorum cap. 5. Marianum Scotum decem & ſeptem annis mira vitæ auſteritate & opinionis ſanctitate ab omnium mortalium contubernio ſeiunctum, vni Deo, eiuſque Angelis vixiſſe, ieiunijs, orationibus, meditationibus, & ſcriptioni ſemper intentum. Natus eſt Marianus anno Chriſti 1028. ſic enim ipſe ſcribit. 3. in Chronico ſumma cum animi ſubmiſſione. *Ego miſer Marianus, in peccatis fui in hoc anno natus: & anno* Chriſti 1052. *Ego Marianus ſæculum reliqui: & anno Chriſti 1056. Ego Marianus peregrinus factus pro Regno cœleſti, patriam meam reliqui, & in Colonia 5. feria Kal. Auguſti monachus effectus ſum. Anno 1056. Ego Marianus indignus cum Sigfrido,* (is Fuldenſis erat Abbas) *duce Vvirzburgum ad præsbiteratum conſecratus media quadrageſima 3. Id. Mart. & feria 6. poſt Aſcenſionem 2. Id. Maij incluſus Fuldæ per annos decem, anno 1069. Ego miſer Marianus iuſſu Epiſcopi Moguntinenſis & Abbatis Fuldenſis feria 6. ante Palmas, Non. Aprilis poſt annos decem meæ incluſionis, ſolutus de cluſa in* *Marianus Scotus.*

Fulda, ad Moguntiam veni, & in feſtiuitate ſeptem fratrum ſecundò includor. Tritemius de eo agens ita loquitur in Catalogo virorum illuſtrium. *Marianus Scotus monachus Fuldenſis, ordinis Diui patris noſtri Benedicti, vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſæcularium literarum non ignarus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, vitâ quoque & conuerſatione deuotus atque ſanctiſſimus emicuit.* Hic amore cœleſtis patriæ natale ſolum deſerens peregrinus venit in Germaniam, & primùm quidem in monaſterio S. Martini Coloniæ monachus factus eſt: & d obus annis in eodem Cœnobio vitam ſolitariam incluſus voluntariè duxit: ac deinde tranſlatus ad Fuldam ibidem ſtetit in incluſorio annis duodecim, quo vſque tandem iuſſu Archiepiſcopi propter ſanctitatem & er ditionem euocatus Moguntiam, apud S. Martinum incluſus ſeptemdecim alijs annis vſque ad mortem perſeuerauit. Fuit autem computiſta maximus, & temporis tranſacti diligentiſſi nus Cenſor, quòd clariſſima monumenta quæ edidit probant, è quibus extant ſubiecta. Volumen inſigne Chronicorum ab exordio mundi vſque ad ſua tempora, libri tres de concordia Euangeliſtarum liber vnus, de computo quoque liber vnus, ſermones varij, & plures ad diuerſos Epiſtolæ. Vide de hoc eodem Sancto Hieron. Platum lib. 2. cap. 32. De bono ſtatu Religioſi, Sigebertum de illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus cap. 160. Cratepolium pag. 105. Vuolfangum Lazium lib. 7. de gentium aliquot migrationibus, & alios. In Schiſmate quod inter Imperatorem Henricum IV. & Pontificem Gregorium VII. extitit, opinantur nonnulli ab Imperatore, Marianum Sanctum ſtetiſſe. Sed hoc ex ignorantiâ ſentiunt: falli enim eos monſtrat eius ipſius Lectio ab anno CIↃLXXIV. vſque ad CIↃLXXXIII. vbi ſemper eos, qui Imperatori adhærerent, Schiſmaticos & hæreticos appellat, ipſumque Pontificem & omnes, qui eius venerati ſunt ſententiam, laudat, Catholicoſque ac iuſtos appellat. Vide Serarium lib. 1 rerum Moguntiacarum. Obijt S. Marianus Moguntiæ & in maiore S. Martini Eccleſiâ ſepultus eſt.

Hieronimus Platus. Sigebertus. Cratepolius. Vuolfangus Lazius. Serarius.

31. die. SAnctus Adamannus Abbas Huenſis de quo ita Tritemius in libro de viris Illuſtribus ordinis S. Benedicti. *Adamannus Presbyter & Abbas Scotorum Inſulæ Hu, vir in diuinis ſcripturis valdè ſtudioſus & eruditus, vitâ & moribus venerabilis, Pater multorum millium monachorum fuit: in quibus gubernandis adeò prudenter ſuauitatem cum efficaciâ iungebat, vt in obiurgationibus ſuis nihil aſperum, iracundũ, aut perturbatum (quæ ſubditorum mentes exacerbare potius quàm lenire ſolebant) vidiſſes*, ſed paternam grauitatem piâ quadam dulcedine & compaſſione mixtam, viuidam tamen & efficacem: vnde fiebat vt Religioſi ipſi tentationes omnes ſuas in eius ſinum facillimè deponerent, & viciſſim correctiones Adamanni quaſcunque, tan-

quàm ab amore & viſceribus charitatis profectas, repugnante licet ſenſu,animo placidiſſi no & ad oculum feruentiſſimo ſuſciperent. Buchananus hæreticus lib.5.hiſt.Scoticę ait miſſum fuiſſe Adamannum Sanctum ab Eugenio Scotorum Rege huius nominis quinto ad Alfridum Anglorum Regem (hic Egfrido fratri, qui ab Eugenio V. Scotorum Rege ad Lemirem amnem vnà cum viginti plus minus Saxonum millibus cæſus fuit, ſucceſſerat) pacis componendæ gratiâ cuius legationis meminit Beda lib.5.hiſt. cap. 16. De hoc S. agunt Henricus Caniſius tom.5. Antiq. lectio. *Adamanni Scoti libri tres de S. Columba Scoto Presbytero Confeſſore & nunc primum editi,&c.* Antonius Poſſeuinus in Apparatu, *Adamannus*,inquit, *Scotus monachus & Abbas monaſterij Inſulæ Hoyenſis in Scotia*, Molanus in Appendice ad Viuardum ad 23. Septemb. Coccius in Catalogo, Ioannes Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis lib. 4. hiſt. Scotorum in Eugenio VI. Sigebertus de Illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus cap. 64. & alij. Scripſit (præter tres citatos libros de S. Columba) librum de ſanctis locis, Natiuitatis. Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Ieſu Chriſti,& de monumentis SS.Patrum. *Poſſeuinus. Coccius. Leſlaus.*

Hoc eodem die S. Modocus Epiſcopus & Confeſſor ſanctitate vitæ & miraculis clarus in eâ Scotiæ parte, quæ ab eodem Kilmodok (quaſi locus Modoco ſacer) indigitatur. Extat perantiqua ad S. Modocum oratio, prætereà nihil.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt intercedente beato Modoco Confeſſore tuo atque Pontifice, ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.&c. *Oratio ad S.Modocũ.*

Vide Breuiarium Aberdonenſe & Skonenſia Chronica.

FEBRVARIVS.

1. die. SANCTA BRIGIDA virgo, cuius vita, miraculis maximis claruit. A pueritia ſanctitatis operibus dedita fuit. Dum eam parentes nuptui tradere vellent, & ipſa pudicitiam elegiſſet; poſtquam in manibus Epiſcopi coràm Deo virginitatem profeſſa eſt, lignum altaris tetigit quod ſtatim viride factum eſt. Quo viſo miraculo ſtupefacti parentes, eam Domino commendarunt. Miraculum hoc his verſibus deſcripſit Bandinus Gualfredutius Societatis Ieſu parte 1. ſacrorum Menſium.

Arida quod tenero reuireſcunt robora tactu,
Inque ſuo viuit ſtipite vita redux:
Virgineæ memoranda colas miracula dextræ,
Vrentes nunquam ſenſerat illa faces. *Bandinus. Gualfredutius.*

Cum autem die quodam meſſores patris ſegetes in agro colligẽ-

rent, & pluuia maxima erumperet: à meſſoribus ſuis imbrem ſedauit & circumſtantibus agris pluuiâ madefactis ſola area patris ſicca permanſit. Die quadam cum imbre cadente benè madida domum rediiſſet, & veſtes madefectas ſuper Solis radium qui per rimas intrabat, ſiccandas extendiſſet, quaſi in ſolidâ perticâ diuinitùs permanſerunt. Aquam in ceruiſiam & lapidem in panem conuertit, cæcum etiam à natiuitate illuminauit. Aprum inueniens qui ad oues comedendas venerat, in Chriſti nomine adeò manſuefecit, vt cum ouibus perpetuò quaſi aries moraretur: cum ijs deinceps ad paſtum egrediens domumque ipſas vti cuſtos reducens. Dum nouem viri in mortem vnius conſpiraſſent, & eos virgo Chriſti ab intento peſſimo reuocare non poſſet orauit Dominum, vt illorum votis reſiſteret. Egreſſis autem illis apparuit imago quædam quaſi illius occidendi: quam illi gladijs percutientes hominemque peremiſſe putantes læti reuerſi ſunt. Sed dum quod illis contigerat cognouerunt, compuncti ad pedes virginis prociderunt, & pœnitentiam egerunt. Hæc breuiter ex Petro de Natalibus in hiſtoria Sanctorum vitam habes deſcriptam à Lippeloo in vitis Sanctorum, Surio, Cogitoſo & alijs. Eſſe Scotam teſtantur omnes penè authores Sigebertus Gemblacenſis, *Virgo Dei Brigida Scota.* Rodulphus de Breda Tungrenſis Diaconus in Calendario generali, *Ex Scotia Brigidæ virginis.* Antonius Sabellicus enneade 8. lib. 2. *In Scotia Brigida virgo nata.* Calendarium Romanum Kalend. Febr. *In Scotia S. Brigidæ virginis.* Ado in Martyrologio ad hunc diem, Vſuardus, Beda, Maurolicus. & alij. Vvaldelber. Prumiens. Martyrolog.

Lippelous. Surius. Cogitoſus. Rodulphus de Breda. Vſuardus. Sabellicus. Maſſæus. Ribadeneira. Delrius. Fordanus. Theuetus. Dempſterus.

Brigida virgo potens Februi ſibi prima Kalendas
Scotorum poſcit, miro celebrata fauore.

Videantur Maſſæus in Chronico lib. 12. Petrus de Natalibus loco citato. Franciſcus Roſier tom. 3. ſtemmatum Lotharingiæ. Antonius Poſſeuinus in Apparatu, Surius & Lippelous citati, Gualterius in Chronologia, Genebrardus in Chronico, Ribadeneira in vitis Sanctorum. Delrio 2. tom. Diſquiſ. magic. lib. 4. Iacobus Gretſerus in præfatione Commentarij Exegetici in Sereniſſimum Iacobum magnæ Britanniæ Regem. Theuetus lib. 16. Coſmog. in deſcriptione Scotiæ, qui omnes eſſe Scotam teſtantur. Ex noſtris pro hac eadem re, vide Boëtium, Leſlæum, Maiorem, Fordanum, & alios. Induit monialem S. Brigida in Mona Inſula, quæ Regum Scotorum erat ſepultura, Boët. lib. 9. Obijt Abrenethi in Scotia vbi corpus miraculis in Canonicorum Cœnobio, multis ſæculis claruit, vt ex Ioanne Leſlæo, & ex ciuitatis illius regiæ archiuis declaratur. Dempſterus in Mendicabulis repreſſis Hybernorum pag. 5. & 6. qui ibidem teſtatur ex Fordano in hiſtoria Scotica, Parentes Sanctæ Brigidæ Orcades rexiſſe, in Cathenesia Scotiæ prouincia domicilium habuiſſe, & ſub Congallo Rege fœliciter Saxones cum Hengiſto, ne Inſulas occuparent, arcuiſſe; & denique fuiſſe ſacras reli-

quiarum S. Brigidæ memorias, & partem illius vireſcentis ligni in Candida Caſa, cum hæreſi furenti ſacra omnia prophanata.

HOc die S. Fintanus Confeſſor; alij Finnanum ſeu Sinanum vocant, Martyrologium Romanum eius feſtum ponit 17. huius menſis die. Paupertati fertur fuiſſe addictiſſimus. Ex Culdæorum Patrum numero fuit. In orationibus & Prædicationibus aſſiduus erat, tantùm quæ victui neceſſaria videbantur, ab eis quos docebat, accipiendo. Vide Vſuardum in Martyr. ad 17. huius Menſis, Poſſeuinum Regium. & alios. Diuerſus eſt hic S. à S. Finano Pont.

HOc eodem die cœleſtia petijt Richardus de Media Villa, Scoticè Middeltonus. Scotum eſſe teſtantur Sixtus Senenſis, & Pitheus Anglus apud Dempſterum noſtrum lib. 12. hiſt. Eccleſiaſt. gentis Scotorum.

3. die. SAnctus Fothadus Epiſcopus & Confeſſor, qui Malcolmo Scotorum Regi huius nominis II. erat à confeſſionibus & conſilijs. Ad principum res obeundas videbatur natus hic Sanctus, adeò rationis conſilio omnia ad prudentiæ normam diligentiſſimè exigebat. & ad finem altiſſimum coram Deo erigebat quæque, quo fiebat vt a viris principibus ſummè dilectus ſit, & in conſpectu Dei theſaurum inæſtimabilem diuinæ gratiæ rectéque factorum congeſſerit. Circiter annum 1002. grauiſſima diſſidia inter Grimum & Malcolmum Scotorum Principes de iure regni exorta ſunt, adeò vt Scotia tota in duas factiones diuiſa ſibi exitium, hoſtibus verò prædam pararet optatam. In hoc animorum motu S. Fothadus Epiſcopus (teſte Buchanano lib. 6. hiſtoriæ Scotorum) magna tum apud omnes ob ſanctitatis opinionem auctoritate, rem componere aggreſſus eſt, ſæpéque inter factiones commeando tandem perfecit, vt inducijs in tres menſes datis, Grimus in Anguſiam, Malcolmus in Cumbriam (quæ tum ad Scotos ſpectabat) ſecederet, nec ceſſauit Fothadus Sanctus, donec per eos hæ pacis conditiones conderentur vt Grimus quoad viueret regium nomen teneret, eo verò defuncto Regnum ad Malcolmum rediret: intereà communis vtrique terminus eſſet vallum Seueri. De Fothado S. agunt Leſlæus lib. 5. hiſt. in Grimo Boëtius lib. 11. hiſtoriæ. Du Cheſne lib. 9. hiſt.

4. die. SAnctus Modanus Abbas Drijburgenſis. Hîc Dei famulus in Religioſum Abbatiæ Drijburgenſis album adlectus ſub annum Chriſti 522. ad pietatem, cœpit animo eſſe propenſiſſimo, ſibique iam inde à principio perſuaſit, huius vitę perfectionem eo potiſſimum vitæ generé, quæ contemplatione & vnione cum Deo alitur collocandam eſſe. vnde quotidie ſenas ſeptenaſque orationi tribuebat horas; multus inſuper erat in caſtigando corpore, & in ſolidarum virtutum ſibi acquirendi ſtudio, humilibus ad hæc lubens exercebatur officijs tantà alacritate, vt in omnibus rebus dicto ſuperiorum ſemper audiens, neminem vidiſſes qui tam facilè alienę

arbitratu fingi, flectique ſe ſineret: his igitur & huiuſmodi à Deo inſignibus donis ornatus, S. Modanus omnium conſenſu in Abbatem Drijburgenſem eligitur, electus adeò ſuauitatem in gubernandis ſuis ſubditis cum fortitudine coniunxit, vt ſuauitas non in laxitatem, fortitudo non in rigorem (vt fit ſæpè) degenerarent, ſed fortitudinem cum ſuauitate ita prudenter miſcebat, vt ſe non flecti ſineret ab eo quod diſciplinæ religioſæ ſpiritum & vigorem conſeruare iudicabat, & tamen religioſis ipſis ita compati nouerat in rebus neceſſarijs, vt hæc non deeſſe, ſuperflua non adeſſe, vllâ ratione permitteret; ſicque erga ſubditos ſe gerebat, vt qui reprehenderentur, agnoſcerent, ſibique perſuaderent, reluctante licet naturâ Modanum Sanctum prudentia, quæ de ſurſum eſt agi, ſuoque fungi officio ex Spiritus ſancti dictamine. Fuit Drijburgus in quo hic Sanctus egit Abbatem, vna ex celeberrimis Scotiæ Abbatijs non procul à Mailroſa, quas vtraſque, direptis prius rebus ſanctis, Rex Angliæ cum ſuis circa annum 1214. etiam cæſis monachis infirmioribus, qui vel defectu virium vel ſenectutis fiduciâ ſoli remanſerant impiè concremauit. De Sancto Modano agunt Chronica Sconenſia, Breuiarium Aberdonenſe. Celebris habetur in Occidentali Scotiæ parte, vt in Stirlingēſi agro, Fal-kirk, Dumbartane, & Lochgarloch. Solebat præterea Modanus Sanctus poſt prædicatum hinc inde Euangelium, monaſteriorumque, quibus præerat, viſitationem, ſolitudinem quærere, & in altiſſimas Dumbartanas rupes triginta aut quadraginta dierum ſpatio in ſumma vitæ auſteritate, meditandiſque diuinis ſcripturis, Chriſtique myſterijs ſumma mentis dulcedine tempus tranſigere. Videantur de eo Leſlæus, & Regius ille in hiſtoria Scotica, hic verò in Calendario.

Leſlæus. *Regius.*

5. die. SAnctus Buo Apoſtolus Iſlandiæ, eius diem feſtum alij alio die ponunt. Videantur de eo Arngrin, Ionas, Nauigatio Anglicana paginâ 304.

Arngrin. Ionas.

6. die. SAnctus Ronanus, quem Beda Ronan & Ronanum vocat, hic Sanctus relictâ Scotiâ Apoſtolorum limina quæ in ſumma apud Scotos ſemper veneratione fuere, inuiſenda ſuſcepit. Ex Patria egrediens Angliam pertranſijt, vbi diſputationi de Paſchatis obſeruatione duorum Regum iuſſu ſuſceptæ interfuiſſe teſtatur Beda libro tertio hiſtoriæ cap. 27. relictâ Angliâ Scotiam repetiit Ronanus, & in Inſula Hebridarum vna, cui in hodiernū vſque diem à Ronano Sancto, Ronan nomen eſt, Abbas ſanctitate vitæ & miraculis clarus obdormiuit in Domino circa Chriſti annum ſeptingenteſimum ſeptuageſimum octauum, eſtque in hodiernum vſque diem Sacellum in hac inſula Diuo Ronano ſacrum. Fertur ſcripſiſſe librum de celebratione Paſchæ. De eo agit Regius in Calendario & Epiſcopum vocat. Agit etiam de eodem Aberdonenſe Breuiarium & ſimiliter Epiſcopum vocat.

Regius.

7. die

7. die SAnctus Treſſanus Confeſſor apud Rhemenſes in Campania Galliæ, miraculorum gloriâ celebris. Hic Dei ſeruus honeſtis ſimul & ſanctis in Scotia natus parentibus à tenella ætate religioſis viris traditur educandus. Quapropter tanta eius animam cœleſtis gratiæ & ſpiritualium dulcedo rerum poſſederat, vt iam tum loca ab omni ſtrepitu remota quæreret vt liberiùs Deo omnium creatori inſeruiret; cumque multa ad id aſſequendum in paterna domo obſtacula cerneret, cum ſex fratribus, tribuſque ſororibus relictâ Scotiâ in partes Galliarum venit: audierat enim Dominum dicentem Abrahæ: *Egredere de terra & cognatione tua, & veni in terram, quam monſtrauero tibi*. Elegitque ſecretum locum ad habitandum vt Deo ſoli militaret ſecretiùs, quo poſſet ſcandere cœleſtia liberiùs. Erat enim prædictus Dei famulus literarum ignarus, ſed quamuis idiota, cultor Dei deuotiſſimus. Sed quia eum diximus cum ſex fratribus & tribus ſororibus in Galliæ aduenisse fines, vt eorum nomina recitentur dignum duximus: fuerunt itaque fratres, Gibrianus, Helanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus: & ſorores, Frauda, Promptia, Poſſenna. Hi ſex fratres cum tribus ſororibus in Dei vocantis laudibus terrena deſpiciebant, ad cœleſtia anhelabant, peritura contemnebant, & æterna deſiderabant, itaque ſancto viro pro eo quod erat idiota incidit cogitatio ſancta, vt famulatu corporeo cibum quæreret, quem in Eccleſiaſtico miniſterio habere non poſſet: adhæſit vni regionis incolarum in pago ſcilicet Rhemenſi ſuper Matronam fluuium. Et cum vidiſſet eum Dominus eius francigenæ linguæ penitùs ignarũ, commiſit illi curam porcorum, quod ille humiliter ſuſcipiens & fideliter exequens, non immemor Apoſtolici præcepti, ſerui ſubditi eſtote in timore Domini, vigilabat ſupra gregem & à prauis cogitationibus cuſtodiebat mentem. In eo ergo loco Dei famulus, qui dicitur Montiniacus, vbi & eſt Eccleſia beato Martino dicata, cum Sacerdos expleret Matutinorum & Miſſarum ſolemnia, aderat S. Treſſanus ad fores Eccleſiæ cupiens diſcere Eccleſiaſticæ regulæ miniſterium. Pius ergo Dominus qui cuſtodit diligentes ſe, videns famulum ſuum ſibi deuotiſſimum, inſtruebat eius animam peritiâ literarum, eumque ornabat multitudine virtutum. Antiquus ergo hoſtis qui non ceſſat perſequi famulos Chriſti, incitauit homines proximi loci qui dicitur Agenis & inuidiæ ſtimulis accendit: qui cum audiſſent quadam die beatum Remigium aduenisse in villam quæ dicitur *Villaris in ſylua*, adeunt præfatum Præſulem ruſtici, quæruntúrque Treſſanum virũ genere Scotum, vineas ſuas vaſtare, campos & prata depaſcere, omniaque ſua diripere. Sanctus autem Remigius Treſſanum acceſſit, cauſam inquirit, vt Treſſanum inculpabilem agnouit, accuſatores & inuidos à ſe pepulit, Treſſanum verò verbis dulcibus conſolatum à ſe dimiſit, ſuaque benedictione ſignatum abire permiſit. Sanctus igitur Treſſanus colli-

gens in vnum gregem porcorum, dum reduceret ad domos poſſeſſorum ſuorum ſtetit in loco qui hodie dicitur mons Sancti Treſſani, aſpicienſque locum qui dicitur Agenis: vos, inquit, qui me apud ſummum Dei Sacerdotem mendaciter accuſaſtis, poſtquam triginta annorum circulum tranſieritis, nunquam in ſæcularibus pecuniis creſcetis. Melius enim eſt in hoc ſæculo puniri, quàm in futuro ſine fine cruciari. Volens ergo Dominus oſtendere populis quod exaudiret vocem ſerui ſui, adimplet in præfatorum inuidorum ſobole quod Sanctus prædixerat, & conſtat, quod poſtquam tranſierunt triceſimum ætatis annum egeſtate laborarunt, indigere & mendicare cœperunt. Paruo autem interuallo temporis tranſacto Sanctus Treſſanus Laudunum petens, Sanctum Pontificem Genebandum adijt, & vt a beato Remigio ad ſacros ordines promoueretur, humiliter poſtulabat. Sanctus Genebandus videns viri Sancti bonum deſiderium, eumque in modico tempore, non mediocriter literis eruditum, perrexit ad Sanctum Remigium, deſideriumque viri iuſti pandit, & quod ſuppliciter pro eo petit, velociter impetrauit. Statutis ergo temporibus à beato Remigio ordinatur Sanctus Treſſanus, ab electo eligitur, à Sancto ſanctificatur, & vt inſeruiat ſacris Chriſti altaribus permittitur. Quantum vero in Dei famulatu ſe exercuerit, corpus ieiunijs attriuerit, vigiliis & orationibus indeſinenter inhæſerit, pauperibus eleemoſynas largiter diſtribuerit, ſæculum contempſerit, opera diaboli odio habuerit, Chriſtum toto corde dilexerit difficile fuerit enarrare. Igitur ad ordinem ſacerdotij promotus Sanctus Treſſanus elegit locum ſuper Matronã fluuium qui dicitur Marogillus, in quo eſt Eccleſia beato Hilario Pictauienſi Epiſcopo dedicata. Hanc elegit ad ſeruiendum Deo, ad ſacrificandum Regi altiſſimo. Eſt præterea propè locũ illum Eccleſia in honorem beati Martini Turonenſis Præſulis conſecrata, vbi ſimiliter diuinum complens officium, immolabat Deo ſacrificium laudis. Cum autem ibi prædictus S. Treſſanus moraretur, & ſe totum manciparet diuino cultui, acceſſit ad eum quidam eiuſdem loci incola apud Sanctum confiteri peccata ſua volens, & vt pro ſe ad Dominum preces funderet, humiliter implorans, cumque varia beneficia a Deo interceſſione Sancti Treſſani ſe accepiſſe experientiâ didiciſſet, ſtatuit pratum quoddam quod habebat Deo conſecrare. Hoc ergo pratum eſt infra terminos villæ quæ dicitur Agenis, & ex nomine Sancti nomen obtinuit, Huius beati viri merita quàm Deo grata & acceptabilia fuerint demonſtrant miracula quæ per eum in vita ſua ſunt mirabiliter operata. Euigilans ſemel poſt ſomnum vidit bac lum ſuum viriditati priſtinæ reſtitutum & cortice, foliiſque viridibus ornatum, qui hucvſque per tot annorum curricula durat. Quodam tempore quidam incola prædictæ villæ præfatã arborem præſcidit, ſed non terrâ tenus truncauit: quam cum voluiſſet aptare fabricæ domus ſuæ morbo corripitur, ſeptimaque die poſt perpe-

trationem ſceleris miſerabiliter moritur. In radice prædictæ arboris eâ horâ quâ ſolo infixit eam vir Dei ortus eſt fons miræ dulcedinis qui decurrit vſque ad imũ montis. Hoc præfatus Sanctus vt vidit, Deo gratias retulit & de fõte bibit, petiitque à Deo vt nulli hæc aqua noceret, ſed potiùs omnibus eſſet vtilis, & ſanè in hodiernum diem nihil furto ſublatum aquâ fontis huius poteſt coqui. Quodam etiam tempore quædam fœmina prædictæ villæ volens in prædicto fonte veſtes ſuas abluere, quod cupiebat non potuit implere, nam vt prædictas veſtes in aquam miſit, factus eſt fons rubei coloris in ſimilitudinem ſanguinis de corpore humano prodeuntis. Plures itaque laborantes febribus tertianis aut quartanis eò adueniebant, de fonte bibebant, & ſalutem recipiebant: poſtquâm ergo his & huiuſmodi ſignis Redemptor mundi merita ſerui ſui in hoc mundo publicaſſet ad honorem nominis ſui & gloriam de carcere huius ſæculi eum vocare decreuit. Itaque vir Sanctus Treſſanus infirmitate corporis prægrauatus lecto decubuit & vſq; ad extrema deductus finem corporis ſui imminere perſenſit. Conuocauit itaque Sacerdotes & ſacri ordinis Miniſtros, oleumque ſacræ reconciliationis expetit: & cum cordis intima contritione & ſpiritus humilitate ſuſcepit. Confortans autem fratres, aiebat, confortamini in Domino fratres chariſſimi & in fiducia bonitatis eius ambulate, bonus quippè Dominus diligentibus ſe. Quæ poſtquam expleuiſſet, viaticum petijt, quo ante ſe lato ſurgens e lecto & proſtratus humi, dixit corde deuotiſſimo Aue fidiſſima ſpes noſtra, Aue ſancta redemptio noſtra, Aue caro Chriſti ſanctiſſima & ſuper mel & fauum dulciſſima, quo dicto corpore Domini pretioſo percepto repoſitus in lectulum oculis & corde intentus in cœlum Sanctum emiſit ſpiritum penetrans regnum ſine fine manſurum: eadem verò hora quâ ſancti viri beata anima eſt carcere corporis ſoluta tanta odoris flagrantia ibi mox affuit qualem nullus omnium qui ibi aderant vnquam anteà ſenſerat. Nec mirum neque incredulum, quippè qui in hoc ſæculo per bona opera bonus odor fuit Chriſti in omni loco. Poſtquã igitur beatus Chriſti Sacerdos Treſſanus corpore exutus mundũ dimiſit, & ad cœleſtia tranſiuit. Sacerdotes & hi qui eius morti adfuerunt de corporis ſepultura tractare cœperunt, propoſueruntque vt ſepeliretur Marogilis in Eccleſia ſancti Hilarij in qua militauerat multis diebus. Volenteſ leuare feretrum nihil proficere potuerunt, propoſitum eſt ergo vt ferretur ad Altuillarenſe cœnobium, ſed hoc tentantes ſecundum laborem ſimilem priori repererunt. Sapientiori autem conſilio Deo inſpirãte concepto propoſitum eſt, vt plauſtro corpus imponeretur, duæque bubulæ iungerentur, & ſecundùm Dei voluntatem à beſtijs ad locum ſepulturæ duceretur. Legimus enim in libro Regum, Arcam Domini Satrapas Philiſtinorum plauſtro nouo impoſuiſſe, vaccaſque ad plauſtrum iunxiſſe: ita & hic vir Sanctus Eccleſiæ filius, & Eccleſiæ ſer-

uus ab Eccleſiæ doctoribus flentibus & pſallentibus ducebatur ad locum quem diſpoſuerat Dominus. Erat namque in proximo, locus qui dicitur Aueniacus vbi aduenerunt bubulæ plauſtro iunctæ cum Sancti corpore, ſteteruntque immobiles nullo modo longiùs procedere volentes. Quod videntes Sacerdotes cognouerunt Domini eſſe voluntatem vt ibi ſepeliretur Sacerdos, cuius ſancta anima iam penetrauerat cœlos. Ibi ergo ſepelierunt corpus Sancti Sacerdotis in die iudicij in gloriam reſurrecturi. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Hæc ferè ad verbum ex codice monaſterij Sancti Remigij apud Rhemenſes.

Boetius. Vide Boëtium lib. 9. Flodoardum, &c.

Conſtant. Guinius. EOdem die Sanctus Augurius vel Augulius ſiue Aulus. De eo videantur Conſtantinus Guinius, vita Dernargillæ. Reliquiæ Dundrani in Brigantibus aſſeruabantur.

Volfangus. Lazius. 8. die. SAnctus Burchardus Epiſcopus Herbipolenſis. Alij alio die eius diem feſtum ponunt. De eo videantur Vvolf. Lazius præfatione ad migratio. gent. Dempſterus & alij.

9. die SAnctus Erehardus vel Erchardus Confeſſor, qui cum Hildulfo & Alberto fratribus Germaniam prædicandi Euangelij cauſâ perijt, nullam ibidem benè merendi de proximis occaſionem prætermittens; & ſanè tanta de huius Sancti Sanctitate & doctrina fama creuerat, vt ad eumdem varijs morbis laborantes deferrent multi, quod cum videret Sanctus Regio-Noburgum aufugit, ibique monaſterio præpoſitus & editis miraculis pluribus ac vitæ innocentiæ clarus ex hac vita migrat. De eo videantur Pantaleon parte 1. Proſopographiæ & Marcus Velſerus lib. 5. Boicar. rerum ad annum 753. *Pantaleon. Velſerus.*

10. die SAnctus Erlulpus Martyr & Epiſcopus Verdenſis. De eo Domochares in Catalogo Epiſcoporum Verdenſ. lib. de ſacrificio Miſſæ ita loquitur Sanctus Erlulpus Scotus Martyr in loco Eppexſtorp. &c. Relictâ Scotiâ exemplo aliorum Scotorum, quos Carolus Magnus poſt initum fœdus cum Achaio Scotorum Rege ad conuerſionem Saxonũ euocauerat è Scotia, eo omnia ſua conſilia conferebat, vt Saxones in Germania lucri faceret Chriſto. Fuit hic ſanctus ordine decimus Verdenſis Eccleſiæ Epiſcopus De eo videantur Crantzius lib. Metropol. cap. 30. Pantaleon, & alij. *Crantzius.*

Florentius. Vvigornienſis. 11. die SAnctus Betta primus Apoſtolus Merciorum. Alij alio die eius feſtum colunt. Videatur Florent. Vvigornienſ. ad annum 653. pag. 560.

12. die SAnctus Maneteus Abbas, celebris habetur in Hebridibus Inſulis præcipuè in Iona Inſula. Fit eius mentio in vitâ S. Columbæ, claruitque ſanctitate & miraculis eodem quo Columba tempore.

13. die SAnctus Bernardus Apoſtolus Edeſſanus, bello ſacro copias Scotorum duxit. Scoti-Chronicon, & alij.

14. die. SAnctus Conranus vel Contannus Epiſcopus & Confeſſor, qui Orcadenſium animos (exemplo Sancti Palladij Scotorum Apoſtoli, Sernani & Kentigerni, quibus Orcadenſium ſalus mirificè cordi fuerat) cum ad omnem Chriſtiani officij fidem tum ad mutuam inter ſe concordiam & animorum vnionem inflammabat. Oppida & vicos in prædicando Dei Euangelio pedes obibat, & ſi quid à prædicatione Euangelij ſupereſſet otij, id omne varijs animarum remedijs per colloquia ſancta de Deo impendebat, in ſubleuandis etiam corporibus pauperum præcipuè & orphanorum ſuſcepta cura: quibus in laboribus exacto die, de neceſſaria ſibi noctis ſubducebat quiete, quod precibus & orationibus pro ſuo grege cum Deo tribuebat. Huiuſmodi pietatis officijs exactis, ſeſe recipiebat ad Culdeorum monaſterium in Pomonia (Scoticè Kirkuual, quæ omnium Orcadum Inſularum maxima eſt, patet enim in longum triginta ad minimum millia paſſuum, excurritque tota in promontoria altiſſima) ibique ad tempus manebat. Magnâ ſanctitatis famâ floruit apud Orcadenſes Conranus. De eo agunt Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ. Arnoldus VVion in additionibus in lib. 3. Ligni vitæ. *Vvion,* Regius, & alij. *Regius.*

15. die. SAnctus Erualdus Martyr, Apoſtolus Franconiæ in Germania, vbi non inutiliter in prædicandâ Chriſti doctrinâ tempus exegit magno populi accedentis ad Chriſtum plauſu & numero, vnum illud crucis amatorem Erualdum angebat, quod martyrium ſubeundi pro Chriſto deeſſet occaſio, quo ſi diu careret, videbatur non fideliter militare Chriſto Domino, quod & ipſum affirmabant Erualdi ſocij è Scotiâ in Germaniam cum ipſo progreſſi, quos deuotio ſingularis & ſitis ipſa Martyrij traxit, vt ſe mitterent in laborem ad brauium ſupernæ vocationis. De hoc Sancto videantur Crantzius lib 1. cap. 9. &c. Tritemius de viris illuſtribus ordinis Sancti Benedicti.

16. die. SAnctus Tanco Epiſcopus Verdenſis (ſunt qui Tatto ſcribant) & Martyr, de quo ita Crantzius in Metro. cap. 22. lib. 1. *Tanco tertius Eccleſiæ Verdenſis Pontifex, Scotus & ipſe natione, & in eadem prouincia monaſterij Abbas Amarbaricenſis, in vtroque loco Patroni ſuccedens, & ipſe pro diuina religione peregrinatus, dignum locum in quo Chriſto militaret, exoptans, in feroci gente coronam capere martyrij.* Vir planè Apoſtolicus qui cum in efformandis Saxonum moribus ad Chriſtum, & Catholica religione plantanda nullis laboribus parceret, nec partem vllam quietis caperet, rebus conficiendis arduis & operoſis, quæ vt plurimùm in conuertendis Ethnicis intercedunt; ex alterâ verò parte innumera ferret incommoda quæ oppreſſa per id tempus bello Caroli Imperatoris Saxonia augebat: poſt incredibilem animarum meſſem tot laboribus partam, cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto, Martyrij palmâ donatus eſt circa Chriſti annum 815. illud ſæpè repetens: Domine Ieſu ne ſtatuas illis hoc pec-

catum. De hoc Sancto videantur Crantzius loco citato, Leſlæus lib 5. hiſtoriæ. Arnoldus Vuion & alij.

17. die. SAnctus Finnanus Epiſcopus & confeſſor. Vir diuinæ gloriæ percupidus, & alienæ ſalutis ſitientiſſimus, cuius conuerſatio perennis in cœlo, vſuſque perpetuus cum Chriſto Domino, Virgine, & Angelis, quicquid ei accidebat, mēte continuò ferebatur in cœlum, gratiaſque de omnibus agebat Deo, tantaque in eius dictis vis, exiſtimatio & pondus quoddam inerat, vt omnium cum quibus ageret, compleret pectora pietate, quo factum vt Sigibertum orientalium Anglorum Regem (teſte Beda lib. 3. cap. 22) primo congreſſu ad fidem Catholicam derelictis Idolis traduxerit, & Pendum Mediterraneorum etiam Regem Anglorum cum omnibus qui ſecum venerant comitibus, ac militibus, eorumque famulis vniuerſis (teſte Beda lib. 3. cap. 21) Baptiſmatis ſacramento primus initiaret; Diumam gentilem ſuum & virum Apoſtolicum Epiſcopum crearet, & Mediterraneorum Anglorum ſimul & Merciorum populis præfecerit, Cedam orientalibus Anglis in Epiſcopum dederit. De hoc Sancto videantur Beda citatus, Arnoldus Mermannius in Theatro conuerſionis Gentium, Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ Maior lib. 2. de geſtis Scotorum, Breuiarium Abrædonenſe in parte hyemali, Regius in Calendario, Tritemius & alij.

Mermannius.

18. die. SAnctus Colmannus Epiſcopus & Confeſſor paternarum traditionum & auitæ religionis tenaciſſimus, quod cernere eſt in diſputatione illa de Paſchate ad annum 564. de quâ videatur Beda lib. 3. hiſt. cap. 27. poſt diſputationem in Angliâ habitam, relictâ Angliâ Scotiam repetijt & primò venit in Inſulam Huy vnde erat ad prædicandum verbum Dei Anglorum genti deſtinatus, deinde ſeceſſit ad Inſulam quamdam exiguam quæ ſermone Scotico Inſula vitulæ albæ nuncupatur (quam puto eſſe quæ hodie Calfa vocatur in Septentrione Orcadum collocata) in quam perueniens conſtruxit monaſterium & monachos inibi tam Scotos quàm Anglos quos ſecum adduxerat, collocauit: qui cum inuicem concordare non poſſent, quæſiuit Colmannus huic diſſentioni remedium & circumiens omnia propè vel longè inuenit locum in Hybernia inſula nomine Magio (vocat Beda lib. 3. cap. 4. dum hoc deſcribit Scotiam Hyberniam, nam conſtat Magio, Orcadum Inſularum vnam eſſe, & in hodiernum vſque diem ad Scotos ſpectare (aptum monaſterio conſtruendo, & Anglos ibidem collocauit, relictis in Inſula Vitulæ Albæ Scotis. Totam hanc hiſtoriam narrat Beda loco citato qui lib. 3. cap. 27. charitatem eximiam Scotorum in docendis & erudiendis Anglis obiter perſtringit. Erant (inquit) ibidem eo tempore multi nobilium ſimul & mediocrium de gente Anglorum qui tempore Finnani & Colmanni Epiſcoporum relictâ Inſulâ patriâ, vel diuinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratiâ illò ſeceſſerant. Et quidem quidam mox ſe monaſticæ conuerſationi fideliter man-

cipauerunt, alij magis circumeundo per cellas magiſtrorum lectioni operam dare gaudebant, quos omnes Scoti libentiſſimè ſuſcipientes, victum eis quotidianum ſine pretio, libros quoque ad legendum & magiſterium gratuitum præbere curabant: hæc Beda. Magnâ fuit Colmannus in authoritate apud Ferchardum Scotiæ Regem hoc nomine ſecundum quem & intrepidè admonuit vt à flagitijs, quibus erat addictus, abſtineret, ſed fruſtrà: Communione tamen Chriſtianorum Colmanni authoritate excluſum Regem Proceres Regni punire volentes, inhibuit Sanctus Epiſcopus, eoſque prudenter & religiosè admonuit, *In vnctum Domini manus inferre impium eſſe, & à diuinis mandatis alienum* & ſanctiſſimè, quid enim magis impiũ quam manus violentas in Regem ſuperiorem & Dominum inijcere? deinde Prophetico ſpiritu prædixit Colmannus Deum tot ſcelera acerrimè in Ferchardo vindicaturum; quibus ſanctiſſimi Colmanni verbis (inquit Leſlæus lib. 4. hiſt.) euentus fidem fecit, nam paucis poſt diebus, cum animi gratia Rex venaretur, Lupus Regis latus dente petiuit, vnde abiectâ ſpe omni recuperandæ ſanitatis, cœpit priſtinæ ſuæ vitæ eluendæ rationem inire. Ad ſeſe ergo rediens, diuinam vltionem iuſtam confirmare, multiſque lachrymis D. Colmannum obteſtari, vt anathematis vinculo, quo obſtringebatur, illum liberaret. Quod cum feciſſet Colmannus, Rex ſacris Eccleſiæ Sacramentis munitus, vitam placidè cum morte commutauit, Anno regni ſui duodecimo. Fuit hic Sanctus amantiſſimus paupertatis Euangelicæ quam in Colmanno & cæteris etiam Scotis qui in Angliam ad prædicandum Euangelium Chriſti cauſa proceſſerunt, mirificè laudat Beda lib. 3. hiſt. cap. 27. quem conſule. Vide etiam Regium in Calendario Sigibertum in Chronicis, Tritemium de viris illuſtribus ordinis Sancti Benedicti, Maiorem lib. 2. hiſt. Scoticæ, Leſlæum lib. 4. Boëtium lib. 9. hiſt. Surium, & alios. *Tritemius. Sigibertus. Maior.*

EOdem die paſſa eſt Martirium Maria Stuarta Sereniſſima Scotorum Regina, quæ ob Catholicæ fidei conſtantiam & inuictum contra hæreticos animum, dono & pollicitationibus impijſſimæ Iezabelis Elizabethæ Anglorum Reginæ in Angliam pellecta, poſt viginti annorum incarcerationem & longum quaſi martirium hoc die cruento martyrio coronata eſt. Extat eius vita Authore Doctiſſimo & Perilluſtri D. Georgio Conæo Noſtrate, quam qui voluerit, conſulere poterit. De ea Baronius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis illuſtriſſimus tomo 5. Annaliũ ad annũ 429. ex occaſione Scoticanæ Eccleſiæ ſic loquitur: *qui igitur* (de Scotis ſermo eſt) *Euangelium primo à Victore Pontifice Maximo accepere eatenus Chriſti gratiâ profecere, vt poſtea omnium preſtantiſſimi euaſerint Chriſtiani, Chriſtianamque fidem ſummâ diligentiâ excolentes, Apoſtolico munere (vt ſuo loco dicturi ſumus) in exteras gentes longè poſitas latiſſimè atque locupletiſſimè propagarint. Porrò eandem Eccleſiam nobiliſſimam hoc noſtro ſæculo Deus tentari permiſit vt Chriſtianæ conſtantiæ præclariſſimum ſpecimen*

ederet, cum inter alios martyres, habere etiam meruit (quod nulla hactenus chriſtiana gens habuit) ipſam Reginam catholicæ fidei eximium decus & ornamentũ diutiſſima confeſſione in carcere ante probatã, & nobiliore coronã martyrij auctam. Hæc Baronius, cui ſuſcribit Bozius lib. 22. de ſignis

Baronius. Eccleſiæ cap. 3. ſigno 21. *Chriſtus* (inquit) *hoc maximum laudabiliſſimumque bonum dedit Septemtrioni, vt Scotia haberet Reginam Martyrem, Regis filiam, coniugem, & matrem : hoc ſanè bono nullum regnum ſeſe efferre toto orbe poteſt.* Vide ea quæ de hoc Sereniſſimâ Reginâ dicturi ſumus lib. vltimo : eius Epitaphium cultiſſimum ab VRBANO 8. nunc Summo Pontifice tunc Septemdecim annorum Adoleſcente compoſitum hic lectori ſubijcio.

Te quanquam immeritam ferit ô Regina ſecuris,
Regalique tuum funus honore caret.
Sorte tua gaude, mærens neque Scotia ploret.
En tibi Pompa *tuas quæ decet exequias.*
Nam tibi non paries atro velatur amictu,
Sed terras circum nox tenebroſa tegit.
Non tibi contextis lucent funalia lignis;
Sed Cæli ſtellæ, Nænia triſtis abeſt.
Sed canit ad pheretrum ſuperum chorus aliger, & me
Cæleſti incipiens voce, ſilere iubet.

Aliud ſubijcio à Noſtrate quodam compoſitum.

Regibus orta dedi Reges, Reginaque vixi,
Ter nupſi, tribus orba viris, tria regna reliqui,
Gallus opes, Scotus cunas, dedit Angla ſepulchrum.

19 die. BEatus Bodeca ſeu Dudoco Epiſcopus Bathonienſis Alij alio die eius feſtum ponunt. Videantur Franciſcus Goduinus Scoti-Chronicon & alij.

20. die. SAnctus Cœlius Sedulius Epiſcopus *Dei amans* cognomẽto. Alij diem eius feſtum ponunt decimo tertio Iunij. De

Gropperus. eo vide Gropperum de Sacramento Altaris pag. 460. Gennadium,

Gẽnadius. Geſnerum, Simlerum, Antonium Nebriſſenſem, & alios.

Geſnerus. HOc eodem die Sanctus Coganus Abbas Fuit hic Sanctus Sanctæ Kentigernæ frater. De eo agit Aberdonenſe Breuiarium in vitâ ſanctæ Kentigernæ ad ſeptimum diem Ianuarij.

21. die. SAnctus Chunialdus Presbyter & Confeſſor : fuit is ſocius peregrinationis & meriti magni illius Ruperti Salisburgenſis Eccleſiæ Antiſtitis, in cuius die tranſlationis quæ ad octauum Kal. Octob. fit, celebratur etiam pia Chunialdi memoria, licet in Scotiâ hoc coleretur die.

22. die BEatus Brixius Epiſcopus Morauienſis. de eo videatur Scoti-Chronicon lib. 9. cap. 37.

Scoti-Chrodicon. 23. die. SAnctus Boiſilus Confeſſor & Abbas Mailroſiæ in Scotiâ, cui crebra fertur in ore fuiſſe Sanctæ Trinitatis & auguſtiſſimi Ieſu nominis vſurpatio ex redundantiâ pietatis ſolidæ erga

Chriſtum

Chriſtum Dominum, de quo tam tenero, molli que animo tamque vberi fletu cogitabat & loquebatur, vt in fletum ipſos quoque auditores & inſpectores adduceret, illud ſæpè tenerrimo animi ſenſu repetens, Quàm bonum habemus Ieſum. De hoc Sancto agit Tritemius lib. de viris illuſtribus ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 326. Extant adhuc in Scotià prope Tuedam fluuium huius monaſterij veſtigia. Fuit hic Sanctus Sancti Cudberti præceptor, eumque fuiſſe Prophetiæ dono inſignem teſtatur ipſe Sanctus Cudbertus apud Bedam in eius vitâ ad vigeſimum Martij. Qui cum Cœnobitarum vitam affirmaſſet admirandam quod Abbatis per omnia ſubijcerentur imperio, & ad eius nutum cuncta, vigiliarum, orationis & ieiunij momenta moderarentur, ſubiungit. Quorum plurimos noui paruitatem meam longè & munditia mentis & culmine gratiæ prophetalis anteire, è quibus eſt venerabilis & cum omni honorificentiâ nominandus Chriſti ſeruus Boiſilus, qui me in Mailroſſenſi monaſterio quondam ſenex adoleſcentem nutriebat, & inter nutriendum, cuncta quæ mihi erant ventura, prophetica veritate prædixit, & vnum tantummodo reſtat ex omnibus ab eo mihi prædictis, quod vtinam nunquam impleatur, &c. Magno ferebatur hic Sanctus deuotionis affectu in legendo S. Ioannis Euangelio quod ſeptem quaternionibus diſtributum ſucceſſiuis legebat horis. Sanctum Cudbertum religioſorum Mailroſſenſium precibus à graui morbo liberatum in ſanitate confirmauit & non amplius morbum illum manſurum Prophetico ſpiritu longè antea prædixit, teſte Beda in vitâ Sancti Cudberti. Vides frater (aiebat) quia liberatus es, à moleſtiâ quâ laborabas: & dico tibi ea vltra iam tangendus non es neque hoc moriturus in tempore: ſimulque moneo vt quia me mors vicina præſtolatur, diſcere à me aliquid quamdiu docere valeam non omittas? Non enim pluſquam ſeptem dies ſunt, quibus mihi ſanitas corporis, & linguæ ſuppetat virtus. Reſpondit Cudbertus nihil hæſitans de veritate dictorum ipſius: & quid rogo optimum eſt legere quod tamen vnâ valeam conſummare ſeptimanâ? at Ille, Ioannem, inquit Euangeliſtam (ex cuius frequenti lectione erga Ieſu nomen ſingulari ferebatur affectu) eſt autem mihi codex habens quaterniones ſeptem, quos ſingulis diebus ſingulos poſſumus Domino adiuuante legendo & quantùm opus eſt inter nos conferendo percurrere? quã ideò lectionem tam citò explere volebat, quia ſolã in ea fidei quę per deuotionem operatur, ſimplicitatẽ, non autẽ quæſtionum profunda tractabat. Cõpletâ ergo per dies ſeptẽ lectione, memorato morbo correptus, vir Domini Boiſilus diem peruenit ad vltimũ, & hoc magnâ exultatione tranſcenſo ad gaudium lucis perpetuæ intrauit. Magna huic Dei famulo etiã poſt mortem cura fuit Scoticanæ Eccleſiæ, vtpote qui Egbertum Sanctum gentilium ad Chriſtum cõuerſionem, opus licet angelicum non modo meditantem, ſed etiã conſcenſâ naui vnâ cũ duodecim viris Apoſtolicis iter ingreſſum tempeſtate inie-

ctâ deterruerit, ac Hoyẽſis Inſulæ monaſteria Diuo Columbæ ſacra potius inuiſenda & de Paſchatis obſeruatione legitima edocenda diuino iuſſu imperarit. Viſionem vero ipſam refert Beda lib. 5. hiſt. cap. 10. his verbis Cũ expletis hymnis matutinalibus(loquitur ille cũ viſio facta eſt) in lecto membra depoſuiſſem, ac leuis ſomnus mihi obrepſiſſet, apparuit magiſter quondã meus & nutritor amãtiſſimus Boiſilus, interrogauitq; e me an eum cognoſcere poſſem. Aio etiã, tu es enim Boiſilus. At ille; ad hoc inquit veni, vt reſponſum Domini Saluatoris Egberto afferam, quod te tamen referente oportet ad illum venire. Dic ergo illi quia non voluit iter quod propoſuit implere: Dei enim volũtas eſt vt ad Diui Columbæ monaſteria magis docenda pergat: erat enim Columba primus Doctor fidei chriſtianæ tranſmontanis Pictis ad aquilonem, primuſque fundator monaſterij quod in Hu Inſula, Scoticè Hoy multis diu Scotorum Pictorumque populis venerabile manſit(fuit quippe vſque ad Malcolmi tertij Regis tempora Scotorum Regum Mauſeolum.) Audiens autem verba viſionis Egbertus, præcepit fratri qui hæc retulerat ne cuiquã hæc alteri referret. Egberto verò hanc viſionem negligente apparuit ſecundò Boiſilus dicens, quare tam negligenter ac tepidè dixiſti Egberto, quæ tibi dicẽda præcepi? at nunc vade & dic illi quia velit nolit debet ad monaſteria Columbæ venire, quia aratra eorum non rectè incedunt (die quippe Paſchatis ſecundum Romanum ritum ex ignorantia terram ſcindebant aratro) oportet autem eum ad rectum tramitem eos reuocare, & licet iam ſecundò Boiſilus Sanctus, Egbertum officij, iuſſu diuino admoneret: nihilominus tantus huic Sãcto inerat animarum zelus, vt nauim cũ duodecim diſcipulis ex Hebridibus Inſulis ſoluens conſcenderet, ſed fruſtrà nam vi tempeſtatis in periculum actus reuerſus eſt ad dilectæ locum peregrinationis & ſolito in ſilentio Domino vacare cœpit: & quoniam externis prodeſſe ad fidem non poterat, ſuis amplius virtutum exemplis prodeſſe curabat. Porrò cum Beda reuerſum dicat in dilectæ locũ peregrinationis, certum eſt ad celeberrimam illam Inſulam Orcadum cui Magio nomen rediiſſe, & monaſteriorum quæ in Orcadibus & Hebridibus Diuo Columbæ erant dicata curam de obſeruando Paſchate ſuſcepiſſe: teſtatur quippe Beda lib. 4. cap. 4. Sanctum Colmannũ Epiſcopum Anglis monaſterium in Inſula Magio quę vna eſt Orcadum ædificaſſe. In extremis conſtitutus Boiſilus Sanctus, ſupremis monitis Mailroſſenſes inſtruit ſcilicet vt gratias agerent ſummas de religioſæ dono vocationis, vt à iudicio proprio tanquam à capitali hoſte etiam atque etiam cauerent: orationem, cordiſque puritatem ad virtutis culmen viam eſſe breuiſſimam aiebat. Hæc & ſimilia documenta inculcans, peſtilentiâque (qua ſe moriturum longè ante prædixerat) interiora depaſcente, illud Diui Stephani *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum* ſæpè repetens, obdormiuit in Domino. Agit

Beda. *Maior.* de Boiſilo Beda citatus, & poſt ipſum Ioannes Maior lib. 2. de geſtis

Scotorum cap. 12. quem conſule.

24. die. SAnctus Berectus Monachus & Confeſſor,qui profuit & vitæ ſanctiſſimæ exemplo & prædicatione. De eo agunt Vvion lib.3.pag.59.Galeſinius ad hunc diem,& alij. Eius cõſilio narratur Mordacum Scotorum Regem ordine 59. Scotiam in ſumma pace,ſubditorum gaudio & commodo,annos rexiſſe multos.Præter cæteras huius Sancti virtutes magna illi fuit animarũ zelus , in ſummiſque ſe habere delitijs aiebat, ſi Deo ſuo vel vnius peccatoris animam lucri faceret.Eſca quippe iuſtorum(vt benè Sanctus Gregorius Lib.31. Moralium cap. 22) eſt conuerſio peccatorum. Vitam hanc cum beatiore mutauit, Anno Chriſti 720. *S. Gregorius.*

25. die. SAnctus Cailtanus Abbas. De eo vide Adamannum lib.1. cap.17.& alios. *Adamannus.*

26. die. SAnctus Ioannes Scotus diſcipulus Sancti Galli & poſtea Conſtantienſis Epiſcopus. Fuit is monachus in Scotia ordinis Sancti Benedicti,cuius Patriarchæ Sanctiſſimi inſtitutum multa habuiſſe monaſteria in regno Scotiæ teſtatur Miræus in orig. Benedic.cap.81.Multoſque ex eo regno,ijſque monaſterijs viros Apoſtolicos in Germaniam ſuperiorem & inferiorem tranſmigraſſe teſtantur Hundius in Metropoli Salisburgenſi, Molanus in natalibus Sanctorum Belgij. De eo agunt tabulæ Eccleſiæ conſtantienſis, Iodocus Metzler, vita S. Galli Scoti, & alij. *Hundius.* *Molanus.* *Metzelerus.*

27. die. SAnctus Hildulphus Confeſſor qui cum Sanctis Arbogaſto & Theodato ad flumen Haleſum erecto Oratorio ſe totum contemplationibus & meditationibus diuinis tradidit. Vide de hoc Sancto Surium ad 7. Nouembris, Bruſchium, Irenicum , & alios. Aduerte alium hunc eſſe à S. Hildulpho Treuirenſi Epiſcopo item Scoto de quo agit Vvelſerus rerum Boicarum libro 5. *Vvelſerus.*

28. die. SAnctus Nennius Abbas Benchorenſis Monaſterij in Inſula Hebridum Hu. Adoleſcentiæ annis nondum egreſſus, dum procelloſis actionum motibus ſæcularium hominum vitã agitari,& ab internæ ſapientiæ quiete ac dulcedine diſiungi cerneret,ſe ab omnium ſæcularium occupationum fluctuatione abſtrahere,ſolique Deo vacare firmiter ſtatuit;quod vt ſecurus faceret in Hoyẽſis Inſulæ Benchorenſe monaſterium ſe contulit, ſub annum Chriſti 600 vbi ſe totum ſuperioris arbitrio efformandum dedit,crebris inſuper ieiunijs corpus atterere & interiora cordis per aſſiduam compunctionẽ in ſecretiori ſacrificio mactare non deſtitit.In Abbatẽ electus omnibus neruis contendebat vt ſalus & perfectio propria ſimul & proximorũ cordi eſſet ſuis ſubditis,quorũ aliquos , vt Anglorum ſaluti ſeriò & viriliter incumberent, in Angliam miſit Finnano Sancto Duce & Anteſignano,qui in illo munere adeò ſe Apoſtolicè geſſit,vt Sigbertum Orientalium Anglorũ Regem cum omnibus qui ſecum erant in Curia,& Pendã Mediterraneorum Anglorum etiam Regem,Baptiſmatis Sacramento primus initiarit.Abeuntem in An-

gliam Finnanum & ſocios præclaris ſanè monitis Dei famulus Nennius muniuit, videlicet vt ob oculos haberent ſemper, hominũ licet infideliũ animas nõ auro vel argẽto ſed pretioſo ſanguine filij Dei redẽptas eſſe 2. nullũ eſſe ſanctius apud Deũ obſequij genus quàm ſit animarũ conuerſio.3 triplici genere gaudij vt plurimũ viros ſanctos in hac lachrimarũ valle perfundi ſolitos, internis cõſolationibus, familiaritate cũ Sanctiſſima Chriſti humanitate in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramẽto, animarũque multarũ ad Creatorẽ Deũ, conuerſione.4. vt in cõuerſatione familiari vbicũque fuerint, ſemper ſibi præſentes eſſent, præſentẽque Deum haberẽt ſemper 5. vt ſe totos rebus non traderent, ſed accomodarent, nec vnquã ſe nimiũ effundi in res etiã optimas ſinerent. 6. vt vbi res perfecerint, redirent ad ſe ſtatim, & negotia aliquantulâ quiete interrũperẽt, magna enim virtus eſt inter ſtrepitus viarũ & negotiorũ Deo, ſibique eſſe præſentẽ. 7. cũ mẽtis noſtræ feruorẽ in hac lachrymarũ valle ſenſim ſine ſenſu veteraſcere cernamus, curandũ vt diligẽti ſtudio perfectionis & crebræ mẽtis renouationi inuigilent, ſemper orando, legendo, meditando, pſallendo, & prædeceſſorũ veſtigijs inhærentes bene viuendo, ſic enim fiet vt poſt varios pro Chriſto in animarum conuerſione labores ſuſceptos, magno animi gaudio illud Paulinum dicere quiuis eorum poſſit, Bonum certamen certaui, non ego, ſed gratia Dei mecũ, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quã reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Vide de hoc Sancto Langæũ noſtrũ libro de vita & moribus hæreticorum *Langæus.* noſtri tẽporis in præfatione, impios Centuriatores Centur.7. cap.10.

EOdem die Sanctus Cormachus Presbyter & Confeſſor de quo fit mentio in vita Sancti Columbæ apud Henricum Caniſium tomo quinto. Celebris habetur in Hebridibus Inſulis, claruit eodem quo Columba ſæculo.

EOdem etiam die Sanctus VVulferus Confeſſor & Presbyter qui celebris habetur in ea Scotiæ prouincia cui Argathelia nomen. Eius fit mentio apud Capgrauium & alios.

MARTIVS.

1. die. SANCTVS MARNANVS Epiſcopus & Confeſſor cuius ductu & cõſilio Aidianus Scotorum Rex ordine quadrageſimus octauus de Ceulino Orientaliũ Saxonũ & Ethelfrido Northũbrię Regibus nõ citra miraculum victoriã reportauit: ob inopinatã quippe multitudinẽ Saxonũ infideliũ exterrito Aidano Rege animos iã prope deſpõderãt Scoti, cũ Marnanus Sanctus perculſos metu milites cohortatur, vt in Chriſtum Dominum Deum exercituum ſpem omnem reponant, & vt ſalutari ſigno crucis frontibus communitis impauidi Ieſum Chriſtũ inclamãtes ferantur in hoſtem; factum vt imperarat Marnanus, tantiſque in

hoſtem (ſigno crucis communiti, Chriſtumque Ieſum nominantes) animis irruerunt, vt ingentem ſtragem ediderint, cæſis è primoribus Saxonum Ceulino & Vitellio, cœteris in fugam verſis. Hanc victoriam crucis labaro, & Sanctorum Columbæ (qui & eandem longiſſimè diſtans in Iona Inſula Prophetico ſpiritu annunciauit) & Marnani precibus attribuendum omnium vna vox. Marnanus Sanctus mortuo Aidano Rege annos ſuperuixit multos, & Eugenio Regi huius nominis quarto & Aidani filio author fuit, vt aduenas Anglos, etſi ſuos & Chriſtiani nominis hoſtes infeſtiſſimos ſumma cum humanitate & liberalitate exciperet, quod magna eſſet charitatis & humanitatis vis infidelibus Chriſto aggregandis, quod & fecit Eugenius Rex, Ethelfredi Anglorum Regis recens ab Anglis occiſi filijs profugis perhonorificè exceptis & Chriſtiana religione diligenter imbutis, nec fruſtra; Ethelfredi quippe filij Oſuualdus & Oſvvi a Scotis fidem edocti, magno ſtudio rem Chriſtianam in Reges euecti, apud Anglos promouerunt. Marnanum verò poſt varios in Scoticana Eccleſia ſuſceptos labores cœlo dedit Annandia Scotiæ Prouincia, anno Eugenij Regis 14. qui erat Chriſti annus 620. Habebat Morauia Sancti Marnani caput, quod ſumma cum pompa & honore (comitante præſertim Inneſiorum tribu nobili & perantiqua, quæ tenerrimo in Marnanum ferebatur affectu) ad aëris ſerenitatem à Deo poſtulandam circumferri ſolebat. Refert præterea Aberdonenſe Breuiarium B. Marnani caput diebus Dominicis magno concurſu populi, ſacriſque myſteriis præmiſſis aquâ lauari ſolitum, quâ epotâ ab infirmis, grauiſſimis corporis, & ſæpè animi infirmitatibus liberabantur. Cumque quidam bonis ad Eccleſiam Sancti Marnani ſpectantibus furto ſubreptis excommunicatione etiam iniecta eadem reſtituere differrent, cum alijs tamen ad celebranda Marnani ſolemnia de more conuenirent, horum cerei quos ſicut cœteri geſtare volentes, nulla arte ignem concipere licet ſæpiùs appoſiti potuerunt. Quocirca commiſſi criminis ſibi conſcij ſubrepta bona reddiderunt, & pœnitentiam de commiſſo crimine egerunt. Extat Eccleſia Aberkerdoure Duuerno amne irrigata Marnani nomine, peregrinantium ad ſacras ibidem Marnani reliquias celebris. Vide de hoc Sancto Breuiarium Aberdonēſe, & Skonenſia Chronica, Regium in Calendario & alios. *Breuiariū Aberdon. Chronica Skonenſia.*

HOc eodem die S. Monanus Martyr in Fiſa prouincia & adiacentibus Maiæ Inſulæ regionibus ob miracula celebris. Adoleſcentior factus relictis parentibus, diuino impellente numine, ſe totum S. Hadriani Epiſcopi Andreopolitani nutui efformandum tradidit, ſub cuius ductu eos in virtute ſolida progreſſus fecit, vt poſtea cum eodem Sancto Hadriano & alijs ſex millibus conſtantiſſimè pro Chriſti nomine ſanguinem effuderit. Quanti autem meriti apud Deum Beatus Monanus fuerit, multa quæ fiebant ad eius ſepulchrum teſtantur miracula, quorum & illud omnibus notum.

Cum Dauid Scotiæ Rex hoc nomine ſecundus in bello contra Anglos ſagitta ferrea & hamata grauiter vulneratus eſſet, nullaque Medicorum aut Chirurgorum arte extrahi poſſet, Rex Dauid ſpem omnem in Deum collocans, & miracula quæ per Monanum ſeruum ſuum operabatur in memoriam reuocans, ad Inuerny vbi erat ipſius ſepulchrum comitantibus regni nobilibus deducitur, effuſiſque ibidem ad Deum & S. Monanum precibus, ſagitta ſtatim illa ferrea à dicti Regis vulnere ſine dolore vltrò proſiliit, & abſque cicatrice vlla vulnus remanſit. In huius beneficij perennem memoriam Rex Dauid ſumptuoſiſſimam ibidem Eccleſiam in Beati Monani honorem extrui curauit; Sacerdoteſque collegiatæ illi Eccleſiæ ad diuina celebranda myſteria aſſignatis reditibus primus collocauit. Paſſus eſt martyrium Monanus ſub annum 874.

Houedenus Millus.

2. die. SAnctus Dauid Epiſcopus Meneuenſis duodecim monaſteriorum fundator, Apoſtolus Vvallorum. De eo vide Houedenum, Millum, & alios.

3. die SAncta Chriſtiana Virgo Soror Sanctæ Margaretæ Scotorum Reginæ. De ea vide Polydorum lib. 9. Mathæum paris anno 1010. Annales Scotorum, &c.

4. die SAnctus Adrianus vel Hadrianus Archiepiſcopus S. Andreæ & Martyr. Hic palmâ martyrij, vt ſuprà vidimus, donatus eſt ſub annum Chriſti 874. à Danis infidelibus, quibus in Scotia ſacra quæque euertentibus occurrit Hadrianus, Chriſtianæque fidei excellentiam, ſanctitatem, miraculorum vim & maieſtatem dum enuntiaret, ſingularem famuli Dei oris modeſtiam & ſuauiſſimam grauitatem ſummoperè admirantes Barbari, ſenſim erga Chriſtiana dogmata non modò affici, ſed & eadem publicè profiteri eiurato idolorum cultu aliqui cœpere. Hadriani tamen Sancti animarum ſitis, & in prædicando Chriſti Euangelio inſignis fructus & emolumentum, inuidiam apud primores Danorum conciliauit haud mediocrem, vndè & eundem poſt ſacroſancta myſteria iam peracta Deumque orantem & dicentem: *Domine Ieſu quem dilexi, quem cognoui, & pro quo lubens morior, ſuſcipe me ſeruum tuum,* capite obtruncarunt in Maia Inſula, quæ in æſtuario Forthæ cernitur. Refert Aberdonenſe Breuiarium ad hunc diem ſexties millies & ſexcentos ex Adriani Epiſcopi Dioceſanis à Danis infidelibus pro Chriſti fide martyrio vnà cum Paſtore ſuo affectos. De hoc Sancto vide Breuiarium Aberdonenſe citatum, Sconenſia Chronica, Leſlæum lib. 5. hiſt. & alios. Extat in prædicta Inſula Maia in honorem Chriſti Sanctorumque eius martyrum monaſterium ampliſſimum quadrato lapide: viſitur & Eccleſia quæ à fideli populo, præſertim à mulieribus ſpe prolis habendæ magna religione frequentatur.

5. die SAnctus Claudius Epiſcopus Altiſſiodorenſis, Academiæ Pariſienſis fundator. De eo vide Poſſeuinum pagina 321.

Chronica Altiſſiodorenſia. Tritemium de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Vvionem, Cardinalem Zarabellam, Paulum Merulam, &c.

Paulus Merula
Card. Zabarella.
Vvion.

6. die, SAnctus Fridelinus Abbas & Confeſſor, qui cognomēto Viator dictus eſt, cuius accenſa charitas in proximum tanta fuit, vt paternis opibus & honoribus poſtpoſitis ſe totum proximorum ſaluti quærendæ per varias regiones peregrinando dicarit, alios in auita & Catholica Religione, ſanctiſſimiſque ritibus continendo, alios ad eandem fidem, quam per ſummam impietatem eiurarant, reuocando: quo factum vt nullum neque mortis neque ſeruitutis periculum ſubterfugeret, vt cuique laboranti ſuccurreret, modo prædicando Dei verbo infidelibus, modo miniſtrando ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento: Galliam in prædicando Euangelio peruagatus, ad Moſellam in Belgio erexit monaſterium, viriſque Euangelicis impleuit. Apud Voſagos etiam (eſt hic Lotharingiæ populus) & Burgundos varia extruxit monaſteria: Poſtremò denique in Germaniam profectus ædiculam (quæ poſteà in celebre creuit monaſterium) propè Caſtellum Seconis condidit teſte Volfango de gentium migratione in præfatione. Tradit autem idem author Caſtelli Seconis incolas multis annorum centuriis, S. Fridelinum ſingulari reuerentiâ, magno ſuo commodo veneratos fuiſſe, poſteà tamen beneficiorum à Deo meritis Beati Fridelini acceptorum oblitos, igne diuinitùs immiſſo conſumptos fuiſſe exceptis duabus vel tribus domibus, ſi credendum ſit Chronicis Colmarienſium Dominicanorū parte ſecunda. Vide de hoc Sancto Poſſeuinum in Apparatu ſacro, Vvolfangum de gentium migratione, Chronica Colmarienſium Dominicanorum parte ſecundâ citata, Petrum Cratepolium de Epiſcopis Germaniæ, Molanum in additionibus ad Vſuardum Ægidium Tſcudum in deſcriptione Rhetiæ alp. cap. 12. Arnoldum in Theatro conuerſionis gentium, Vvionem lib. 4. ligni vitæ, Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ in Conrano Rege: qui omnes fere authores agnoſcunt illum filium Conrani Regis Scotiæ.

Volfangus
Cratepol.
Ægidius Tſcuda.
Arnoldus

7. die BEatus Hugo ex ſanguine Regum Scotiæ. Alii tamen exiſtimant illum Regis cuiuſdam Scotiæ filium, quibus ſuffragatur Epitaphium mox citandum. Fugit hic ex Scotia dum adhuc adoleſcens eſſet, & in Belgium veniens, ſacrum S. Dominici inſtitutum, Valencenis amplexus eſt anno Chriſti 1258. ætatis verò 18. circiter. Tradit Ioannes Lalou ipſum fuiſſe Regis Scotiæ filium, patremque eius Regem Scotiæ per varias mundi plagas requirendum curaſſe. Cum autem Valencenis repertus eſſet, ad eum acceſſiſſe ait patrem, eo fine, vt illi perſuaderet, vt in Scotiam ſecum remigraret, ſibi in regnum ſucceſſurus, verùm cum Regi filius id reſponſi daret, meliorem ſe elegiſſe partem, ac proindè vt ſibi Deo liberiùs & ſecuriùs famulandi poteſtatem faceret, Regem rogabat: neque ſed inuitus, abnegat Rex, qui in huiuſce heroici facti monumentū Fratrum Prædcatorum conuentui, templo inquam S. Pauli, diadema argen-

Ioannes Lalou

teum auro rutilum, maximi pretij venerabilis Sacramenti taberna-culo aut tegumento ſuperponendum legauit Quam coronam Prior frater Nicolaus de Hæc penuria coactus, Seniorum conſenſu Ioanni le Clerc Mercatori, quadam ab eodem pecuniæ acceptâ ſummâ quoad ſatisfaceret oppigneratus eſt anno 1551. vel 2, apud quem verò iam lateat, id omnes de conuentu latet. Mortuus eſt autem hic Dei ſeruus anno Chriſti 1286. Ad caput autem tumulati in ſacriſtia ſeu ſacello ipſorum templi extant hodie Regis Scotiæ depicta inſignia & ad pedes ſtructa corona, vbi etiam habetur ſequens ipſius Epitaphium.

Hugo Deo charus, Regali ſanguine clarus,
Hic de Beuerna meruit ſibi dona ſuperna,
Nam iuuenis Chriſtum ſequitur, mundum terit iſtum
Hic frater factus, pauper fratremque ſequutus,
Vt fieret tutus, à Sancto flamine tactus,
Hic animum quo ſe minimum tenuit, ſibi fixit,
Sic humilis cum vix ſimilis ſibi ſanguine vixit,
Vir fidei, qua Chriſtus ei meritò benedixit,
Poſt patiens, miſeros faciens crebrò releuari,
Sic per opes proprias, inopes voluit recreari,
Anno milleno deno cum ſeptuageno,
Atque duceteno iuncto numero ſibi ſeno,
Martius eſt menſis quo mortis eum necat enſis.

HOc eodem die Sanctus Colmanus Epiſcopus Lindisfarnēſium Apoſtolus Nordanimbrorum & Hæbridum. Vide de hoc Sancto Vveſtmonaſterienſem, Vvionem, Ioannem Maiorem, Franciſcum Goduuinum, Leſlæum, Boëtium, & alios.

Vveſtmonaſterienſem Goduuinus.

8. die SAnctus Duthacus Confeſſor & Epiſcopus Roſſenſis, in Roſſia & Morauia Scotiæ prouincijs ſanctitatis opinione clarus. Multa commemorantur ab eo prædicta diuinitùs vt de calamitatibus belli Scotis inferendi ab Anglis & Danis, nec fefellit euentus; nam anno 1263. (10. ſcilicet à ſuo cœleſti tranſitu) Acho Rex Noruegiæ cum 160. nauibus ad Aëram Coilæ in Scotia oppidum maritimum applicuit: verum Sancti Duthaci precibus, vt par eſt credere, duplici infortunio eodem ferè momento percuſſus eſt Acho: Primùm, cum Alexandro Stuarto eius qui ex Stuartorum familia primus in Scotia regnum geſſit proauo congreſſus, ab eodem Sanctum Andream Apoſtolum Scotiæ tutelarem in conflictu Scotorum more ſæpiùs inclamante victus ac fugatus eſt. Deinde nauibus fœdiſſimâ tempeſtate vexatis deſideratiſque in prælio Noruegijs ad ſexdecim millia mœrore animi confectus Acho, interiit. Huius Sancti conſuetudine vſus fertur Alexander Scotorum Rex huius nominis tertius, qui ſi vllus Scotorum Regum alius omnibus corporis & animi virtutibus à Deo ornatus fuit, & Catholicæ ac auitæ religionis tenaciſſimus, cui familiare fuiſſe fertur diebus

ſingulis

ſingulis ſacroſancto Miſſæ ſacrificio intereſſe & manus Sacerdotis offerentis ab eleuatione hoſtiæ deuotiſſimè deoſculari, quod eundem Deum & hominem qui in cœlo adoratur ab Angelis, in altari Sacerdotis contrectari manibus firmiſſimè crederet & teneret. Porrò Sanctus Duthacus mortalis vitæ pertæſus, & æternæ videndæ cupidus, ſenio iam penè confectus in morbum incidit, cuius incommoda cum æquiſſimo ſubiret animo, morbuſque ipſe velut ſolidæ virtutis, æternæque materia gloriæ, ab eo in diuini beneficij loco numeraretur, illud Dauidicū ſæpe repetens: Et quæ eſt expectatio mea nonnè Dominus? Cœleſtia petiit ſub annum Chriſti 1253 De eo vide Leſlæum lib. 6. hiſtoriæ, Regium in Calendario, & alios. *Regius.*

9. die SAnctus Colmus Epiſcopus Orcadum Inſularū de eo conſule Annales Scoticos.

10. die SAnctus Himelinus Confeſſor & Sancti Rumoldi Scotiæ Regis filij affinis. Hic ſingulari Dei munere ad Apoſtolicum vitæ ſtatum prædicando Brabantibus Euangelium, ex ipſa ſæculi fæce, mundo vitiorum multitudine veluti ſeneſcente, adeò ſegregatus animum in eam curam totum, ac mentem intendit, minimè neſcius quanta ſibi res eſſet impoſita, quantique apud Deum eſſet meriti animas ad Dei imaginem creatas, pretioſoque Chriſti ſanguine redemptas ad veram fidem, ſine quâ impoſſibile eſt placere Deo, conuertere. De hoc Sancto, vide Molanum in Annotationibus ad Vſuardum. & in Indiculo, Regium in Calendario, & alios.

EOdem die Sanctus Makkeſſogus qui & Keſſogus dictus eſt, Cōfeſſor & Epiſcopus in BoinaScotię prouincia miraculorum gloriâ celebris, qui cum magna apud Congallum Scotorū Regem hoc nomine ſecundum eſſet in gratia, multa per eum geſſit ad Dei gloriam, multaque publicum ad exemplum: multis etiam viris principibus author fuit concordiæ & pacis Regemque adeò pietati addictum Scotis efformauit, vt is, moderatione animi morumque probitate cum ipſis monachis decertaſſe videretur. Superis dedit Makkeſſogum Boina prouincia ſub annum Chriſti 560. anno Congalli Regis ſecundo. Agunt de Sancto Makkeſſogo, Paſſatentia Chronica & Aberdonenſe Breuiarium quod ita de illo loquitur, Beatus Chriſti Confeſſor Keſſogus nobili natus familiâ a primæua ætate multis fertur claruiſſe miraculis, & inter cætera dum adhuc puer vnà cum alijs duobus ſibi coætaneis nobiliumque filijs ludendo iuxta quendam lacum tempus tereret, accidit, Deo permittente, vt ſocij illi duo ad ripam propiùs accedentes in lacum deciderent, & ab aquis ſuffocarentur; quod cum audiuiſſent parentes, in Keſſogū innocentem licet, culpam omnem mortis filiorum rejiciunt, acriuſque illatam iniuriam vlciſci ſtatuunt. Re auditâ vir quidam Sanctus & Keſſogi parentibus perfamiliaris, ſanctitate pueri diuinitùs cognitâ, eidem imperat, vt noctem inſequentē in precibus apud Deum tranſigat: & ecce nocte mediâ apparuit Keſſogo Angelus Domini *Molanus.* *Regius.*

P

dicens, Keſſoge exaudiuit Dominus preces tuas, nam ſocij pro quibus deprecatus es, viuunt: Mane itaque facto Keſſogus rediuiuos parentibus pueros tradidit, tantumque beneficium mente recolẽs ſeſe arctiùs diuino obſequio tradidit, relictiſque parentibus monaſterium ingreſſus eſt, multiſque ibidem in vita & poſt mortem claruit miraculis. Extat celebris Eccleſia in Lus Keſſogo dicata.

HOc eodem die paſſus eſt martyrium non ante multos annos Ioannes Ogilbæus Societatis Ieſu Sacerdos. Glaſcuæ captus fuit & multarum noctium inſomnio maceratus, quod ſtrenuè Pontificis dignitatem ac Catholicæ fidei puritatem tueretur. Martyrium eius extat Duaci typis excuſum.

HOc etiam die cœleſtia petijt Beatus Richardus à Sancto Victore, vir planè ſanctiſſimus, cuius mentem mirum in modum à Deo illuſtratam ſuauitateque diuini ſpiritus totam vndique perfuſam, quæ poſteris conſignauit, teſtantur ſcripta, quæ venerabilis hic Pater non tam atramento, quàm fuſis ad Deum lacrymis, nec tam humano ſtudio quàm accurata & ſæpiùs iterata prece, nec tam magiſtrâ prudentiâ, quàm Deo dictante ſcripſiſſe videtur. Hic ille eſt, qui, vt ait Ioannes Maior gentilis noſter & Theologiæ Doctor Claſſicus in quodam ſermone de Deipara Virgine omnium expreſſè primus eam originalis noxiæ expertem tenuit: quo etiam nomine in Anglum quendam Andræam à Sancto Victore dictum immaculatæ Virginis Conceptioni & S. Petri primatui reclamantem, non minus eleganter, quàm neruoſe calamum ſtrinxit. Scotiâ egrediens Richardus, Alexandrum Scotorũ Regẽ huius nominis primũ conuenit, (erat enim parentibus non minus pietate, quã generis claritate nobilibus) cui inter cœtera duo commendaſſe fertur: vt in pauperes & iniuriâ oppreſſos more maiorum benignus eſſet & mitis, deindè vt in Eccleſiæ paſtores ſe liberalem oſtenderet: quorum vtrumque non excidiſſe Alexandro Regi toto vitæ tempore probauit euẽtus: iniuria quippè oppreſſos, ſi quis Regum Scotorum protexit ipſe nam redeunti â Roſſenſi quadam expeditione per Merniam prouinciam occurrit mulier paupercula grauiter querens maritum à Comitis Merniæ filio, quem in ius ob æs alienum vocaſſet, loris cæſum: Rex Alexander indignabundus ex equo deſiliens non prius conſcendit, quàm ſupplicio facinoris author fuiſſet affectus; nec minor in Eccleſiaſticos liberalitas, quippè qui Abbatiam Regio ſarè opere ad Sconã à fundamentis reædificauit Diuo Michaëli ſacram, in qua ad noſtra ferè tempora Scotorũ Reges inaugurabantur: in Amona etiam Inſula quæ Forthæ æſtuario vndique alluitur auguſtiſſimum erexit Diuo Columbæ templum, Sant-Andreanum monaſterium antiquiſſimum donariis & agris Regijs auxit, Dumfermelinum denique Cœnobium multis prouentibus locupletàuit Pariſios igitur ex Scotia appulſus Richardus, Canonicus regularis Sancti Auguſtini in Monaſterio Sancti Victoris à quo nomen ac-

Ioannes Maior.

cepit, factus eſt; vbi & ſanctiſſime vixit, & deuotiſſimè multa ſcripſit. Sed poſt varios de hoſte triumphos reportatos, huius vitæ pertæſus etiā in ætatis flore, Sanctiſſimæ Trinitatis in quam tenerrimo ſemper affectu ferebatur, videndæ cupidus in ſtomachi dolores incidit acerbiſſimos, quibus ingraueſcentibus corpus Chriſti ſacratiſſimum Catholicorum more deferri ſibi curat: Fratribus hoſtiā non conſecratam quod pro infirmitate conſecratā retinere non poſſet, deferentibus dixiſſe fertur ſpiritu diuino: Deus vobis parcat, fratres amantiſſimi, quare me decipere voluiſtis? quibus ſtupentibus & verum Chriſti corpus adferentibus cernens pro infirmitate nimia ſe verò communicare non poſſe, eleuatis in cœlum manibus & adoratâ ſacratiſſimâ hoſtiâ dixiſſe fertur: Os meū aperui & attraxi ſpiritū: aſcendat filius ad patrem & ſpiritus ad Dominū qui fecit illum, inter quæ verba ſpiritum emiſit & corpus Dominicum euanuit. Cœleſtia petijt anno Redemptionis 1130. Sepulchro hoc Epitaphium in Monaſterio Sancti Victoris Pariſiis inſculptum cernitur.

Moribus, ingenio, doctrinâ clarus & arte.
Puluereo hic tegeris docte Richarde ſitu:
Quem tellus genuit, fœlici Scotica partu,
Te fouit gremio Gallica terra ſuo.

De illo videantur Ioannes Maior lib. 3. de geſtis Scotorum cap. 12. Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Tritemius, Leſlæus, & alij. *Maior.*

HOc eodem etiam die ſancta Kennocha Virgo in Coila Scotiæ prouinciâ celebris, vtpotè quæ propagandæ diſciplinæ religioſæ & monaſticæ apud Collenſium virginum monaſteria, ſtudio flagrarit maximo, cui etiam magna vitæ accedebat puritas, erga pauperes & orphanos tenerrima animi affectio; nec defuere varia quibus Chriſtus ſponſam ſuam ornaret miracula, vnde & varias huic Virgini in Orientali etiam Scotiæ tractu cernere eſt dicatas Eccleſias, & Glaſcuâ non procul extat vna. Migraſſe fertur ſub annum Chriſti 1007. Malcolmo ſecundo Rege Scotis imperante. Extat precatio peruetuſta quâ, S. Kennochæ patrocinium Scoti inclamare conſueuere. Deus amator caſtitatis & auctor, S. Kennochæ Virginis tuæ precibus, mentis & corporis eam nobis tribue puritatem, per quam æternam valeâmus euadere corruptionem. Per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. Vide de hac Sancta Regium in Calendario, Breuiarium Aberdonenſe, & Skonenſia Chronica. *Regius.*

11. die. SAnctus Conſtantinus Martyr & Scotorum Rex ſecundus hoc nomine. Hic cum videret Danos infideles Claſſe magna in Scotiam tranſmiſiſſe, & obuios quoſque ob Chriſtiani nominis odium ſine diſcrimine trucidare, ſacra religioſorū ædificia euertere, Virginibus Deo dicatis vim inferre, cumque fama accepiſſet Sanctiſſimam Ebbam Coldinghamiæ Cœnobij Abbatiſſam, vt horum infidelium ferinas manus euaderet, arreptâ nouaculâ (ô caſti-

tatis amor!) naſum ſibi cum ſuperiori labro (quod & cœteræ virgines Ebbæ exemplo nihil hæſitantes fecere) præſcidiſſe, poſteroque die à Danis infidelibus de ſpectaculo attonitis, omnes ſimul concrematas & martyrij palmâ (intacta tamen virginitate) donatas; zelo zelatus pro domo Domini Conſtantinus aduerſus Danos armato milite proficiſcitur, & primo quidem Hubbam (alij Stubbam vocant) Danorum Regis fratrem, Leuini amnis incremento, cum ſuis vires coniungere prohibitum facilè vicit, fugauitque, At Humbum (aliis Hengar) alterum Danorum Ducem adortus loci iniquitate Danorum deſperationem iuuante ab ijſdem occiditur, illud ſæpè repetens: *Domine Ieſu, ne tradas beſtijs animas ſeruientes tibi.* Conſtantini loculum in Ionam Inſulam magnâ pompâ tranſlatũ Deus multis ornare dignatus eſt poſteà miraculis: Martyrio donatus fuit anno Chriſti 874. Vide Regium in Calendario, Boëtium lib. 10. hiſtoriæ & Leſlæum lib. 5.

Bernardin. Saccus. EOdem die S. Attala Abbas Bobij. De eo vide Bernardinum Saccum, Sigonij Italiam, hiſtoriam Sinclarij & alios.

12. die SAnctus Fetno Confeſſor. Vir fuit eruditione præſtans qui in ipſo pietatis tyrocinio, qualis poſteà euaſurus eſſet multis virtutum, ijſque heroicis actibus probauit. Poſteà verò vbi virum ſapere, altioreſque in omni virtutum genere radices iacere cœpit, ſe totum prædicando Pictis Euangelio deuouit, ſocijſque ſibi aſcitis vitia, quæ quorumdam erroribus & contaminatis moribus irrepſiſſent, radicitus extirpauit: quo factum vt ingens animarum collecta ſit meſſis, & ad vetérem ſanctitatem, quam Sanctus Nin ianus Pictorum Apoſtolus plantauerat, redintegrata ſint multa. Ad Fetnonis Sancti ſepulchrum miracula per multa ſæcula oſtendere dignatus eſt Deus, eumdemque ſibi aſſciuit ſub annum Chriſti 580. Vide Leſlæum, & Boëtium in hiſtoria, & alios. *Boetius.*

13. die SAnctus Viganus Confeſſor & Anachoreta in Leuina prouincia celebris. Hic diuinæ voluntatis exequendæ auidus, occaſionem mundo valedicendi primo quoque tempore nactus, ſe totum ad alterius nutum apud Cluniacenſes tradidit, vbi quotidianis experimentis probatus cum eſſet, ab ijſdem repertus eſt dignus qui ſibiipſi legem poſſet imponere, vnde in Inſulam Louinij ſiue Loumundi Lacus (à quo Leuina prouinciá nomen accepit) ſe contulit, vt ſolus ſoli Deo, vacáret, guſtaretque quàm ſuauis ſit dominus diligentibus ſe. Annos multos in hac vita ſolitaria, ſumma vnione cum Deo & interna mentis quietudine, non ſine miraculorũ gloria tranſegit. Malcolmum hoc nomine ſecundum Scotorũ Regem in regno fœliciter adminiſtrando precibus multum iuuiſſe dicitur Viganus Sanctus, cuius ille pietatis monita animo nunquam excidiſſe ſuo teſtatus eſt; cum Grimo regia ſceptra iniuria molienti & armato iam exercitu ſtipato, ipſaque Aſcenſionis die bellum irreligioſè committere cogitanti obuiam miſerit Malcolmus, hortatuſque

fuerit ne Chriſtianus homo memoriam diei tam celebris cruore ſuorum ciuium pollueret, cum hoc die naturæ noſtræ infirmitas per Chriſtum ad Dei Patris ſit prouecta conſeſſum (ferebatur quippe Malcolmus ſingulari pietatis affectu in Aſcenſionis Chriſti diem) ſed Grimus nihilo ſecius ſuo damno aciem in Malcolmum duxit, quo magna in Chriſtum fiducia illud Dauidicum in ipſo conflictu inclamante, diſſipa gentes qui bella volunt qui aſcendis ſuper cœlum cœli ad Orientem, Grimus a ſuis deſertus capitur & in delicti pœnam & diei feſti violati memoriam oculis priuatur. Cœleſtia petijt Viganus ſub annum 1012 fuitque ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cluniacenſis. De Vigano Sancto agunt Boëtius & Leſlæus in hiſt. liber Pluſquartenſis, & alij.

14. die. SAnctus Comnanus Abbas Huenſis. De eo vide Vvionem & Annales omnes Scoticos, alioſque plurimos authores, quorum aliqui aiunt ipſum fuiſſe Ferquhardi Regis præceptorem.

15. die. SAnctus Conleatus Sodorenſis Epiſcopus. De illo vide Alexandrum Millum, Georgium Neutonum, vitam Sanctæ Brigidæ, & alios. *Georgius Neutonus.*

16. die. SAnctus Bonifacius Roſſenſis Epiſcopus, cuius animi candor vitæ integritas, alienæ ſalutis amor, fecere vt ex Italia in Scotiam ſeſe conferret vt videlicet Scoticana Eccleſia per omnia Romanæ in externis etiam ritibus ſeſe conformaret, cuius rei gratia à varijs illius regni peragratis locis Roſſenſem ſibi ſelegit prouinciam, in cuius vrbe primaria (Roſmarkium nomen eſt) Epiſcopi munia non ſine ſanctitatis laude & miraculorum gloria annos multos exercuit, quibus fœliciter percurſis neceſſitati religiosè cõceſſit ſub annum Chriſti 630. Refert Aberdonenſe Breuiarium Bonifacium centum & quinquaginta templa erexiſſe in Scotia, vitâque functos numero ſeptem diuinâ ope vitæ reſtituiſſe. Vide de hoc Sancto idem Breuiarium ad hunc diem, Boetium lib. 9. hiſtoriæ, Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ, Regium in Calendario. *Regius.*

17. die. SAnctus Patricius Confeſſor, Epiſcopus, & Hibernorum Apoſtolus. Dequo ita Sigebertus in Chronico ad annum 394. S. Patricius Scotus, in Hybernia cum ſuis ſororibus venditur, vbi cum eſſet Regis Portarius Angeli alloquio ſæpè fruitur. hæc Sigebertus & tamen pauſò poſt vocat Britonem. Ex quo obiter hic collige quod quamuis aliquandò aliqui Sancti Scoti Britones vocentur, hoc tamen non impedit quominus ſint Scoti, nam nomine Britonum Britannos intelligunt. Fuit hic Dei famulus vir planè Apoſtolicus & diuinæ gloriæ promouendæ in animarum ad Deum Creatorem ſuum conuerſione ſitientiſſimus. Prope Glaſcuenſem ciuitatem in Scotia liberalibus ortus parentibus ac â puero pietatis igniculos & Sancti Spiritus inſtinctus ſentiebat. Palladio Sancto & Scotorum Epiſcopo à Cæleſtino Pontifice in Scotiam miſſo ſucceſſit (inquit Cardinalis Baronius in Annotationibus Martyrologij ad

hunc diem) Sanctus Patricius conſecratus ab eodem Cæleſtino Papa, qui & ad Hybernos miſſus ibi per annos 40. in ſignis atque mirabilibus prædicans, totam Inſulam Hyberniæ conuertit ad fidem. Habebat verò iam tum Scotia viros apoſtolicos & Sancto Patricio coætaneos non paucos, Sernanum Orcadenſium Apoſtolum, Ternanum Niniani Sancti ſucceſſorem, Queranum Benchorenſem Abbatem, Kentigernum Culroſſiani monaſterij antiquiſſimi gloriam & diſcipulum, alioſque qui Scotorum gnauiter excolentes Eccleſiam, Hybernis Hirlandicis nondum ad Chriſtum conuerſis Sanctum Patricium lubenti conceſſere animo. Agunt de hoc Sancto Syluester Giraldus Itinerarij Cambriæ libro primo, Sigebertus loco citato, Cardinalis Baronius loco citato & tomo quinto Annalium, Marianus Scotus in Chronico, Georgius Tomſonus in libello de antiquitate religionis Chriſtianæ apud Scotos, & Camdenus hæreticus Anglus in ſua Britannia, vbi teſtatur ipſum natum fuiſſe in Cludſdalia Scotiæ prouincia. Ex Modernis eius vitam ſcripſit Stanihurſtus Hirlandus, ſed excogitatis fabulis illam implet, in multis ſibi contradicens.

Syluester Giraldus.

19. die. SAnctus Clemens Epiſcopus Dumblanenſis in Scotia non Dublinenſis in Hybernia. Ordinem Sancti Dominici in Scotiam intulit, ab ipſo Sancto Patre indutus. De hoc Sancto vide Michaelem Plodium, Stephanum Sampayum, Philippum Vvolfiũ lib. 3. de peritorum virorum vitis, Alexandrum Millum, Scoti-Chronicon libro 10. cap. 11.

Plodius. Millus. Vvolfius.

20. die. SAnctus Cormanus, vel Cornanus primus Apoſtolus Nordanimbrorum. Alij eius diem feſtum ponunt 12. Martij, alij 15. De illo vide Scoti-Chronicon, Vveſtmonaſterienſem & Vvigornienſem ad annum 635. Goduinum pagina 91. Polidorum, Boëtium, Leſlæum, & alios.

Boëtius Goduinus.

21. die. SAnctus Iſengerus Epiſcopus & Martyr, quem Demochares inter Verdenſis Eccleſiæ Epiſcopos recenſet Crãtzius in Metropoli ait de illo præter merum nomen nihil eſſe in faſtos relatum. Septimus fuit ordine Epiſcopus Verdenſis Eccleſiæ in qua poſt varios labores perpeſſos, mortem pro Chriſto ſubijt, anno 828.

22. die. SAnctus Ibar, vel Ibarus Epiſcopus & Confeſſor, in quo dum adoleſcens eſſet documenta non leuia diuini Spiritus apparebant, vt in electis plerumque fieri ſolet: ætate prouectior, maior etiam & firmior in eo cernebatur virtus. Epiſcopus factus varia ſuę ſanctitatis edidit indicia, & Angelico monitu Filanum puerulum aquis ereptum baptizauit & in virum perfectum per virtutis tramitem deduxit, cumque Chriſti Euangelium non ſine ingenti animarum lucro varijs locis prædicaſſet Ibarus Sanctus, eumdem cœlo dedit Tifedalia Scotiæ prouincia. De illo vide Aberdonenſe

Breuiarium, & vitam Sancti Filani Abbatis.

23. die. SAnctus Theodatus Confeſſor, de quo ita Surius. Cum Dagobertus Rex ad regni Francorum gubernacula ſederet S. Florentius cum BB. Arbogaſto, Theodato & Hildulfo è Scotia venit in Alſatiam &c. Hic Sanctus reclamantibus parentibus, paternâ domo poſthabitâ mundo relicto vitam integram Deo, cui ſeruire regnare eſt, volens dicauit & in Germaniam vt liberiùs Deo vacaret ſe contulit, vbi omnibus charus, & virtutis nomine venerandus. Poſt Euangelium diu ibidem prædicatum onuſtus victorijs obdormiuit in Domino redemptionis anno 684.

24. die. SAnctus Duumchadus vel Dunichadus Abbas Hoyenſis Inſulæ virorum Sanctorum fertiliſſimæ, præfuit annos multos Hoyenſi monaſterio non ſine ſanctitatis & miraculorum fama: orationis dono ſingulari fertur fuiſſe præditus, quam virtutum omnium fulcrum & munimen affirmabat, multùmque referre ad euagationes mentis orationis tempore expellendas aiebat, ſi Dei præſentia orantis mẽti occurrat ſæpè. 2. actu etiam externo Deũ præſentem adorare & agnoſcere. 3. cæteris negotijs tantiſper ſubductis ad orationem prius cogitatione & interna mentis recollectione quam pronuntiatione conuerti. 4. Dei Angelum præſentem (vt verè eſt) agnoſcere, qui quemadmodum in oratione quis ſe gerat, animaduertat, malum etiam Angelum, qui quo plures habeat ad accuſandum anſas in oratione errata rimari, diſtractioneſque ſuggerere ſolet. 5. oranti abjciendam omnis lucis craſtinæ & ſubſequentis operis ſolli. itudinem, etiam rerum optimarum, perſuadeatque ſibi certiſſimo orans, hoc res ſuas Deo magis curæ fore, quo magis ab ijſdem ad Deum inter orandum cogitationem traducet ſuam. Magna intercesſerat Duumchado Sancto cum Egberto, neceſſitudo, quo docente, tradit Beda lib. 5. hiſtoriæ cap. 23. Monachos Inſulæ Hoyenſis ad ritum Paſchæ ac tonſuræ canonicũ Domino procurante perductos. Duumchadus Dei famulus poſt ſtrenuam atque ſalutarem, vt Abbatem decebat, nauatam operam, his conſilio, illis ſtudio ac labore, omnibus verò vitæ exemplo in extremis poſitus, & ſæpè repetens, Quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Ieſum in gloria videre meruit ſub Chriſti annum 736.

25. die. SAnctus Theodnanus Martyr in Franconia Germaniæ prouincia ob effuſum ſanguinem in prædicandâ fide Catholicâ celebris. De eo vide Demotharem de Miſſæ ſacrificio in Catalogo Epiſcoporum Vvormaſſenſium in fine, & alios. *Democha-res.*

26. die. SAnctus Dauid Epiſcopus Banthorenſis Sancto Henrico Imperatori erat a Conſeſſionibus. Vide Malmesburienſem lib. 5. Iuretum ad Iuonem, & alios. *Malmeſ-burienſis.*

27. die. SAnctus Archibaldus Abbas Monaſterij cui Carnaminum nomen (cui longe ante Archibaldum Sanctum præerat Brandanus Sanctus & in eodem S. Maclouio religioſæ diſciplinæ præcepta tradiderat.) Hic ergo magna conſtantia Epiſcopatus varios obfirmato recuſauit animo, quanquam ab admittendo Carnamini Abbatis honore, quem eius loci Monachi & viri prudentes illi tanquam viro Sancto & ad gubernandum aptiſſimo deferendum curarant, non abhorruit? quod ea muneris functio non tam honoris eſſe, quam multi honeris videretur, nec tam dignitatis & copiæ quàm humilitatis & tolerantiæ. Poſt præclara prudentiæ, ſanctitatiſque veſtigia in gubernandis ſubdictis relicta, cœleſtium cœtui aggregatus eſt ſub annum Chriſti 708.

EOdem die Sanctus Rupertus (qui alijs Rudbertus & Robertus) Epiſcopus Salisburgenſis, vir ſane Sanctiſſimus & apud Bauaros celeberrimus de quo in hęc verba Chronica Salisburgenſia. Sanctus Rudbertus Sanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Antiſtes, ex Regali proſapia Francorum, Ducumque Scotiæ originem duxiſſe antiqua tradit hiſtoria. Hic vnà cum fratre Trudberto & ſorore Erintrude (quidam autumant neptem fuiſſe) in Scotia à Sancto Patricio baptizatus, nec non literis Eccleſiaſticis imbutus eſt, ac vbi adoleuit in Deum mentem conuertit & non ſibi, ſed vtilitati hominum honori diuino conſulere ſtatuit. Aſſumpto inquam Trudberto fratre ſuo nec non Erintrude ſorore ſua tantis fratribus non indigna, eiuſdem videlicet deſiderij & amoris in Deum ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus, pari voto, parilique conſenſu patrem relinquentes & patriam exules eſſe decreuerunt in terris, vt ciues Sanctorum & domeſtici Dei fieri mererentur in cœlis, &c. Vide reliqua de vita huius Sancti apud Chronica Saliſburgenſia manu ſcripta in Monaſterio S. Petri Apoſtoli à S. Ruperto ædificato, & apud Henricum Caniſium tomo ſexto Antiq. lectionis. Vide prætereea Auentinum lib. 3. Annalium Boiorum, & alios.

Auentinus.

28. die. SAnctus Ganinus Martyr, qui in Maia Inſula & adiacentibus regionibus magnam ſanctitatis opinionem ob fuſum pro Chriſto ſanguinem ſibi comparauit, auxitque opinionem miraculorum fama, quæ poſtea diuinitùs apud huius viri Sancti ſacra pignora ad noſtram fere ætatem patrata cernebantur. Martyrio affectus eſt à Danis ſub Chriſti annum 870,

29. die. SAnctus Baldredus Confeſſor, Epiſcopus Glaſcuenſis apud Dinaſtas & Principes viros magnæ auctoritatis & gratiæ. Hunc Sanctum cœlo dedit Laudonia prouincia ſub annum Chriſti 610. poſt cuius obitum tres parrochiales Eccleſiæ de conſeruando huius viri Sancti corpore inter ſe certaſſe dicuntur, videlicet Aldham, Tiningham & Preſton, & eiuſdem Sancti precibus tandem effectum eſſe (non enim eſt impoſſibile apud Deum omne verbum) vt illarum vnaquæque theſauro illo frueretur. De hoc Sancto vide

cto vide Ioannem Maiorem in quarto ſententiarum diſtinctione decima, quęſtione quarta vbi exemplo corporis Sancti Baldredi probat idem corpus poſſe eſſe in diuerſis locis ſimul & ſemel per diuinam potentiam. Vide etiam eundem authorem lib 2. de geſtis Scotorum cap 7. Boëtium lib. 9. hiſtoriæ, Leſlæum lib. 4. hiſt. librum Paſlatenſem, Regium in Calendario, & alios. *Boëtius.*

EOdem die Sanctus Giſolarius, vel Giſibarius. De hoc Sancto vide Sanctum Hartuuicum lib. de Synodalibus decretis, Giſibarius (inquit) Noricis ad pietatem clariſſimus habetur. Continuatorem Fordani, vitam Sancti Ruperti, & alios.

30. die. SAnctus Patto Epiſcopus Verdenſis in Germania ordine ſecundus, Abbas antea Amarbaricenſis (erat hoc apud Scotos celeberrimum monaſterium) in Scotia. Affirmat Crantzius Metrop. lib. primo cap. 21. fuiſſe virum ſanctitate præcipuum & zelo Dei tranſito mari in apertæ vitæ pericula Euangelij cauſa ſe proieciſſe. De hoc Sancto vide Crantzium loco citato, Democharem lib. de Miſſæ ſacrificio in Catalogo Epiſcoporum Verdenſium, Molanum in Appendice ad Vſuardum, Bruſſeum in Catalogo Epiſcoporum Germaniæ, Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ, Henricum Pantaleonem prima parte Proſopographiæ ad annum 791. qui affirmat hunc Sanctum martyrio fuiſſe coronatum. *Pantaleon.*

HOc eodem die Sanctus Paternus Epiſcopus. De illo vide Sigebertum, Tritemium, Florentium Vvigornienſem, Leſlæum & alios. *Vvigornienſis.*

31. die. SAncta Daria mater Sanctæ Vrſulæ. Probant illam eſſe Scotam ijdem authores, qui ipſam Vrſulam.

APRILIS.

1. die. SANCTVS GILBERTVS Epiſcopus & Confeſſor in Cathaneſia Scotiæ prouincia in hodiernum diem celeberrimus, quippe qui Cathanenſium patronus & tutelaris habetur, & meritò, cum Sancti huius viri hortatu & vigilantia è cœno vitiorum emerſerint, pauperumque hoſpitia non pauca in illa prouincia erecta ſint; variaque alia pietatis monumenta ab ipſo conſtructa cernere eſt, quæ huius viri Sancti pietatem & in Cathanenſes paternum amorem intuentium oculis detegunt. Fuit Gilbertus Sanctus patria Morauus & libertatis Scoticanæ Eccleſiæ contra audaces Eboracenſis Archiepiſcopi conatus defenſor acerrimus: vnde & Epiſcopatum poſtea Cathanenſem tanquam libertatis Scotici Cleri conſtanter defenſæ fortiterque euictæ teſſeram accepit. Fuit præterea Gilbertus Sanctus Guillielmo Scotorum Regi chariſſimus ad quem Clemens tertius Pontifex maximus in confirmationem libertatis Scoticanæ Eccleſiæ (à Gilberto

defenſæ) dedit literas in hunc modum. Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Guillielmo Scotorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum vniuerſi Chriſti iugo ſubiecti &c. Ea propter chariſſime in Chriſto fili reuerentiam ac deuotionem, quam ad Romanam te habuiſſe à longis retrò temporibus Eccleſiam nouimus. Attendentes, præſentis ſcripti pagina duximus ſtaduendum vt Scoticana Eccleſia Apoſtolicæ Sedi, cuius filia ſpecialis exiſtit, nullo mediante debeat ſubiacere, &c. Adijcimus vt nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit licitum ſit, in eo legationis officium exercere &c. Cœleſtius verò tertius Pontifex hoc idem priuilegium confirmauit ſub annum Chriſti 1192. Ferunt Gilbertum Sanctum ſub mortem aſtantibus dixiſſe: Tria vobis commendo quæ & ipſe in vita ſemper ſeruaui; Neminem lædere, & ſi quis læſus fuerit de lædente vindictam non expetere. 2. Patienter ferre quæ Deus immitit in nos flagella, caſtigat enim omnem filium quem recipit. 3. Obedire præpoſitis & rectoribus veſtris & nemini eſſe offendiculo. De Gilberto Sancto vide Leſlæum lib. 6. hiſtoriæ, Regium in Calendario, Azorium Inſtitutionum Moralium tomo ſecundo Par. 2. lib. 3, cap. 36. vbi affirmat Gilbertum Sanctum pietate & doctrinâ ſingulari inſtructum orationem habuiſſe in qua multis rationibus & argumentis oſtendit Eccleſias Scotiæ quæ ſemper fuerant eo (ſ. Anglicano) iugo & onere ſolutæ & liberæ, non eſſe aliqua ſeruitute premendas. Porro Gilbertus Sanctus ex hac vita migrauit ſub Chriſti annum 1176.

Azorius.

2. die. SAncta Ebba Virgo & Martyr, Abbatiſſa, dono caſtitatis & martyrij, in Scotia celeberrima, quippe quæ incredibili animi magnitudine, & erga caſtitatem affectu non impari, Danorum infidelium vt effugeret intemperantiam, ſibi ipſi arreptâ nouaculâ naſum, labrumque præſcidit, idque ſuo exemplo cæterè virgines omnes conſtanti fecere animo: quo facinore duplici laureola virginitatis & martyrij a cœleſti ſponſo donatæ ſunt: rem totam narrat Mathæus Vveſtmonaſterienſis in hiſtoria Angliæ. Anno (inquit) gratiæ 870. (alijs anno 874.) applicuerunt in Scotiam Danorum innumera multitudo, quorum Duces fuere Hengar & Stubba diræ peruerſitatis homines & fortitudinis inauditę, qui totius fines Angliæ in extremum adducere conantes pueros & ſenes quoſque ſibi obuios iugulabant matronas, ſanctimoniales, ſeu virgines ludibrio tradendas mandabant. Cumque per omnes regnorum fines tanta tyrannorum immanitas diſſeminata fuiſſet, Ebba Sancta Coldingamienſis Cœnobij Abbatiſſa, metuens, ne & ipſa cui ſollicitudo regiminis & cura paſtoralis commiſſa fuerat cum ſibi ſubiectis virginibus ludibrio traderetur paganorum, vt pudicitiam amitterent & virginitatem: conuocatis Sororibus ad Capitulum vniuerſis in hanc vocem prorupit dicens: Aduenerunt nuper ad

Vveſtmonaſterieñſis.

partes noſtras Pagani nequiſſimi & totius humanitatis ignari, qui loca huius regionis ſingula perluſtrantes, nec ſexui muliebri, nec paruulorum quidem parcentes ætati, Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas deſtruunt, virgines ſanctimoniales proſtituunt, & obuia quæque ſibi conterendo conſumunt. Itaque ſi conſilijs meis acquieſcere decreueritis, ſpem certam de diuina clementia concipio, quod & barbarorum effugere rabiem valebimus, & perpetuæ virginitatis pudicitiam cuſtodire. Cui cum vniuerſa virginum congregatio certis promiſſionibus ſpopondiſſet, ſeſe maternis in omnibus velle obtemperare præceptis, illa admirandæ animoſitatis Abbatiſſa, palam cunctis Sororibus exemplum caſtitatis præbens, non ſolùm ſanctimonialibus illis proficuum, verùm etiam omnibus & ſucceſſuris virginibus æternaliter amplectendum: arreptâ nouaculâ naſum proprium labro ſuperiori ad dentes vſque præcidens, horrendum de ſe ſpectaculum aſtantibus præbuit vniuerſis. Quod factum memorabile cum congregatio tota videns admiraretur, ſimili de ſe opere a ſingulis perpetrato ſunt materna veſtigia conſequutæ. Ex his ita geſtis cum mane craſtinum illuxiſſet, venerunt tyranni nequiſſimini, vt fœminas ſanctas Deo deuotas ludibrio traderent, ſimul & ipſum Monaſterium ſpoliatum, ignibus concremarent. Sed conſpicientes Abbatiſſam illam & Sorores ſingulas tam enormiter mutilatas cum feſtinatione receſſerunt de loco illo, ſed inde recedentes præceperunt ſatellitibus ſuis nefandis; vt iniecto igne Monaſterium cum omnibus officinis & ipſis ſanctimonialibus concremarent. Sicque exequutione completa à miniſtris iniquitatis, Sancta Abbatiſſa & omnes cum illa Virgines ſanctiſſimæ ad martyrij gloriam peruenerunt. Hæc ille. Porrò quæ fuerit harum Virginum & Martyrum multitudo, ex eo videre eſt quod hæc Coldingamiæ Abbatia (quæ ab vrbe Scotiæ antiquiſſima Coldingam Ptolomæo Colonia nomen accepit) vt erat a multis retro ſæculis Virginibus velatis ſacra, omnium totius Scotiæ fuit vna ex ampliſſimis, ambituque maximis, quam Edgarus Scotorum Rex ordine 89. anno regni ſeptimo, licet iam ſatis amplam, regiè auxit extenditque: Ioannes verò Angliæ Rex illud ipſum impiè concremauit ſub annum 1216. Hæc Danorum in Scotos perſequutio & ſæuitia annos ſex integros cœlo multos dedit martyres, dediſſetque haud dubiè plures, niſi Gregorius Rex Dei fultus præſidio, & zelo zelatus pro Eccleſia Dei Danis, in Fifâ, Laudoniâ, & Merciâ deuictis, Beruicoque Præſidio deturbatis, in Northumbria cum Hardunto Dano fœliciter conflixiſſet, in quo conflictu tantam Danorum ſtragem edidit, vt eorum vires toti nuper Britanniæ formidabiles, ab illo propè confectæ ſint, eiſque deuictis Northumbriam, Cumbriam, & Vveſtmariam ſuo addidit imperio, licet longè ante hæc tempora Cratlinthus Rex ſub annum Chriſti 322. Vveſtmariam & Cumbriam Scotorum regno adieciſſet. Ob

has contra Danos victorias, & ob animi virtutes quarum nulla abfuit, quæ virum Principem deceret, Magni cognomentum Gregorius Rex à poſteris adeptus eſt. Et ſanè magna hæc fuit, vt notat Bozius, in Scotiam diuinæ prouidentiæ teſſera, Danos gentem potentiſſimam Angliâ potitos tota, annos 28. aut 30. & in Galliâ inuitis Gallis fixiſſe ſedem, variaque Europæ loca ſuo adiecisſe imperio, Scotiam tamen adijcere tentaſſe ſæpè, numquam potuiſſe. Nulla (ait Bozius, agens de diuinis benedictionibus in Scotia quamdiu Catholica permanſit) eſt natio, cuius geſta monumentis fuerint conſignata, quæ non fuerit adducta in poteſtatem gentis diuerſam contrariamque religionem profeſſæ præter vnam Scotiam. Neque vero putet aliquis non tentatam à barbaris olim nationibus irruptionem in Scotiam, nam ſub annum Chriſti 860. Dani qui ſunt ijdem cum Northmannis, Conſtantino ſecundo, Etho & Gregorio repugnantibus nihil non contenderunt vt ſubigerent ſed fruſtra, & concludit, Sit igitur hoc Scotiæ præcipuum, vt numquam ſuccubuerit barbaricis irruptionionibus & meritò; nam quæ hæreticis opinionibus locum numquam dedit (ab anno quippe 203. Victore Pontifice ſedente, quo Scoti Chriſti cultum ſunt amplexati, in eo conſtantes fuere) populo ac Rege Catholica ſentiente, neque par erat vt barbaris cederet nationibus. Hęc ille. Prætermitto recenſere Virgines quæ in várijs orbis partibus ſimili animi magnitudine, factoque ſimili martyrij coronam adeptæ ſunt, de quibus Scriptores Eccleſiaſtici de Sancta Pelagia Antiochena, Ambroſius de Antonia Virgine, Surius de Sancta Euphraſia Virgine & Martyre, Nicephorus, & alij. Illas verò fœcunda Sanctis Scoticana Eccleſia dedit Virgines, quæ vitam ipſam virginitati poſthabentes, iam cœlo cum Virginum ſponſo duplici inſignitæ coronâ lætantur & ſequuntur agnum quocumque ierit. Vnum addo, Baronium deceptum dubia de his Virginibus Vveſtmonaſterienſis narratione, qui vt lectori perſuadeat has Virgines Anglas fuiſſe, Danos illos applicuiſſe quidem in Scotiam ſcribit, ſed Scotia veluti prætermiſſa Angliam aggreſſos, Angliæque monaſteria ſolo æquaſſe. Sed fallitur, cum conſtet Conſtantinum ſecundum Scotorum Regem etiam ſecundò cum hiſce Danis Hengar & Srubba manus conſeruiſſe, & & ab iiſdem martyrio coronatum, Coldingamiæ etiam Abbatiam (in qua Virgines fuere) in Mercia Scotiæ prouincia fuiſſe ſemper & adhuc eiuſdem ibidem ſupereſſe veſtigia. Fuit, ſcio, alia Ebba Virgo & Abbatiſſa Northumbria orta Oſvvaldi & Oſvvi Regum ſoror quæ apud Scotos relictâ idolatriâ fidem catholicam edocta fuit ſub annum 624. de qua Boëtius. Ebba vnica Elfredi filia capta, raptorem diuinâ euadens ope Scaphâ arreptâ in mare abſque humanâ ope euecta eſt: ac tandem in Forthææ oſtijs ad promontorium quod ab ea Ebbæ nomen ad nos tulit, in terram expoſita ſacro ab Antiſtite loci accepto velo inter ſanctimoniales ibidem degentes eſt numerata,

Bozius.

Mater tandem ac Antiſtita ſanctarum virginum effecta ſeſe virtutum exemplar omnibus imitandum præſtans, probatis moribus ac Sancto viuendi inſtituto, ad vitæ exitum fœliciter perſeuerauerit, Ebbæ autem Virginis illius & Martyris, fit etiam commemoratio ad 25. Auguſti diem.

3. die. SAnctus Dimans vel Dinaus Epiſcopus in Scotia. Vide de illo Vvionem lib 3. & alios. *Vvion.*

4. die. SAnctus Guillelmus Scotorum Rex, cuius Sanctitatem eximium mirum in modum miraculis à Deo confirmatā fuiſſe teſtantur Coccius, Boëtius, Leſlæus, Maior, & alij. Viro nobili ac locupleti filius erat, iſque hæres vnicus, quem & vnicè diligebat, cuius alter oculus madebat ſanie, altera manus areſcebat, alteroque pede claudicabat. Patrem iuuenis angoribus deditum & dolore pene dementem; hortantur ad Guillelmum Regem ſanctitatis fama præſtantem opem imploraturus accederet. Pater deſiderio ſanitatis filij ad Regem aduolat & madentibus vberi fletu genis obteſtatur & orat vt opem aliquam filio & hæredi præ infirmitatum multitudine penè extincto porrigat. Rex hominis alioqui nobilis ſtatus miſeratus inuocato numine, efformatoque in hæc verba crucis ſigno, *Dominus Ieſus Chriſtus te ſanet & ſaluet*, filium ſanum & incolumem patri reddidit obſtupeſcentibus nobilibus, qui aderant vniuerſis. Patrem filium ex integro ſanatum cernens manantibus præ gaudio lacrymis. Regi gratijs ſuppliciter peractis, ſe diuino cultui ſolito ſincerius mancipauit. Magna fuit huius ſanctiſſimi Regis erga Sedem Apoſtolicam obedientia, vnde & Lucius tertius Pontifex maximus Guillelmo tanquam Regi Catholico, & habenti communionem Apoſtolicæ ſedis, honorem congruum impendendum iubet, & in omnibus in quibus ſecundùm Deum poſſumus (ait Pontifex) honorandum, miſitque Pontifex Guillelmo Regi (teſte Boetio lib. 13. hiſtoriæ, Bzouio in hiſt. Eccleſiaſtica, & alijs) tanquam fidei protectori enſem, cuius capulus, vaginaque aurea gemmis diſtincta erant, & Galerum purpureum. Sed fuſiùs Clemens Tertius literas ad Regem Guillelmum beneuolentiæ & amoris plenas ſub initium Pontificatus dedit in hæc verba. CLEMENS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Guillelmo illuſtri Scotorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum vniuerſi Chriſti iugo ſubiecti, &c. Ea propter chariſſime in Chriſto fili reuerentiam, ac deuotionem, quam ad Romanam te habuiſſe à longis retrò temporibus Eccleſiam nouimus, attendentes, præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum; vt Scoticana Eccleſia Apoſtolicæ Sedi cuius filia ſpecialis exiſtit, nullo mediante debeat ſubiacere, &c. (quod fecit Pontifex ad retundendam audaciam Rogerij Eboracenſis Archiepiſcopi.) Adjicimus vt nulli de cœtero, qui de regno Scotiæ non fuerit, licitum ſit in eo lègationis officium exercere, &c. Si quæ verò ſcripta contra huius libertatis ſtatuta apparuerint impetrata

vel in poſterum, iſtius conceſſionis mentione non habita contigerit impetrari, nullum tibi, vel ipſi regno circa huius prærogatiuæ conceſſionem præiudicium generetur. Præterea libertates & immunitates tibi, vel eidem regno, vel Eccleſijs in eo conſtitutis à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus indultas ratas habemus, & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat, &c. Cœleſtinus verò tertius Pontifex hoc idem priuilegium confirmauit. Adhæſiſſe teſtatur Diuus Bernardus Epiſtola 125. ad Gaufredum, Guillielmum Regem ex ſingulari in Sedem Apoſtolicam obſeruantiâ Innocentio ſecundo, repudiato Anacleto Antipapa. Allemaniæ (inquit) Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum & Hieroſolymorum Reges, cum vniuerſo Clero & populis fauent & adhærent Domino Innocentio tanquam filij patri, tanquam capiti membra ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Et ſanè eam in fide Catholica, & erga Sedem Apoſtolicam obſeruantiam, Scotorum Reges laudem conſequuti ſunt; vt fidem illibatam, & Eccleſiaſticorum priuilegia intacta, citra hæreſeos vitium, vſque ad annum 1550 perpetua ſerie ſibi ſuccedentes Dei prouidentiâ fœliciter conſeruarint: in cuius rei per eum teſtimonium Iulius ſecundus Pontifex maximus (teſte Boëtio in vitis Pontificum Aberdonenſium) Iacobum quartũ Scotorum Regem per Legatos Chriſtianæ religionis protectorem declarauit, miſſis ad eum Legatis, qui Galerum purpureum aureis folijs verè contextum, enſem aureo capulo, vaginâ aurea gemmis conſitâ, Pontificis nomine offerrent. Iuuit Sanctus Rex Guillielmus, Richardum Anglorum Regem ad expugnanandam Ptolomaidem: In extruendis pietatis per Scotiam monumentis liberaliſſimus erat: Vnde Dauidem fratrem & Principem ab Hyeroſolimitano bello ſoſpitem redijſſe cum intellexiſſet, in tanti beneficij à Deo accepti perpetuum monimentum, Monaſterium de Lendors à fundamentis excitauit, ac Deo, Diuæque Virgini conſecratum opimo, lautoque agro, amplificauit. Cœnobium quoque Aberbrothenſe in honorem Diui Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi (quo cum magnam puer conſuetudinem habuerat) erexit, Cœnobium inquam in opibus nulli in Scotiâ ſecundum & neſcio vtrum opulentius fuerit non tantum in totâ Britanniâ, ſed nec in Europa. Epiſcopatum Argadenſem etiam erexit. Die Sterlingi obiit Sanctus Rex, ætatis anno 74. & regni ſui 49. anno verò Christi Domini 1214. & apud Arbroth monaſterium, quod iam diximus illum exſtruxiſſe, honorificè regio ſplendore inhumatus eſt.

S. Bernardus.

HOc eodem die Beatus Conuallus Rex hoc nomine primus, qui S. Moduuennæ Virginis adiutus precibus & conſilio, vitam tranſegit Chriſtiano Rege digniſſimam. Quoties aliquo proficiſcebatur, crucem argenteam cum crucifixo ante ſe, veluti Chriſtiani Principis vexillum, deferri iubebat: quam, priuſquam equum aſcẽ-

deret, oſculatus, totâ cum præſente multitudine adorare conſueuerat. Lamina argentea crucis ſtipiti affigebatur, in ea inciſum aureis characteribus *Gloria Christianorum* Nunquam Sacerdotem quẽpiam ſine magna reuerentia eſt alloquutus. Nunquam in templo tecto capite eſt conſpectus. Leges tulit, vt qui Sacerdotem manu percuſſiſſet, eadem ei manus ferro adimeretur; qui occidiſſet Sacerdotem, publicatis fortunis cremaretur viuus. Edixit ad hæc vt decimas omnium terrâ naſcentium cuncti in Sacerdotum horrea deferrent, & qui ſacris, Sacerdotum authoritate, fuiſſet prohibitus, is hominum prohiberetur congreſſibus, ſalutaretur à nemine, petentique ius negaretur. Denique hic ille eſt Conuallus Rex de cuius ſanctitate magnus ille Columba (poſtquam ex Hæbridibus in Scotiam traieciſſet) interrogatus quid in Albione vidiſſet, reſpondiſſe fertur miraculum in Albione, quod cætera quæ antea vidiſſet, vinceret, cum ingenti admiratione a ſe proſpectum Regem, videlicet Conuallum, in medijs conſtitutum delitijs, cuique multo plura eſſent ad malum, quam ad virtutem incitamenta, cum Sacerdotibus, Monachis & Venerandis Epiſcopis de vitæ ſanctimoniâ contendentem. Vide Boetium, & alios. *Boetius.*

5. die. SAnctus Tigernacus Epiſcopus & Confeſſor, qui vbi primùm diuino radio illabente in Epiſcopalis officij dignitatem mentem intendit ſuam maturè cœpit diſpicere, Epiſcopum talem debere eſſe, qualis cupit haberi, referréque plurimùm vt Euangelicus Præco opinionem virtutis ac probitatis, ſuis ſibi conciliet moribus; eſt enim (teſte Auguſtino lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 27.) quantacunque granditate dictionis, maius pondus vita dicentis, quam ob cauſam hoc Sancto Tigernacò ratum, firmumque non ſe nimiùm dare in familiaritatem hominum, quæ enim propius inſpectantur, ea quoque manifeſtiùs quid in ſe habeant vitij, demonſtrant: ſed vt ſpiritualis poſtulare t vtilitas cum proximo conuerſandum; vt ita nec deeſſet proximi iuuandi, nec offendendi adeſſet occaſio. Tigernacus verò multis ac magnis pro Chriſto laboribus functus ad extremam diem vltimum clauſit ſub annum 870. in Eskédalia prouincia. De eo videantur Regius in Calendario, Boetius in hiſtoriâ, & Chronica Skonenſia. *Auguſtinus.*

6. die. SAnctus Berchanus vel Berthanus Epiſcopus Orcadenſis & Confeſſor: magna fuit is ſanctitatis opinione in Sterlingenſi prouinciâ. Adoleſcentiæ annos in celebri illo D. Columbæ monaſterio non procul Sterlino ſiue Striuilingo tranſegit. Ad Epiſcopatum euectus ſtatim peruolutandis Sanctorum vitis (Vironis præcipuè, Rumoldi, Plechelmi, & Kiliani Epiſcoporum, qui apud exteras gentes & miraculorum gloriâ & vitæ ſanctitate celebres habebantur,) diligenter inſiſtere, præclariſſima eorumdem dicta & facta excerpere, & præ oculis ſemper habere, horum frequenti meditatione ſeipſum velut in ſpeculo contemplans, magno

eos imitandi ferebatur deſiderio, & limpidiſſimâ è cœlo perfundebatur dulcedine: & certè ad imitationem illorum plurima, eáque præclara geſſit Berchamus Sanctus. De eo vide Regium in Calendario.

7. die. SAnctus Sigenius Abbas Benchorenſis monaſterij in Inſulâ Hoyenſi (fuit enim Benchorenſe aliud monaſterium in aliâ Inſulâ Hoy Orcadum vna) ex cuius inſtitutione & magiſterio ad inſignem ſanè pietatem & virtutum cumulum profecit Aidanus Sanctus, quem ad Anglorum conuerſionem à Scotis miſſum teſtantur Beda lib. 3. hiſt. cap. 3. De hoc Sancto vide Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ in Donaldo, impios Magdiburgenſes centur. 7. cap. primo, & alios.

HOc eodem die martyrium pro fide Catholica ſubijt Ioannes Hamyltonius ſucceſſor in Archiepiſcopatu Dauidis Betonij Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Sancti Andreæ Archiepiſcopi & martyris. Fuerat antea Abbas Paſlatenſis. Illum Hæretici ſuſpendio e viuis ſuſtulerunt anno Domini 1571. Notus verſus ille impij Poëtæ.

Reſtis Hameltonum necat enſis, vt ante Betonum.

Cœd. Authores ſic in Beatum Martyrem iocati ſunt.

Creſce diu fœlix arbor, ſemperque vireto
Frondibus, vt nobis talia poma feras.

Sed & illis vertentem poſt annum eodem ſupplicio affectis argutè à Catholicis reſponſum.

Creuit vt optabas ramis fœlicibus arbor
Et fructum nobis, te generumque tulit.

8. die. SAnctus Dyſignatus, veriùs Deſignatus Epiſcopus Traiectenſis, Ducis Dalenſis ex filiâ Regis Scotiæ filius. Vide Democharem lib. 2. cap. 53. Dempſterum, & alios.

9. die. SAnctus Dotto Abbas apud Orcadenſes celebris, vnde & Orcadum Inſula vna ab eo indigitatur, & in hodiernum diem Sanctus Dotto nominatur: habebat illa Inſula Eccleſias & monaſteria perampla S. Brandano dicata, & celebre monaſterium, cui S. Dotto primus præfuit Abbatis officio, Poſt varia in vitâ & poſt mortem edita miracula, ſenio potiùs confectus, quàm vi grauioris morbi labefactatus lætabundus illud Dauidicum, Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, ſæpè repetens, animam Deo reddidit ſub annum Chriſti 502.

10. die. SAnctus Paternus Monachus Paderbornenſis ciuitatis in Germania, Vir ſingulari modeſtiâ, & in domandis animi paſſionibus imprimis acer, qui cùm multis alijs donis cœleſtibus à Deo ornatus eſſet, tùm vnione cum Deo, in eumdem fiduciâ & prophetiæ ſpiritu multùm excelluit, In Germaniam conuertendarum animarum cauſâ exemplo Sanctorum, Tanconis, Fredilini, Iſingeri, Theodnani, & Kiliani, ſuorum gentilium ſe contulit, vbi poſt

magnam

magnam animarum meſſem ſe ſibi tradidit, ſolique Deo cellulæ annos incluſus multos vacauit. De hoc Sancto vide Tritemium de viris illuſtribus ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 524. Bozium lib. 21. de ſignis Eccleſiæ cap. 3. Marianum Scotum lib. 3. Chron. Sigebertum in Chron. ad annum 1058. Leſlæum lib. 5. hiſtoriæ. Vvionem lib. 3. ligni vitæ, & alios.

11. die. SAnctus Gudlocus Confeſſor in Merchiâ Scotiæ prouinciâ vitæ ſanctitate & miraculorum gloriâ celebris. Parentibus natus eſt (patre Penualdo & matre Tecta (non minus pietate quàm generis claritate apud Mercios nobiles: Erat ſolitudinis & receſſus amantiſſimus: vnde nocte quadam cum vir ſanctus vigiliis & precibus deuotis inſiſteret, infinita propemodum Dæmonum multitudo aſſumptis brutorum animantium formis locum in quo fuit Gudlocus intrauit, & intrando circumquáque concuſſit. Ingrediebantur domum leo rugiens, taurus mugiens, aper grunniens, lupus vlulans, equus hinniens, aries balans & coluber ſibilans, &c. Vir autem Dei ſigno crucis ſe muniens dixit, cur me tentas Satana? Dominus mihi adiutor eſt, & ego deſpiciam inimicos meos, &c. In quamcunque autem ſpeciem te transformes, certus ſum quia neque mors neque vita, neque gladius, neque Angelus, neque Poteſtates, neque Principatus, neque creatura aliqua poterit me ſeparare à charitate Dei. His dictis tota illa phantaſia diſparuit. Vixit in ſolitudine annos 15. quibus omnibus ſub mortis horam Berthelmo cuidam Clerico faſſus eſt ſe à primo die, quo Eremum ingreſſus eſt, ſemper manè & veſperi Angelum ſuæ conſolationis habuiſſe, qui labores & tentationes ſuas cœleſti ſolario releuaret, futura prædiceret, iudicaret abſentia, & arcana cœleſtia, & quæ nec licet nec expedit homini loqui reuelaret, verùm inter hæc ſolitariæ vitæ gaudia deficiente iam vita, ſpe & in Deum fiducia plenus, extenſis ad cœlum oculis & manibus, obdormiuit in Domino anno Chriſti circiter 716. ætatis vero 47. nam annos natus 32. ſe totum cœleſtibus rebus meditandis in ſolitudine tradidit, in qua annos 15. vixiſſe conſtat. Eius nomen idem eſt Scotis ac bonum omen *Good Look*.

12. die. SAnctus Dobanus ſocius Sancti Bonifacij Scoti Epiſcopi Treherenſis. Sanctus Vvillibaldus, vita eius pagina 387. & alij.

13. die. SAnctus Elias Abbas monaſterij Scotorum Coloniæ Pantaleoni Sancto dicati. Duo fuere Coloniæ Agrippinæ Scotorum monaſteria, in quæ Scoti duntaxat Monachi admittebantur, & in aliis Germaniæ locis fuere varia, quæ ſoli Scoti inhabitabant, quod his & horum prædeceſſoribus in prædicanda Saxonibus fide Carolus magnus, vt plurimùm vſus ſit, cæteraſque Germaniæ regiones peruagati Scoti Chriſtum prædicando magnam ſanctitatis opinionem miraculis innumeris confirmatam poſteris reliquerint, & fuère quidem propemodum hi omnes Benedictini Monachi, qui

cum Scotiam monaſteriis repleuiſſent, nec anguſtiis diutiùs coërceri poſſent, in Germaniam latè redundarunt, & varijs in locis Viennæ in Auſtria, Herbipoli in Franconia, Coloniæ in Vbiis & alibi liberalitate aliqua ex parte Principum, ſuorum populatium ſeminaria excitarunt. Henricus tamen Auſtriæ Dux anno Chriſti 1121. monaſterium cenſu lautiſſimo auctum Viennæ in fauorem Scotorum excitauit, atque edicto cauit, ne quis extra Scotos in illo monaſterio vel Abbas crearetur, vel Monachus aſciſceretur. De Eliæ in gubernaculo prudentia, vitæque ſanctitate, ita Tritemius: Elias Abbas monaſterij Sancti Pantaleonis in Colonia, natione Scotus, vir prudens & Sanctus, cuius merita etiam poſt mortem in multis fuêre comprobata: religionis feruentiſſimus obſeruator, multa bona fecit in ordine, cuius tanta erat induſtria, vt duo noſtri ordinis monaſteria pariter regeret in Colonia Sancti Pantaleonis videlicet, quod à Brunone Archiepiſcopo Colonienſi fundatum & erectum fuit, & Sancti Martini. Non paucas à peruerſis ſuſtinuit iniurias, moritur anno 1042. pridie Idus Aprilis; & alibi. Elias Abbas monaſteriorum Sancti Martini & Pantaleonis natione Scotus obiit, vir doctus & ſanctus, qui cum Monachis ſuis vitam arctam duxerat. De eodem Leſlæus, Epiſcopus Elias Abbas Diuorum Pantaleonis ac Martini, quæ ſunt Scotorum monaſteria in Colonia, creatur. Cuius honori ac virtuti inuidentes quidam, multis conuitiis eum ad Piligrinum Archiepiſcopum Colonienſem proſciderunt. vnde Archiepiſcopus Eliæ odio acerrimo infenſus illum ſtatuerit occultis inſidiis delere, & omnes Scotos Monachos expellere. Verum Elias Scotus Abbas (vti Marianus ſcribit) cum hoc reſciſſet, dixit cum cæteris Scotis: ſi Chriſtus in nobis peregrinus eſt, nunquàm viuus Coloniam redeat Piligrinus, & ita Dominus compleuit: nam mors repentina hanc ſceleratam mentem illi breui pòſt euertit; Eliam cum cæteris Scotis Eccleſiæ ſeruauit.

De viris Illuſtri. lib. 3 cap. 241.

in hiſt. Hirſau. Monſt. ad annum 1042 lib. 5. hiſt.

In Chron. lib. 3. ad annum 1035.

EOdem die Sanctus Guinochus Confeſſor & Epiſcopus: Kennetho huius nominis ſecundo Scotorum Regi fuit à conſiliis, apud quem & dignitas conciliabat reuerentiam, & vitæ ſanctitatis obſequium, eoque perſæpè vtebatur Rex Principum animos ſibi conciliando (Picti quippe, cum quibus grauiſſimum erat bellum Scotorum Principum animos à Rege auertere tentarant) vel exquirendo conſilio, vel commendandis regni negotiis apud Deum pia prece & aſſidua: in quibus officiis parati Guinocho ſemper erant Scotorum Principum aditus, obuia comitas & prompta beneuolentia, & quod caput eſt, fœlix exitus, Deo Kennethi Regis conatus Sancti Guinochi precibus benedicente & promouente, quibus effectum vt Kennethus vno die ſepties cum diuerſis Pictorum turmis manus conſerens non citra miraculum victor ſemper euaſerit, qua clade Pictorum vires penitùs fractæ, ac comminutæ ſunt: vnde & poſtea ad internecionem ferè deletis reliquiæ regno exturbatæ ſunt

iuſto Dei iudicio, quod pro Romanis alienigenis in Britannia ſub Maximo tyranno contra Scotos, à quibus Euangelium & regnum accepêre, bellum ſæpè geſſerint, quodque cum Saxonibus idolatris contra Scotos & Britones Chriſtianos caſtra ſæpè mouerint, poſtremò denique, quod viros Eccleſiaſticos, non quâ par erat reuerentiâ reueriti ſint, ſed inſtar ſeruorum violatis eorumdem priuilegiis, penes ſe habuerint Guinochum Sanctum miraculorum fama, ſanctitatis opinione celebrem cœlitibus adiunxit, Buchania prouincia ſub annum Chriſti 838. qui erat Kennetho Regi ac regno inito quartus. Agit de Guinocho King.

14. die. SAnctus Eberhardus Epiſcopus Ratiſbonenſis, Apoſtolus Bauariæ. Vide Cratepolium pagina 52. & alios.

15. die. SAnctus Mundus Abbas, ſanctitate vitæ & miraculis celebris ad hæc noſtra tempora in prouincia Argathelia, vbi & Eccleſias ſuo nomini dicatas multas inuenire eſt. Varios hic Sanctus in vita ſpirituali diſcipulos magiſtro non diſſimiles habuit, quibus perſæpè commendaſſe dicitur, vt purum pectus, & in amore Dei ſincero flagrans perpetuò cuſtodirent. 2. vt de Deo, rebuſque diuinis duntaxat cum externis loquerentur, hoc enim ſæculares homines multitudine miſeriarum huius ſæculi oppreſſos iure à religioſis expectare, religioſos verò inſtituti ratione ſæcularibus hoc ipſum debere, cumque qualis vnuſquiſque ſit, ſermo manifeſtum faciat, nam ex abundantia cordis os loquitur, vita & verbo talis debet eſſe religioſus, qualis à ſæcularibus haberi cupit. 3. vt loquendi tempus pariter ac modum præſcriberet ipſa neceſſitas, & vtilitas ſeu propria ſeu aliena, cum ſit tempus loquendi & tempus tacendi. 4. nihil agere quod non ante oculos diuini conſpectus, cunctorumque hominum auderent, cum Deus ſit inſtar omnium teſtis & iudex, qui nec falli poteſt nec fallere. 5 vt hoc maximè cordi eſſet, ſe inuicem ſincero, non fucato amore diligerent, eáque à ſe quam citiſſimè repellerent quæ à mutuo, fraternóque amore diuellerent, memores ſemper præcepti diuini. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Plurima erexit hic Dei famulus monaſteria in Argathelia prouincia. Ex hac vita migrauit ſub Chriſti annum 962. De eo Regius in Calendario & alij.

16. die. SAnctus Mannus ſiue Magnus Epiſcopus & Martyr qui fidem Catholicam, quam Sernanus Sanctus Orcadenſium Apoſtolus in Orcadibus plantauerat, non modo rigauit ſtrennè, ſed & ſanguinis effuſione rigatam confirmauit: ſiquidem cum Nouergorum Rex Duncanum Scotorum Regem bello laceſſeret, & Orcadas pertranſiens magnam ibi Chriſtiani ſanguinis copiam effudiſſet, Sanctum Magnum Orcadenſium Paſtorem & Epiſcopum comprehendi iubet, cui cum mors intentaretur, intrepidè reſpondit. Ego pro Deo meo millies mori paratus, verum ex parte Dei omnipotentis, cui breui ſeruiam in ſanguine, præcipio, vt puſillo gregi meo ſan-

guine adhuc madenti ampliùs non noceatis: poſtea carnifici gladium educēti magnâ animi conſtantiâ caput ſubmiſit hæc nouiſſima proferens verba. Domine Ieſu, tibi, ſanctæ Mariæ, ſanctis Palladio & Sernano commēdo meipſum & gregem meum. Vide Chronica antiqua, Leſlæum & alios. Paſſus eſt ſanctus Mannus Chriſti ann. 1104. in Inſula Orcadum cui Egliſia nomen eſt, vbi & miraculorum gloriâ ad noſtra ferè tempora celeberrimus ab Orcadenſibus celebrabatur. Agit etiam de ſancto Magno Aberdonenſe Breuiarium, quem refert nobilibus ortum parentibus poſt laxiorem in adoleſcentia vitā tranſactā totū ſe diuino mancipaſſe obſequio, coactúmque à parentibus vxorē ducere, ſed cū eâdem annos decem in magnâ vixiſſe caſtitate, vxore verò mortuâ mūdo valedixiſſe, & poſtea ad ſacras Inſulas euectum, martyrij corona pro fide Catholica redimitū: Quæ omnia hæc peruetuſto carmine apud Orcadenſes cani ſolito cōtenta cernere eſt.

Laſlæus.

Hymnis prædulcibus Magni præconia,
Cordeque vocibus pangamus inclyta,
Eius mirifica promentes opera,
Iugi digna memoriâ.
Vt Paulus Domino Magnus conuertitur,
Chriſtum ex animo toto conſequitur,
Ardere creditur, ſed non exuritur,
Rubus dum florens cernitur.
Sic in cubiculo ſponſus cum Virgine,
Inſigni titulo præcontinentiæ
Vixit à Venere Diuino munere
Annis decem continuè.
De templo trahitur Magnus dominico,
Repletus patitur ex ſacrificio,
Migrat de prælio Rubius martyrio,
Caſtóque candens lilio.
Huius vt paßio noſtrorum criminum,
Fiat ablutio poſcamus Dominum,
Vt nobis gaudium poſt hoc exilium,
Largiatur perpetuum.
Honor, laudatio per mundi climata,
Vni ſit Domino, trinóque gloria,
In trinâ machinâ, qui regit omnia,
Per cuncta ſemper ſæcula. Amen.

17. die. SAnctus Donanus Abbas Tanglandię, qui in religioſa palæſtrâ tantum breui temporis ſpatio in ſcholâ Chriſti profecerat, tantòque ardore cucurrerat Chriſti viam, vt virtutum omnium cumulo æquales ſuos longo poſt ſe interuallo relinqueret. Submittebat ſe omnibus, & hoc beatum ſe arbitrabatur ſi deſpiceretur ab omnibus, nec vlla eius auribus vox dulcior quam obiurgantis & reprehendentis, longéque ardentius Donanus S. contumelias & ignominias, quā cæteri gloriā & ſui nominis honorē ſitiebat.

In edomando etiam,& macerando corpore nullus apud Donanum finis. Et vt erat infirmâ valetudine, in ipſis etiam morbis, in quibus fractior eſſe ſolet animus ægrotantis, & conſtantiam & animi æquitatem ſic ſemper tenuit. vt nec acerbioris morbi frangeretur incommodis, nec vſitata pietatis & deuotionis munia deſereret. Fuit Donanus Sanctus magno in pretio ob virtutum ornamenta apud Duncanum Scotorum Regem, qui Donani Sancti exemplo, admirabili fuiſſe dicitur lenitate animi, & ad ignoſcendum paratiſſimus. Ad ſuperos abijt Donanus Sanctus Chriſti anno 144. De illo vide Regium in Calendario, & alios.

18. die SAnctus Eduardus Epiſcopus Aberdonenſis. Vide de ipſo Boetium in vitis Epiſcoporum Aberdonenſium, Leſlæum, Brunum, Sinclarum, & alios. *Regius. Sinclarus.*

HOc eodem die Sanctus Florentinus Regis Scotiæ filius. Hic ex Scotiâ clàm fugiens in Lotharingiæ partes peruenit, vbi in conuertendis ad Chriſtum animabus mirabilia operatus eſt. Quieſcit ſacrum eius corpus in Pago Bonnet in Diœceſi Tullenſi in finibus Campaniæ tribus tantùm leucis à ciuitate Ianuillanæ. Celebris eſt ad ſacras eius reliquias ſtultorum peregrinatio, & vix vllus eſt qui inde, ſanitate non recuperata, recedat. Vita huius Sancti circa templi parietes deſcripta eſt.

19. die SAnctus Columbanus Abbas recluſus. Alij eius diem feſtũ ponunt 13. Februarij. De eo Molanus & alij.

20. die SAnctus Adelarius Epiſcopus Erfordienſis, Franconiæ Apoſtolus Martyr ſocius Sancti Bonifacij ex Melroſia. De eo Scoti Chronicon, & alij. *Scoti-Chronicon.*

HOc eodem die Sanctus Sernanus Epiſcopus & Confeſſor & Orcadenſium Apoſtolus: hic honeſtis in Scotia ortus parentibus Culroſſani monaſterij Monachis educandus traditus eſt ſub annum Chriſti 426. (fuit enim Culroſſa Monaſterium ante Palladij Sancti in Scotiam aduentum apud Scotos celebre, & virorum Sanctorum fœcundum) vbi poſt humanas, ſacraſque diſciplinas, quas Sanctos Kentigernum & Ternanum ibidem docuit, Sancto Palladio (hic quippè à Cœleſtino Pontifice ad Scotos miſſus fuit ſub annum 431. vt Pelagianam hæreſim pullulantem ſupprimeret) in opus Euangelij diſſeminandi ſe deuouit. Corruptores Catholicæ Religionis deteſtabatur grauiſſimè, & inſectabatur acerrimè, nihil etiam non moliebatur vt Orcadenſes nondum Chriſti initiatos Eccleſiæ Catholicæ coniungeret. Magno igitur labore ſæuientis maris incommoda nihil formidans ad Orcadas à Palladio Sancto miſſus eſt, vbi infidelitatis errore deprauata inuenit omnia: itaque Sernanus frequenti celebratione Miſſarum conciliato ſibi numine inchoandam ſibi animarum ſalutem à cura corporum ſtatuit, vndè vinctos in cuſtodiis & neceſſitate oppreſſos officiosè ſtatis temporibus inuiſebat: viris etiam primarijs diuinâ prædicatione verbi,

colloquiiſque priuatis non deerat, Domino vbique cooperante & ſermonem confirmante ſignis & miraculis. His & huiuſmodi Apoſtolicæ charitatis officiis eò vſque celebrari, peruulgarique cœpit Sernanus, vt iam tum Orcadianorum Apoſtolus nominaretur, varias ſcripſit epiſtolas ex quibus luce clariùs apparet, quanta Sernano eſſet cum diuina mente coniunctio, quâm affluens, quámque redundans diuinarum ſuauitatum copia, quàm crebris, quamque perpetuis à Deo ſplendoribus ſpiritualibus mens eius illuſtraretur, quantáque eius in proximum charitas, qualis etiam pro Christo martyrij ſubeundi ſitis & ardor. De illo agunt Skonenſia Chronica, *Arnoldus* Arnoldus in Theatro conuerſionis gentium, Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ, Maior in eadem hiſtoria, Regius in Calendario, & alij quorum multi tradunt huius viri ſanctiſſimi precibus effectum, vt nullus ſerpens, venenatum animal nullum, ne quidem quod venenatorum ſpeciem referret, cuiuſmodi eſt rana, apud Orcadenſes reperiri ſit.

21. die. SAnctus Domitius Abbas. De eo Vvion, Leſlæus, & alij.

HOc eodem die Sanctus Vvalaricus Confeſſor qui Sancti Columbani Abbatis & magiſtri veſtigiis inhæſit ſtrenuè, quique non modo in familiari de rebus diuinis colloquio verùm etiam in ſanandis Chriſtianorum ſuo exemplo moribus vicariam Columbo Sancto dabat operam. Et quamuis raro hic Dei famulus agendi cum Deo per orationes & lacrymas etiam in mediis congreſſibus conſuetudinem intermitteret, ſecedebat tamen ſæpè in loca à ſtrepitu remota, vt ex tot peregrinationum moleſtiis paululum reſpiraret, ſibique vacaret & proximo ſanctis apud Deum precibus *Bozius.* & poſtulationibus. De eo Bozius lib. 22. de ſignis Eccleſiæ cap. 3. & alij.

22. die. SAncta Ethelreda Virgo in Coldingham. De ea Polidorus lib. 4. pagina 4. & alij.

23. die SAnctus Adelinus martyr & Epiſc. qui relicta Scotica ſummo prædicãdæ fidei deſiderio æſtuans in Germaniam conceſſit vnà cum Kiliano Sancto Franconiæ Apoſtolo, vbi Euangelici Præconis obiens munia, quocunque pergebat ſuæ veſti- *Sigebertus* gia ſanctitatis relinquebat. De ipſo Sigebertus in Chron. ad annum 694. & alij.

24. die HOdie cœleſtia petiit Beatus Patricius Franciſcanus, qui direpto ſuo Deidonenſi ab hæreticis monaſterio, cum ægrè ferret auguſtiſſimum Chriſti corpus violari, multis vulneribus confoſſus ante defenſa altaria occubuit perituræ pietatis victima anno Chriſti 1559.

25. die SAnctus Cunibertus Epiſcopus & Confeſſor, hic religioſis Bammirini monaſterij educandus à puero traditur (eſt quidem Bammirinum Cœnobium non procul à loco, cui

Vvood Heauun nomen iuxta Tagi æſtuarium) eorumq; documentis vitæ exemplo adeò in omnem virtutem excreuiſſe dicitur, vt poſteà ad ſacras Inſulas, licet inuitus euectus ſit. Verùm tanto ſolitariæ vitæ ducendæ tenebatur deſiderio, vt Epiſcopatu relicto in Eremũ ſe contulerit, & vſque ad extremum ſpiritum (quem Deo fœliciſſimè reddidit ſub annum 690.) in eadem permanſerit vbi & aquam è ſaxo euocauit. De eo agitur breuiter in Theatro vitæ humanæ lib. 1.

26. die. SAnctus Erenæus Abbas. De eo Adamannus lib. 71. cap. 3. Scoti Chronicon lib. 3. cap. 14. Brunus, Sinclarus, & alij. Alij eius diem feſtum ponunt 15. Februarij.

27. die SAnctus Euſebius Sancti Reguli ſocius. De eo Sinclarus, Brunus, & alij. Eius diem feſtum alij ponunt 30. Septembris.

28. die. SAnctus Kortillus Epiſcopus Verdenſis & Martyr qui fidem Saxonum populis prædicauit. De eo Demochares in Catalogo Epiſcoporum Verdenſium, Crantzius lib. 1. Metrop. cap. 29. Cœleſtia petiit ſub Chriſti annum 826.

29. die SAnctus Middanus Abbas monaſterij Sacrum Boſcum dicti ordinis Sancti Benedicti in Niddiſdalia Scotiæ Prouinciâ, in quo inſignis ille Mathematicus Ioannes à Sacro Boſco à teneris annis educatus fuit. Magna fuit Middanus Abbas apud ſuos ſubditos ſermonis efficaciâ, cum eoſdem officij admoneret, referreque plurimùm (aiebat) ad fructuoſam correctionem ſubditi, ſi ſuperior ſeipſum examinet, & coràm Deo ſincerè humiliet priuſquam corrigat, vt tantò temperantiùs humili corde corrigat, quantò veriùs ſeipſum in eo quem emendat, agnoſcit. De eo Leſlæus lib. 5. hiſtoriæ Scoticæ, Dempſterus & alij.

30 die SAncta Mathildis Regina Angliæ, Sanctorum Malcolmi & Margaretæ Scotiæ Principum filia, & Henrico primo Anglorum Regi connubio iuncta. Hæc vt erat omnibus naturæ & gratiæ donis a Deo ornata, vnde & cogromento Sancta & bona dicta eſt, ſic erga pauperes infirmos & præſertim leprâ infectos ſingulari amoris ferebatur affectu. Itaque nec Noſcomiorum fœtores horrebat, nec ægrotantium ſpiritum quibus ſe miniſtram dabat, quin & leproſorum plagis pia dabat oſcula, & quod non minimum diuini amoris indicium eſt, adeò diuinâ conſuetudine, colloquioque ducebatur, vt horas tres quatuorve continuas, licet cætero regni negotijs diſtracta, ſumma ſpiritus conſolatione quotidiè tranſigeret. Hæc & huiuſmodi pietatis officia & charitatis munia à matre Sancta Margareta in Scotia edocta fuit. Flos de huius Reginæ virtutibus verſus poſteritati reliquit ſcriptor Anglus.

Proſpera non lætam fecere, nec aſpera triſtem
Aſpera riſus ei, proſpera terror erant.
Non decor effecit fragilem, non ſceptra ſuperbam,

Sola potens humilis, ſola pudica decens.
Maij prima dies noſtrorum noƈte dierum,
Raptam perpetuò fecit ineſſe die.

A fundamentis ædificari curauit non procul Londino hoſpitiũ pro leproſis. Ex hac vita migrauit ſub annum Chriſti 1118. De ea vide Surium ad decimum Iunij, Du Cheſne lib. 11. Leſlæum lib 6. hiſtoriæ, & alios.

MAIVS.

1. die. SANCTVS VVILLIBALDVS primus Epiſcopus Eiſtetenſis, de quo inter alios agit Tritemius in Scriptoribus, &c. His verbis Vvillibaldus Scotus primus Epiſcopus Eiſtetenſis, frater Sanctæ Vvalpurgis, diſcipulus Sancti Bonifacij, ſcripſit vitam ipſius petente Sancto Lullo Archiepiſcopo Moguntino. Idem aſſerit Molanus ad primum Maij in additionibus ad Vſuardum; Vvillibaldus (inquit) primus Epiſcopus Eiſtetenſis natione Scotus ſcripſit vitam Sancti Bonifacij Epiſcopi, &c.

HOc eodem die Sanctus Vvinibaldus frater Sancti Vvillibaldi, cuius vitã ſcripſit Reginoldus, &c. De eo Molanus, Mermãnius in Theatro conuerſionis gentium, & alij. Non defuerunt qui dicerent Sanctum Vvinibaldum Anglum & Richardi Anglorum Regis filium, in ſequentibus verſibus fundati.

Hic Vvinibaldus, Richardi filius almus,
Qui Regnum Anglorum mox linquens, hoc Monachorum,
Clauſtrum fundauit, Benediƈtique rigauit
Nomine, ſeptingento, quinquageſimoque anno.

Falluntur tamen, nec verſus hi vllius ſunt authoritatis; cum certiſſimum ſit nullum Regem Angliæ huius nominis illo tempore quo vixit S. Vvinibaldus, anno videlicet 700. & quod extiterit in Anglia regnaſſe, nec Regem Angliæ nominari potuiſſe, cum illa quæ nunc eſt Anglia, appellationem illam adhuc ſortita non eſſet, primus enim qui Angliam hoc nomine vocari edicto cauit, fuit Egbertus Saxonum Occidentalium Rex anno Domini 862.

Hoc eodem etiam diē Sancta Vvalpurga vel Vvalburga ſoror Sanctorum Vvilibaldi & Vvinibaldi. Vide Tritemium citatum, Dempſterum, & alios.

Hoc eodem die cœleſtia petijt Ioannes Maior Doctor Sorbonicus ac Theologus eximius, vt teſtantur eius ſcripta quæ in Sacram Scripturam & Magiſtrum ſententiarum reliquit: nobilis etiam Philoſophus, vt teſtantur monimenta quæ reliquit. Vir fuit magnæ pietatis & Chriſtianæ ſimplicitatis.

Hoc etiam die S. Vltanus vel Vvltanus Abbas & Sancti Furſæi frater

frater. De eo vide Tritemium de viris illuſtribus ordinis Sancti Benedicti, Regi m in Calendario, Molanum in additionibus ad Vſuardum, & alios. Fuit hic Dei famulus inſignis prophetiæ dono & magna ſanctitatis opinione apud omnes, ſed præcipuè apud Sanctam Virginem Gertrudem, quæ cum iam propè adeſſet dies migrationis eius vni ad ſe accito è fratribus, dixit: abi celeriter ad illum peregrinum Monachum qui Vltanus dicitur, degitque in monaſterio quod Folluenſe appellant, dicaſque illi: Virgo Chriſti Gertrudis miſit me ſciſcitatum ex te, quo ſit die ab hac luce diſceſſura, valdè enim ſe formidare, dicit pariterque lætari. Porrò ab illo auditurus es quæ ad me reſponſa referre debeas. Fecit ille quod iuſſus erat, reſponditque ei ſeruus Chriſti Vltanus: Craſtino die intra Miſſarum ſolemnia Chriſti Virgo Gertrudis è corpore abceder: dicas verò illi ne quicquam trepidet ad ſuum obitum, ſed læta proficiſcatur, Sancto Patricio Epiſcopo, cum beatiſſimis Angelicis ſpiritibus cum ingenti gloria ipſam excepturo.

Hoc præterea die, Chriſti anno 1600. Iacobus Vvood, Latinè Syluius, Bonitonij Verus Baro creditus, religionis Catholicæ ergo, Edimburgi capite plexus eſt. Alias prætendebant Satanæ miniſtelli cauſas eius mortis, ſed prætendebant, non inueniebant, nimirùm hic ſemper fuit mancipiorum AnteChriſti mos, vt falſa teſtimonia contra Chriſti Martyres quærerent, fictaſque objicerent moriendi cauſas; ſed ſuorum innocentiam Deus vera veritas protegit Deus, eorumque hoſtes eradicabit de terra viuentium.

Hoc denique die Sanctus Aſaphus primus Abbas monaſterij Glaſcuenſis quod à Sancto Kentigerno ad Colroſſanæ Abbatiæ (in qua educatus fuit Kentigernus) formam erectum fuit, poſteà verò Epiſcopus in Anglia fuit. Miſſus quippè fuit Aſaphus Sanctus à Sancto Kentigerno in Angliam, vt fidem prædicaret Catholicam. De eo Vvion lib. de ligno vitæ. Molanus in Annotationibus ad Vſuardum. Regius in Calendario, Poſſeuinus in Bibliotheca.

2. die SAnctus Columbanus Epiſcopus apud Scotos celebris cuius virtutis teſtimonium inſigne inter cætera hoc erat, quod oblatas Inſulas non modo diu reſpuerit, verùm etiam viros primariæ dignitatis apud Regem, ſummis precibus obſecrarit, ne tantum onus ſuis imponeretur humeris. Celebris habetur in Hebridibus Inſulis præſertim Inſula Iona dicta. De eo Leſlæus lib. 4. Decreta Honorij primi PP. cap. 19. tom. 3. conſil.

5. die SAnctus Vvalterus vel Gualterus Abbas Mailroſſenſis monaſterij Scoticè Muyres dicti. Hic inuitis parentibus (erat enim Dauidis Regis ſanctiſſimi filius) ſuperatiſque omnibus difficultatibus induxit in animum humana omnia deſerere, ſeſeque Deo in Mailroſſenſi monaſterio dicare: in quo infrà omnes ſeſe perpetuo dimittebat, & præ omnibus ſeſe contemnebat, inſignis pauper-

tatis amator, beatiſſimæ Virginis Mariæ cultor egregius. Archiepiſcopatum Sancti Andreæ repudiauit. Malcolmo Scotorum Regi (qui Virgo cognominatus fuit) author fuit, vt quorumdam monaſteriorum fundamenta iaceret: librum inſcriptum (Regulæ Eccleſiaſticæ) eſt commentatus. Ex hac vita migrauit ſub Chriſti annum 1160. qui erat à morte Dauidis Regis & parentis nonus, alijs ſeptimus. Sunt qui ad ſecundũ Auguſti diẽ eius feſtum celebrari ſcribunt.

4. die SAnctus Haymarus Epiſcopus & Martyr qui Sancti Manſueti Scoti in Tullenſi cathedra ſucceſſor fuit, & ordine vigeſimus ſeptimus: vir prædicandæ fidei Catholicæ zelo ardẽtiſſimo, cuius prædicationi non ſingularis modo doctrina viſque dicendi, ſed multò magis perſpecta eximiarum virtutum exempla pondus dabant, duaſque in eo præcipuè virtutes ſuſpiciebant omnes, mundanarum videlicet rerum contemptum & excelſitatem animi inter quoſvis terrores inuictam ex magno pro Chriſto patiendi deſiderio pullulantem, vnde in Tullenſi agro ab eodem non ſegniter exculto extenſis brachijs ad crucis modum, oculis in cœlum intentis martyrij palmam lanceis perfoſſus, adeptus eſt ſub Chriſti annum 760. Vide Democharem in Catalogo Epiſcoporũ Antiſſiodorenſium, & alios.

Democha-res.

5. die. SAnctus Scandalaus Confeſſor. De eo agitur in vita Sancti Columbæ Abbatis.

6. die. SAnctus Eadmerus veriùs Edmerus Archiepiſcopus Sancti Andreæ in Scotia. De eo Rogerus Houeden part. 1. pag. 173 & alij.

Rogerus Houeden.

7. die. SAnctus Herebertus Epiſcopus Friſingenſis. De eo Gregorij ſecundi PP. literæ, Tritemius, & alij. Alij eius diẽ feſtum celebrari dicunt 6. huius menſis.

Tritemius.

8. die. SAnctus Cataldus Epiſcopus Tarentinus. De eo vide tabulas Tarentinas librum de Canonicis Regularibus pagina 42.

HOc eodem die Sanctus Benignus. De eo agitur in vita Sancti Linini Scoti.

Hoc eodem etiam die Sanctus Viro Epiſcopus qui conuerſatione in cœlo, operâ & labore in terris, hos Sanctos illos adminiſtratores ſpiritus æmulabatur, quod ſicut illi inter miniſterij, ad quod mittuntur ſedulitatem, ſemper vident faciem Patris qui in cœlis eſt, ita ipſe actionem externam vnioni mentis cum Deo eminentiſſimè mirificè iungebat, Deum vbique & in cunctis actionibus præſentem cernens. Ob has animi dotes dignus inuentus qui Glaſcuenſem regeret cathedram in Epiſcopum electus. Verùm poſt Romam abit non terrenæ quidem dignitatis ambitione, ſed diù cupitæ peregrinationis deſiderio. Comes autem & itineris & voti fuit Plechelmus Sacerdos, virtute venerabilis, nec ætate maior, nec meritis multò minor. Vbi autem Romanus Pontifex eos aduenisse co-

gnouit, Beatum Vironem ad ſe aſciuit, & intuitus eum in eius tuens amplexus oſculatus eſt eum, non ſine lacrymis. Deinde Pontifex nomen & patriam, animique propoſitum ex eo percunctatus eſt, poſtque multis auctum muneribus, remiſit in patriam. Redit igitur in Scotiam Sanctus Viro, vbi miraculis & ſanctitate vitæ celebris, Chriſtum Ieſum exteris prædicandi deſiderio cœpit ferri maximo, vnde in Galliam ſe conferens apud Pipinum Gallorum Regem tanto fuit in honore, vt eidem tanquam Præſuli animæ ſuæ vitæque patrono propter eximiam ſanctitatem ſua illi peccata confiteri ſolitus ſit, nec erubuerit ad faciendam confeſſionem detractis calceis eum adire, eiuſque imperio parêre. *S*æpiùs volebat eum intereſſe communibus conſultationibus Maiorum, erat enim conſilio maturus, nec vnquam viſus eſt præ indignatione aut liuore corrugaſſe frontem. Exſtruxit beatus Viro in Gallia ſanctiſſimæ Virgini Mariæ (deque ſummâ animi teneritudine læquebatur ſæpè) Oratorium, & Diuo Petro monaſterium. Vitam huius apoſtolici viri fuſè deſcripſit Surius ad hunc diem, cuius initium. *S*cotia fertilis Sanctorum virorum Inſula, & ſtellarum numerum propè æquans patrocinijs ſanctorum, in multorum ſalutem produxit beatum Vironem non infimæ ſanè conditionis parentibus ortum, &c. De hoc Sancto vide eundem Surium Lippeloum tomo ſecundo ad hunc diem, Gazetum in hiſtoria Eccleſiaſtica, Molanum in Chronica recapitulatione Sanctorum Belgij, Vvionem lib. 3. ligni vitæ, Baronium tomo octauo ad annum 631. Bonifacium in hiſtoria Virginali lib. 2. Stephanum Abbatem in vita Sancti Modoaldi libro primo cap. 2. & 34. Tritemium de viris illuſtribus ordinis Sancti Benedicti lib. 3 cap. 263. Capgrauium Anglum in Legenda Sanctorum Angliæ, Chronica Dumfermlenſia & alios. *Baronius. Stephanus Abbas. Capgrau.*

Hoc eodem etiam die S. Gibrianus vel Gibirinus Confeſſor, de quo manuſcriptus codex Rhemenſis in hunc modũ. Fuit S. Gibrianus de Scotia oriundus parentibus ſecundũ ſæculi dignitatem non infimis Chriſtianiſſimis tamẽ. Qualis fuerit à pueritia Chriſti ſequẽdo veſtigia in eius ætate declaratur adultâ, in quâ ad Presbyterij prouehi meruit diuino inſtinctu faſtigia. Parcimoniæ verò cæterarũque virtutum, qualis interim obſeruatur, extiterit ſcriptũ quidem minimè reperimus. Floruit autẽ beati Remigij tẽporibus, reliquerat autẽ hic ſolum natale cauſa peregrinandi, expetens pro Chriſto nationẽ exteram, & ductus amore S. Remigij in ipſius diœceſi, hoc eſt in territorio Cathalaunenſi ſuper fluuium Matronã honorabilẽ ſibi habitationem elegit: propoſiti autem ſui tenax, ſedulũ Chriſto ibi exhibebat officium, atque vt beati Remigij, dum adhuc ſupereſſet, frui & inſtrui meruit eruditionibus, itaque quoq; poſt obitum eius corpori aſſociari dignus fuit. Siquidem à venerabili Comite Haderico diuino admonitu à ſepulturæ ſuæ loco ſublatus, in Eccleſia præfati Antiſtitis in Scrinio argenteo decenter adornato iuxta eumdẽ

Sanctum conditus eſt, vbi per eius merita Dominus multis diebus plurima facere dignatus eſt miracula. Sed poſteà ſacra Gibriani oſſa ab illo feretro (à quo ornamenta quæque ad ſubueniendum extremâ fame laborantium neceſſitati ſubſtracta erant) remota ſunt, & in alio auro, argento, lapidibuſque pretioſis iterum fabricato, reuerenter poſita ſunt 16. Kalendas Maij, anno 1145. tempore Ludouici 7. Francorum Regis à Domino *S*amſone Rhemorum Archipræſule, inſtante Reſurrectionis die. Et vt ad tam ſancta, tamque reuerenda Confeſſoris Chriſti oſſa tangenda & promouenda Dominus Archiepiſcopus ſe prępararet, ſacráq; pignora cernerentur â populo, nuntiantur hæc ciuibus, & vt ad ſpectaculum tanti gaudij feriâ 2. Paſchæ reuerenter aduenіant indicitur. Venit dies expectatus, adeſt Archiepiſcopus cum Clero Monachi cum Paſtore Odone & multorum millium vtriuſque ſexus & ætatis turbâ. Aderant & Guillelmus Sancti Nicaſij, & Vrſo S. Dionyſij Abbates. Archiepiſcopus autem Pontificialibus indutus veſtimentis, lecto Euangelio è ſuggeſtu concionem habuit ad populum, quâ finitâ feretro nouo benedicto & aquâ benedictâ aſperſo, cantata eſt ab omnibus Antiphona. Sancte Gibriane, &c. additâ collectâ & benedictione. Quibus finitis, loculum in quo ſancta iacebant confregit, & nudata oſtendit, poſtea cum ipſo capite ſignans populum in Scrinium paratum Sancti membra, vt erant pallio ſerico inuoluta, diligenter recondidit, ſicque deſcendẽs ad diuina tractanda reuerſus eſt. Iam de miraculis ab ipſa die incœptis, & poſt paruo ſub tempore oſtenſis pauca de multis exaremus. Ipſo eodẽ die Clericus paralyticus cum tribus annis contractus iacuiſſet in Eleemoſyna S. Remigij opitulãte S. Gibriano ſurrexit, & in ſtatum priſtinum redijt, & ad eius feretrum Deum & Sanctum glorificans acceſſit. Hic verò erat Sancti compatriota & natione Scotus, ex quo miraculorum ſuorum initia ſumpſit. Quidam iuuenis de Baioacenſi ciuitate in Morthmannia ab vtero matris ſuæ ſiniſtram partem corporis aridam, humerúmq; & brachium cum manu contractum habebat, linguam etiam impeditam geſtabat. Hunc mater iuxta ſe cum candela locauerat, & Sanctum vt operam ferret cum ſuſpirijs orabat, infirmus verò ob dolorem neruorum nimium magnas emittebat voces & gemitus, ad cuius voces territus populus aduenit, proeiuſque ſanitate multas ad Deum preces fudit, populóque cernente ſaluus & incolumis factus eſt. Prætereà infantulus Petrus nomine, in quamdam aquarum congeriem caſu decidẽs, ſubmerſus eſt, ſed poſteà à parentibus ante Gibriani reliquias extenſus multis cernentibus & Deum benedicentibus reuixit. Conſtantinus quidam nomine de alba ripa ambobus cruribus vno anno contractis duos ad collum baculos, quibus innitebatur, gerens per mediam turbam irrupit vociferante ope diuina & meritis beati Gibriani ſanitatem recepiſſe cumque ad feretrum adductus fuiſſet, & Clerus cum populo pro curas

tione eius adhuc in laudibus perſiſteret: continuò ex aduerſo tres ſanati aduenerunt, mulier ſcilicet quæ in ſiniſtra coxa quinque foramina vlceroſa habebat, quę iam pene totum corpus exſiccauerant, & omnia membra venis, neruiſque retractis debilitauerant, ſed & vno crure quinque annis contracta baculo ſuſtentata inceſſerat: quæ in momento curata, plagiſque exſiccatis hilaris ad Sanctum Dei alios præceſſit. Quam ſequutus eſt ſecundus homo nomine Nicolaus de Sauione villa natus, hic paralyſi percuſſus toto corpore peſſimo morbo infectus omnibúſque membris impotens & contractus tribus hebdomadis manſit, qui & ante corpus ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti Gibrani iam decem diebus vigilauerat, cum ſupradicta vero eadem hora, eodémque momento erectus, & ſuperna gratia vegetatus ad pignus venerabile deoſculandum acceſſit. Tertius fuit Godefridus quidam de Birſina cui de curru decidenti rotarum pondere membra corporis confracta ſunt, ſummóſque patiebatur dolores, eo tamen ante Gibriani pignora collocato priſtina corporis ſanitas cunctis cernentibus rediit. Cætera quæ tribus libris integris recenſentur miracula breuitatis cauſa pertranſeo. Agit etiam de Gibriano Flodoardus lib. 4. hiſt. Rem. cap. 9. qui recenſitis Gibriani fratribus & ſororibus ſubiunxit. Quorum hic Gibrianus Sanctus Sacerdos quemdam virum elegit ad habitandum Coſla vocatum. Vbi plurimis annorum curriculis ſobriè, iuſtè & piè viuens vſque ad exitum vitæ bonum ſtuduit certamen certare, cuius corpus primo iuxta publicum fertur aggerem fuiſſe ſepultum. Vbi poſtea ſupra tumbam iſtius eſt oratorij ædicula conſtructa ob inſignia ſcilicet quædam miracula ibidem manifeſtata. Ad quam confluxere populi ſolita frequentia, maximè cùm depoſitionis eiuſdem celebrarentur feſta. Multa namque mihi ſanitatis tribuebantur remedia, ex quibus quædam habentur deſcripta, ſed plurima celantur ignota. Tres tamen mulieres nominibus aſcriptis ibidem nominantur illuminatæ. Cuidam præterea nomine Grimoart manus cum integrâ eſt ſanitate reſtituta. Tempore denique Regis Odonis graſſante Normanorum crudelitate, terráſque Francorum vaſtante huius Sancti Eccleſiola igne cremata eſt cum alijs multis eiuſdem pagi. Poſt cuius cõbuſtionem ſæpiùs auditæ feruntur voces pſallentium perſonarum non apparentium: luminaria tamen quædam noctibus inibi videbantur ardentia. Cumque fama huiuſmodi virtutum circumquaque percrebuiſſet, ſuperna diutius amore, ſanctique veneratione Stadericus religioſus comes acceſſit ad Rodoardum Epiſcopum Eccleſię Catalaunicæ obnixè flagitans, vt quia locus ille, vbi ſacrũ hoc corpus ſub dio iacebat, funditus erat deſtructus, daret ei licentiam illud transferendi vbi deuotius & venerabilius ſeruari valuiſſet. Qui dum diu perſiſtens in precibus tandem ſuæ petitionis obtinuiſſet effectum, vocato nauta fertur ei naulum dediſſe eo tenore vt noctu antè galli cantum ad oram fluminis eius præſto-

latetur aduentum. Cumque ſtatuto noctis tempore viri tres cum quodam ſacerdote adeſſent fluuij ripæ miſſi ab hoc comite, nauta defuit naue vlteriori defixa fluminis oræ. His quoque viris aduentum nauigeri diu præſtolantibus, & viciſſim clamantibus cum nemo eis reſponderet, dolore perculſi proruunt in terram proni deuotè precantes vt ſi Deo placitum foret corpus illius Sancti de loco eodem transferri, aliquibus id eis dignaretur oſtendere ſignis. Moxque nauis ſoluta diuina virtute nexu quo tenebatur affixa ripæ qua expectabatur mirabiliter accedit appulſa. Quod admirando perſpicientes & maximas Deo gratias referentes aſcendunt nauem de voluntate Dei certiores effecti. Accedentéſque ad locum ſepulchri & aperto ſaxeo in quo ſacra membra iacebant ſarcophago, reuerenter eleuant tranſponentes hæc in parato ad id opus nouiter ſcriniolo, ſicque cum ingenti gaudio remeantes ad nauem tranſeunt celeriter flumen hoc pignus cum laudibus deferentes ad vicum Balbiacum, vbi per triennium conſtat honorabiliter collocatum & conſeruatum. Poſthæc ad Eccleſiam B. Remigij eſt honorificè delatum, & cuſtodi Eccleſiæ deuotè commiſſum, iuxtáque ſepulchrum huius ſanctiſſimi patris honorificè collocatũ. Poſt biennium præfatus Comes cum vxore ſua Heriſinde dominum Fulgonem præſulem humiliter expetiit, poſtulans vt ei locum ſepulturæ concederet in dextra huius Eccleſiæ parte iuxta oſtium Cryptæ: quo impetrato, & altari ſtatuto, atque argenteo decore cooperto illic decenter hæc venerabilia depoduntur membra. Denique poſtquam à præfato ſepulturæ ſuæ ſublata ſunt loco quædam mulier cœca Erentrudis nomine illo candelam deferens acceſſit impetrandæ cauſa medelæ. At comperto ſacrum corpus inde ſublatum penitus eſſe nimio angore affecta cœpit flendo conqueri cur Sanctus hic Domini abinde ſe permiſiſſet aufferri, & cur deſeruiſſet vicinos quibus beneficia ſolitus erat præbere diuina. Subueniri ergo ſibi gemitibus expoſcens viſum ſibi eſt proficiſci debere ad vicum matris cùm vbi frater eius ſanctus quieſcebat Veranus. Ad cuius ſepulchrum candelam ponens ſeſeque in oratione proſternens cœpit flendo vtrumque inuocare fratrem: Dũque ſancti crebrò nomen repetit Gibriani cœpit caligo albuginis ab oculis eius abrumpi, ſicque diuina propitiante pietate priſco redonatur lumine. Agit etiam de Gibriano Boetius in hiſt. Vixit (inquit) & tempore haud multùm ab hoc diuerſo Gibrianus noſtras vir inſigni pietate, qui Ethnicorum in Albione iniuriam declinans cum fratribus ac ſororibus, quos eadem in Chriſto mouerat charitas, tranſmiſit in Galliam, vbi Remenſem ciuitatem vitæ ſanctimonia & miraculis ornauit. Sigebertus in Chron. ad an. 509. Gibrianus Scotus cum fratribus & ſororibus in Galliam peregrinatus vrbem Remenſem vita & morte ſua illuſtrat. Leſlæus Epiſcopus lib. 4. hiſt. in Corrano Rege, Eodem tempore (id ſub annnum 530) Gibrianus noſtras vir pietate inſignis, veritus ne Ethnicorum (Saxones quip-

pe Idololatræ Inſulam Britanniæ ingreſſi Scotos bello laceſſebant) in Albione impeteretur iniuriis, fratres ſorores precibus in eam ſententiam induxit, vt ſecum in Galliam tranſmittentes in Chriſti veneratione reliquam vitam ſanctè pacatéque collocarent, deſcendūt in Remenſem ciuitatem, in qua Gibrianus ita pietatis laude floruit vt Chriſtus in huius ſanctitate, vita, moribus, miraculis ſuam gloriam ibidem maximè amplificari voluerit. Denique Maior lib. 2. cap. 5. de geſtis Scotorum. Gibrianus Scotus cum fratribus & ſororibus vitam auſteram circa Remos in Gallia ducunt, & illic requieſcunt.

9. die. SAnctus Ioannes Apoſtolus Bauarorum, Apoſtolus Salztzburgenſium. De eo Vuion, Tritemius & alij.

10. die. SAncta Hildebertus Abbas in Scotia & ſancti Sedullij præceptor. Fuit ſanctus Hildebertus eximiâ ſanctitate & ſingulari doctrinâ præditus Floruit ſub annum Chriſti 309. De eo vide Malmeſburienſem lib. 4. pag. 75. Tritemium lib. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti, lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Poſſeuinum in apparatu ſacr o, & alios.

11. die. SAnctus Fauſtus Epiſcopus Regienſis in Gallia Sancti Columbani Scoti magiſter. Vide Notker. Balbul. & alios.

12. die. SAnctus Congallus Abbas Rathurelfigi Monaſterij in Scotia Agunt de hoc Sancto Aberdonenſe breuiarium, & Sconenſia Chronica his verbis. Sanctus Congallus in Scotia natus Patre, cui Sehethuanus nomen, & matre cui Briga nomen: quæ cū eſſet grauida deuotionis cauſa ad locum quemdam religione celebrem proficiſci ſtatuit: in itinere Epiſcopum ſanctum, & prophetico dono inſignem cui Mathiſſus nomen, conuenit, à quo etiam ſe in ſequenti die ante ſolis occaſum parituram filium magnum coram Domino, cui Congallus eſſet nomen, prophetico ſpiritu accepit. Congallo verò nato ſacerdos quidam cæcus, & viſu orbatus, ſed in nouo veterique teſtamento, ſanctorúmque patrum decretis mirabiliter verſatus, obnixè petiit, vt liceret illi & non alteri Congallum baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti; quod cum feciſſet, aquâ baptiſmatis cùm oculos & faciem lauaſſet, ſubitò viſum accepit, & literas quas nunquam antea viderat perfectè cognouit. Congallo verò adoleſcentiæ annos ingreſſo in celebri illo apud Scotos monaſterio, cui Banchòra nomen, Sancto Moreno Abbati inſtituendus traditur, cui etiam Abbatis in officio ſucceſſit. Quodam tempore dum ſanctus Columbà ab Inſula Iona ad Benchorēſe Monaſterium nauigaret, accidit vt vnus de ſuis fratribus graui præoccupatus infirmitate in naui moreretur. Cum autem ad oſtium fluuij nomine Bice peruenirent defunctum inter ſarcinas nauis in occulto ponentes loco ad monaſterium feſtinanter abierunt; vbi cum magno ſuſcepti ſunt gaudio. Poſtquam autem ſe inuicem in oſculo ſancto ſalutaſſent, Congallus pedes peregrinorum lauit, ac deinde ſi

aliquos extra numerum, quem vidit, haberent, interrogauit Sanctus Columba prouida quadam deluſione reſpondens dixit, in naui remanſiſſe vnum. Tunc beatus Congallus feruore charitatis repletus ait, mittatur pro eo vt cum cæteris beneficio locutionis ac recreationis gaudeat, oportet enim vt vos omnes manus & pedes poſt nauigij laborem foueatis: nauis namque cum rebus ſuis ſalua erit: Sanctus Columba ſciens quod in omnibus eſſet B. Congallus à Deo audiendus, dixit, Frater ille non veniet niſi tu ipſe pro eo vadas Congallus ſine morâ ad nauem properat, & fratrem ſtatim non comparentem inter ſarcinas dormire eum putans diligenter perquiſiuit, & quem viuum eſſe putauit, mortuum inuenit. Tunc homo Dei in ſe ſtupefactus ad ſolita orationis ſuffragia recurrens omnipotentem Deum pro illlo ſuppliciter exorauit, dicens in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſurge ac feſtina venire ad fratres tuos. Ille verò quaſi à ſomno ſuſcitatus ſtatim ſurrexit nullum mortis ſignum in ſe habens. Ipſis verò ad monaſterium venientibus ſanctus Columba illum reſpiciens monoculum, ſtatim Congallo ſancto nunciauit, qui dixit, non luſcum aut debilem, ſed toto corpore & omnibus membris integrum donari mihi à Domino rogaui, qui mox exauditus eſt, nam eadem hora fons viuus in loco vbi ſteterunt erupit, in quo frater ille qui mortuus fuerat & reſſuſcitatus iuſſu hominis Dei faciem lauans oculum accepit meliorem ac pulchriorem cuius acies etiam in ſenectute non eſt diminuta. Hic idem Beatus quatuor alios mortuos per Dei virtutem vitæ reſtituit, aliáque miracula perplurima Deo cooperante fecit. 80. ætatis ſuæ anno migrauit ad Chriſtum.

13. die. SAnctus Faſtidius Epiſcopus in Scotia. Vide Honorium Auguſtodunenſem libro de lumin. Eccleſ. & alios.

14. die. SAnctus Eligius Epiſcopus Nouiocomenſis, Gallis Eloy, Italis Alo. Vide auctorem vitæ Anonymum, Breuiarium, Scoticum Bruni hiſtoriam, & alios.

15. die. SAnctus Chromanus preſbiter & confeſſor in Mernia Scotiæ prouincia, doctrinâ & miraculorum famâ celebris acerrimus fuit Eccleſiaſticorum propugnator rituum, & Catholicæ Paſchalis celebrandi auctor. Obiit ſub Chriſti annum 944.

16. die. SAnctus Brandanus Abbas Apoſtolus Orcadum & Scoticarum inſularum, qui cum puer eſſet Herci Epiſcopi viri doctiſſimi lateri ſemper adhæſit, à quo purioris literaturæ rudimenta percepit: grandior deinde factus Monachatum ſuſcepit. Tantam verò diſcipulorum ſuarum manuum laboribus victitantium multitudinem collegit, vt trium millium Monachorum diceretur Abbas multáque ad monaſticam vitam ſpectantia ex ore Angeli ſuſcepta compoſuiſſe dicitur. Patrem habuit Finlug: mater verò dicta eſt Cara, quæ nocte quadam ſomniauit ſinum ſuum auro obriſo plenum eſſe, ſuaſque mamillas ardere, & ingenti luce ſplendere: quod cùm

marito

marito ſuo indicaret, Epiſcopo Herco referre ipſe curauit, qui myſterium ſomnij intelligens dixit, Finlug, vxor tua pariet tibi filium potentia quidem magnum, ſanctitate verò illuſtrem, vnde te rogo vt mihi illum tradas ad nutriendum: quod factum eſt adhæſit enim vt diximus, ſancto Epiſcopo. In feſto vno ſancti Petri Apoſtoli videns ſanctus Brandanus piſcium innumeram multitudinem, iuſſit eos Deum laudare, qui ſuper vndas enatantes vocibus intonare cœperunt. Alio tempore ferebatur ad ſepulchrum iuuenis, parentibus & cognatis miſerabiliter eum plangentibus, quorum lamentis compatiens vir ſanctus, pietate plenus ad loculum accedens orauit, & qui mortuus fuerat reuixit. De eo vide faſciculum temporum in ſexta ætate, Vuionem lib. 3. ligni vitæ, Breuiarium Aberdonenſe, Sconenſia chronica, Petrum de Natalibus, & alios. *Petrus de Natalibus*

Hoc eodem die S Brandanus Abbas Culroſſiæ. De eo vide Breuiarium Scoticum ad hunc diem, & alios.

Hoc eodem etiam die ſanctus Benthus Confeſſor.

17. die. SAnctus Conuallus Abbas & ſancti Kentigerni à teneris annis diſcipulus. Magno fuit in honore hic Sanctus apud Aidanum Scotorum Regem qui eiuſdem ſuaſu & conſilio fidem Catholicã non domi ſolum ſed & apud Pictos quacúnque potuit ratione amplificauit. De hoc ſancto vide Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ in Aidano. Boëtium qui teſtatur reliquias huius ſancti in Incheuẽ haud procul à Glaſcuenſi ciuitate à Chriſtiano populo hactenus in magna habitas eſſe veneratione.

Hoc eodem die ſanctus Cathanus Epiſcopus in Buta Scotiæ Inſulâ, auunculus ſancti Blani. De eo vide Georgium Neutonum, hiſtoriam Dumblanenſem, & alios.

18. die. SAnctus Merolilanus Martyr in Remenſi vrbe Campaniæ in Galliâ ob miraculorum gloriam celeberrimus, de quo in hæc verba Flodoardus lib. 4. hiſt. Remenſis. In huius Eccleſiæ (de Eccleſiâ ſancti Hilarij loquitur) cœmeterio quidam Scotigena Dei ſeruus olim ſepultus eſt, ſed cum iam à noſtris & nomen & ipſius memoria ſepulturæ videretur appoſita, apertis cœpit ſeſe viſibus manifeſtare. Nam dum quidam ciuium non de inferioribus ſed pa per rebus olim noſtris diebus obiiſſet, amici eius ad Hildegarium huius Eccleſiæ Preſbyterum accedentes petunt ab eo vt locum ſibi ſepulturæ impertiret, vbi ſarcophagum reperirent in quo corpus ipſius recondere poſſent, quia de rebus ipſius vnde emerent non habebant, qui dum eis petita conceſſiſſet ſepulturam ſerui Dei aperuerunt, ſed ipſum eius ſarcophagum aperire nequierunt. Quo audito Preſbyter acceſſit, & opertorium ſarcophagi leuare tentans aliquantulum aperuit ſepulchrum de quo mox fragrantia tantæ ſuauitatis emanauit, vt nunquam ſe delectabiliorem teſtatus ſit hauſiſſe odorem, introſpicienſque videt corpus integrum ſacerdotalibus veſtibus redimitum, recomponenſque ſepulchri pallam, non *Flodoardus.*

auſus eſt amplius violare ſepulturam, Permiſit tamen vt idem corpus depoſitis quibuſdam ſuperponeretur tabulis. Ipſa nocte viſus eſt ei auunculus ſuus preſbyter in ſomnis, qui iam diu deceſſerat, aſſerens quod valde offendiſſet Deum præterita die, maximè ſi ſepulchrum ſancti violare præſumpſiſſet. Idem quoque beatus vir cuidá ſub his diebus apparuit, & quia grauaretur valde præ pondere & indignitate ſuperiecti ſibi cadaueris intimauit, & vt indicaret preſbytero iuſſit, quia niſi citò corpus id fœtidum ſepultura ſuâ repelleret diuinâ quantocyus vltione plectendus eſſet. His preſbyter admonitionibus pauefactus cadauer quod ſepulturæ ſancti ſuperpoſitum fuerat, eiici fecit cum feſtinatione & apertâ alibi ſepultura recondidit. Viſus eſt idem ſanctus Domini poſtea cuidam Ruſtico precipiens ei, vt iret ad Epiſcopum Artoldum, & indicaret ei ex verbis eius vt corpus ipſius quod extra iacebat intra Eccleſiam transferret. Quod idem ruſticus intimare timens neglexit mandatum, nec longè poſt iterum apparens euigilanti duriter increpauit illum quare præceptum neglexit, & corripiens alapâ eius percuſſit maxillam. Qui mox auditum amiſit ipſius auris in qua percuſſus eſt parte, capitiſque dolore per medium ferè vexatus eſt annum. Deinde cuidam etiam preſbitero in eadem Eccleſiâ ſub præmiſſo Sacerdote ſeruienti apparens in viſione quadam dominicâ nocte admonuit eum, vt Epiſcopo indicaret quatenus corpus ipſius in prædictam Eccleſiam transferret, locum quoque vbi ponendum foret oſtendere non omiſit, intimans ei obitum & cauſam obitus, vel aduentus ſui, ſignificans ſe Scotigenam fuiſſe, Romam orationis gratiâ cum ſociis petendi itinere occupatum à latronibus ſuper Axonam fluuium fuiſſe peremptum, indeque corpus ſuum à ſociis huc delatum, ibique ſepultum: propalans etiam nomen ſuum quod vocaretur Merolilanus, iubens vt id nomen ne fortè memoriâ delaberetur, aſcribere curaret, inclinanſque ſe partem cretæ quæ fortuitò iacebat apprehendens dedit ei, præcipiens vt illud continuò adnotaret in arca quæ lecto illius adhærebat, quam ille cretam viſus eſt accepiſſe, nomenque deſcripſiſſe, In qua dum pro literâ L ſcriberet R, corrigere hoc eũ monuit, & ita in craſtinum hoc nomen adſcriptum inuentum eſt, vt teſtaretur idem preſbyter quod vigilando per diem tam bene ſcribere nequiuiſſet. Quibus reuelationibus monitus Epiſcopus Eccleſiã reſtaurari fecit, &c. Vide Flodoardum citatum, Breuiatium Remenſe, & alios.

19. die. SAnctus Alcuinus Abbas Turonenſis, præceptor Caralimagni, fundator Academiæ Parienſis. Ipſe Epiſtola 20. vernaculum ſe Scotorum vocat. Editor operum, *Gente* (inquit) *Scotus, conuerſatione Gallus.* Rodolphus Boterus in Lutetia,

Et tandem egregijs Scotorum emerſit ab oris,
Alcuinus,

Vide Bozium de ſignis Eccleſiæ tomo ſecundo lib. 21. cap. 9. *Qualis*

(inquit) *Beda ex antiquis Anglis, è Scotis verò Ioãnes, & Albinus ſiue Alcuinus, per quos Carolus Magnus in Occidente publicas Academias omnium doctrinarum primus aperuit Pariſijs & Ticini.* Iaquinum in Carolo Magno, *Delati* (inquit) *naue ex Scotia Claudius & Ioannes, Rabanus quoque & Alcuinus &c.* Giraldum Ferrarienſem Hermanum, Kirchnerum lib ſecundo de Legato cap. 9 *A Scotia* (inquit) *Rege ad Carolum Magnum miſſus.* Thomam Sully in libello cuius titulus eſt *ſagitta hæreticorum.* Ex noſtris Annales Scoticos, Dempſterum, Leſlæum, & alios Nec refert quod dicatur alicubi Elaboracum ſuam patriam appellare, hoc enim non magis probat ipſum Anglum eſſe, quã omnes Scotos Anglos eſſe, quia Scotos compatriotas contraymen familiari ſermone appellant Adde potuiſſe illum Eboracum patriam ſuam appellare, propterea quod eſſet in Britannia quæ Anglis & Scotis communis eſt patria eodem planè modo quo Hiſpanus aliquis Neapolim ex Hiſpaniâ proficiſcens Italo in Hiſpania commoranti, & quo iret petenti, iure reſponderet, in patriam tuam.

20. die. SAnctus Colonatus Martyr, celebris apud Scotos in Ainziâ prouinciâ Scotiæ. Fuit hic Dei famulus ſancti Kiliani Franconiæ Apoſtoli in prædicando Dei verbo Franconibus, & in ſubeundo apud eoſdem martyrio ſocius. Vide de ipſo Democharem de miſſæ ſacrificio, Ioannem Maiorem lib. 1. de geſtis Scotorum cap. 6. Tritemium lib. 3. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti.

21. die. SAnctus Sidonius Confeſſor in Normanniâ, Galliæ prouinciâ non procul Rothomago, in pago cui Sancem nomen gloriâ miraculorum percelebris, nec non prope Deipam loco cui Butellis nomen, in hodiernum diem ſanctitatis famâ clarus. In Scotiâ Comanum Sodorenſem Epiſcopum præceptorem habuit & ſanctum Fiacrium Eugenij hoc nomine quarti Scotorum Regis filium in ſtudiis condiſcipulum. Vterque Scotiâ egreditur ſub annum 646. Fiacrius ſanctus à Meldenſibus peramanter accipitur, Sidonius à Normannis non minori animi beneuolentiâ. Vide Hunterum in lib. de Sanctis Scotiæ. Fuit & alius Sidonius natione item Scotus, Virgilij ſancti ſocius in prędicando apud Boios in Germaniâ, fide Catholicâ celebris & ſanctitate vitæ clarus, de quo Marcus Velcerus rerum Boicarum lib. 5. Floruit hic Sidonius ſub annum Chriſti 748.

22. die. SAnctus Nortyla Martyr & Epiſcopus Verdenſis ordine quartus, à quo in Verdenſi Eccleſiâ inſtitutum eſt animabus Chriſto lucrandis ſtudium diligenter non minori Verdenſium gaudio a quibus colebatur & ferebatur in oculis, quàm malorum inuidia a quibus paſſim ei parabantur inſidiæ. Paſſus eſt martyrium ſub Chriſti annum 816. De illo vide Pantaleonem parte primâ Proſopographiæ & alios.

23. die. SAnctus Guillelmus Martyr glorioſiſſimus, de quo Capgrauius Anglus in libro de Sanctis folio 31 & Chronica Sconenſia. Beatus Guillelmus Martyr in Scotia natus eſt in vrbe

Pertha, quæ vulgo dicitur ſancti Ioannis, qui cùm adhuc iuuentutis flore vernaret laſciuiam amplexus ſæcularem vſque ad tempus quod Pater cœleſtis in ſua poteſtate diſpoſuit, tanquam lignum aridum infructuoſus permanſit. Verùm germinauerunt ſpecioſa deſerti dum hoc lignum in tempore ſuo fructum attulit aquâ ſapientiæ irrigatum: prouectiorque factus & iam vir virum ſapiens & euacuans ea quæ erant paruuli, caſtiguanſque corpus ſuum carnem ſpiritui ſeruire coëgit: arte piſtoris quam à iuuentute didicerat, familiolam ſuam ſuſtentabat, decimum panem charitatis intuitu in pauperes erogabat, vt inter Cœlicolas Angelorum pane refici mereretur. Vir ergo iſte ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo in populo mitiſſimus apparuit. Orphanorum pater, viduarum defenſor, pauperum ſedulus auditor exiſtens. Cumque quotidie ſanctæ matris Eccleſiæ limina frequentaret, quodam autem diluculo cùm adhuc tenebræ eſſent, ante fores templi Domini cauſa deuotionis aduentans infantem vagientem reperit vilibus villoſiſque panniculis inuolutũ. Cuius verò inopiæ ſanctus compatiens clanculo puſionem arripuit, arreptũ mulieri nutriendum dedit, nutritum & adultũ arte panificâ diligenter inſtruxit, inſtructum quoque dilexit. Accidit itaque vt idem vir voto ſe obligaret, dominicæ paſſionis viſitare locum, & diſponens domui ſuæ, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis omnia bona ſua. Et auditâ cum deuotione catholica miſſa, fecit ſibi (vt moris eſt peregrinis) peram & baculum conſecrari, vt ſtatim proficiſceretur non ignorans quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Cœlorum, omnibuſque tam vicinis quàm conſanguineis valedicens, itineris comitem nullum ſecum adduxit præter ſupra memoratum Inuentitium, in quo tanquam pater fideliſſimus piiſſimúſque in filio ſuo carnali confidebat. Sic vir Iſraëlita Chriſti cohæres egreſſus de terrâ & de cognatione reliquit fratres & ſorores, vniuerſamque ſubſtantiam ſuam vt centuplũ acciperet, & profectus eſt. Tranſeuntes autem primam & ſecundam prouinciam, viáque regiâ per Angliam incedentes venerunt ad vrbem Roffenſem, quæ Saxonum lingua Roffeæſtria nuncupatur. Eſt autem Roffa municipium in Cantiæ prouincia ſuper Medneyam amnem, optimo loco ſitum, diſtans ab vrbe Londoniarum Angliæ Metropoli viginti quatuor milliaribus verſus Doroberniam quæ antiquitus Caorcalec, nunc autem Cantuaria nuncupatur. Cùm autem in vrbe ſupradicta morarentur per triduum, artus ſolutos vt quies labori aptos redderet, intrauit ſatanas in cor ſerui nequam, vt auaritiæ inebriatus veneno mortem Domino ſuo penitus intentaret. Quærebat autem parricidia & proditor opportunitatem vt eum perimeret ſine turbis, ne fortè tumultus fieret in populo. Poſt triduum egredientes ab vrbe verſus Cantuariam cùm ad quoddam biuium peruenissent beato Vvillelmo viam rectam carpere volenti, præ perfidia proditor haud potuit acquieſcere, ſed illum procaci vultu reſ-

piciens dixit, vt quia viæ perditio hæc, vt quid in vacuum laborauimus viam rectam deſerendo, quam heri dum ad Miſſarum fuiſti ſolemnia ab incolis huius prouinciæ didici? abſit, vt per viam quam deſideras gradiamur ne forte nobis aliquid aduerſum contingat. Hæc & alia ſuperflua ſuſurrone ſuadente ſecum intrepidus perrexit. Euntibus autem illis per deuia nactus eſt propoſito ſuo tempus opportunum ſcurra ſubdolus, ſecurimque vibrans Spurus & degener alumnus piiſſimum patrem & peregrinum cæleſtia meditantem in occipite percuſſit, percuſſum proſtratúmque imbecillem impiiſſimè iugulauit. Sicque agnus innocens lupo laceratur, ſic granum frumenti cadens in terram mortuum, nec non proditionis obtectum palea multum fructum affert. Sic beati Vuillelmi ſpiritus egreſſus de tenebris & vmbra mortis amictus eſt lumine velut veſtimento, & quia legitimè certauit ſufferens tentationem, accipere meruit coronam vitæ quam Deus promiſit diligentibus ſe. Quid plura? Nebulo nefarius, quem nefas fugat, fugit vt profugus, non refugio ſed fune dignus.

Prænotato beati Vuillelmi Martyris glorioſo triumpho, operæ pretium eſſet miracula ſcriptis inſerere; quæ ob illius meritum operatur potentia cœleſtis, ſed cæteris prætermiſſis vnum tantum recenſebo, vt lucerna gloria miraculorum accenſa ponatur ſub modio ſed ſuper candelabrum vt luceat, & fracto alabaſtro tota domus odore repleatur vnguenti. Fuit igitur iiſdem temporibus in Cantiæ finibus præfatis quædam mulier veſana toruo ſpiritu necnon & à dæmonio adeò vexata, vt montes & colles tranſiliens, & per plateas & vicos nuda diſcurrens inſaniæ ſuæ notas miſerabiliter omnibus oſtenderet. Cumque quadam die per locum vbi iacebat corpus exangue glorioſi Martyris inter ſpinas & tribulos pertranſiret in illud intuens dixit, Amice vſquequò dormis? dormias iam & requieſcas. Quare laſciue iuuenis cùm ſis candidus coronâ florida non vteris? Hæc & his ſimilia tanquam pica loquax aſtando garriens, coronam de caprifolio plexam beati Martyris capiti circumpoſuit. Reuerſa deinde & malè à dæmonia vexata, tanquam leæna raptis catulis ardua quæque montium tranſcendens in ima vallium deſiliens & ignorans vnde veniat, aut quò vadat, poſtero die loco vbi ſanctum corpus reliquerat iterum appropinquans, redde, ait, mihi ſomniator quam dedi tibi coronam. Proh pudor! ſtertis adhuc piger? mihi non loqueris? hæc & alia indigna relatu proferens à Martyris capite coronam cerebro necnon cruore cruentatã, imò conſecratam abſtulit, capitique proprio ſuppoſuit. O mirabilis Deus in ſanctis tuis! mulier quippè fatua cruento corollario coronata, dicto citiùs ferali rabie depoſita rationis vſum adepta eſt, vndè & præ verecundia tota die vſque ad veſperam inter fruticeta latuit, & ad ſe reuerſa dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Sathanæ meritis iſtius Mar-

tyris, vt manifeſtentur Dei opera in illo præſtante Domino noſtro qui cum Patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Et prædictus glorioſus Martyr iacet apud ciuitatem Roſſenſem prædictam.

24.die SAnctus Ferranus Epiſcopus Culdæus in Scotiâ. De eo Leſlæus, & alij.

25.die SAnctus Adelinus ſiue Anthelinus Abbas in Scotiâ, & poſteà Epiſcopus Schireburnẽſis ſeu Salisburienſis in Anglia, vir deuotus & ſanctus (inquit Tritemius) atque in diuinis ſcripturis valdè eruditus. Ferrur de hoc Dei famulo cùm quodam die in Lateranenſi Eccleſia Miſſam celebraſſet Caſulam exuens porrexit eam retrò ſe, exiſtimans alicui ex miniſtris eam ſe tradere, nemo autem miniſtrorum illic aderat, ſed non aberat diuina prouidentia, moxenim radius ſolaris per feneſtram penetrans caſulam illam diutiùs tenuit: in cuius miraculi memoriam caſula illa in Meldimenſi Eccleſia conſeruatur. Romæ ſummo fuit in honore apud Sergium Pontificem, nec immeritò, ſiquidem ſub annum *699.* puer quidam ex inceſtu genitus Romani Pontificis famam nonnihil contaminauerat, quod vulgus (vt fieri ſolet) ſparſo rumore vano malè perſuaſus, eum Pontificem habere patrem exiſtimaret. Anxius igitur ſanctus Adelinus vel Anthelinus (ita enim ipſum aliqui vocant) multúmque dolens Pontificem haud vulgari amicitia ſibi deuinctum eiuſmodi infamia fœdari, puerum nonniſi nouem habentem dies exhiberi iubet, eique in virtute & nomine Ieſu Chriſti imperat, vt edicat num Sergius Pontifex eo ſe ſcelere obſtrinxerit? Reſpondit infans abſolutiſſimo ſermone, Pontificem nequaquam illi crimini affinem eſſe, nihil illum cum fœmineo ſexu commercij habere. Scripſit librum de laudibus virginitatis, de celebratione Paſchæ alium, alium etiam de virginitate Sanctorum metricè, & epiſtolas plures ad diuerſos,

Chronica Sconenſis. *Tritemius.* *Bozius.*

26.die SAnctus Odunaldus Abbas Mailroſſenſis monaſterij in Scotia. De eo vide Bozium lib. 22. de ſignis Eccleſiæ. Moribundo fertur aſtitiſſe Angelus eumdem trepidantem his verbis confirmans. Quid times Odunalde fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? veni ſecurus, quoniam Deus noſter cui fideliter ſeruiſti, dabit tibi coronam gloriæ. Vide chronica Skonenſia & Elfiſtonium.

27.die SAncta Fintana virgo. De ea Breuiarium Scoticum, & alij auctores.

28.die SAnctus Ionas Abbas & Confeſſor, & ſancti Columbani Abbatis diſcipulus eiuſque peregrinationis ſocius, Multa præclara ſcripſit. De eo vide Tritemium, de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & alios.

19. die SAnctus Dagamus Epiſcopus & Confeſſor, in Galloidia Scotiæ prouincia vitæ ſanctitate celebris, paternarum traditionum retentor fuit. A teneris annis in celeberrimo illo apud Scotos Benchorenſi monaſterio rudimenta pietatis percepit. De eo Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ, & alij multi.

Hoc eodem die cœleſtia petiit Eccleſiæ Martyr Dauid Betonus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ſancti Andreæ Archiepiſcopus, Scotiæ & Hyberniæ Legatus, ab Hæreticis Normanno Leſlæo Comitis Rotheſij filio, Kircaldio, Carmichellio & alijs Hæreticis in caſtro ſuo promouente rem Knoxio Hæreſiarcha obtruncatur anno 1546. Notus verſus ille impij Poëtæ.

Reſtis Hameltonum necat, enſis vt ante Betonum.

30. die SAnctus Totuanus Martyr, qui zelo prædicandæ fidei æſtuans relicta Scotia cum ſancto Kiliano Romam ſe contulit, vt à Romano Pontifice prædicandi poteſtatem acciperet. Impetrata poteſtate in Germaniam ſe contulit, vbi poſt multos pro Chriſto paſſus eſt labores, & martyrij coronâ donatus. Magna fuit in Marria Scotiæ prouincia huius Sancti memoria, apud quos celebris hoc die habebatur. Vide Tritemium & alios.

31. die SAncta Findocha virgo. De ea Breuiarium Scoticum & alij.

IVNIVS.

1. die SAnctus Dicullus Eremita Cœnobij Boſauham fundator. De eo conſule Bedam lib. 3 cap. 28. vitam S. Vvilfredi, & alios.

2. die SAnctus Ceolachus, Cellacus, Colathus, vel Colachus Epiſcopus Lindisfarniæ & Leichfeldenſis, Apoſtolus Merciorum. De eo Tritemius lib. 4. virorum illuſtrium, Franciſcus Goduinus in præſul Angliæ, Florentius Vvigornienſis ad annum 655. Matthæus Vveſtimonaſterienſis ad annum ſequentem. *Franciſcus Goduinus. Vveſtmonaſterienſis.*

Hoc eodem die ſanctus Damianus ſancti Reguli comes.

Hoc eodem etiam die ſanctus Malcolmus Scotorum Rex hoc nomine tertius, & Martyr. Hic Scotiæ regnum vt nouis & ſanctis legibus firmauit, ſic nouorum Epiſcopatuum inſtitutione & ſanctarum ædium erectione ornauit plurimùm. Siquidem Glaſcuenſem, & Candidæ caſæ Epiſcopales ſedes, ſanctis Kentigerno & Niniano ſacras aliquantulum collapſas inſtaurauit. Elginemſem verò ſiue Moranienſem, & Cathanenſem Epiſcopales cathedras a fundamẽtis erexit, Sanctandræapolitanam & Murthlacenſem Eccleſias donis regijs ornauit. Denique Malcolmus ſanctus libertatis Eccleſia-

ſticæ acerrimus defenſor fuit: imò pro eadem mori exoptans, votis potitus eſt ſub annum Chriſti 1097. Siquidem Guillelmus Rufus Angliæ Rex (exturbato prius ſancto Anſelmo, aliiſque multis qui pro Eccleſiæ libertate fortiter ſeſe oppoſuerant) poſt pacis conditiones iuramento firmatas fœdifragus militem in Scoticas oras immittit. Annicenſe Scotorum caſtrum, cæſis ad vnum præſidiariis militibus expugnat, ſacra quæque profanat & diruit, Anglumque quendam ſubornat qui Malcolmo Regi nihil inſidiarum metuenti ſub ſpecie componendæ pacis arcem dedere (obſederat enim Malcolmus Annicenſe caſtrum, quod fraudulenter Rufus interceperat) ſe ſimularet, caſtrique claues cuſpidi lanceæ ſuſpenſas dum Malcolmo porrigere ſimularet, eumdem ferro in oculum adacto interimeret, quod & fecit Anglus, Comitatuque Northumbriæ poſteà ob facinus à Rufo donatus eſt. Verum vterque ſuæ perfidiæ pœnas diuinitùs poſteà dedit, & Rufus quidem Rex (ait Neubergenſis Anglus) homo vecors & inconſtans in omnibus ſuis viis, Eccleſiæ grauis, nuptias ſpernens & paſſim laſciuiens, in venatione ſagitta proprij militis, homo ferociſſimus pro fera confoſſus interijt. Miles verò Anglus (cui Robertus Aubri nomen, agnomẽ Perſe) diem miſerrimè obijt. Singulis diebus ad minimum duo vel tria ſacra audiebat ſanctus hic Rex. Ipſe & ſancta eius coniux ſancta Margareta 300. inopes quotidiè alebant, ſex pauperum pedes quolibet die aduentus & quadrageſimæ lauare conſueuerant. Fertur cum grauiſſimos ex inflicto vulnere dolores pateretur ſæpiùs dixiſſe: Deus meus da mihi patientiam hic, & poſteà indulgentiam. Corpus eius tranſlatum fuit Domfermlinum, vbi per miracula plurima eius ſanctitatem Deus teſtatus eſt.

Vuion. 3. die. Sanctus Trefanus Confeſſor. De eo Dempſterus, & alij. Hoc eodem die Sanctus Dunſtanus Abbas. De eo Leſlæus in hiſtoria, & Vvion lib. 3.

4. die. Sanctus Fothardus, vel Fothadus. De eo vide vitam ſancti Dunſtani, Capgrauium & alios.

Tritemius. 5. die. Sanctus Bonifacius Archiepiſcopus & Martyr & Germanorum Apoſtolus. Scotum eſſe natione teſtãtur Tritemius de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib. 2. cap. 24. *Bonifacius* (inquit) *ex Monacho primus Archiepiſcopus Moguntinus natione Scotus, adhuc 5. annorum in Cœnobio Angliæ noſtri ordinis, quod Muſchellæ dicitur, à parentibus Domino ſeruiturus oblatus eſt.* Et libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Bonifacius* (inquit) *primus Archiepiſcopus Moguntinus natione Scotus, Monachus ordinis ſancti Benedicti cùm eſſet puer quinque annorum à parentibus ſuis monaſterio in Anglia, quod Miſchelæ dicitur oblatus eſt.* Marianus Scotus in Chronico lib. 2. ad annum 715. *Gregorius* (inquit) *nonus poſt Petrum ſedit annos 16. menſes* 8. *qui Bonifacium Scotum ordinauit Epiſcopum Moguntinenſem, & per eum Germania verbum ſalutis audiuit.* Vide eumdem Marianum Scotum lib. 2. ad annũ 741.

741. Et lib. 3. ad annum 743. Et eodem lib. 3. ad annum 937. Metellus Tegerſenſis Monachus in Quirinalibus.

Data tibi quondam Bonifacie Scote Martyr.

Hieronymus Platus lib. 2. de bono ſtatu religioſi cap. 30. *Hic patria* (de ſancto Bonifacio loquitur) *Scotus cùm adhuc quinquennis eſſet, à parentibus ipſis oblatus, dum vitam in ſacris clauſtris ſanctiſsimè egiſſet à Gregorio ſecundo Pontifice in Germaniam miſſus Thuringiam, Friſiam, Haſciam Christo adiunxit* Idem teſtantur Arnoldus in Theatro conuerſionis Gentium, Eucharius Sangius, oratione de tranſlat. B. Macarij, Thomas à Ieſu, in conuerſione Gentium. Et ex noſtris Georgius Neutonus, Alexander Millus, Chronicum Dumfermlenſe, Martyrologium ſanctæ Crucis, Iacobus Balendenus, Hector Boëtius, Ioannes Maior, Ioannes Leſlæus, Georgius Tomſonus, & alij citati à Dempſtero in diſſertatione impreſſa de ſancti Bonifacij patria, vbi nouem rationibus probat ipſum Bonifacium ſanctum eſſe natione Scotum.

Hoc eodem die ſanctus Eobanus Martyr. De eo Dempſterus, & alij.

6. die. SAnctus Columba Confeſſor & Presbyter. Extat in Forthæ æſtuario Inſula parua quidem, ſed Canonicorum templo & Collegio ſancti Columbæ dicatis celebris, & in hodiernum diem Sanctolme indigitata. De eo vide Vſuardum in Martyrologio ad nonum diem huius menſis, & Martyrologium Romanum. Hic & alius eſt à Columba ſancto Abbate. *Vſuardus.*

Hoc eodem die ſanctus Fimbarus Epiſcopus & Confeſſor.

Hoc eodem die ſanctus Viuianus Epiſcopus.

7. die SAnctus Galbaldus Epiſcopus Ratisbonenſis, Apoſtolus illius gentis. De eo Fordanus, Vvion & alij.

8. die SAncta Syra virgo & Abbatiſſa. Hæc cum eſſet ſoror ſancti Fiacrij, & filia Eugenij hoc nomine quarti Scotorum Regis vt audiuit fratrem Fiacrium magna apud Gallos in ſanctitatis fuiſſe opinione, diuino numine inſtincta Galliam inuiſendi fratris causâ furtiuè petere ſtatuit, vt ſic longiùs egreſſa de terra, cognatione & domo patris Christo domino, quem à tenella ætate in ſponſum ſibi ſelegerat, liberiùs ſeruiret, & amaret ardentiùs. Tanta quippè iam tum in Scotiâ huius virginis ſanctiſſimæ mentem amoris Christi redundantia poſſederat; vt multas interdum horas nixa genibus hæreret immota, cordis ſummâ dulcedine & iubilo. In Trecenſe territorium Campaniæ ſe contulit, vbi monaſterio erecto, cui etiam poſteà præfuit, multis in vita & poſt mortem claruit miraculis. Sed præſertim in pago vbi eiuſdem requieſcit ſacrum corpus ab illa *Sainčte-Syre* dicto, vbi calculo & herma laborantibus præſentiſſimo eſt remedio. De ea vide Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ, Boëtium lib. 9. hiſtoriæ, Regium in Calendario & alios. Circumfertur hymnus peruetuſtus ſanè quo campaniæ populi quorum ad hanc vir- *Leſlæus. Regius. Boëtius.*

ginem frequentiſſimæ ſunt peregrinationes, Sanctæ Syræ decantant encomia & poſtulant ſuffragia.

O Syra virgo pura,
Regis Scotiæ filia,
Sancti Fiacrij ſoror,
Tu es ſtella eximia,
Præfulgens virginum gemma,
Campaniæ laus & honor.
Ad ſepulchrum confugiunt tuum
Populi, & ſentiunt ſanitatis remedium.

S. Adamãnus. *Henricus Caniſius.* Hoc eodem die celebris habetur apud Scotos ſanctus Columba Abbas, cuius vitam ſcripſit ſanctus Adamannus Scotus, cuius titulus hic eſt, *Sancti Adamanni Scoti libri tres de ſancto Columba Scoto.* Habes hanc vitam apud Henricum Caniſium tomo 5. ant. Lect. Vide præterea chronica Skonenſia. Vvionem lib. 3. & alios.

9. die SAnctus Comus Abbas. Vide Adami Regij calendarium & alios.

10. die SAncta Margareta Scotorum Regina, & ſancti Malcolmi coniux, quam in vxorem ſibi accepit Malcolmus ſanctus ob ſingulares animi dotes, quod grauiter tulit Guillelmus Normannus, Angliæ Conqueſtor dictus: qui propterea Malcolmo ſancto bellum indixit. Verùm Malcolmus Dei auxilio, Virginiſque Mariæ (de qua ſumma animi reuerentia ſemper loquebatur) exercitum Guillelmi egregiè profligauit & vicit. Porrò Margareta ſancta in loco vbi nuptiæ cum Malcolmo Rege celebratæ fuerant, in honorem ſanctæ Trinitatis nobilem Eccleſiam conſtruxit. Fuit hæc Regina ſancta in precibus cum Deo aſſidua, & principio quidem de nocte ſurgebat, & Eccleſiam adiens nocturnas preces, quas matutinas vocant, primò de ſacro-ſancta Trinitate, deindè de ſancta Cruce, tertiò de beatiſſima Maria abſoluebat. Illis finitis officium defunctorum incipiebat, ac deinde pſalterium perlegebat. Quando Clerus preces canonicas celebrabat, illa pſalteriũ vel iam cœptum finiebat, vel primo abſoluto alterum inchoabat. Finitis precibus horariis in cubiculum rediens, ſex pauperum pedes lauabat, eiſque pecuniam dari iubebat. Deindè parumper quieti & ſopori indulgebat. Manè facto ſurgens piiſſima Regina nouem infantulos orphanos omni auxilio deſtitutos, primæ diei hora ad ſe introductos cibis mollioribus flexis genibus reficiebat, & cibos in ora eorum immittebat. Præter hæc quotidiè 300. pauperes in aulam conſuetudo erat introduci, & clauſis oſtiis Malcolmus Rex ſanctus ab vna parte, Reginaque ſancta ab altera, Chriſto in pauperibus ſeruiebant, ciboſque ſpecialiter præparatos offerebant. Quo facto Regina ſancta ad Eccleſiam ſe conferens prolixis precibus & lacrymis atque gemitibus ſeipſam Deo in ſacrificium immolabat, & ante ſummum ſacrum quinque vel ſex priuata ſacra audiebat.

Quando Margareta ſancta de ſalute animæ Confeſſario ſuo, & de ſempiternæ vitæ dulcedine loquebatur, verba eius plena erant omnis gratiæ, tantumque inter loquendum compungebatur, vt tota in lacrymas reſoluenda putaretur. Interdùm quicquid erat Regis proprium egenis erogandum auferebat, quam pietatis rapinam ſanctus Rex Malcolmus omninò gratam & ratam ſemper habebat, ſeque neſcire ſimulabat. Erat Reginæ codex quidam Euangelicus gemmis & auro ornatus, in quo ſtudere & legere ſolebat, qui cuſtodis negligentia in aquam cecidit, & per diem ac noctem ſine aliqua iniuria vel læſione inuiolatus permanſit. Turgoto ſancto confeſſario ſuo ad ſe accerſito prædixit mortis ſuæ diem, filiiſque benedictionem impertita, præſente Turgoto eis commendauit vnicè millies potiùs mori quam peccato graui Deum offendere. 2. Erga ſanctiſſimam Trinitatem & Mariam virginem ſingulari ferri teneritudine animi. 3. Pauperes & miſellos amare & protegere. 4. Impudicitiæ occaſiones omnes conſtanter & viriliter ſuperare & fugere: nihil enim regno peſtilentius adulterina prole. 5. Viros ſanctos apud ſe habere, qui conſilio & apud Deum precibus regnandi difficultates mitigarent. 6. Vt in fide Catholica & prædeceſſorum conſtantes eſſent. Deinde Confeſſario ſuo ait, Et tu, ô Turgote, qui poſt me paruo tempore viues, duo ſunt quæ à te poſtulo: vnum vt quoad vixeris animæ meæ in Miſſis & orationibus tuis meminiſſe velis, Alterum, vt liberorum meorum curam habeas, Deum præcipue timere eos doceas, & cùm ad culmen terrenæ dignitatis quemlibet eorum euehi conſpexeris, illius vel maximè patrem ſimul & magiſtrum te exhibeas, ne propter mundi proſperitatem æternæ vitæ fœlicitatem ſua negligentia amittat. Propter magnum ieiunij rigorem (40. enim ante Paſcha & Chriſti natiuitatem diebus incredibili abſtinentiâ ſe affligebat) acerbiſſimos ſub finem vitæ ſtomachi dolores paſſa eſt. Sex menſes integros ante mortem lecto affixa variis infirmitatibus detenta iacuit, & octauo ante obitum die cùm Rex Malcolmus libertatem Catholicæ Eccleſiæ contrà Guillelmum Rufum Angliæ Regem Eccleſias & monaſteria demolientem, propugnaret, triſtior ſolito effecta prophetico ſpiritu longè licet diſſita mortem & martyrium Malcolmi Regis & mariti præſentibus annunciauit in hæc verba. Fortè hodie tantum mali Scotorum regno accidit, cum Regem adeò ſanctum amiſerit, quantùm multis retrò ſæculis accidiſſe non legitur. Cúmque poſt aliquot dies à filio Edgaro de morte Malcolmi etiam certior facta eſſet, manibus ad cœlum leuatis dixiſſe fertur: Gratias tibi ago omnipotens Deus, quod me tantas in meo exitu anguſtias perpeti, eaſque tolerantem à quibuſdam peccatorum maculis, vti ſpero, mundare voluiſti. Tum crucem Scotiæ nigram, quam magno ſemper in honore habuit, amplecti, exoſculari, oculos faciémque crebrò ſignari curauit: ſanctiſſimumque Chriſti Domini noſtri

corpus ad ſe delatum cum adoraſſet, magna animi teneritudine Chriſtum præſentem in hunc modum allocuta eſt: Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu ſancto per mortem tuam mundum viuificaſti, libera me per hoc Sacroſanctum corpus & ſanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis & vniuerſis malis, & fac me tuis inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas. Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. Sumpto denique ſanctiſſimo Sacramento gaudiis perfuſa ſpiritualibus, ſæpeque iterans. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram: Domine Ieſu: quem amaui, quem dilexi, ſuſcipe me ſperantem in te, tanquam placidiſſimo ſomno conſopita exhalauit ſpiritum, anno Chriſti 1092. Fertur prophetico ſpiritu miſerrimam Scoticanæ Eccleſiæ & totius Inſulæ Britanniæ faciem, quàm hodie, Proh dolor! Cernimus præuidiſſe, & prædixiſſe his verbis Venient tempora in quibus diuitiæ Eccleſiæ diſſipabuntur, & Catholicus populus velut à lupis lacerabitur, & à locis ſuis & de patria ſua expelletur. Vnde plurimi eorum in ſolitudinem ſe conferent pauperem vitam in multâ contritione cordis deinceps ducentes, & ſic Deo humiliter ſeruientes, Deique iudicia iuſta, ſed occulta recolentes, diemque vltionis diuinæ extremum in patientiâ expectantes. Eſt non procul Edimburgo fons, cui olei guttæ, quæ contra varias cutis rupturas valent, ſupernatant, eâ vi, vt ſi nihil inde collegeris, nihilo plus confluant: ſi verò abſtuleris, nihilo minus remaneant; quod ad ſanctam Margaretam Reginam ex monte Sinai adferebatur, fidem rei faciunt fonti nomen ſanctæ Catharinæ inditum, atque in eiuſdem honorem ſacellum à ſancta Margareta, non procul à fonte erectum. Agunt de ſancta Margareta Dumfermlenſia chronica, & Molanus in Annotationibus ad Viuardum. Agunt præterea Surius, & Capgrauius Anglus, ſed fabuloſa quædam eius vitæ inſeruerunt. Caput huius ſanctæ Reginæ aſſeruatur in Seminario noſtro Scotico Duaci in Belgio.

Capgrauius. Molanus.

11. die SAnctus Gaius Martyr in Maiâ Inſula. De eo Leſlæus & alij.

12. die SAnctus Ternanus Epiſcopus & Confeſſor, & poſt Ninianum ſanctum Pictorum Auſtralium veluti Apoſtolus. Hic à ſancto Palladio cum quo annos integros in erudiēdis Scotis peregrinatus, miſſus eſt ad Pictos in fide Catholicâ cōfirmandos, & ad Pelagij hæreſim, quæ quorūdam Pictorum animis inhæſerat ob mutuum cum Britonibus cōmercium, euellendā. In quo opere adeò Apoſtolicè ſe geſſit; vt Pictorum animos mirùm in modū in Dei amorē inflammarit, ſibiq; deuinxerit, eumq; ſumma reuerentiâ & honore inſtar Apoſtoli poſteà coluerint. Fuit Ternanus ſanctus inſtituto Culdæus, & inter Culdæos patres à tenella

ætate in celebri Culroſſano monaſterio educatus. Vide de ipſo Middendorpium lib. 8. Academiarum, Leſlæum in hiſtoria Scotica, Boëtium, du Cheſne & alios.

Hoc eodem die Beatus Guillelmus Elphinſtonius Epiſcopus Aberdonenſis ordine 26. & vniuerſitatis Aberdonenſis quodammodo erector: nam ita agris & Eccleſiaſticis reditibus ornauit, vt meritò velut de nouo exædificaſſe dicatur: opus ædificiorum ornatu & amplitudine magnificum. In eo templum tabulatum, polito quadratóque lapide, marmoreis altaribus, & imaginibus Diuorum pictoria arte mirificè auratis, cathedris æneis, aulæis tapetibus, quibus parietes, atque pauimentum ſternerentur, aliaque multa pretioſâ ſuppellectile magnificè decoratum. Templi ornatus, quorum vſus in ſacris ex auro textili, quindecim veſtes ſacræ quas Cappas, Caſulas, Tunicas vocant. Ex villoſa byſſo octo ſupra viginti: his omnibus laterales fibræ aureis ſtaminibus, quibus Diuorum effigies intextæ filis byſſinis, coccineis, purpureis, hyacinthinis, auro cõmixtis. Septem ex byſſo palmata. his laterales fibræ byſſinis ſtaminibus, ſtellis aureis conſitis. Ex byſſo palmata atque vndulata viginti ad puerorum vſum in ſacris ſupplicationibus. Præter hæc ad quotidianum vſum complures veſtes ſacræ ex cocco byſſoque vndulatæ. Crux cum crucifixi ſimulachro, candelabra, thuribula, phialæ, calices, octo ex auro puriſſimo. Sindones nonnullæ byſſinæ aureis filis variè contextæ, nonnullæ ſubtiliſſimæ ex candenti lino, quibus intexti flores vario colore ex byſſo. His ſacrorum tempore ſternuntur altaria. Arca ex Cupreſſo margaritis & gemmis conſita, mirâ concinnata arte, quâ venerabiles Sanctorum reliquiæ, auro, argentóq; inſertæ venerationis cauſâ conſeruantur. Habet campanille immẽſa altitudine ſublatum tredecim campanas (quarum duæ immenſæ ſunt magnitudinis) melodiam & piam audientibus voluptatem ſonantes. Hæc ſciens recenſere volui vt videat lector quam magna fuerit apud Scotos gloria domus Domini, dum apud eoſdem Catholica & Romana floreret religio. Sed ad Guillelmum noſtrum redeamus. Fuit igitur pietate, prudentiâ, & literis inſigniter ornatus. De Chriſto Domino & beatiſſima virgine ſummâ animi teneritudine cogitabat & loquebatur: vnde teſtatur Boetius in vitis Epiſcoporum Aberdonenſium, dulce nomen Ieſu nunquam excidiſſe animo, ſed die ac nocte ſemper habuiſſe in ore. Verbum turpidinis perinde atque turpitudinem ipſam ſemper deteſtatus eſt. Mulierum congreſſus & publicos & priuatos abhorruit: Salutiferæ Chriſti paſſionis frequenti delectabatur commemoratione, & noctem quam ſancta dies veneris eſt ſequuta, cilicium indutus ſuis precibus, licet octogenario maior ducere ſolebat inſomnem. Miſeris & afflictis adeò compatiebatur, vt eorum incommoda lachrymis proſequeretur ſæpè. Vigilias ſanctiſſimæ Virginis Mariæ pane & aquâ tranſigebat. Varia pro Dominicanis, Franciſcanis, & Carmelitis extruxit

monaſteria, cæteróſque religionis obſeruationi deditos impenſis iuuit ad vitam alendam & alia neceſſaria. Denique poſt varia pietatis opera cùm publica tum priuata quartum ſupra octuageſimum annum agens morbo lethali corripitur, mortiſque diem diuinitus præſentiens ſacellum ex more ad ſacra celebranda myſteria (quæ tamen ex corporis imbecillitate celebrare non potuit) ingreſſus coram Magnatibus piè, doctéque de Catholicæ fidei virtute cùm diſſeruiſſet ſacrum Chriſti corpus afferri iubet, quod humi proſtratus, lacrymans, tenſis in cœlum manibus, reuerenter adorat & accipit. Inde oratione ante Crucifixi imaginem de more habitâ, in cubiculum ductus lectulo decumbit, & nocte ſerâ æſtuante febre dolor ei vehementius creuit. Mane præter omnium opinionem vitali ſpiritu penè defectum offendunt: accurrunt illico amici moribundo circunſtant non ſine lacrymis. Tum Guillelmus paululũ oculos attollens, putabam vos (inquit) meliora facturos: ego ſanitatem ſpero immortalem: Veſtrum erit Deum timere & diligere, quia bonus Dominus diligentibus ſe. Me iam certiſſima expectat mors, nec mori timeo, nec viuere recuſo quia bonum habeo Ieſum. Interrogatus quo in loco ſepeliri vellet. Animum, reſpondit, iampridem Deo deuoui, corpus vbilibet ſepelitote. Poſthæc nomen Ieſu & Mariæ intermortuis vocibus identidem appellans placidiſſimè efflauit animam anno Chriſti 1514. anno ſui Pontificatus 30. ætatis verò 84.

13.die. SAnctus Pſalmetus Confeſſor. Fuit hic Sanctus ſancti Maclouij (qui & Machutes dicitur) frater nobilibus natus parentibus, & à Brandano ſancto Abbate baptizatus, & in diuinis literis ac moribus ſanctis educatus. Ludebat aliquando iuuenis cum æqualibus in littore: in faſcem algæ cùm incubuiſſet, ſomno correptus eſt. Cum autem pelagi fluctibus opprimeretur, non ſine miraculo liberatus eſt. Nam creſcentibus vndis attollebatur velut in Inſulæ formam alga cui puer innitebatur, donec fluctus eum locum vt antè aridum relinquerent. Eo miraculo liberatus Pſalmodius (ſic enim etiam appellatus eſt) vitam ſolitariam cum Brandano magiſtro & fratre Maclouio egit annos multos. Deinde in celebri illo monaſterio, cui Faillis aut Vaillis nomen procul à ciuitate Aras nobili in Scotiâ Emporio, diu hæſit. Verùm poſteà cum Maclouio fratre in Santonum fines peruenit, vbi cùm miracula quędam edidiſſet, veritus ne propter turbam hominum ad ſe venientium ab inſtituto vitæ genere reuocaretur ſeceſſit inde, & in Lemouicum fines peruenit vbi latêre volebat, ſed crebra miracula quæ ipſe in nomine Domini operabatur, ipſum prodebant. Tandem cùm vitæ curriculum ſibi præfixum religioſiſſimè confeciſſet, è vita ſanctiſſimè exceſſit, ſepultúſque eſt Aënti monaſterij. Celebris habetur in hodiernum diem apud Lemouicenſes. De eo vide Breuiarium Lemouicenſe & alios.

14. die. SAnctus Colmannus M. Abbas. De eo varij.
15. die. Sanctus Carnocus Epiſcopus Culdæus. De eo Leſlæus lib. 3. & alij.

Hoc eodem die ſanctus Vvandelinus, Vvandaljnus, vel Landalinus Confeſſor, ſancti Columbani diſcipulus & peregrinationis ſocius. Fuit Mordaci ſexageſimi Scotorum Regis filius. De eo vide Franciſcum Irenic. German. Exegeſ. lib. 11. Cratepolium pag. 145. Vuionem lib. 4. cap. 24. & lib. 3. pag 346. *Fran. Irenicus. Catepolius.*

Vuandelinus erat Scotorum ſanguine Regum

16. die. SAnctus Iero, vel Gero Abbas Scotorum ſancti Pantaleonis Coloniæ. De eo varij, ſed præter alios hiſtoria inuentionis ſancti Maurini cap. 7.

17. die. SAnctus Botulphus Abbbas apud Heknam in Normannia, alij Bodulphum vocant. De eo vide Hunterum in libro de ſanctis Scotiæ. *Hunterus.*

Hoc eodem die ſanctus Adulphus ſiue Adolphus frater ſancti Botulphi De eo vide Gazetum in hiſtoriâ Eccleſiaſtica Belgij. *Gazetus.*

18. die. SAnctus Dunſtanus Abbas monaſterij, cui Carnaminum nomen, cui ſanctiſſimè diu præfuit. De eo vide Leſlæum libro 4. hiſtoriæ, Vuionem lib. 3. & alios.

19. die. SAnctus Durhacus Epiſcopus Roſſiæ ſepultus in oppido Trua, vide Boëtium in deſcriptione Scotiæ, & hiſtoriâ Scotica, Scotichronicon lib. 13. & alios.

Hoc eodem die ſanctus Adeodatus Epiſcopus Niuernenſis. De eo varij

10. die. SAncti Archibaldi Abbatis tranſlatio.

Hoc eodem die ſanctus Caducanus Epiſcopus Benchorenſis frater Ottreoli Principis Galueiorum. De eo Alanus Turonenſis & alij. *Alanus. Turonenſis*

21. die. SAnctus Geruadius Epiſcopus Brechinenſis in Scotiâ. De eo Vuion, & alij.

22. die. SAnctus Heligandus Epiſcopus & Martyr. Fuit ordine nonus Verdenſium in Germania Epiſcopus, à Danis pro Chriſto cæſus eſt. Vide Crantzium lib. 1. Metrop. cap. 3. *Crantzius.*

Hoc eodem die ſanctus Albanus protomartyr. De eo vide Brunij collectanea, Dempſterum in catalogo ſcriptorum Scotiæ & in Mendicabulis repreſſis, & alios, prę ſertim Hartmannum Sangalenſem 302. *Hartmannus. Sangalenſis.*

Scotia ſe Albano fælicem Martyre clamat,
Victima qui Chriſto prima Britanna fuit.

Anglum putarunt nonnulli, quod in Anglia paſſus ſit: verùm decipiuntur vt ex citatis auctoribus conſtat.

23. die. SAnctus Gillenus comes ſancti Columbani. De eo Ioannes Maior lib. 2. cap. 7. *Maior.*

24. die. SAnctus Amphibalus præceptor ſancti Albani. De eo Vveſtimonaſterienſis ad annum 178.

25. die. SAnctus Molonachus ſiue Molochus Epiſcopus & Confeſſor qui pro viribus in Marria Scotiæ prouinciâ proximorum ſaluti ſtuduit De eo vide Boëtium, Leſlæum, & alios. Argadenſes Scoti conſtanter ſemper tenuerunt apud ſe ſancti Molochi reliquias eſſe in Liſmorenſi Baſilicâ illius nomini dicata.

26. die. SAnctus Giſualdus Confeſſor, comes ſancti Dyſibodi. Vide annales Scoticos.

Hoc eodem die ſanctus Babolenus Abbas Malmondarij, deinde Stabuleti. De eo vide Molanum in chronica recapitulatione Sanctorum Belgij, Notgerum, & alios.

27. die. SAnctus Godricus Eremita Archiepiſcopus ſancti Andreę. De eo vide Mathæum Paris in Richardo ſecundo, Vveſtmonaſterienſem & alios.

Hoc eodem die Gandaui celebratur eleuatio ſancti Leuini Martyris, & tranſlatio ſecunda corporis ipſius. De eo vide Molanum in additionibus & in indiculo, Maſſæum lib. 3. Hunterum de Sanctis Scotiæ, vbi teſtatur in Cathedrali Eccleſiâ Gandauenſi, capſam in qua ſacrum ipſius corpus olim quieſcebat, vt à cæteris, quæ ibi erant diſtingueretur, & vt etiam ipſa patria, vnde Leuinus originem traxerat, indicaretur, Leonem Scotorum Regum ſtemma impreſſum habuiſſe. *Hunterus.*

Hoc eodem die cœleſtia petiit Franciſcus Mayronis, ex ſacro ordine Diui Franciſci, ac Scoti diſcipulus, vir planè pius & Theologus maximus, vt teſtantur ſcripta, quibus Magiſtrum ſententiarum illuſtrauit. Natus eſt Aberdoniæ in Scotia. De eo Cardinalis Bellarminus libro 2. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Georg. Tomſonus in libello de antiquitate Chriſtianæ Religionis apud Scotos, & alij qui expreſſe teſtantur eum eſſe Scotum, quicquid in contrarium contendat Gauterus in Chronologiâ. *Tomſonus.* *Gauterus.*

28. die. SAnctus Merenus Abbas in celebri illo apud Scotos monaſterio cui Benchora nomen. Magna incumbebat Merenus vigilantiâ ne ſubditi externis occupationibus plus æquò intenti internam illam mentis pacem, ac deuotionem, quæ virtutis eſt fulchrum, ac pabulum deperderent. Agit de Mereno ſancto Aberdonenſe Breuiarium ad 12. Maij.

29. die. SAnctus Etheluinus Epiſcopus & Confeſſor, qui in Hoyenſi monaſterio ſanctum Columbam pręceptorem habuit & magiſtrum, in Angliam miſſus eſt ad Angloſaxones ad fidem conuertendos, quod fideliter præſtitit. Meritis onuſtus migrauit ad Dominum ſub annum Chriſti 709.

Sanctus

30. die. SAnctus Ioannes Scotus Epiſcopus Mechelburgenſis in Germaniâ. De eo Mermannius in Theatro conuerſionis Gentium Demochares in catalogo Epiſcoporum Melrelburgenſium. *Mermannius.*

Hoc eodem die ſancta Erentrudis virgo & Abbatiſſa, quæ relictâ Scotiâ cum fratribus, Ruperto aliiſque multis monaſticæ diſciplinæ plantandæ cauſa primò quidem in Galliam, vbi & Abbatiſſam egit, Deinde in Germaniam ſe contulit. Vide Chronica Salisburgenſia, & Henricum Caniſium tomo 6. Vuionem in ligno vitæ Vvelſerum & alios. *Henricus. Caniſius. Vvelſerus*

IVLIVS.

1. die. SAnctus Rumoldus Archiepiſcopus Meclinienſis, & Martyr glorioſiſſimus, Regis Scotiæ filius, ſignis & doctrinâ mirabilis. De eo lege Molanum in additionibus ad Vſuardum, vitam illius Ioannis Dominus, Vſuardum in martyrologio, Arnoldum Mermannium in theatro conuerſionis gentium, Regium in calendario, Ariam de imitatione Chriſti tractatu 5. cap. 30. Aubertum Miræum qui acutiſſimè probat ipſum fuiſſe natione Scotum, quia Archiepiſcopus Meclinienſis inſignia cruci admixta fert Gentilitium Scotorum Regum inſigne Leonem, & ille non Dublini in Hibernia, ſed Dumblani in Scotia olim fuit Antiſtes. Vitam habes apud Lippeloum, & alios. *Miræus. Lippelous.*

2. die. SAnctus Cahinnicus Abbas miraculis & vitæ puritate apud Hebridianos & Orcadenſes Scotos celebris. Magna fuit is in opinione ſanctitatis apud ſanctum Columbam Abbatem, qui cum ob exortam in mari tempeſtatem in extremo vitæ vnâ cum ſociis verſaretur periculo dixiſſe fertur; hodie non eſt meum pro nobis in hoc periculo conſtitutis orare, ſed eſt Abbatis Cahinnici ſancti viri. Res admiranda, eadem horâ ſanctus Cahinnicus in ſuo conuerſans monaſterio, quod Latinè Campulus bonus dicitur longè licet diſſitus, ſpiritu reuelante ſancto ſupradictam ſancti Columbæ interioris cordis aure vocem audiuit, & cum poſt nouam horam cepiſſet in refectorio Eulogiam frangere, ocyus deſerit menſulam; & vno calceo pedi inhærente, altero verò calceo præ nimia feſtinatione relicto feſtinanter pergit ad Eccleſiam dicens; Non eſt noſtrum hoc tempore prandere, quo in mari periclitatur nauis ſancti Columbæ) hoc enim momento ipſe nomen Cahinnici ingeminat) vt pro eo & ſociis periclitantibus exorem, Oratorium igitur ingreſſus Cahinnicus flexis genibus pauliſper orauit, eiuſque orationem exaudiente Domino ſubitò tempeſtas ceſſauit, & mare tranquillum factum eſt. Obiit ſanctus Cahinnicus ſub Chriſti annũ 799.

3. die. SAnctus Guthagonus Confeſſor, de quo ita Molanus in additionibus ad Vſuardum. Iu Oſtkerka Burgo Flandriæ ſancti Guthagoni Confeſſoris Regis Scotiæ filij, qui ibi peregrinus pro Chriſto in pace quieſcit. Vide eundem Molanum in indiculo Sanctorum Belgij, Gazetum in hiſtoria Eccleſiaſticâ Belgiæ, Regium in calendario, Hunterum libro de ſanctis Scotiæ, & alios.

Hoc eodem die cæleſtia petiit Ioannes Baſſolus ſiue Baſſolius, ex ſacro ordine Diui Franciſci ac Scoti diſcipulus, vir pius admodum ac ſummus Theologus, vt teſtantur commentaria eius in Magiſtrum ſententiarum. De eo Ioannes Molanus in Biblioteca materiarum &c. pag. 145. *Ioannes* (inquit) *Baſſolus Scotus* & alij.

4. die. SAnctus Marianus Confeſſor & Abbas in celebri illo Scotorum monaſterio Ratiſbonæ in Germania. In Caledonia Scotiæ prouincia, cuius præcipua ciuitas Dumcalidonia, monachum prius egit non ſine magna opinione virtutis. De eo vide Volfangum Lazium libro 7. de gentium aliquot migrationibus, Auentinum lib. 5. Annalium Boiorum qui teſtatur fuiſſe Poëtam & Theologum inſignem, nullique ſuo ſæculo ſecundum.

5. die. SAncta Moduenna Virgo in Landonia & Galouidia Scotiæ prouincijs celebris. Hæc cognata fuit beati Conualli Regis, de quo antea, & apud ipſum magna fuit in auctoritate hæc ſancta Virgo multas Eccleſias & Monaſteria conſtruxit, inter quæ apud Striuelingum vnam, & apud Edenburgum in montis cacumine in honorem Diui Michaëlis aliam, & in Galouidia tres inſignes erexit. Conſolationes Angelorum frequentes habebat qui ei apparebant ſicut amicus cum amico colloquentes. Cum autem nocte quadam contra ſolitum ſenſiſſet non affuiſſe ſibi ex more dulcem præſentiam Angelorum, contriſtata cogitare cœpit aliquam ſine dubio exiſtere cauſam, quare viſitationem conſuetam non vidiſſet. Craſtina autem die dixit ſororibus ſuis: Conſeruæ meæ ac filiæ dilectiſſimæ in nocte hac præcedenti non habuimus ſanctos hoſpites adiutores noſtros, qui antea ſoliti fuerant orationes noſtras ferre libenter ad Dominum; videbam tamen nocte iſta tanquam per extaſim preces noſtras tempore vigiliarum vix poſſe attingere vſque ad culmen tectorum noſtrorum. Vnde profectò comperi eſſe aliquid offenſæ in nobis propter quod ſancti Angeli, quibus omne peccatum diſplicet, non ſine culpâ noſtra voluerunt abſentes eſſe à nobis. Interrogemus ergo conſcientias noſtras, & ſi quid latet abſconditum pœnitentiâ & confeſſione purgemus, vt poſſimus ad nos reducere beatos ſpiritus Dei. Quo facto ſtatim redierunt Angeli.

6. die. SAnctus Palladius Epiſcopus & Scotorum velut Apoſtolus miſſus à Cœleſtino Romano Pontificè in Scotiam tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam (quæ Scotorum primarijs à Maximo Tyranno victis & Scotiâ exactis multum elanguerat) priſtino ſplendori reſtituendam, tum etiam ad Pelagianam hæreſim præcauen-

dam. De eius miſſione agunt Proſper Aquitanicus aduerſus Collatorem in fine, Ado in ſexta ætate, Sigibertus in Chronico ad annum 432. Beda in hiſtoria, Baronius, Tritemius, & alij. Porrò ſanctum Palladium ad noſtros Scotos non Irlandos ſeu Hibernos Irlandicos miſſum fuiſſe, omnes omnium gentium, ætatumque ſcriptores conſentiunt, quia illi ad quos miſſus, in Chriſtum iam credebant, vt teſtantur Ado, Proſper Aquitanicus, Beda, & alij iam citati, at Hiberni Irlandi vix 100. annis poſt in Chriſtum credebant. Vide Sigibertum, Adonem, Bedam, Hermannum Contractum, Comitem Aueringem, Mathæum Vueſtimonaſterienſem anno 433. Florentiũ, Vigornienſem anno 421. Polidorum Virgilium lib. 3. Frecul. Lexouienſem lib. 5. cap. 33. Primus enim Hibernorum Sinellius baptizatus à ſancto Patricio fuit vt minus 80. annos poſt hunc Palladij in Scotiam appulſum. Deinde vita, imò ipſa veſtigia illius ſancti viri in Scotia oſtendi poſſunt, & pretioſæ reliquiæ olim Forduni colebantur, Polydorus in hiſtoria Anglicâ lib. 1. &c. Imò antè 150. annos capſæ ipſius auro argentóque & gemmis ditiſſimæ ſunt reparatæ à Guillelmo Scheuues ſancti Andreæ Archiepiſcopo. Vide Boëtium & alios.

Hermannus. *Contractus* *Addo.* *Beda.*

7. die. **S**Anctus Dyſibodus. De eo Ioannes Leſlæus lib. 4. Hildegardus Bingenſis Abbatiſſa, & alij.

8. die. **S**Anctus Kilianus Epiſcopus & Martyr ac Frãconiæ Apoſtolus. De eo Tritemius his verbis. *Kilianus ex monacho Herbipolenſis in Franconia Epiſcopus, natione Scotus.* Vide Democharem lib. de miſſæ ſacrificio in catalogo Epiſcoporum Herbipolenſium, Egiluualdum monachum in vita ſancti Burchardi, Renatum Choppinum, Munſterum, Arnoldum, Pantaleonem, & Poſſeuinum qui in apparatu ſacro teſtatur ob eius memoriam fundatum fuiſſe monaſterium Herbipoli pro Scotis. Vide etiam Petrum de natalibus in hiſtoriâ Sanctorum, Maiorem de geſtis Scotorum lib. 2. Regium in Calendario & alios.

Demochares. Renatus. Chopinus. Petrus de Natalibus.

HOc eodem die ſanctus Colmannus monachus Martyr ſancti Kiliani diſcipulus. De eo plurimi.

9. die. **S**Ancta Kunera Virgo. Vide hiſtoriam Vrſulanam.

10. die. Sancta Kunegundis Virgo. Vide eandem hiſtoriam.

HOc eodem die ſanctus Donatus Martyr Apoſtolus Franconiæ. Vide Anonymum Aichſtadianum tom. 4. Antiq. lect. pag. 643.

11. die. **S**Anctus Draſtanus Abbas & Confeſſor De eo plerique præſertim Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ, & Maior lib. 2.

12. die. **S**Anctus Doneualdus aliter Donaldus cum nouem filiabus. Vide Leſlæum libro 4. Boëtium lib. 9. Regium in Calendario. Vitam cum filiabus ſanctiſſimam tranſegit in ſolitudine Ogiluy; ipſo autem defuncto Abernethi monaſterium ingreſſæ ſunt.

Leſlæus. Boetius.

13. die. **S**Anctus Ioannes Epiſcopus Dumkeldenſis, & ſancti Andreæ Archiepiſcopus. De eo literæ Alexandri tertij, Sco-

tichronicon, Houeden, & alij.

14. die. SAnctus Libertus Martyr. Brechini in Scotia aſſeruabantur reliquiæ.

15. die. SAnctus Plechelinus Epiſcopus Candidæ Caſæ. Comes fuit ſancti Vironis dum Romam proficiſceretur. De eo lege Bedam lib. 5. cap. 24. Suriũ Tritemiũ, Molanũ, & alios.

Surius.

16. die. SAncta Macra virgo Regis Scotię filia, & ſancti Guthagonij ſoror. Vide Veremundi hiſtoriam.

HOc eodem die ſanctus Harruchus Abbas Amarbaricenſis, & octauus Epiſcopus Verdenſis. De eo vide Democharem, & Crantzium, Dempſterum & alios.

Demochares.

17. die. SAnctus Golgus Abbas. De eo Adamannus libro 3. & alij. Hoc eodem die ſanctus Petranus Confeſſor in Campania Galliæ prouincia celebris. Fuit hic Dei famulus vnus ex fratribus ſancti Gibriani.

18. die. SAncta Thametis, aliis Thennat Scotorum Regina, & in Glottiana præſertim Scotiæ prouincia celeberrima. Fuit hæc mater ſancti Kentigerni. In mediis licet collocata delitiis aſſidua tamen abſtinentia, crebris ieiuniis, diuturniſque vigiliis tenellum corpus ſubdere animæ non deſtitit. Proxima morti cum eſſet dixiſſe fertur: Domine Ieſu regnum quod à te accepi tui cauſa deſerui (Poſt mortem enim mariti omni ſe cura regni abdicauit, & ſe totam diuinis rebus contemplandis dedit) colloca me quæſo in regno tuo. Vide Hunterum in libro de Sanctis Scotiæ, Regium in Calendario & alios.

Hunterus.

HOc eodem die ſanctus Clarus Regis Scotiæ filius De eo Vuion lib. 3. & alij.

19. die. SAnctus Dimannus Abbas. Cœlo ipſum dedit Strahnauernia Scotiæ prouincia ſub Chriſti annum 670. De eo Regius in Calendario, & alij.

Regius.

HOc eodem die ſanctus Blanus Epiſcopus Dumblanenſis. Vide Georgium Neutonum in hiſtoriâ acta Dumblanenſia, &c.

Georgius. Neutonus.

20. die. SAnctus Onanus Diaconus Roſſenſis. De eo Boëtius & alij. Sanctus Arbogaſtus Epiſcopus Argentoratenſis. De eo vide Surium ad 7. Nouembris, fragmentum hiſtoricum quod pręfigitur chronico Alberti Argentinenſis, Eiſengrenium in catalogo teſtium veritatis, Vthonem Epiſcopum in eius vita, hiſtoriam Lumbardicam, Pantaleonem, Nauclerum, Democharem & alios.

22. die. SAncta Verena Virgo & Martyr ſanctæ Vrſulæ ſocia.

23. die. Sanctus Innocentius primus Pontifex Romanus hoc nomine. De eo vide Brunij collectanea, Sinclarum, Millum, Dempſterum in catalogo, D. De Iuigné Broiſſiuierium in ſuo Dictionario, Baſſianum Gatum in Epiſt. dedicatoria hiſt. Eccleſiaſticæ gentis Scotorum cuius auctor Dempſterus; qui omnes eum Scotum eſſe teſtantur. Quidam Albanum dixerunt decepti affinitate vocum

Albion & Albanus. Hinc Richardus Vitus Anglus lib. ij. hiſt. Angl. pag. 1542. apud Dempſterum lib. 9. hiſt. *Sed à Scotia, ſub nomine Albania. Pontacus vocat* Innocentium primum *pontificem Maximum Albanum ſiue Scotum.*

24. die SAnctus Celſus. De eo Cratepolius, & Chronica Belgij, & verſus ille antiquus.

Vulganij & Celſi, quos Belgis Scotia miſit.

25. die. SAnctus Abranus vel Abramus Confeſſor in Campania Galliæ celebris. Fuit ſancti Gibriani frater.

26. die. SAnctus Chamnecus Confeſſor, ſancto Columbæ chariſſimus. Vide vitam ſancti Columbæ ſcriptam à ſancto Adamanno, quam habet Henricus Caniſius tomo 5. antiquæ lectionis. Vide etiam chronica Skonenſia. Celebris habetur in Hebridibus Inſulis.

HOc eodem die ſanctus Colmolcus Confeſſor & Epiſcopus in Scotia. De eo Scotichronicon & alij.

27. die SAncta Pumicia Virgo. De eâ Dempſterus, & alij plerique præſertim ex noſtris.

28. die SAnctus Sampſo Epiſcopus Dolenſis in Britannia Galliæ. De eo Sigebertus in chronico, Tritemius & alij.

Hoc eodem die ſanctus Teſſanus frater ſancti Gibriani.

29. die. SAnctus Virgilius Epiſcopus. De quo varij.

Hoc eodem die ſanctus Melchiades Confeſſor. De eo varij.

30. die SAnctus Saranus De eo Decretum Honorij primi Pontificis tom. 3 Concil. general. & alij auctores.

AVGVSTVS.

1. die SANCTVS DIVMA, Duima, Diuna, Dina vel Diurnas. De eo Vvion lib. 2. Florentius Vigornienſis. Beda & alij.

2. die SAnctus Dermitius Presbyter & Confeſſor. Magna fuit in ſanctitatis opinione apud ſanctum Columbam. In Iona Inſula Abbatem egit. Vide Adamannum in vitâ ſancti Columbæ, Skonenſia Chronica. Celebris erat in Hebridibus inſulis.

3. die. SAnctus Hildebrandus Martyr. Fuit hic ſancto Bonifacio Archiepiſcopo & martyri in prædicando Chriſti Euangelio, & in effundendo pro eiuſdem veritate apud Friſones ſanguine ſocius & comes. Celebris habebatur hoc die (licet quinto Iunij Martyrium fuerit paſſus) in illa Scotiæ prouincia cui Lorna nomen, quæque Argatheliæ proxima eſt. Vide Bedam in Epitome, vbi aſſe- *Beda, Hugbald,*

rit habuiſſe ſanctum Bonifacium ſocios 53. Vide præterea Hugbaldum in ſancto Leuino.

4. die. SAnctus Andræas Archidiaconus, Feſularum Abbas Cœnobij conditor De eo Syluanus Raz, Franciottus, Diacettus, Tabulæ Florentinæ & Feſulanæ Eccleſiarum.

5. die SAnctus Hildulphus Archiepiſcopus Treuirenſis. De eo Velcerus lib. 5. rerum Boicarum, Hunterus in libro de Sanctis Scotiæ.

6. die SAnctus Alexander Scotorum Regis filius, & ſanctæ Mathildis frater. Ad primum Ianuarij in vita ſanctæ Mathildis diximus quomodo ex Scotiâ vnà cum ſancta Mathilde aufugerit & in Galliam venerit, atque Ciſtercienſem ordinem ingreſſus fuerit, vbi omnibus vſque ad obitum permanſit ignotus. & tunc obſtrictus obedientia Prioris ſui, ſe fratrem ſanctæ Mathildis de Lapione & filium Regis Scotiæ reuelauit. Fecerat autem eum in nobilitate ſuſpectum factum quoddam, quod multum poſtea doluit euenìſſe. Vir enim nobiliſſimus Dominus Hugo de Birmennio, vel de Rumenia Aprũ immanis magnitudinis venatu laſſauerat, &, vt natura beſtiæ eſt, ſtare coegerat ad reſiſtendum. Equo autem Nobilis ille deſcendens, aptato pugione cum beſtiam vellet impetere, & tamen eius truculentiam formidaret, frater Alexander, qui vaccas in vicino paſcebat arrepto pugione de manibus formidantis, beſtiam audacter impetiit, & occidit. Quo viſo Nobilis ille in oſcula fratris Alexandri illicò ruens, verè (inquit) nunquam vaccarum cuſtos, nunquam ruſticus etiam vndecunque veneris increuiſti. Cum Monachus quidam fiſtulatum ex vlcere pectus haberet, oraretque ad tumulum iam defuncti, apparuit eidem Alexander, ſanctus Sole lucidior, coronam geſtans in manibus, & corona capite inſignitus. Cum ergo Monachus quæreret, quid corona duplicata ſignificaret. Corona (inquit) quam geſto manibus, corona eſt temporalis, quam pro Chriſto deſerui: illa verò quam geſto in capite. corona eſt, quam communem cum Sanctis accepi, & vt tibi fidentiùs in hac viſione credatur, ſecundùm fidem tuam ſanus eris ab omni incommodo quo torqueris. Vide Thomam Cantipratenſem lib. 2. Spinellum libro de Maria Deipara tractatu de virginibus ſectione 7. numero 62. Boetium & alios.

Hunterus. *Spinellus.* *Cantipratenſis.*

7. die. SAnctus Cibthacus Epiſcopus in Scotia, Apoſtolus Pictorum, nepos ſancti Columbæ. De eo Leſlæus lib. 4. Boetius lib. 9. Vvion lib 3. & alij.

8. die COeleſtia petiit Dauid Douglaſius nobiliſſimo ortu, qui cum in Anglia Eboraci Catholicus deprehenderetur, capite amputato Cœleſtium cœtus meruit anno 1575.

9. die. SAnctus Suibertus primus Abbas Amarbaricenſis, Deinde Epiſcopus Verdenſis à Carolo magno inauguratum ob

fortem Scotorum in bello Saxonico operam. Vide Belforeſtum lib. 1. hiſt. Carol. Dempſterum, & alios. *Belforeſtus.*

10. die. Sanctus Blanus Epiſcopus Sodorenſis. Ab illo ciuitas illa cui Dumblan nomen in Scotia, indigitatur. De eo Leſlæus lib. 5. in Kennetho tertio, Regius in Calendario, & alij.

11. die. Sanctus Vaſnulphus Epiſcopus & Confeſſor, & Sancti Liuini in prædicatione ſocius De eo Molanus & alij plurimi. *Molanus.*

12. die. Sancta Modeſta Virgo & Abbatiſſa. Fuit hæc ſanctiſſima Virgo ſancti Villebrordi Scoti Epiſcopi Traſectenſis ſoror. Celebris habetur in Treuirenſi territorio.

13. die. Sanctus Sanctinus Abbas Scotorum Viennæ. Vide vitam ipſius.

14. die Sanctus Syluester, ſanctum Patricium ſequutus in Hyberniam eo ibi relicto in Scotiam rediit, & monaſterio Inhiſbouinde præfuit. Vide Scotichronicon. Reliquiæ eius ſanctæ in monaſterio ſancti Germani propè Setonam cuſtodiebantur teſte Gilberto Bruno in Collectaneis.

15. die Sanctus Cormachus vel Cormacus Epiſcopus Murthacenſis vel Aberdonenſis. De eo Leſlæus lib. 6. in Malcolmo: Boëtius in vitis Epiſcoporum Aberdonenſium.

16. die. Sanctus Arnulphus Epiſcopus Metenſis. Scotum eſſe ex eo probatur quod ab aliquibus apud Vvionem lib. 3. pag. 346. dicatur frater ſancti Vandalini. *Vvion.*

17. die. Sanctus Iero vel Hiero Martyr, & Apoſtolus Hollandorũ: Ibi enim alacriter fidem Chriſti prædicans à Danis & Normannis capite plexus, Martyrio eſt coronatus. Caput eius eſt in Noruuik loco Martyrij: corpus verò tranſlatum fuit a Theodotico ſecundo Comite Hollandiæ Egmundam in ſancti Adelberti monaſterium præmiſſo triduano ieiunio. Multi eius beneficio res deperditas recuperare ſolent. Vnde verſus ille,

Rebus in amißis Ieron ſæpißimè fulget.

De eo vide Molanum in indiculo & additionibus, Hunterum in libro de Sanctis Scotis. Regium in Calendario, Vvionem libro 3. ligni vitæ, Guillelmum Gondanum in eius vita quæ ſic incipit. *Gulielmus Gondanus.*

Geſta, virumque cano, Scotijs qui vectus ab oris,
In Batauos fato profugus, Hollandaque venit
Littora, &c.

18. die Sanctus Saluſtius; ſanctum Dyſibodium è Scotiâ ſequutus eſt. Vide vitam ipſius & alios.

19. die Sanctus Donotius Epiſcopus Aberdonenſis. 42. annos egit Pontificatum, in vita & poſt mortem miraculorum gloriâ clarus. Hic inter cætera pietatis monumenta inſtituendæ iuuentutis, ſuis vectigalibus ac fortunis in Aberdonenſi Diœceſi fecit primordia, eóque hoc pium opus Dei creuiſſe cernitur, vt in hodiernum vſque diem celebris in eadem Aberdonenſi ciuitate

habeatur Vniuerſitas; quam Beatus Guillelmus Elphiſtonius Aberdonenſis Epiſcopus non modò agris & Eccleſiaſticis reditibus ornauit, ſed velut denouo erexit, Vide Boëtium in vitis Epiſcoporum Aberdonenſium,

20. die. SAnctus Stolbrandus Epiſcopus & Martyr à Danis in Maia Inſula. De eo Leſlæus lib 5. hiſtoriæ & alij.

21. die SAncta Fincana Virgo Eremita filia ſancti Doneualdi, de quo ſuprà

22. die COeleſtia petijt Quintinus Kennedius Comitis Caſſiliæ frater; & Abbas Crucis Regalis, poſt varios cum Hæreticis congreſſus, ſuperatoſque publica diſputatione hoſtes, ab inferni aſſeclis medicato poculo ſublatus vitam cum morte commutauit anno Chriſti 1564. Huius multa ſunt & doctiſſima de Fidei dogmatis monimenta.

23. die SAnctus Nectanus Epiſcopus Aberdonenſis, apud Dauidem Scotorum Regem tanta valuit gratia, vt omnium in republica negotiorum momenta ab illius nutu & conſilio Rex meritò pendere voluerit. Epiſcopatum Aberdonenſem pius Rex ſancti Nectani cauſa multis donauit prouentibus, atque prædiis veteris Aberdoniæ, de Sclaty, Goul, Murcroft, Kynmundy, Marmelach, Clat, Tulgneſtin, Rain, Damot, &c,

Regius. 24. die SAnctus Erchadus vel Erthadus Epiſcopus in Scotia. Vide breuiarium Scoticum, Regium, Boëtium & alios.

25. die SAnctus Ronnanus. Vide Dempſterum in Mendicabulis repreſſis, & alios.

26. die SAnctus Peregrinus ſancti Romani Scotorum Regis filij famulus. Vide vitam eius per Peregrinum Carpium, Tabulas Lucenſes & Mutinenſes. *Peregrinus Carpius.*

27. die SAnctus Malrubius Martyr à Noruegis. Celebris habetur in Mernia, De eo Regius in Calendario, & alij.

28, dit SAnctus Tolmannus Martyr in Germania poſt varios ibidem in prædicando Chriſti Euangelio labores, De eo Leſlæus. lib. 4, hiſtoriæ, Demochares de Miſſæ ſacrificio, & alij.

29. die SAnctus Fiacrius Eugenij Scotorum Regis hoc nomine quarti filius. Hic patre Eugenio defuncto ex Scotia aufugit in Galliam, vbi Anachoreticam vitam diu egit. Poſtquam Nobilitas Scoticana illum in Gallia verſari intellexiſſet, Legatos miſit ad Clotarium Galliæ Regem, qui quo in ſtatu res Scotiæ eſſent, exponerent, rogarentque vt Fiacrius ad paternum regnum hæreditario iure poſſidendum ipſius auctoritate in Scotiam reduceretur. Annuit Rex, renuit Fiacrius, qui quod nihil in terrenis rebus ineſſe conſtantiæ, nihil certi, nihil vera laude dignum exploratè cognoſceret, ab ijs animum ſuum ad diuina ſe traduxiſſe aſſeruit, Omnia ergo patriæ ſuæ fauſta precatur; ſe verò ſolitudinem ſuam longè regno chariorem & potiorem habere conſtantiſſimè reſpondit,

dit. Factum eſt etiam (teſte breuiario Lemouicenſi) vt aduenientibus ad Fiacrium Legatis Leproſo ſimillimus apparuerit, vt lepræ fœtore territi à precibus ſe continuerint. Cum igitur rogaretur velletne patriam repetere, Scitote (inquit) hanc lepram non tam naturæ eſſe maleficium, quam humilitatis incitamentum: Credite hanc cellulam ampliſſimo quouis regno mihi potiorem eſſe. Sicque repulſam paſſi in Scotiam reuerſi ſunt Legati Vir autem ſanctus recuperata poſtmodum ſanitate reliquum vitæ in eremo tranſegit, donec regni cœlorum non Scotiæ conſors fieret, omnium infirmorum & languentum conſolator. Celebrabatur itaque vbique Fiacrius eiuſque ſanctitatis fama longè, latéque effundebat ſeſe, vnde ad miraculorum multitudinem quæ Deus per ſuum operabatur famulum, aduolabant multi, ſeque in Diſcipulos à Fiacrio inſtituendos dabant. Sed cùm aucto numero ſeruorum Dei anguſtior eſſet locus, quàm vt pro commoda tot diſcipulorum habitatione ſufficeret, rogauit Fiacrius Faronem Meldenſium Epiſcopum, vt locum laxiorem reddere ſibi liceret, permiſiſſe fertur Epiſcopum, vt quantum terræ vnius diei ſpatio diſiectis arboribus repurgaret, ductaque in orbem linea fodiens circulo clauderet, id totum ſibi ſuiſque in habitationis locum vſurparet: Poſt diuinam igitur opem imploratam operi ſe accinxit Fiacrius, fodiendoque auxiliarem Dei manum continuò perſenſit, nam cuiuſcunque tandem arboris radici palam admouiſſet, illa ſubitò ſuo mox pondere in terram ruebat, ipſaque terra abſque omni mortalium coaceruatione, vltrò ſeſe in aggetem erigebat. Hunc in modum opem ferente Chriſto quantum fundi ſpatium ſibi ſuiſque vſui fore exiſtimabat, nullo prorſus negotio arboribus pro voto nudauit, aggereque circundedit. In cuius miraculi perpetuam memoriam Fiacrium palam (eſt hodie fodientum terram inſtrumentum quoddam) manu tenentem vbique depictum cernimus. Aderat tum mulier paupercula colligendis fortè in ſylua lignis occupata, quæ quod ſua ſponte arbores decidiſſe vidiſſet, Fiacrium præſtigiatorem, veneficumque vbique dictitabat, In iudicium igitur vir ſanctus vocatus cùm ad iudicem dicturus cauſam proficiſceretur nouo ſeruum ſuum miraculo Deus decorauit. Fatigatus quippè ex itinere dum ſaxo inſediſſet, ad veſtimenti eius contactum ad inſtar ceræ mollis ſubitò ceſſit ſaxum, in quo etiamnum apud Meldenſes reſeruato veſtimentorum cernere eſt impreſſa veſtigia. Atque hinc effectum vt ſine numinis offenſa præſentique vltione, quod ſanctus adeò obnixè poſtulauerat monaſterium Fiacrij in hodiernum diem ingredi non audeat mulier. Longum eſſet miracula recenſere, quibus cùm in Flandria, tum in Galliâ tota, Chriſtus ornauit ſeruum ſuum Fiacrium, cui & in facie inerat Angelicus decor, & in ore lætitia, & quaſi quædam ex animi beatitudine redundans hilaritas, vt eo ſatiari animi oculique non poſſent. Fiacrius autem, vt adfuit hora ex hoc ſæculo migrandi

tum preces intendere, tum crebros ante Deum gemitus edere, & imis ex præcordiis mixta precibus ſuſpiria ducere, ſuiſque diſcipulis mutuam charitatem, & in Chriſtum dominum tenerrimum amorem vnicè commendare, Iam demùm viribus deſtitutus has voces ſubinde ingeminans, Ieſu fili Dauid miſerere mei, extremum ſpiritum edidit Auguſti trigeſimo, circiter annum 668. De eo agunt Leſlæus libro 4. hiſtoriæ, Boëtius lib. 9. hiſtoriæ, Gaguinus lib. 3. hiſtoriæ Franciæ. Dupreau ad annum 648. & alij. Vnum tantùm hic de ſancto Fiacrio addã quod referunt Leſlæus & Ducheſne. Sub Chriſti annum 1411. bellum exortum eſt grauiſſimum inter Carolum 6. Gallorum & Henricum 5. Anglorum Reges. Carolus Legatis in Scotiam miſſis auxilium contra Anglos poſtulat, vnde ſeptem armatorum millia cum Archibaldo Duglaſio Comite Vintonienſi, ac Ioanne Stuarto Comite Buchaniæ, egregiis ducibus in Galliam ſtatim tranſmittuntur. Quorum copiis & conſiliis plurimæ Anglis calamitates illatæ fuerunt. Etenim prælio ad Baugæum vicum inito, Clarentio duce Henrici regis germano, multiſque aliis nobilibus occiſis Anglorum exercitum totum in fugam compulerunt. Quibus rebus permotus Henricus Rex Iacobum primum Scotorum Regem enixiſſimè precatur vt Scotos a Francorum ſubſidio reuocaret. Id quod Henricus à Iacobo nullo modo elicere potuit. Quare Henricus Rex ægerrimè hoc ferens, ſancti Fiacrij Scoti & Regis Scotiæ olim filij agros & vicinas ditiones in Meldenſi tractu fœdè populatus in morbum Diui Fiacrij incidit, qui nullâ adhibita medicina curari potuit. Henricus verò morbi vehementia acerrimè afflictus, quis eſſet Fiacrius percunctatur: cúmque Scotum fuiſſe intellexiſſet, in hanc vocem prorupiſſe dicitur: Scotos eò vſque adhærere Gallis contra Anglos Angliſque aduerſari, vt non ſolùm in hac mortalitate viui, ſed etiam mortui ac in Diuorum numerum repoſiti eos aliquo ſemper detrimento afficiant. Et quidem Henricum breui poſt morbo ſancti Fiacrij extinctum ad Vicenarum ſaltũ magno Gallorum gaudio conſtat. De hac hiſtoriâ vide præterea Boëtium lib. 17. hiſt.

Gaguinus. *Boetius.*

30. die SAnctus Aidanus Confeſſor, Lindisfernenſis Epiſcopus & Anglorum Apoſtolus ex Hoy inſulâ vna Hebridum ad Anglos ad Chriſti fidem conuertendos miſſus. Cùm autem Aidanus ſanctus linguam Saxonicam (quæ tum in vſu apud Anglos erat) ignoraret, & Scoticè concionatus fuiſſet ad populum Oſuualdus Rex quicquid Aidanus pro concione ad populum Scoticè dixerat, aſcenſo e regione (ô Regis animarum zelum & humilitatem) ſuggeſtu Saxonicè ſtatim Apoſtolico planè ſpiritu afflatus, reddebat. Vnde tantos progreſſus vterque Aidanus ſincerè concionando, Oſuualdus piè interpretando (didicerat enim apud Scotos dum ibi exularet linguam Scoticam) in Euangelio promulgando fecerunt, vt ſeptem dierum ſpatio 15. hominum millia ſacro fon-

te perfuderit Aidanus. Et ſanè fuit Aidanus vir planè Apoſtolicus, cuius animi ſubmiſſio, erga Deum amor, animarum zelus, magnanimitas in rebus aggrediendis, fortitudo in proſequendis, patientia in ſuperandis earumdem difficultatibus, vitæ aſperitas, perpetuum orationis ſtudium, Euangelicæ paupertatis amor, erga inopes miſericordiæ viſcera, magnam apud omnes tum gratiam, tum auctoritatem ſibi conciliauerunt. Et quidem erga pauperes liberalitatem teſtatur Beda in Epitome, & lib 3. hiſtoriæ cap. 14, his verbis. *Donauerat equum optimum Antiſtiti Aidano Oſuuius Rex & Oſuualdi frater, in quo ille quamuis ambulare ſolitus vel amnium fluenta tranſire; vel ſi alia qualibet neceſſitas inſiſteret viam peragere poſſet. Cui cùm paruo interiecto tempore pauper quidam occurreret eleemoſynam petens, deſiliens ille præcepit equum, ita vt erat, ſtratum regaliter, pauperi dari, erat enim multum miſericors & cultor pauperum, ac velut pater miſericordiæ.* Hoc cùm Regi *Oſuuio eſſet relatum dicebat* Epiſcopo *cum fortè ingreſſuri eſſent ad prandium, Quid voluiſti Domine Antiſtes, equum regium quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare? nunquid non habuimus equos viliores plurimos & alias ſpecies quæ ad pauperum dona ſufficerent, quamuis illum equum non dares, quem tibi ſpecialiter poßidendum elegi. Cui ſtatim Epiſcopus. Quid loqueris (inquit) Rex? num tibi charior eſt filius equæ, quam ille filius Dei? quibus dictis intrabant ad prandium, & Epiſcopus quidem reſidebat in ſuo loco.* Porrò *Rex venerat de venatu & cœpit conſiſtens ad focum calefieri cum miniſtris, & repentè inter calefaciendum recordans verbi quod dixerat illi Antiſtes diſcinxit ſe gladio ſuo, & dedit illum miniſtro, feſtinuſque accedens ante pedes Epiſcopi corruit, poſtulans vt ſibi placatus eſſet; quia nunquam (inquit) deinceps aliquid loquar de hoc aut indicabo quid vel quantum de pecunia noſtra filiis Dei tribuas. Quod videns Epiſcopus multùm pertimuit, ac ſtatim exurgens leuauit eum, promittens ſe multùm illi placatum eſſe dummodò ille reſidens ad epulas triſtitiam deponeret. Dumque Rex iubente ac poſtulante Epiſcopo lætitiam reciperet, cœpit contra Epiſcopus triſtis uſque ad lacrymarum profuſionem fieri, quē dum* Presbyter *ſuus linguâ patria* (id eſt Scotica) *quare lacrymaretur interrogaſſet; ſcio* (inquit) *quod non multo tempore victurus eſt Rex. Nunquam enim vidi antehac ſimilem Regem: vnde animaduerto citiùs illum ex hac vita rapiendum; non enim digna eſt hac gens talem habere rectorem.* Plura de hoc Sancto vide apud Bedam loco citato, & lib. 3. cap. 5 & cap. 6. & cap. 15 Tritemium de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib. 4. Sigebertum in chronico, Hermannum Contractum in chronico, Leſlæum lib. 4. Boetium, Polidorum Virgilium, Arnoldum, Mermannium, Baronium & alios. *Beda. Sigebertus. Mermannus. Baronius.*

31. die SAnctus Vulgiſus pater ſancti Vuillibrordi. De eo vide Molanum in chronica recapitulatione Sanctorum Belgij in appendice ad 7. Nouembris, Dempſterum, & alios.

SEPTEMBER.

1. die SANCTVS GLASCIANVS Epiſcopus & Confeſſor in Morauia Scotiæ prouinciâ celebris, inſignis Chiſtianæ fidei concionator. De eo vide Boetium lib 10. hiſt. Leſlæum l.5. hiſt. *Leslaus.*

2. die SAnctus Odranus. De eo in vitâ ſancti Patricij.

3. die Sanctus Manſuetus Epiſcopus, & Tullenſium Apoſtolus à ſancto Petro Apoſtolorum principe Tullum miſſus ad fidem Chriſti prædicandam. Vide eius vitam, Eiſengrenium de Gallicanis Pontificibus, Arnoldum, Mermannium in Theatro conuerſionis Gentium, Franciſcum de Roſier tomo 2. ſtemmatum Lotharingiæ ad annum 62. Democharem in catalogo Epiſcoporum Tullenſium, breuiarium Tullenſe ad hunc diem, qui omnes teſtantur eſſe ipſum natione Scotum, & à ſancto Petro Tullum miſſum. *Demochares.*

4. die SAnctus Veranus Confeſſor apud Rhemenſes in Galliâ cum fratribus Gibriano, Petrano & cæteris ſanctitate clarus. Vide Flodoardum lib. 4. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 9. & alios.

5. die ATtho Abbas Altomnunſterij in Germania. Vide Hundium in Metropoli, Vvingarteum in Guelphis pag. 181. Velcerum lib. 5. rerum Boicarum, Vvionem lib. 3. ligni vitæ & alios.

6. die SAnctus Bertinus Abbas Sithium. Vide Theodoricum Abbatem in vitâ ſancti Rumoldi. *Theodoricus Abbas*

7. die SAnctus Magnus Abbas. Vide Pantaleonem parte primâ proſopographiæ an. 780. & alios.

8. die SAncta Bega virgo. Vide hiſtoriam Sinclari & alios.

9. die Sanctus Babolenus Confeſſor & Abbas, qui in Scotiâ vnà cum Columbano ſancto egreſſus Foſſatenſi monaſterio in Burgundiâ à ſe extructo in ſanctiſſimo illo Monachorum inſtituto, perpetuaque ſui in rebus omnibus abdicatione multum excelluit.

10. die SAncta Odilia. Vide hiſtoriam ſanctæ Vrſulæ, Calendarium Germanicum & alios.

11. die. SAnctus Queranus Abbas Foilenſis in Scotia. De ipſo vide Martyrologium Romanum ad 9. Septembris. Vvionem lib. 3. ligni vitæ, Vſuardum & alios. *Vvion.*

12. die. SAnctus Otgerus Leuita, de quo ita Molanus, *Venerunt præterea ex Scotiâ ad* Pipinum *ſanctus Viro Epiſcopus, ſanctus Plechelmus Epiſcopus, vterque Romæ ordinatus, & ſanctus Otgerus Leuita.* Vide Molanum in chron. cap. 7. in indiculo & in additionibus & alios. *Molanus.*

13. die. SAnctus Batheneus Confeſſor. De eo agitur in vita ſancti Columbæ à ſancto Adamanno ante mille circiter annos conſcripta. De eo etiam agit Boetius lib. 9. hiſtoriæ.

14. die. SAnctus Conuallus Monachus qui à tenella ætate in nobiliillo monaſterio, cui Crux Regalis nomen, prima iecit fundamenta virtutis, vnde & celebris habebatur ob ſanctitatis famam, in illa Scotiæ prouincia, cui Carictà (quam à Caric̃tonia populoſiſſima quondam ciuitate dictam putant) nomen. De eo Boëtius lib. 9. hiſt. & Læſlens lib. 4. *Boëtius.*

HOc eodem die celebratur tranſlatio ſancti Blani Epiſcopi Dũblanenſis in Scotiâ, de quo diximus ad 19. Iulij.

15. die. SAnctus Adam Epiſcopus Cathenenſis in Scotia. De eo vide Scotichronicon, Cœleſtini quarti Pontificis bullam.

16. die. SAnctus Mombalus Confeſſor. Vide Dempſterum in mẽdicabulis repreſſis Hibernorum. *Dempſterus.*

17. die. SAnctus Mirinus Abbas Paſlatenſis in Scotia, & poſtea Neubotelenſis in Laudonia Scotiæ prouincia celebris. De eo vide Regium in Calendario, Boëtium & Leſlæum in hiſtoria.

18. die. SAnctus Ninianus Diui Martini nepos in Gallouidia Scotiæ prouincia celeberrimus, ac Candidæ Caſæ in Scotiâ, Scoticè Quhythorne Epiſcopus. Et quamuis diuina Saluatoris noſtri bonitas, virtus, & magnificentia in omnibus quæ creauit, eluceat, in Niniano tamen ſancto ſummè apparuerunt. Natus eſt parentibus iuxta ſęculi dignitatem nobilibus, diuinis ſine morâ regenerandus fontibus, vt viuere inciperet iuſtitiæ in acquiſitionem beatitudinis æternæ: Suggerente autem ſpiritu ſancto, qui eum ſibi vas electionis præſcierat futurum, in baptiſmate ſacro Ninianus Scoticè Ringen eſt appellatus. Cùm maxima parentum nutritus diligentiâ annos tranſiret pueritiæ, non vt ſolet illa ætas puerilibus operam dedit luſibus, ſed totum ſe diuinis geſtiens mancipare obſequiis cum ſui corporis incremento interiorem hominem perficere elaborauit ſanctarum copia virtutum. Erant enim in iuuenili eius pectore matura ſtudia & aſſiduis Deum exorabat gemitibus, vt eum in viam mandatorum ſuorum dirigeret. Interea dum promptæ voluntati merita religioſa ſuccreſcerent, prudenter diu cælatum piæ deuotionis affectum parentibus decreuit aperire, velle ſe videlicet tranſitoria omnia declinare ac Deo ſe omnino mancipare, eò quod audiuiſſet illud Domini, *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Vt piam eius voluntatem cognouere parentes, vt erant pij ac Deum timentes tantùm abeſt vt illum eam deſerere vrſerint, vt potiùs eum in arrepto propoſito confirmarint fluxam & tranſitoriam mundi huius gloriam & caducos honores illi ſæpè proponentes, aſſerentes inſuper cum Paulo Apoſtolo non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis. Ninianus vt vidit parentes ſibi non reſiſtere, ſed potius in tam ſancto propoſito confirmare: exiſtimans, vt par, hoc à virtute dextræ Excelſi prouenire ſũmo animi affectu Deo Creatori ſuo gratias agebat, ac ſimul perſeuerantiam petebat, vt deſideria illi im-

miſſa ad fœlicem exitum perducere poſſet. Florebant tunc in Scotiâ Culdæi patres plurimi & ſanctiſſimi: horum inſtitutum amplexus Ninianus, mirum eſt quanto deſiderio teneretur conuerſionis animarum. Verùm quia mos tunc erat inter Culdæos patres, vt non prius ſubiret aliquis onus Euangelicum & Apoſtolicum, quin prius limina ſanctorum Apoſtolorum viſitaſſet, Romam proficiſcitur Ninianus: quam, vt in eius venit conſpectum, eminus venerabundus, eximio pietatis affectu ſalutat: quod vrbs eſſet ſancta, quodque tot ſanctorum corporum aceruis, tot Martyrum ſanguine redundaret. Mox ad limina ſanctorum Principum Apoſtolorum animo corporéque proſtratus pro re bene gerenda (hic fuit animarum zelus) Dei clementiam prece aſſidua cùm flagitaſſet, viſitatis de more templis, ſuæque ſanctitatis & innocentiæ editis exemplis in Scotiam per Galliam & Belgium, in quibus mirabiles animarum conuerſiones feciſſe legitur, rediens ad conuertendas Deo creatori ſuo animas ſe totum intendit. Quod cum ſtrenuè diu præſtitiſſet, & ſimillimam Angelorum vitam inter mortales egiſſet, Candidæ Caſæ primus Epiſcopus nominatus, & nominatim acceptare cogitur. Factus Epiſcopus creditum ſibi à Deo populum non neglexit, ſed gnauiter ad pietatem erudiuit, noctes & dies in hoc ſancto munere ſine vlla corporis quiete inſomnes ducens: imò nec contentus intra ſuæ Diœceſis fines, & per loca vicina pietatem promouere ad Britannorum ſiue Britonum terras ſæpiſſimè excurrebat. In ſacrarum ſcripturarum lectione cùm per tempus liceret, aſſiduus erat, in Orphanos, viduas, & pauperes ſemper pius, Candidæ Caſæ ædem condidit Diuo Martino auunculo ſuo ſacram. Scripſit meditationes in Pſalmos, & ſententias ſelectas ex Patribus. Denique multorum annorum ſpatio, Angelicam vitam inter homines cùm egiſſet, delapſus in morbum occurrit Christo Domino ſub annum 496. ſuiſque apud Chriſtum precibus Gallouidianis ſæpiſſimè ſuffragatum communis fama eſt. Singulari in illum deuotione ferebatur Iacobus quartus Scotorum Rex ac frequenter ad ſacrum illius corpus peregrinabatur, nec fruſtra, nam ſæpè illum propitium ſibi ſenſit. Inter alia contigit ſemel vt Margareta Regina eius vxor (fuit hæc Henrici ſeptimi Anglorum Regis filia) grauiſſimis morbi doloribus poſt partum tentaretur, nec vllâ conſolatione humana permulceri poſſet. Quod videns Rex omni ſpe de vxoris valetudine in Deum collocatâ ad ædem Diui Niniani in Gallouidiâ ſumma animi ſubmiſſione pedes proficiſcitur. Regis deuotionem Deo gratiſſimam fuiſſe ex eo liquet, quod Regina paulo poſt omni vehementia morbi abſterſa conualuerit, & mariti ſui pietati, Diuique Niniani auxilio ſuam ſalutem proximè ſecundum Deum acceptam retulerit, integris verò viribus effecta cum Rege ad eamdem Niniani ædem ſequenti Iulio menſe anni 1507. profecta eſt Deo famulo eius Diuo Niniano gratias actura. Sub annum Chriſti 1608. accidit miraculum, quod, om-

tibus aliis omiſſis, hic ſubiungam. Erat ſacellum Diuo Niniano ſacrum non longè à Speà fluuio, vbi in Oceanum influit. Quidam anno vno aut altero ægrotus decubuerat: deſtitutus iam viribus, curauit vxor vt transferretur in dictum ſacellum quamuis tecto priuatum, vt Deo creatori ſuo ibi pietatis cauſa ſpiritum redderet. Tota nocte remanſit ſub dio æger mortem expectans, ſed ecce ubi circa galli cantum obdormiſcit: In ſomno adſtat ſenex venerabilis admodum, qui crura ipſius ſtringens, ſurgere iubet, & domum repetere. Fecit quod imperabatur, occurrit vxor, turbatur, ſpectrũ ſe videre exiſtimat. Loquitur æger vxori ſe eſſe, non ſpectrum: clamat, rem narrat, tandem ſimul Deo & Niniano ſancto gratias agunt. De Niniano ſancto agunt Vſuardus in Martyrologio, Molanus in additionibus ad Vſuardum, Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliot. Regius in Calendario, Leſlæus Epiſcopus in hiſt. Dempſterus & alij: ex quibus facilè refellitur præpoſterus zelus Hirlandicorum contendentium ſanctum Ninianum Hirlandum eſſe: vt enim ex prædictis & aliis conſtat, Scotus eſt & Candidæ Caſæ in Scotia Epiſcopus; nec vllus vnquam author præter paucos Hirlandos illum Hirlandum eſſe ſomniauit. Natus eſt in Scotiâ, vt diximus, in illa vixit, in illa ſpiritum Creatori ſuo reddidit, in illa eius ſacræ reliquiæ vſque ad hæc noſtra tempora fuêre, in illa denique ante paucos annos repertum eſt eius brachium, quod iam aſſeruari audio in ſeminario noſtro Scotico Duaci in Belgio.

HOc eodem die cæleſtia petiit Iacobus quartus, Scotorum Rex. Quantus virtutum cumulus huius Regis animo inſederit humanam ferè ſuperat fidẽ; nam diuinæ gratiæ conſeruandæ pœnitẽtiæque agendæ cauſa ferreâ catena ſe ſemper cinxiſſe auctor eſt Ioannes Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis lib. 8. hiſtoriæ. Dei Diuorumque cura ita illius animum tangebat, vt quod erat illi a Reipublicæ curis neceſſariis vacuum tempus, id Deo ac diuinis dabat. Vnde vix cogitari poteſt vtrùm regnum ſub illo fuerit in pace affluentius, an in ſumma affluentia pacatius. Fidei Catholicæ & Romanæ defenſor fuit acerrimus, vnde Iulius ſecundus Pontifex maximus Legatum ad Regem Iacobum decreuit anno Chriſti 1507. qui Regem (quod hæreſi à ſuis finibus arcendæ grauiter operam daret, Chriſtianæ fidei protectorem declarauit, In cuius rei ſignum miſit ad illum purpureum diadema aureis floribus intextum, ac gladium vagina atque manubrio aureis inſignem gemmiſque egregiè ſtellatum: quæ quod Eccleſiæ propugnatæ monumenta erant, in Eccleſia ſanctæ Crucis à Legato & Abbate Dumfermlingenſi frequentiſſima nobilitate Regi donata ſunt. Vide Leſlæum Epiſcopum lib. 8. citato, Boëtium & alios.

19. die. SAnctus Plebæus. De eo Dempſterus & alij.

20. die. Sancta Richarda vel Richardis Imperatrix, & Gregorij Scotorum Regis filia, ac Caroli Craſſi Imperatoris vxor. Scribunt

multi ipſam accuſatam fuiſſe adulterij cum Lintuuarda Epiſcopo Vercellenſi, ſed Aquino iudicio ſe ab omni virorum commixtione integram & virginem comprobaſſe quamuis iam 12. annis in coniugio Imperatoris vixiſſet ab Imperatore ſeparata in Anddalienſe Cœnobium virginum in Alſatia à ſe extructum anno 887. ſeceſſit, ibique ſacro ſumpto velamine Deo ſeruiens ac virgo permanens ita ſe geſſit vt in Abbatiſſam poſtmodum eligi & poſt mortem Sanctarum catalogo adſcribi meruerit. De hac ſancta vide Paradinum in ſuis Genealogicis affinitatibus ad annum 886. Vuionem libro. 4. ligni vitæ, Cratepolium pag. 97. Regino Abbatem in Chronico, & alios.

21. die. SAncta Lucia Virgo & Scotorum Regis filia in Barroducenſi Ducatu ob peregrinantium ad eiuſdem ſacra pignora multitudinem celeberrima. In officio quodam perantiquo de hac virgine hæc reperi. Virgo venerabilis beata Lucia ancilla Dei deuota, Regis Scotiæ filia deuotiſſima, à primæuę ætatis infantia in palatio parentum honorificè fuit nutrita ac eleemoſynis larga, in vigiliis, & orationibus continua, in ieiuniis & bonorũ operum exhibitionibus perfecta: Eccleſias Dei frequentans, iugiter in laude Chriſti permanens, à ſacerdotibus ac miniſtris Dei frequenter requirebat totâ dilectione mandatorum Dei & perfectionis viam. Quadam die dum eſſet in Eccleſia audiuit verba ſancti Euangelij prædicare: *ſi vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes, & veni, ſequere me.* Qua de re toto corde ſuccenſa totam ſe ſubiecit ſeruitio Chriſti, vt tantæ cõſors mereretur eſſe promiſſionis: ab illo ergo die cogitauit abnegare ſe, patriam relinquere, & alienam patriam adire. In nomine igitur Dei iter arripuit, & in Lotharingiam Domino ducente peruenit Factum eſt autem dum ſuper Moſam in Epiſcopatu Virdunenſi ſtaret, quſi ex miraculo diuino aquæ creuerunt in tantum, quod vltra tranſire nequiens in monte ibi propinquo hoſpitari voluit. Ibidem verò quemdam virum Deo deuotum nomine Theobaldum inuenit, qui eam benignè recepit, ac illi de bonis à Deo collatis abundanter diſtribuit: & beata Virgo Lucia cum bono viro per longa tempora remanſit, necnon in bonis operibus ſemper intenta extitit iuxta verba Apoſtoli dicentis, qui non laborat non manducet. Nam glorioſa puella de die oues ſemper tamen coniuncta Deo per orationes, paſcebat, nocte verò cæleſtium rerum conſiderationi maximè intenta erat. Lucia igitur dilecta Dei ſponſa (quæ regum antea aſſueta palatiis delitiiſque) conſultò caſam humilem & ab interuentoribus liberam delegit. Porrò poſt multa miracula in vita peracta defuncta eſt, & in Baſilica præclara in monte ſita in medio eiuſdem Baſilicæ iacet.

Sanctus

22. die. SAnctus Domitius preſbiter, ſancti Columbæ diſcipulus, qui in Septentrionalibus Pictis Chriſto reconciliandis ſtrenuè operam dicauit ſuam. Animum fœlicem Deo reddidit in Inſula Hoyenſi in Hebridibus. De eo vide Leſlæum lib 4 in Aidano.

23. die. Sanctus Dioconanus Martyr De eo varij.

24. die. SAnctus Lolanus Epiſcopus & Confeſſor apud Duncanũ Scotorum Regem magnâ in auctoritate & gratiâ, quem & conſilio & ſanctis apud Deum precibus iuuiſſe fertur, cùm Danorum Rex infidelis Scotiam nauali & terreſtri aggrederetur exercitu, qui partim ad Kingkornum (vbi Danorum deuictorum adhuc ſuperſunt monumenta) partim ad Culroſſanum oppidum profligatus eſt. Celebris habetur hic ſanctus in Strilingenſi prouinciâ, De eo vide Regium in Calendario & alios. *Regius.*

25. die. SAnctus Adamannus Epiſcopus, Northumbrorum Apoſtolus. De eo plurimi.

26. die. SAnctus Thevuanus Abbas & Confeſſor quem poſt operam benepoſitam: cùm in diuinis litteris, tum in variis regni negotiis fœliciter obeundis Eugenius ſextus Scotorum Rex ad ſua adhibuit conſilia. Monaſterio Mailroſſenſi diu præfuit hic Sanctus. De eo vide Regium in Calendario.

27. die. SAnctus Marcellus. De eo vide Ekerhardum in eius vitâ.

28. die. Sanctus Maldulphus, Maidulphus, aut Meydulphus. Vide Guillelmum Malmeſburienſem, Capgrauium, Lelandum, & alios.

29. die. SAnctus Barrus ſeu Finlarrus Confeſſor, & primus Epiſcopus Cathaneſię. De eo Regius in Calendario & alij.

HOc eodem die ſanctus Firminus Epiſcopus Ambianenſis Martyr. De eo vide Scotichronicon libro 4. cap. 9. Errorem Democharis Conſtantinus Ghinius detexit. *Scotichronicon.*

HOc eodem die Ceolfridus Abbas Glaſtonienſis. De eo Sergij. P. literæ, & alij.

30. die. SAnctus Machanus Epiſcopus & Confeſſor, qui ſub Kennetho Rege multa & magna ſuę ſanctitatis & prudentiæ documenta dedit. Kennetho auctor fuit vt exactis tota Scotiâ Pictis leges conderet, quibus ſubditos prudenter & Chriſtianè regeret, collapſaſque ob frequentia cum Pictis bella ſacras ædes redintegraret, nouaſque prioribus adderet: qui hæc omnia diligenter præſtitit, certè leges ab ipſo conditæ ſummo in honore apud Scotos ad noſtra tempora fuêre, quarum quæ religionem ſpectant aliquas ſubiicio. 1. Aras, templa Diuorum, ſtatuas, oratoria, ſacella, ſacerdotes, omneſque ſacræ familiæ viros ex animo venerato. 2. Feſtos & ſolemnes dies, ieiunia, vigilias, & omnifarias ceremonias quas Chriſto Regi & ſacratiſſimæ eius militiæ decreuit humana pietas, multo honore obſeruato. 3. Lædere Chriſti ſacerdotem dicto factoue exitiale eſto. 4. Sepulchrum omne ſacrum habeto, idque

Crucis ſigno adornato, quod ne pede aliquando conculces caueto. 5. Defuncti funera habita ratione facultatũ curato. 6. Qui Dei numẽ Diuorũq; blaſphemiâ læſerit, ei linguã abſcindito. V. Regiũ & alios.

Regius. HOc eodem die ſanctus Malchus Epiſcopus Sodorenſis in Scotiâ. Hoc eodem etiam die ſanctus Coganus Abbas in Lochabria Scotiæ prouinciâ celebris. De eo Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ & alij.

OCTOBER.

1. die. SAnctus Priſcus Epiſcopus, in Canteira præſertim prouinciâ celebris, & Regi Conrano perfamiliaris. De eo Leſlæus lib. 4. Boëtius lib. 6. & alij.

Henricus. Caniſius. 2. die. SAnctus Annualis P. diſcipulus ſancti Kiliani. De eo Henricus Caniſius & alij.

3. die. SAnctus Edmundus M ſancti Malcolmi ex ſancta Margareta filius. De eo Vuion lib. 3. Leſlæus & alij.

4. die. SAnctus Malcallinus. De eo Tabulæ Virdunenſes. Rexerat ante ſuum è Scotia egreſſum monaſteriũ Rathmelſigi.

5. die. SAnctus Conuallanus Abbas Ionæ, Epiſcopus in Scotiâ Ferguhardi Regis præceptor. De eo Vuion lib. 3. & alij.

6. die. SAnctus Cominus Abbas Deiræ familiaris ſancti Columbæ. De eo Leſlæus libro quarto in Aidano, Boëtius lib. 9. hiſtoriæ.

7. die. SAnctus Macceus cum ſancto Patricio Scotiâ egreſſus. De eo varij. vide ipſius vitam.

8. die. SAncta Triduana Virgo ſanctiſſima apud Scotos celeberrima. Hæc admirando ſtratagemate mundum carnemque ſuperauit. Cùm enim eſſet natalium ſplendore illuſtris, elegantis formæ, & eximia ad virtutes indole prædita, varij fuere Nobiles adoleſcenteſque primarij, qui virginis ſpecie illecti matrimonium cum eadem inire poſtulabant. Verùm illa voti caſtitatis iamdudum emiſſi conſcia, ſe poſtulantibus pro virili reſiſtit. Et quidem inter huiuſmodi adoleſcentes vnus erat opibus & genere clarus, qui Virgini præ cæteris omnibus plus ſatis erat importunus, ad quem Triduana Chriſti ſponſa: Cùm ſcias, ô adoleſcens, me Chriſtum Ieſum in ſponſum ſelegiſſe, mundique viſibilia contempſiſſe, vt ſubtracta viſibilibus inuiſibilia clarius conſpiciã, & repleta inuiſibilibus viſibilia perfectè contemnam, quid cauſæ eſt cur cæteris qui hoc reſponſo accepto mihi faceſſere negotium deſiere, tu ſolus, importunè, & fruſtra inſtas, quid in me cernis, quod alij non videre? Cui ille, tuorum (inquit) oculorum tam decorus & ſupra modum blandiens aſpectus me in tui admirationem & amorem vel inuitum rapit. Quod vbi caſtiſſima Virgo intellexiſſet, adoleſcentique valedixiſſet, virili prorſus & ſupra ſaturam ſpiritu, vtrumque oculum (res

admirandi) ſibi eruendum curauit, atque eoſdem per famulum Pyxidi incluſos vna cum literis, quarum hic [illegible] miſit. En ô adoleſcens, accipe & tuæ in me irritamenta vanitatis, & domeſticos meæ pudicitię, ſanctioriſque propoſiti hoſtes, eiſque pro libidine vtere, ac mihi iam in poſterum eſſe deſine moleſtus, & caue ne tu internos mentis oculos amittas, dum ita corporalium irritamentis delectaris. Ego verò cœlum ingredi me malim orbatam licet oculis, quam oculos habentem mitti in gehennam ignis, à qua te dulcis Ieſus cuſtodiat, Vale. Poſtea verò Triduana ſancta mundo parentibuſque derelictis ſe totam diuino conſecrauit obſequio, virgineumque corpus omni, qua potuit via, rationi ſubdebat, non quidem in molli culcitra lectoue, aut in lęui dolatoue, vt ſolebat, robore, ſed in ipſa ſoli duritie cum diurno amictu ſæpè lenes carpebat ſomnos. In ſtatis verò precibus & contemplationibus tanta vi rapiebatur in cęleſtia, vt ſæpè dies integros auocaretur à ſenſibus. Nihil ardentius auebat quam ad Chriſti Ieſu vitam & mores greſſus accommodare ſuos, cum ſponſo dulcia miſcere colloquia, pro eo pati, pro magno exiſtimans beneficio poſſe ſui ſponſi obedire nutui, ſigna ſequi, veſtigia premere, & inſignibus decorari. Magno fuiſſe in honore hanc ſanctiſſimam Virginem apud Scotos ob vitæ ſanctitatem & miraculorum gloriam teſtatur Hunterus Dominicanus, ſacellaque varia in eiuſdem honorem extructa fidem faciunt. Cæleſtem adiit ſponſum ſub annum Chriſti 538. Eugenio tertio regnante. Vide Regium *Regius.*
in Calendario, & alios.

9. die. SAnctus Mathilla, induit ſanctam Brigiddam. Vide mendicabula repreſſa Dempſteri.

10. die. SAncta Lupita ſoror ſancti Patricij. vide Dempſterum in *Dempſterus.*
mendicabulis repreſſis.

11. die. SAnctus Canicus ſiue Kenicus Abbas. De eo Viſon lib. 3. ligni vitæ, Petrus de Natalibus in catalogo, Martyrologium Romanum ad hunc diem, Vſuardus ad hunc etiam diem *Vſuardus.*
& alij.

12. die. SAncta Liberta. Vide vitam ſancti Eliphij & alios.

13. die. Sanctus Colmannus Martyr & Auſtrię in Germania Tutelaris ex progenie Regum Scotiæ ortus. Hic poſtquam iterum atque iterum peregrinatus eſſet Hieroſolymam pietatis ergò, vbi in Auſtriam perueniſſet ab impiis in arbore ſuſpenſus occiditur, cultus vt Martyr, quamplurimis miraculis illuſtratus & ipſa arbor diu arida in qua ſuſpenſus fuerat, floruit. Colomanni laudes & martyrium recenſet Stabius apud Surium ad 13. Octobris. Vide de hoc Sancto Baronium tomo 11. ad annum 1012. Volfangum Lazium lib. 8. de Sueuis, Cuſpinum in Auſtria, Vuionem lib. 3. ligni vitæ, Verdierum in proſopographia tomo 3. Naucletum in chronico, Pantaleonem parte 2. proſopographiæ ad annum 1012. Auentinum lib. 5. Annalium & alios.

14. die. SAnctus Korulla, Korilla, Kortyla, Cortyla, aut Cortylas. De eo Vuion lib. 2. Suffridus & alij.

15. die. SAncta Aurelia Virgo & Martyr, ſanctæ Vrſulæ ſocia. De a plurimi.

16. die. SAnctus Gallus Abbas ſancti Columbani diſcipulus apud Heluetios miraculorum gloria in hodiernum diem celeberrimus. Vitam eius habet Surius ad hunc diem. Vide de ipſo Leſlæum libro 4. historię, Ægilualdum in vita ſancti Buchardi, Sigibertum de viris illuſtribus. Pantaleonem parte prima proſopographiæ, Iodocum Metſlerum apud Henricum Caniſium tomo 5. Poſſeuinum in apparatu ſacro, Miræum cap. 19. orig. Benedictin. & alios.

Henricus. Caniſius.

17. die. SAnctus Regulus Abbas, qui ſancti Andreæ reliquias in Scotiam detulit. Vide Boetium lib. 6. folio 108. Maiorem lib. 1. hiſt cap. 15. Regium in Calendario, Hunterum in libro de Sanctis Scotis.

HOc eodem die cæleſtia petiit Ioannes de SacroBoſco, ſic dictus a loco in quo educatus eſt in Scotia, *Haly Vood*, quaſi ſacer Boſcus, vir in omni literatura præſertim in mathematicis ſcientiis doctiſſimus, ſimul ac pius. Luteriæ ſepultus eſt in ſodalium Maturinalium clauſtris: cuius medio tumulo inſculpta ſphœra ac circum illam hoc Epitaphium.

De Sacro-Boſco qui Compotiſta Ioannes
Tempora diſcreuit, iacet hic à tempore raptus,
Tempora qui ſequeris, memor eſto quod morieris,
Si miſer es plora, miſerans pro me precor ora.

18. die. SAnctus Monon Martyr ſiue Mommon. V. de ipſo Molanum in additionibus ad Vſuardum & in chronica recapitulatione Sanctorum Belgij, Regium in Calendario & alios.

19. die. SAncta Vdilina Scotorum Regina & Martyr Regis Eugenij â Maximo occiſi vxor magnæ virtutis & animi mulier. Teſtatur Hunterus Dominicanæ familiæ inſignis Theologus vidiſſe ſe Coloniæ Agrippinæ peruetuſtum monumentum huius sãctiſſimæ Reginæ. Vide ipſum in tractatu de ſanctis fœminis Scotis.

20. die. SAnctus Donatus Epiſcopus Feſularum. Vide Syluanum Raz. pag. 167. Franciſcum Diacetti, Cattanium & alios.

21. die. SAncta Vrſula cum ſociis. Fuiſſe illam Regis Scotiæ filiam tradunt complures auctores, in primis Ioannes Maldonatus in vitis SS. his verbis. *Vrſula Mauri Chriſtianiſſimi Regis Scotiæ filia doctrinæ, virtutiſque indole, pulchritudine quin etiam admirabili cunctas illius tempeſtatis fœminas anteibat &c.* Subſcribit Petrus de Natalibus in catalogo his verbis: *Vndecim mille virgines cum ſocijs earũ apud Coloniam paſſæ ſunt ſub Hunnorum Principe Iuliano, quarum omniũ principalior auctrix & ſignifera fuit Beata Vrſula. Hæc filia vnica Regis Scotiæ Chriſt. nomine Mauri ſapiẽtiâ mirabili & pulchritudine inſigni pollebat &c.*

Idem habet Iacobus de Voragine in hiſtoria Lumbardica in Legendis Sanctorum. Eadem enim verba habet quæ Petrus de Natalibus, niſi quod dicat Regem Scotiæ ſanctæ Vrſulæ Patrem, Maurum vel Nothum appellatum fuiſſe. Idem denique (vt alios omittam) habent ex noſtris Dempſterus in dedicatoria epiſtola Diſſertationis de patria ſancti Bonifacij, Grynæus, Anderſonus, & alij. Hic vnum aduerte multa fabuloſa inſerta eſſe ferè omnibus vitis harum ſanctarum Virginum, quæ propterea habita ratione temporum, &c. rejicienda ſunt. Quod attinet ad patrem ſanctæ Vrſulæ variant authores, vt ex dictis conſtat: Alij Nothum, alij Maurum vocant. Sed in hac re decipiuntur niſi nomina hæc ab externis olim impoſita ſint (quod ego vehementer ſuſpicor) ad aliud nomen Scoticum Patris ſignificandum, vt in ſimili factum fuiſſe infra oſtendemus quando de ſancti Liuini patria diſputabimus. *Iacobus de Voragine.*

HOc eodem die ſancta Benedicta Virgo. Vide Sinclarum, hiſtoriam Vrſulanam, & alios. *Sinclarus.*

22. die SAnctus Kieranus. De eo vide vitam ſancti Patricij per Ioſinum cap. 113 & alios.

23. die SAncta Gotha. De ea Martyrologium Petri Caniſij, & alios.

24. die SAncta Maxentia Virgo & Martyr, Mordaci Scotorum Regis filia. Spreto coniugio Regali quod ſeſe per id tempus offerebat, in Galliam aufugit, vno famulo, cui nomen Barbenſius ſiue Brabantius, & vna famula, cui nomen Roſebia, comitantibus. Venit igitur ad Oſarim fluuium (quem ſicco pede cum comitibus tranſiſſe fertur) vbi erecto tuguriolo tenellum corpus ſpiritui ſubdere, ſuperna cogitare, ac ſeſe ſæpius in conſpectu Dei ſeriò introſpicere, omnes poſtremò perfectæ virtutis numeros implere ſatagebat. Porrò poſtquam ſanctiſſima virgo annos aliquot in cœleſti vita tranſegiſſet, accidit vt Saracenorum quidam Princeps (horum quippè infinita propemodum multitudo ex Hiſpanis in Gallias ſub Carolo Martello circiter annum Chriſti 736. tranſierant) Maxentiam ob formæ elegantiam in ſponſam ſibi peteret. Illa ſanctioris propoſiti memor dum Tyrannum vim ſibi inferre molientem acriùs increparet, vita ab eodem priuatur, duplicatoque Martyrij & virginitatis diademate in cœlum tranſmittitur. Cumque cœleſtis ille ſponſus innumeris ornaret Maxentiam poſt mortem miraculis, Syluanectenſis Epiſcopus ſacras Martyris reliquias in Capſam reponendas curauit. Vide Hunterum de fœminis ſanctis Scotiæ, Regium in Calendario, & alios. *Hunterus.*

25. die SAnctus Hiluuatis comes ſanctæ Oddæ Regis Scotiæ filiæ. Vide Petrum Tauſianum, vitam ſanctæ Oddæ & alios.

26. die SAnctus Harruchus. Vide de eo Gaſpar. Bruſch. in catalogo, Crantzium lib. 3. metrop. cap. 21. Vvionem lib 2. cap. 55.

27.die SAnctus Guindibertus. Vide Tabulas Rhemenſes, collectionem exemplorum in bibliotheca Ducis Vrbinalis Piſaurana, & alios.

Surius. 27.die. SAnctus Faro Epiſcopus Meldenſis, frater ſancti Chilleni. Vide Surium tomo 5. pag. 344. Dempſterum & alios.

28.die. SAnctus Gunibaldus frater ſancti Guinifortis. Vide Mombritium tomo 4. Tabulas Cornenſes, Ferrarium Alexandrinum.

29.die. SAnctus Brabantius Confeſſor famulus ſanctæ Maxentiæ. Vita illius & alij.

HOc eodem die ſanctus Gunifortis. Vide Tabulas Ticinenſes, Iacobum Guallam I.C. in Sanctuario Papiæ & alios.

HOc eodem die ſanctus Guallaferus. De eo vide vitam ſancti Rumoldi & alios.

Tritemius. HOc eodem etiam die ſanctus Albuinus Monachus Huenſis, Apoſtolus Thuringorum, Epiſcopus Friſlariæ, De eo Vvion lib. 2. cap. 42. Tritemius lib. 4. virorum illuſtrium.

Cratepol. HOc eodem denique die ſanctus Vvendelinus Mordaci ſexageſimi Scotorum Regis filius. Vide Cratepolium pag. 145. *Ex Scotia* (inquit) *ac genere præclaro natus.* Vvionem lib. 4. cap. 24. *Scotiæ Regis filius.* & lib. 3. pag. 346. *Qui cum eſſet Regis Scotorum filius, oraculum vitæ Anachoreticæ.*

Vvendelinus erat Scotorum ſanguine Regum.

NOVEMBER.

1.die SANCTA BEIA Virgo & Abbatiſſa, Magno fuit in honore apud Doualdum Scotorum Regem huius nominis ſextum. De ea Regius in Calendario & alij.

HOc eodem etiam die ſanctus Duffus Scotorum Rex, qui & diuini honoris propagandi, & iuſtitiæ in ſuis regendis ſequendæ rationes omnes inierat: quo factum eſt vt Scotorum regnum Danorum infidelium bello recens attritum ſub Duffo florere cœperit. Qui quod iuſtitiæ ſeruandæ in omnes promiſcuè tenaciſſimus fuerit, à nefarijs quibuſdam Danorum infidelium (vt putant aliqui) dolo qui etiam prædeceſſori Indulpho Regi pro Catholica religione & patriæ libertate dimicanti vulnus lethale inflixerant, occiſus eſt. Quod in Regem pium facinus diuino numini adeò diſplicuit, vt ſex continuò menſes nec Sol interdiu ſuis radijs, nec luna noctu ſuo lumine Scoticas oras illuſtrarint, nec caligo hæc priùs à Deo ſemota eſt, quàm corpus demortui Regis) quod à ſiccariis illis ad duo à Forenſi ciuitate in Morauia paſſuum millia in ſcrobem coniectum) inuentum fuit, nec inuentio triplici miraculo caruit. Primò quidem CORPVS IPSVM poſt ſex menſes ex omni parte integrum re-

pertum eſt, ita vt nec vermis carnem exederit, nec tempus formam deleuerit, nec locus colorem infuſcarit, illaque primùm dies denſiſſimas nubes, quibus cœlum fuit obductum, diſpulit, Solemque reduxit. Præterea CAMPI E PROXIMA VICINIA corporique abſcondito adiacentes præter temporis naturam (menſe quidē Nouembri frigus eſt intenſum in illis partibus) maxima florum varietate fuerunt diſtincti, vnde in tanti miraculi perennē memoriam in eodem loco celebris Abbatia Ciſtercienſis nunc familiæ extructa fuit, quæ in hunc diem Kilflos ſeu Killos, id eſt, tempus florum, aut locus ſacer floribus vocatur ab omnibus, quæ etiam poſteà à Dauide Rege reditibus aucta fuit, laxiorque effecta. Sunt qui ſcribant auerſo amnis curſu, qui Killos alluit, in ſcrobem quidem corpus coniectum, deinde reuocato in ſuum alueum fluuio, ſcrobem terra & aquis tectam fuiſſe, campoſque fluuiolo adjacentes magna florum varietate & multitudine obſtupeſcentibus omnibus ornatos fuiſſe, vt eſt quadruplex iſtud miraculum ſatis fidem facit Duffum Regem in ſanctitate & iuſtitia ſeruiſſe Domino omnibus diebus vitæ ſuæ, & in Cœleſtium quidem album coaptatum, licet ab Eccleſia (quod ſciam, ſolemni ritu Sanctis non ſit annumeratus. Regnauit Duffus annos quatuor, menſeſque ſex, Chriſti anno 972. occiſus fuit. Addit Boëtius de cœnobij illius ſplendore. *Eſt* (inquit) *in Kiſlos nunc cænobium cum auguſtiſſimo templo Diuæ Virgini ſacro, ædibuſque magnificæ extructuræ piorum cœtu Ciſtercienſis inſtituti inſigne, nulli in Albione religionis obſeruantiâ ſecundum.*

IN PIAM DVFFI REGIS MEMORIAM,

LYRICVM CARMEN, DE KILFLORE,

ODE.

EXCEDIT *altis Nobilitas focis*
Regem requirens, imperij facem,
Cæcis inextinctam procellis
In viduo larium theatro.
In purpuratis veſtibus occidit
Duffus, malorum perdidit heu manus
Splendore Regali cruenta
Nobilibus Scotiæ Theatrum.
Phœbæa lampas, Duffus vbi iacet
Aulæ miniſtros Principi *edoce*

Vallis pererrantes cubile
Multiplicíſque iugi cacumen.
Cælum coruſcos ſiſte facum globos
Regis ſepulchrum lumine in aureo
Oſtende ſplendenti maniplo
Magnanimæ populi iuuentæ.
Implorat ordo (ſtella) tuam fidem
Telluris altæ qua tegitur Ducis
Corpus, coruſcanti reſigna
Lumine purpureum decorem.
Moles aquarum, Duffus vbi latet
Heros, figura marmoreo in ſinu
Quid mobili pergis receſſu
Symbola nulla ferens Monarchæ
Quid terra Regem condis honoribus
Claratatantis cur gremio foues
In lucis auratæ coronam
Virgineum thalamum remitte.
Aſtate ciues, Diuus adeſt locus,
Luſtrate ciues, omen amabile,
Vernantis in regno Fauoni
Conijcio per aperta campi.
Gemmante prato floridior locus,
Stellante cælo fulgidior locus,
Flores coronatim pererrant.
O tumulum cumulum roſarum
Albeſcit oræ, liligeræ comis
Flaueſcit armis Ambroſij croci
Stellæ hortulorum peruagantur,
O tumulum cumulum pudoris!
Princeps Scotorum ſiſtitur in roſis,
Duffi ſepulchrum cum violis iacet,
Florentior ditat Senatus.
O tumulum cumulum bonorum
Brumale regnum ne tumuli thoro
Latos honores inuideas roſa,
Ne liliorum argenteatas
Regis opes fugias ab oris.
Saluete flores in tumulo ſati,
Diuos odores fundite, fundite,
Bellate cancrorum minaces
Frigoris in ſolio labores.
Diuina poſthac floribus affluens
Dicere ſedes, nomine floreo

Kiſſos, volabis, conſecranda
Aula Deo precibus verendo.

2.die SAncta Maura Virgo miraculis celebris à qua locus ille Kilmaure dictus in prouincia Cuninghamiæ indigitatur. De ea vide Regium in Calendario & alios. *Regius.*

3. die SAnctus Gobbanus. Vide tabulas Peronenſes & alios,

4.die Sanctus Vulganus Epiſcopus & confeſſor. Quieſcit in Artheſia in oppido Lenenſi. Vide Gazetum in hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij, qui ait illum in Anglia plurimos Danos ad fidem conuertiſſe, admonitumque deinde ab Angelo Tetouanam veniſſe, ibique per loca vicina Chriſtum prædicaſſe, & tandem Atrebatum veniſſe, & diù in paruo loco propè monaſterium Vedaſtinum vixiſſe & miracula plurima perpetraſſe. Vide etiam Chronicum Cameracenſe, & Molanum in indiculo. *Gazetus.* *Chronicum Cameracenſe.*

HOc eodem die Sanctus Dorauus Epiſcopus. De eo breuiarium Scoticum, & alij.

5. die. SAnctus Englatius Epiſcopus & Confeſſor. Magna fuit in Strathbogia opinione ſanctitatis & miraculorum gloria celebris. Vide de ipſo Leſlæum lib. 5. hiſtoriæ, breuiarium Aberdonenſe, Regium in Calendario, Boëtium lib. 11. hiſtoriæ. *Breuiariū Scoticum.*

HOc eodem die ſanctus Gillus vel Gillo ſancti Guthagonij Regis filij famulus. Dempſterus, vita, & alij.

6.die SAnctus Vinocus Abbas. Vide Ionam in vitâ ſancti Columbani, vitam ſancti Rumoldi per Theodoricum Abbatem, Anonymum ſcriptorem vitæ ipſius apud Surium tomo 6. qui Britannum appellat Annales Scoticos, &c. *Surius.*

HOc eodem die ſanctus Vvillibrordus Epiſcopus Traiectenſis. Hic ſanctus, cuius nomen Scoticè ſonat bene natus, Vilbrod, anno ætatis ſuæ 33. Presbyter exiſtens cum vndecim aliis actione & eruditione præclaris, ad Paganorum Friſonum Saxonum conuerſionem deſtinatur à Reuerendiſſimo Egberto. Vnde hi duodecim Dominici gregis arietes accepta benedictione tam eximij ſacerdotis proſpero vento celeriter Vvniſſenburg ſiue Traiectum aduehuntur anno Domini 690. Vvillibrordus Pipinum Regem adiit, à quo miſſus eſt ad ſanctum Sergium Papam, qui eum in natali & & baſilicâ ſanctæ Cæciliæ anno 696. ordinauit Archiepiſcopum Friſonum: hoc eſt eorum qui dicuntur hodie Friſij, Grouingenſes, Tranſiſelani, Traiectenſes, Holandi, Zelandi, Geldri, &c. Porrò dictus Hollandiæ & Friſiæ Apoſtolus. Etiam in Lotharingiâ multos conuertit, &c. Eccleſiam beatæ Mariæ ad Martyres Treuiris conuertit in monaſterium ordinis ſancti Benedicti, in quo altare portatile aſſeruatur, quo vſus eſt in Gentium conuerſione per Friſiam, Hollandiam, & Zelandiam. Obijt anno 736. Fuiſſe familiarem Egberto ſancto in Scotia certum eſt, & ab eodem variis virtuti-

bus iam ornatum, miſſum ad prædicandum Gentibus Euangelium.

7.die SAnctus Florentius Epiſcopus Argentinenſis & Confeſſor, de quo Surius ad 7.Nouembris, qui habet illum ex Scotia cum beatis Arbogaſto, Theodato, & Hildulpho veniſſe. Vide ipſius vitam apud Surium & apud Lippeloo. Vide præterea Vvionem lib. 3. ligni vitæ, Leſlæum lib. 4. Munſterum lib 3. Coſmographiæ, Molanum in additionibus, Volfangum lib. 8. de Sueuis, Pantaleonem parte 1. proſopographiæ, Democharem & alios.

Surius. *Pantaleon.*

8.die SAnctus Morocus Abbas antiquiſſimi illius apud Scotos monaſterij cui Dunkel ſiue Duncalidonia nomen. De eo vide Regium in Calendario & alios.

HOc eodem die mortuus fertur Ioannes Duns patria Scotus, vnde & a Theologis communiter Scotus à patria nominatur. Natus eſt hic Dei famulus in ea Scotiæ prouincia, cui Merchia nomen, in oppidulo *Duns* nomine. Nec procul ab oppido habitat Dunſianæ familiæ antiquiſſimæ, ex qua Dunſius noſter originem traxit. Princeps (Scoti *Baronem* vocant) adoleſcentiæ ſtudiis in Scotia peractis duo Patres ordinis ſancti Franciſci ipſius viuacitatem & ſtupendum acumen ætate iam teneris deprehendentes Dumfriſium Dunſio ſecum adduxerunt, & attonſum Seraphico ordini inſeruerunt, vt narrat *Brunus* in collectaneis. Quo tempore Eduardus primus Angliæ Rex, cui à longis tibijs cognomentum, electus inter Bruſium & Baliolum de Sceptro contendentes arbiter, tyrannicè & impiè contra Bonifacij Octaui ſummi Pontificis mandatum libertatem tot retrò ſæculis inuiolatam auſus eſt attentare. Quod vt faciliùs exequeretur, optimates regni vel pretio pellexit, vel carcere maceratos compulit, vel bonis mulctatos relegauit, vel morte ipſa aduerſantes ſibi ſuſtulit, & ne præpoſteri ad populum vindices eſſent eruditos quoſque in Angliam traduxit, & in his duodecim monachos, è quorum numero qui Scotum poſuerunt, rectè ſentiunt: Annales noſtrates omnes, Iacobus Ballandenus in ſupplemento hiſtoriæ. Hi igitur vt mitiùs patriâ carerent iure Anglicano donati fuere, vt in vita Stephani Bruni Anglorum illuſtriorum ſcriptor author eſt. Tenerrimo ferebatur Scotus affectu in ſanctiſſimam Dei matrem, eiuſque conceptionis immaculatæ fuit defenſor acerrimus: cúmque Pariſiis diſputaturus eſſet in quemdam qui beatæ virginis integritati aduerſabatur, pertranſiens beatæ Virginis imaginem flexo poplite eamdem Beatam in hæc verba orauit, *Dignare me laudare te virgo ſacrata, da mihi virtutem contra hoſtes tuos.* Eius autem petitioni annuere viſa eſt ipſa Virgo, & etiamnum videri licet in imagine, inclinato ſcilicet aliquantulum capite; nec in vanum ſiquidem glorioſam reportauit Scotus victoriam. Quando iter faciebat quoties pertingere ad ordinis ſui domum aliquam aut

Brunus. *Ballanden.*

cœnobium non poterat, toties tenue aliquod ſuſtentandæ vitæ ſolatium & hoſpitium emendicabat. *Quoties commentationibus ac lucubrationibus ſuis, finem ac coronidem imponebat pietatis pleniſſimo ſermone* (inquit Vernulæus in Oratione habita in Scoti laudes) *gratiarum actionem ſapientiæ authori Deo perſoluebat. Ita nihil moliebatur Scotus ſine Deo; imò cum nihil moliebatur ſine Deo, non erat, pura illa mens à cœlo nata ita aliquando abripiebatur vt ſine ſenſu, ſine vitâ corpus eſſe videretur. Iudicabant homines iam inter homines eum eſſe deſiiſſe, in cuius corpore otioſi ſenſus, motus nullus, nullum vitæ indicium apparebat, nec hora vna aut breuiſſimo temporis interuallo, ſed longiſſimo. Tunc nimirùm mens per contemplationem ſurſum euecta in diuina illa penetralia ſeſe inſinuabat: Tunc cœleſtium myſteriorum arcana curioſo quodam & pio affectu perſcrutabatur: Tunc ad veritatis ipſius fores conſiſtens fulgentiſſimis eius radiis illuſtrabatur: Tunc ea perdiſcebat quæ quando fœlici calamo conſignauit, & docta in ſcholis voce publicauit, hauſiſſe eum è cœlo nemo non affirmabat.*

Cum vice quadam, eâ nocte, quæ natalis Chriſto fuit diuinum illud admirandæ incarnationis myſterium attonita & amore pleniſſimo mente contemplaretur (inquit idem Vernulæus) benigniſſimus illi Ieſus apparuit, eius brachiis dulciſſimum onus incubuit, in eius collum iterum atque iterum repetitis amplexibus inſiluit, eius animum ſuauiſſimis vocibus ſolatus eſt, & recreauit? Nihil hic me fingere quiſquam arbitretur. Teſtis eſt Marcus Oliſiponenſis, teſtis eſt Nicolaus Vernulæus & alij, quorum omnium fidem ſæculorum aſſentientium conſenſus approbauit. Et verò dubitare de eius ſanctitate quiſquam poſſet, quem magno aliquando deſiderio ipſe Deus inuiſit? cui ſe geſtandum puerili ſpecie exhibuit? Non; non amplectitur tam ſuauibus oſculis quemquam Deus niſi cuius animum Angelica puritas & cæleſtes virtutum radij illuſtrant. Non; non tam blandè, non tam amicè, non tam beneuolè ſolatur quenquam Deus, niſi cuius vita nullas ab hac rerum terrenarum fæce ſordes contraxit. Denique *fuerunt in eo*, (inquit Poſſeuinus) *Eximia modeſtia, charitas, animi integritas. Magna obedientia* Propenſio, (inquit Vorilon) *ſtudioſa cæleſtium ſcripturarum eruditio*, (inquit Tritemius.) Docuit Scotus primùm Oxoniæ, deinde Pariſiis, denique Coloniæ, vbi & ſanctè mortuus eſt, & maxima pompa ac ſumma ſolemnitate ſepultus eſt, teſte R. P. Iacobo Fodero in hiſt. prouinciæ S. Bonauenturæ Ord. S. Franciſci. Philippo à Soſa, qui ait illum eſſe *morte venerabilem*. De illo ſic canit Henricus Suinton Noſtras

Pingere vis Scotum, Sophiam depinge: Sophiam
Pingere vis, Scotum pinge; Sophia Scotus.

Ex quibus omnibus facilè refellitur inſolens illud quorumdã commentum, viuum nempè ſepultum fuiſſe illum, & in ſepulchro brachij partem comediſſe repertum. Coloniæ ergo ſanctè mortuus eſt, vbi & eius Epitaphium in Eccleſia Franciſcanorum in hæc verba cernere eſt.

Ante oculos ſaxum doctorem deprimit ingens
Cuius ad interitum ſacra Minerua genuit.
Siſte gradum, Lector, fuluo dabis oſcula ſaxo.
Corpus Ioannis hac tegit vrna Scoti.
Anno Milleno ter centum cùm adderet octo
Poſtremum clauſit letho agitante diem.

De eius patria nonnulli recentiores mouerunt litem quibuſdam contendentibus ipſum Hybernum Irlandum, aliis Anglum. Verùm extra controuerſiam eſt tam Anglos quàm Hybernos hac in re cœcutire: nam in primis Scôtum eſſe conuincit concordia ſumma ſcriptorum. Inter hos ſunt Iacobus Brullius Benedictinus Diui Germani in pratis ſub muris Lutetiæ Monachus antiquitatibus Pariſienſibus lib.2.pag.624. *Ex hoc Monaſterio* (Franciſcanorum ſcilicet) *plurimi ſanctitate & doctrinâ pollentes prodierunt, in his Nicolaus Liranus Bibliorum Gloſſographus, & quidam cognomento à patriâ ſuâ ſumpto Scotus vocatus, & Doctor ſubtilis, cuius memoria nunquam eſt peritura præſertim inter Scholaſticæ ſapientiæ profeſſores ob eruditionem, quam ſcriptis ſuis inſeruit Hæreticorum impietati retundendæ opportunam.* Guillelmus Eiſegrenius, Spirenſis in catalogo teſtium veritatis, *Ioannes Dunſo natione Scotus, quem multi Doctorem ſubtiliſſimum vocant.* Ioannes Rohennius Rothomagenſis Collegij Theſaurarij Lutetiæ præfectus culta illa oratione de laudibus Sorbonæ. *Habet etiam* (inquit) *glorioſa iſta facultas Ioannem Dunſium natione Scotum, Franciſcani inſtituti ſocium, quem antiquorum optimis componat Galliæ, Scotiæque ornatum, Philoſophicis & Theologicis ſtudiis clariſſimum, & nunquam obumbrandum ſplendorem.* Guillelmus Vorillon acerrimus doctrinæ Scoticæ aſſertor, & ſubtilitatis imitator commentario ad ſententias hac vtitur apoſtrophe. *Te primitus Scotia genuit, Anglia poſtmodum docuit, vbi primo legiſti,* paucis interiectis, *O germen ergo Scotiæ!* Hic tantus vir qui Pariſiis Romam euocatus, vt controuerſiam præſente Pio II. terminaret, quique ſe tantoperè nomini, & honori Scoti addictũ profitetur, non potuit patriã ignoraſſe. Saluator Bartoluccius Aſſiſias in vita Scoti præfixa quæſtionibus quatuor voluminum ſcripti Oxouinſis, *Ioannes Duns ordinis Minorum natus in vlteriore Britanniâ ad Calydoniam ſyluam;* *Hunc à patriâ Scoti nomen in ſcholis.* Petrus Cratepolius Colonienſis cœnobij regens, qui tantũ adlaborauit vt dignitati ſuæ Scotũ reſtitueret forrè in patriâ labi potuit. Is ergo in opere de Sanctis Germaniæ ſic ſcribit. *Ioannes Duns natione Scotus ordinis S. Franciſci, vir eruditiſſimus in diuinis litteris, & Philoſophus doctiſſimus, acutiſſimi ingenij, & adeò profundus, vt à paucis ſcripta ſint penetrabilia.* Mathæus Ferchino Veglenſis amœniſſimi ingenij ordinis ſui inueſtigator, & grauis Theologus ſuprà laudatus arguta ſua apologiâ contra Scotomaſtyges. *Primum de Dunſi patriâ, deinde an fertilitate atque culturâ ingeniorum polleat, videtur eſſe dicendum, Ego Scotum Scotiæ negare non auſim.* Ioannes Stomellius

oratione publicè habitâ, poſtea excuſâ. *Scotia miraculorum ferax, & ſanctiſsima regio Ioannem Dunſium noſtrum produxit, vnde illi cognomentum.* Petrus Rodulphus Toſſinianenſis in hiſtoria religionis Seraphicæ. *Ioannes Dunſius natione Scotus natus in vlteriore Britanniâ ad Calydoniam ſyluam.* Ludouicus de Manganellis Apolla Hiſpanus lib. 1. ſententiarum. *Ioannes Duns, cui poſtea ex ſumma acrimoniâ ingenij Doctoris ſubtilis fuit cognomen, natione Scotum in vlteriore Britannia ad Calydoniam ſyluam natum eſſe tradunt.* Non poſſum præterire Paulinum Sueuinū ſcriptorem iudicio doctorum probilocum: is in commentariis quibus librum 1. ſententiar. Scoti explicat, ſic loquitur, *Inter quos, ſalua pace omnium, vnum alijs pluribus præſtantiorem Ioannem Duns natione Scotum intueor, qui prædicta omnia tam clarè, tam luculenter, tam ſubtiliter enodauit, vt meritò omnibus admirandus, omnibus adamandus, & omnibus ſit ſtudio & charitate amplectendus.* Sed inſolubile illud argumentum eſt quod ex vero & antiquiſſimo illo Epitaphio educitur, quod adducunt Reuerendiſſ. Gonzaga Miniſter Generalis ord. & Petrus Cratepolius Hymniſta.

Scotia me genuit,
Anglia me ſuſcepit,
Gallia me docuit,
Colonia me nunc tenet,

Ad D. Annunciatam Bononiæ foribus ſcholarum Scoti patres illi præfigendum curarunt hoc cultum elogium.

Scotia habet cunas, famam orbis, funera Rhenus.
Cælum animam, Hic magni ſpirat imago viri

Ioannes Tritemius libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Ioannes Duns natione Scotus* Pariſiis ſtuduit. Antonius Poſſeuinus grauis & magnus ſcriptor in apparatu ſuo ſacro, *Ioannes cognomento Duns natus in vlteriore Britanniâ ad Calydoniam ſyluam a patriâ Scoti nomen in ſcholis obtinuit.* Iacobus Foderus Franciſcanus in hiſtoriâ prouinciæ ſancti Bonauenturæ Ordinis ſancti Franciſci pag. 126. *Anno 1300. floruit Pariſiis magnus, doctiſsimus & excellentiſsimus vir, Frater Ioannes Duns natione Scotus, & propterea communiter dictus F. Ioannes Scotus, qui ob profundam doctrinam Doctoris ſubtilis nomen meritus eſt.* Ioannes Auentinus Annal. Boiariorum opere. *Duo peripateticorum Ariſtotelicorum genera eſſe ceperunt, vnum illud vetus in rebus procreandis, quod ſcientiam rerum ſibi vendicat, quamobrem reales nominantur: Nouum quod eam diſtrahit, Nominales ideò dicti, quod auari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur eſſe aſſertores. In hiſce duobus generibus diſsidium & bellum ciuile eſt, illius Thomas Aquinas Italus, & Ioannes Duns Scotus huius Vuilhelmus Occamenſis Anglus anteſignani.* Secundò Scotum eſſe ex Scotiâ noſtra demonſtrat locus natalium: fuit enim locus natalium ipſius Duns oppidum Marchiæ haud ignobile. Dicant qui contra ſentiunt, an Duns oppidum in Anglia, aut Irlandia vllum? non opinor dicent, cùm nullum tale extet. Tertiò & euidenter, nam An-

Tritemius.

tonius Andræas Aragonius doctor dulcifluus, vulgò dictus ſui inſtitutoris Symmiſta obſeruantiſſimus & diſcipulus longè amantiſſimus, quique duodecim tantùm annis poſt eum defunctus proditur, ſic habet in commentariis in duodecimum Metaphyſicæ in fine, *Tam ſentiendo, quàm notando locutus ſum doctrinam illius ſubtiliſſimi & excellentiſſimi Doctoris, cuius fama & memoria in benedictione eſt, quippe ſua ſacra & profunda doctrina totum orbem adimpleuit, & facit reſonare ſcilicet Magiſter Ioannes Duns, qui fuit natione Scotus, religione minor.* Ex quo loco habeo à Scoti diſcipulo fuiſſe Scotum ex Scotia oriundum videamus iam quænam fuerit Scoti æuo Scotia: Ipſemet ſit iudex, in ſecundo enim ſententiarum diſtinctione 14. quæſtione 3. agens de cauſa tardioris & celerioris fluxus maris ita loquitur, *Maria quantò propinquiora ſunt Oceano, tantò citius fluunt, ſicut mare Septentrionale, præcipuè mare inter Noruegiam & Scotiam & inter Hiberniam & Hiſpaniam: maria autem diſtantia tardius.* Ex quo loco habes Scoti temporibus diſtingui Hiberniam Irlandicam à Scotia, & Scotiam illam eſſe quæ hodie Britanniæ eſt pars inter quam & Noruegiam mare intercedit, & conſequenter Scotum ex noſtra Scotiâ eſſe; Hiberniam verò eſſe illam intet quam & Hiſpaniam aliud intercedit mare.

Aduerſa cum Dempſtero diluo, & primùm ab Anglorum rationibus ordior. Primùm in Angliâ ſcripſit, & opus ſuum inſcripſit, *Scriptum Oxonienſe.*

Secundò Scotus non à patriâ, ſed ab obſcuritate nominatus.

Tertiò ſocius fuit Collegij Mertonenſis Oxoniæ.

Quartò illuſtriſſimus Robertus S. R. E. Cardinalis Bellarminus id diſertè aſſeruit, quæ quàm ſint ridicula ordine apeiiam.

Primò, ſi ſubtili Doctori cognomentum fuit Scotus non à patriâ, ſed ab obſcuritate ediſcant linguæ Græcæ imperitiſſimi, cur Scotus verius quàm Scotinus vocatus? Certè enim Scotos tenebræ ſunt, non tenebricoſus Scotinos appellatum eſt apud Grammaticos, vnde inter Philoſophiæ vetuſtioris myſtas hoc nomine notatus Heraclitus apud L. Anneum Senecam & alios. Nec parum iniurius genti noſtræ Sixtus Senenſis, vt omittam ſummam in Scoto lucem & diſſerendi facilitatem eſſe, quam tot egregij ſcriptores tam anxiè extulerint, & ſolis iis obſcurus eſt qui hæc adyta irrumpere non meruerunt.

Secundò, tam exigui momenti eſt hoc argumentum Scotum eſſe Anglum, quia in Angliâ ſcripſerit, vt refutatione non egeat. Sic enim & Diuus Auguſtinus Thuſcus eſſet, quia libros de ciuitate Dei propè Piſas in rupe cauâ in montibus Diui Iuliani vulgauerit, & libros de Trinitate ad ciuitatem, barbarè veterem, olim portum Traiani ediderit. Sic Raimundus Lullius Piſanus foret, quia artem magnam ibi loci elucubrauit, & beatus Bernardus Scotus Patriarcha, Antiochenus haberetur, quia res in Oriente à Ducibus Chriſtianis glorio-

sè geſtas ibidem emiſit, & ſanctus Donatus Scotus Feſulatum Antiſtes Feſulanus, & ſanctus Columbanus Scotus Bobij conditor Inſuper diceretur, quia opera ibi locorum ſcripſerunt. Deinde quis iuratus teſtis Scotus perſuadebit titulum illum aliena manu poſt authoris exceſſum, non additum? rarò enim authores ipſi nomina ſua, multò minus loca, operibus præfixerunt: hoc præſtabant operæ librarij, & ſcriptores, qui literas minio notabant, & cornua addebant, vmbilicis decorabant, pumice perpoliebant, nonne Angli inepti haberentur, & à doctis explodendi ſi ſic nos docerent, ſanctus Auguſtinus Italus, Benedictinus Angliæ Apoſtolus, & Iacobus Scotiæ Rex captiuus in Angliâ ſcripſerunt, ergo ſunt Angli? Denique Scotus hac ratione Gallis aſſeretur, nam poſtremis in Magiſtrum ſententiarum curis hic titulus in antiquiſſimis codicibus præfigitur, *In Magiſtrum ſententiarum reportationes Pariſienſes.* Si modeſtè & Chriſtianè Angli nobiſcum agere vellent, ſic gloriarentur. Ioannes Duns natione Scotus diu diſcendo, docendo, ſcribendo Oxoniam noſtram illuſtrauit: quo nomine & ipſius memoriam cum laude proſequimur, & Scotiæ Doctorum, ſanctorumque virorum parenti & altrici gratias agimus.

Tertiò Mertonenſis Collegij ſocium fuiſſe, nec Angli niſi ex membranis ſuis M.SS. nos docent, nec ille ipſe, nec quiſquam alius coæuus aſſeruit, poſſet ergo fides non viſorum monimentorum iure negari, refellique. Sed demus ſponte iis, quod probare idoneis teſtibus haud quaquam poſſunt: videamus deinde an & Scotus quiſpiam gente ei collegio adſcribi potuerit, aut ſocius haberi. Ante omnia ego aio monaſticæ profeſſionis homines, & religioſarum familiarum alumnos nullius Academiæ legibus teneri, cùm ipſi nec ſæculares nec Clerici reputentur, ſed Monachi, qui à Clero ſecernuntur ex iure ciuili & Synodo Chalcedonenſi, ſed & ſub annum DCCCLXXVII. in Synodo Ticinenſi apud Aimonis continuatorem, mirum non eſt ſi alia & Clericis priuilegia, aliiſque ac longè diuerſis ab illis ſtatutis obligentur & viuant. Lex itaque, vt falsò cauſantur Angli, Academię Oxonienſis eſt, ne quis Exotici ſanguinis admittatur, quę ad ſæcularis aut Clericalis conditionis viros ſe extendit, Monachos non obligat, qui præſcripto, ſacroque ſuperiorum mandato obtemperantes profiteri vbique poſſunt legibus non violatis. Sic Bononiæ ius Academiarum omnium matris eſt, idem cum fictitiâ illa Oxonienſis Academiæ inſtitutione, ne quis peregrinus publicè, niſi eminenti loco profiteatur, & tamen V.C.L.D.N. Hieronymum Onuphriſium ſancti Hieronymi ſocium, ordinis viſitatorem, ſanctæ Theologiæ profeſſorem, licet Romanum gente ſuſtinent leges Bononienſes, frequentant cum fructu auditores numeroſi, & ſimilia vbique regnorum, gentiumque exempla. Deinde vt ſupra à nobis memoratum eſt Eduardus Rex Angliæ doctiſſimos Scotorum

in Angliam tranſtulit & in iis Scotum quibus vt patriæ deſiderium lenirent ius idem quod Anglis naturalibus conceſſit.

Quartò Ficta planè & maleuolè ab Anglis huiuſmodi decreta ſuppoſita, neque nuper cum Bancanqual & Ranſæus alij Scoti Rege iubente in Academias Anglicanas contranitentibus pro virili Anglis, & ſe talibus defendentibus, etiam ſcripto exceptionibus quidpiam huius generis oſtendere potuerunt, argumento liquido inuidioſum hoc eſſe commentum, & humanæ ſocietati, commercioque literario inimicum, cùm florentior ſit Academia aduenarum concurſu, eaque de causâ Roma exerto vbere, brachijſq; expanſis omnes ad ſe gentes aduocatura depingebatur, vt ex L. Aurelio Symmacho V. I. repetit M. Caſſiodorus Senator, nec aliud auguſtiorem æternæ illius vrbis maieſtatem notat quàm quia communis toti mundo patria eſt, vt à Iuriſconſultis obſeruatum memini. Eſſet ergo Anglis honoratius ingenuè quod rerum eſt vltro profiteri, peregrinis in Academijs ſuis locum eſſe quàm inficiari.

Quintò Ælfredus Rex Oxoniæ fundator, tanta tunc barbarie regnum illud occuparat, vt ciuem ſuum magiſtrum ſibi futurum non inueniret. Verba ſunt Aſſeris Meneuenſis in vitâ Regis illius, & ex eo Samuëlis Purchaſij Angli in peregrinatione illa celebri, licet mihi minus probata: oportuit itaque Regem ex Scotiâ Doctorem petere Ioannem Scotum qui poſtea Sanctorum tabulis adſcriptus ad 10. Nouembris, expunctus eſt albo martyrologij ab illuſtriſſimo Baronio, ſed lumen illi à Principe illo purpurato negatum cœli rependerunt ad tumulum eius iugi fulgore radiantes, vt loquitur Rogerus Houedenus in Annalibus, iſte eſt qui Dioniſij Hierarchiam Latinè tranſtulit, ac poſtea fundauit ſcholam Oxonienſem, & in cœnobio Malinesburienſi graphijs diſcipulorum confoſſus in cœlum martyr euolauit. Hoc ipſi Angli, & qui omnium vltimus ſcripſit Guillelmus Cambdenus, admittunt: aut ergo inane eſt quo ſe tuentur Angli aut magiſtris ſuis Scotis ingratiſſimi hominum ſunt Scotos literarum communione arcere, à quibus literas ipſi hauſiſſent.

Samuel. Purchaſij.

Sextò, falſum hoc non modo friuolum eſſe priuilegium oſtendam ſiquidem eam Academiam communem toti Inſulæ diu conſtat, & probat decretum ſacroſancti concilij Viennenſis, præſente & ſedente S. D. N. Clemente V. vt ex tomis[c] Conciliorum generalium liquet, & refertur lib. 5. Clementinar titulo vn. de Scol. & Magiſt. quibus profeſſoribus ſcilicet Chaldaicæ, Hebraicæ, & Arabicæ linguarum. *In curia Romana, legentibus per ſedem Apoſtolicam, in ſtudiis verò Pariſienſi, per Regem Franciæ, in Oxonienſi Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Vualliæ: in Bononienſi per Italiæ: in Salmanticenſi, per Hiſpaniæ Prælatos, monaſteria, capitula, conuentus, Collegia exempta & non exempta, & Eccleſiarum rectores in ſtipendijs competentibus, & ſumptibus volumus prouideri, contributionis onera ſingulis iuxta facultatum exigentiam imponendo.*

ponendo. Ius ergo in ea Academia Scotis diſcendi docendique Rege Scotiæ Minerualia conſtituente.

Septimò denique coniectura eſt non leuis Scotos Oxonienſis Academiæ iure gauiſos ex ipſorum virorum illuſtrium numero, Pitheus enim quem dixi, Oxonienſes ſcriptores CCCLXXX. enumerat. Cantabrigenſes verò nonniſi CX. quia quicunque inibi ſtuduiſſent Angli, Scoti, Hiberni, Vualli promiſcuè in Anglorum nomina tranſierunt, cum illi auidè ſibi eos præriperent, noſtri non raperent oſcitantes, famæque ſuæ prodigi. *Pitheus.*

Octauò, quod obiectum illuſtriſſimum Bellarminum Angliæ Scotum donaſſe, vim ſanè apud me & pondus maximum tanti viri & tam bene de Eccleſiâ meriti ſortiretur auctoritas, niſi ipſe ſponte ſuâ antè ſexennium mentem mutaſſet, & in altera eiuſdem operis editione ſic ſimpliciter prodidiſſet *Ioannes Duns Scotus*.

Profligatis Anglis arma victricia in Hibernos Irlandicos verto, à quibus minus timendum quod leuioris momenti ſint ea quibus honori ſuo præpoſtero ſanè ſtudio velitantur: qualia ſunt tamen illa, ſi iuuat, Lector accipe.

Primò, Scotus idem ac Hibernus.

II. Duns idem ac Dunenſis.

III. Dæmoniacus vocauit illum *Ioannem de Duno*.

IV. Anglicus ſcriptor idait.

V Ipſe in Metaph. S. Patricium Apoſtolum gentis ſuæ nominat.

VI Vtitur voce quadam Hibernica in ſcriptis ſuis.

Ego ſine felle, & candidè ago. Et primùm oſtendant Hiberni vllum ſcriptorem qui ante triginta annos id aſſeruerit, & cauſam vincant, vnicus quod ſciam Mauritius à Portâ Hibernus ante annos LXXX. frigidè nec fidenter vt nunc ſæculi id commentus in expoſitione ſuper Vniuerſalia Scoti. *Nomen* (inquit) *authoris ſpirituali regeneratione eſt* Ioannes, *cuius nomen & omen non deſeruit, dicitur verò* Duns *cognomento, vel potius à loco generationis ſic dictus, patria Scotus, ſed vt reor de maiori.* Ecce ille diſertè Duns locum Gentilitium facit, nec audet Irlandum aſſeuerare, ſed cum cautione, *vt reor*. Verùm apud vllum omninò ſcriptorem præter M.SS. ſuorum hominum adhuc viuentium indicent hanc diuiſionem Scotiæ in maiorem & minorem, & ſecundùm eos litem damus. Atque illius quidem gentis illiteratiſſimi ſimul; & doctiores (ſi vnum Fitzimon excipias) fatentur nomen Scotorum quod commune antea Scotis, Irlandiſque fuiſſet poſt exciſum Pictorum regnum, ſolis Scotis vt ipſi ſcurriliter & barbarè loquuntur, Albienſibus aptatum, qui ergo fieri potuit vt Ioannes Duns quingentis totis poſt deletos Pictos annis natus, ſi Hibernus fuiſſet Scoti gentilitium nomen aſſumpſerit. Sed hæc communionis nominis Scotici figmenta planè refutabimus infra.

Secundò, quod Duns contractè Dunenſis ſit, ingenioſa omninò eſt ſapientiæ Irlandicæ occultatio, ô diuitem ſuis arcanis notis

Irlandum! ô ineruditos alios omnes vbique rerum viros qui arguta iſta myſteria non aſſequuntur! ô inferiorem longè hieroglificis ſuis Ægyptum Irlandia! pudeat inſcitiæ ſuæ noſtram ætatem, in quâ nullus Tyro Tullius, Seneca, aut Maro, qui notas iſtas præpetes Irlandiæ immenſitatis cuſtodes explicet: denique ô fatum tuum graue Dunum memoriamque illethabilem! cuius contractionem ipſi illi Myſtæ Scoto coæui intelligere non valuerunt. Dicam vno verbo Duns pro Dunenſi Irlandi obtrudunt, ſed nullus mortalium vnquam credidit.

Tertiò, Sacerdos quidam Dæmoniacus exclamauit victus eximiâ Ioannes Duns ſubtilitate, *Aut Angelus eſt de paradiſo, aut Ioannes de Duno*, ante omnia Scoti omnes quippiam ſimile accidiſſe pernegant, nec Irlandi aliâ id auctoritate probatis quàm quâ reliquas gentis veſtræ antiquitates, hoc eſt fabellis fictis & anilibus traditionibus. Quis rei geſtæ aut conflictus illius cum Dæmoniaco author? Traditio inquies, Irlandica. Sed quis fidem adhibebit? nec Dominicanus ordo ſanctitate florens in ſui præiudicium tantum flagitij admittet vnquam, nec Franciſcani pari merito pollentes cum pietatis iacturâ id aſſerent, nec vllus ſcriptor è tam multis qui res ſæculi illius poſteritati commendauit, nec acta vlla priuata aut publica meminere. Et quâ ratione verò Ioannes Duns Româ Pariſios viginti quatuor horarum ſpatio ferri potuit, vt diſputationi illi intereſſet? quòd tamē hiſtoriç veſtræ apocryphæ caput eſt & pedes, aut illud omnino confirmandum, aut illud negandum. Sed per me verum ſit, nihil moror, quin Dæmoniaci ſint verba illa, ego ſcio cacodęmonem mendaciorum patrem eſſe. Denique Dunenſem eſſe Scotum non ſtatim Irlandum conuincit, ſed Hungarum, Moldauum, aut Bulgarum, nam in Mœſiâ II. oppidum Dunum eſt celeberrimum, vt noſtras ille Scotus ſcribit: licet corruptè Dunum ab altero Scoto vocetur in Itinerario quod falsò Antonini habetur Auguſti: aut certè Ioannes de Duno erit Gallus, eſt enim Dunum in Carnutenſi agro oppidum non ignobile, ſi credimus ſancto Gregorio Turonenſi in hiſtoria patria. Vides lector quàm malè mendacia cohæreant.

Quartò Anglici hiſtorici id firmatur teſtimonio, ſed quis ille? vbi editus? quod nomen authoris? ego vidi hiſtorias Anglorum patrio idiomate ſcriptas ab Hookero, Hariſono, Holinshedo, Stoo, nec *pag.* 457. in ijs ea pagina quippiam, nec toto opere alibi extat quod in Hirlandorum cedat commodum, aut Scotiæ hac ſaltem in re præiudicet. Deinde Anglum ſcriptorem credibile eſt non Irlandiæ Ioannem Duns ſed Angliæ adiudicaſſe, & ſic ego concipio Ioannes Duns Scotus eſt Anglus, ergo non Irlandus. Sed ſi verum fateri volumus, non magis Anglis aut Irlandis in Scotos credendum, quàm Scotis in Anglos & Irlandos ſcribentibus ſine idoneis teſtibus fidendum, & ideo nulla popularium meorum teſtimonia huc aduocanda cenſui, nec Anglorum, Irlandorumq; veteri odio ſuſpectorum hoſtium fi-

dem æſtimo, quoties de gentis meę gloriâ agetur: quare ex ſolemni formulâ pilam nouam ſubfortior, iudices reijcio.

Quintò, ex ipſo Doctore ſubtili, quod deducunt tam verum eſt, vt inde litem addici parati ſimus: ſic nos illi impugnant. *Ipſe Scotus in Metaphyſicâ vtitur exemplu ſanctorum Patricij & Frnciſci illius tanquam protectoru gentis, iſtius religionis ſuæ.* *lib. 7. com. 17.*

Malâ ſide nobis, Dunſio, orbi literatorum imponunt. Primùm, Metaphyſica, quam Scotus ſcripſit, periit, nec vllibi hodie extat, huius collector & author eſt Antonius Andræas Aragonius, vt patet diſertis ipſius verbis, quæ ſupra hic à me poſita repetantur; ſic ergo concludendum foret, *Andræas Aragonius vtitur exemplo ſancti* Patri*cij* (qui eſt protector patriæ ſuæ, hoc eſt enim Irlandicorum gloſſema) *ergo* Patri*cius eſt Aragonius protector.* Iudica mi Lector: deinde etſi ponatur verum eſſe exemplum ab ore Scoti ipſius deſumptum, quod inficias non eo, quid inde probatur? nam Patricius fuit gente Scotus, vt multis iiſque irrefragabilibus authorum teſtimoniis deduxi, & nullus Sanctorum aut plura ant magnificentiora Scotiæ in regno templa Deo ſub inuocatione ipſius dedicata habet, Demum Eccleſia oppidi Marchiæ Scoticè Dunſij diuo Patricio eſt ſacra, vt ex libro notitiarum parrechiarum Scotiæ clarum. *Antonius. Andræas. lib. 12. in fine.*

Argumentum ab ipſo Scoto Irlandi capiunt, qui quartum ſententiarum editionis Venetę quę prodiit ſub annum MCXV. die XXIII. Aprilis ſic vtitur voce *Troanos*, vt appareat inde Hibernum gente eſſe, quia vocem Hibernam vſurpet. Sed ô tuam fidem veritas aurea! ibi loci non *Troanus* ſed *Trutani* legitur, nec facilè antiquior editio reperitur. Deinde qui, ignorat Scotos penè omnes conſueuiſſe linguam Irlandicam loqui quando omnes montana Scotię inhabitantes priſca Scotorum linguâ, quæ verè eſt Irlandiæ loquantur. Denique idem Scotus eodem loco vtitur voce Gallicâ *Regratiers*, inferendum ergo eſt, Scotus eſt Gallus. Imò Nauarrus eſt, quia vocem Cantabricam, idem ipſe alicubi vſurpare voluit, ſcilicet *Truſa* eodem laudato opere in quartum ſententiarum ſed & Italus per me ſit quia voce Italica delectatus videtur eodem ſcripto, videlicet *Briga*. Vnde veriùs argumentari liceat Scotum polyglotton fuiſſe, quod noſtratibus eſt valde familiare. Iacobus Bonauentura Hephurnus Diui Franciſci Pauliani ſocius LXXII. Lnguas callebat; Georgius Strachanus, qui adhuc ſupereſt. totidem; paucos ex ea gente literatos reperies, qui non plura idiomata exactè calleant: multi ſunt ſocietatis Ieſu patres Scoti, quibus plurimarum linguarum peritia, non tamen illi Hiſpani, Galli, Itali, Græci, aut Hebræi cenſentur ſed Scoti. *Truſas* etiam aduocatus Aquitanici Fiſci Gallus vſurpat libro de recuperatione terræ ſanctæ, an ideo ille Italus? putida brobandi ratio.

Denique Scotum eſſe patet ab odio Anglorum in eum, nam inter veteres Guillelmus Oxamus ita ei infenſus perhibetur, vt nullum

non lapidem mouerit ad eius doctrinam impugnandam, famam eleuandam, quales inter Scotos & Anglos per omnes ferè ætates diſſentiones pleraſque obſeruaui. Inter recentiores Ioannes caſus Oxonienſis damnatæ impietatis furcifer ſic ſtylum in eum exacuit. *Quibus velim addere duos Scotum & Burlæum ſi elegantulæ huius ætatis aures non offenderem. Sed ferunt Scotum in ſepulchro ſuum ipſius excuſſiſſe cerebrum, ſuaque curioſitatis iuſtam luiſſe pœnā. Quare illum vt ſpinam, aut vrticam, quæ nuda ingenia pungunt, aut cautius tractandum, aut potius à catalogo veterum delendum eſſe ſuadeo.* Quiſquamne Scotus de Scoto ſic ſentiret? aut tam acerbè popularis quiſpiam de populari ſuo tam indignè loqueretur? Scoti de illo vt de ciue ſuo honorificè ſcribunt; Anglus fatali in noſtram gentem odio impiè & ad inſaniam laſciuienti alamo proſcribit.

9. die. SAnctus Gernadius Epiſcopus Morauienſis, qui ab ipſa adoleſcentiâ à turbis receſſum ad ſolitudinem, quò melius ſtudia pietatis coleret ardenter amauit, vnde & prouectior factus in ſpeluncam non procul Elgena ſe contulit vbi dies traducere in oratione integros, & cæleſtibus inhærere cogitationibus cœpit ſtrenuè. Fecisse creditur Gernadius ſanctus celeberrimæ Elginenſis Eccleſiæ cathedralem quam iure optimo, ſi ſtructuræ magnificentiam & laxitatem ſpectes, præcipuis Europæ Eccleſiis certare dixeris: & vt erat Gernadius ſanctus ſingulari in ſanctiſſimam Trinitatem affectu, ſic eandem Eccleſiam ſanctæ Trinitati dicatam voluit. De eo Leſlæus lib. 5. hiſtoriæ, Regius in Calendario, Boetius lib. 10. hiſtoriæ, & alij.

Tritemius. 10. die. SAnctus Ioannes Scotus Martyr, de quo Tritemius Abbas lib. 2. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti, his verbis, *Ioannes Scotus monachus Malmesburienſis in Angliâ, vir doctus ac religioſæ conuerſationis, poſt mortem multis claruit miraculis & ſignis.* Expunctus eſt albo Martyrologij ab illuſtriſſimo Cardinali Baronio, ſed (vt bene notauit Dempſterus noſter in diſſertatione de patriâ Ioannis Duns Scoti) lumen illi à Principe illo purpurato negatum cœli rependerunt ad tumulum eius iugi fulgore radiantes teſte Rogero Houedeno in ſuis Annalibus. Et (vt ingenuè fatear) ſemper miratus ſum factum hoc Cardinalis Baronij, nec excuſari poſſe exiſtimo. Quâ enim auctoritate expungere potuit aliquem Sanctorum catalogo, ſummorum Pontificum auctoritate eidem adſcriptum? at ſanctum hunc Martyrem adſcriptum fuiſſe teſtantur plurimi, grauiſſimique ſcriptores, præſertim Ioannes Leſlæus Roſſenſis Epiſcopus in hiſt. lib. 5. *Quem* (inquit) *inter Chriſti Martyres ſummi Pontificis auctoritate Rex numerari, & eidem inſigne monumentum in eodem cœnobio erigi piè curauit.* Molanus in appendice, *Ioannes* (inquit) *Scotus Martyr tranſtulit Dioniſij Hierarchiam Eccleſiaſticā, inter Chriſti Martyres Pontificum auctoritate poſtea numeratus.* Videri poſſunt Ioannes Maior ſummus Theologus & Doctor Pariſienſis, qui in hiſtoria Scotorum libro 3. mortem ipſius comparat morti ſancti Fœlicis, Hector

Boëtius, & ipſe Doctor Pariſienſis qui in hiſt. lib. 10. Martyrem & virum ſanctiſſimum appellat. Martyrologium Gallicum, quod ad hunc diem ita de illo loquitur. *A meſme iour deceda ſainct Iean l'Eſcoſſois qui fut accablé de coups de plumes & ganniſs, deſquels ſe ſeruoient les enfans.* Omitto breuitatis cauſâ alios authores recenſere. At malè ſenſit (inquies) de reali præſentiâ Christi in ſanctiſſimo Sacramento; Itane verò? Tu malè eum ſenſiſſe aſſeris? ſed quî probas? Religioſa vſque ad mortem profeſſio contrarium probat: omnes authores citati id pernegant: cum illis Eccleſia ſemper huc vſque ſenſit quæ eius diem feſtum in hodiernum vſque diem celebrat; ſenſit etiam & Eccleſiæ caput ſummus eius Antiſtes cuius auctoritate inter Martyres relatum vidimus; ſenſit denique & ipſe Deus qui eius ſanctitatem miraculis teſtatus eſt teſte Tritemio de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib. 3. cap. 212. Vnde ergo factum eſt (inquies) quod aliqui illum erroris de reali præſentiâ Christi inſimulauerint? Reſpondeo ex eo factum eſſe, quod Hæretici more ſuo ſemper mendaces, inuenientes in ſcriptis huius Martyris ſententias aliquas perperam intellectas, in ſpeciem tamen apparentes, quibus realem Christi præſentiam oppugnate videbatur, ſparſerunt proterui pro ipſorum ſententiâ ſtare ſanctum Martyrẽ, eodem planè modo quo impudenter hodie hac eadem in re mentiuntur Caluiniſtæ aſſerentes Diuum Auguſtinum Catholicæ ſententiæ aduerſari propter verba aliqua eiuſdem ſancti Doctoris malè intellecta: Hæreticorum autem mendacia non adeò à Catholicis quibuſdam nihil de impoſtura ſuſpicantibus examinata, ſed quaſi vera credita effecerunt, vt aliqui verè illum in ea fuiſſe ſententia exiſtimarent. Addo denique non eſſe improbabile, quod aliqui ſentiunt, Hæreticos nempè librum ipſius Martyris ea de re ſcriptum peruertiſſe; quod nouum non videbitur conſideranti mores Hæreticorum. Vide authores ſupra citatos, qui in Angliam inuitatum dicunt ab Alfredo Anglorum Rege. Sepultus eſt in ſiniſtro altaris latere, eiuſque ſepulchro additum ſequens Epitaphium.

Clauditur hoc tumulo ſanctus ſophiſta Ioannes,
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro,
Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum
Quo, meruit, ſancti regnant per ſæcula cuncti.

HOc eodem die ſanctus Ioannes Scotus Epiſcopus Magnopolenſis & Martyr, qui, vt refert Vvion lib. 3. ligni vitæ Rethræ in Vandalia pro confeſſione Chiſti fuſtibus cæſus, deinde per Vandalorum ciuitates ad ludibrium ductus, cùm à confeſſione nominis Chriſti deterreri non poſſet manuum, pedumque & capitis abſciſſione palmam martyrij promeruit: Eius martyrium ad hunc diem reponitur ab Alberto Abbate Stadenſi in chronico. De eo præter eumdem Albertum, vide Vvionem loco citato, Helmoldum in chronico Sclauonum lib. 1. cap. 23. Crantzium in Metrop. lib. 4. & alios. *Vvion.*

11.die SAnctus Bertuinus Abbas Apoſtolus Gallorum. De eo Sigebertus in chronico ad annum 651. & alij.

12. die. SAnctus Æmilianus Epiſcopus Fauentinus, qui Domino à puerilibus annis militauit. Eius vitam habet Petrus de Natalibus. Alij eius diem feſtum ponunt 21. Nouembris.

HOc eodem die celebratur Gandaui depoſitio ſancti Leuini, de quo ſuprà egimus. Vide Gazetum in hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij, Regium, Molanum, & alios. *Gazetus.*

13.die SAnctus Macarius Epiſcopus Aberdonenſis. Hic animarum verus paſtor, nullis inflatus diuitiis, nullo faſtu tumidus, ſed potiùs in paupertatis ſtudiis & humilitatis ſe exercens, gregem Domini ſingulari modeſtiâ & charitate regebat. Magno fuit in honore apud Soluatium Scotorum Regem. In eius honorem primaria & Cathedralis Eccleſia Aberdonenſis excitata eſt, quæ ante maximæ eius partis à nefariis hæreticis demolitionem paucis Europæ Eccleſiis cedebat. De eo vide Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ, Regium in Calendario, & alios. *Leslæus.*

HOc eodem die ſanctus Deuinicus Epiſcopus in Anglia. Vide Adami Regij Calendarium & alios.

HOc eodem etiam die ſanctus Chilenus Epiſcopus & Confeſſor, de quo Genebrardus in chronico ad annum 628. Auentinus lib. 23. cap. 17. Chronicon Cameracenſe, Ioannes Maior de geſtis Scotorum lib. 2. cap. 7. Tritemius lib. 3. cap. 75. Molanus & alij. *Maior.*

14.die SAnctus Medanus Epiſcopus & Confeſſor, Celebris habetur in Buchania Scotiæ prouincia illo præſertim loco, cui Fillorth nomen, cuius etiam tutelaris habetur. Magno fuit in honore apud Conranum Scotorum Regem, cuius negotijs licet maximè diſtineretur Medanus ſanctus, nihil tamen vnquam (quod ſolidæ, & non adumbratæ virtutis certiſſimum eſt indicium) de ſtudio & conatu proficiendi in virtutibus remittebat, ſed ſibi potiùs ſemper ſimilis eodem pede in via virtutis incedebat, in qua non progredi, retrogredi eſſe ſciebat. De eo Regius in Calendario, Leſlæus lib. 4. Boëtius libro 9. & alij. *Regius.*

15.die SAnctus Maclouius ſiue Machutus Epiſcopus & Confeſſor. Hic nobilibus ortus in Scotia parentibus, Comite ſcilicet de Guincaſtel & matre Comitiſſa, cui nomen Darnal, longè nobilior ſolidarum virtutum cumulo euaſit, in quibus ſub Brandano ſancto eos progreſſus fecit, vt eas inter ſe copularit, quas difficile fuerit ſimul iunctas reperire, ſingularem ſcilicet prudentiam cum rara ſimplicitate, morum eximiam grauitatem cum ſumma lenitate, orationis ſtudium cum charitatis operibus, ſui denique in omnibus contemptum cum præclara apud omnes ob vitæ ſanctitatem exiſtimatione. Vitam ipſius fusè deſcribit Ribadeneira in

tomo de vitis Sanctorum. Vide eumdem Regium in Calendario, & alios.

16. die SAnctus Eliſius Martyr cum 32. ſociis. Fuit hic Dei famulus Crathlinti Regis filius. De eo Cratepolius pag. 52. ſanctus Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, Eiſengrenius & alij. *Cratepol.*

17. die SAnctus Egbertus, qui patriam parenteſque deſerens in Irlandiam ſeceſſit, ibique Chriſtum prædicauit. De eo Hermannus Contractus ad annum 710. Surius tomo 3. vigeſimo quinto Iunij, Madelocenſis in vita ſancti Adalberti, & alij.

18. die SAnctus Terguſius Epiſcopus & Confeſſor. Magno fuit in honore apud Contranum Regem. De eo Regius in Calendario, & alij.

19. die SAnctus Egdbertus Abbas Fuldenſis. De eo Vvion lib. 5. pag. 414. Leſlæus & alij.

20. die SAnctus Autbodus Abbas, Apoſtolus Galliarum. De eo Miræus, Tabulæ Lugduni, Clauati, &c.

21. die SAnctus Columbanus Abbas Luxouij, & Bobij fundator. Vitam habent Surius, Lippelous & alij. De eo Genebrardus in chronico. Poſſeuinus in Apparatu ſacro, Tritemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Sigebertus in chronico, Ioannes Maior lib. 2. de geſtis Scotorum, Boetius, Leſlæus & alij. *Surius. Lippelous.*

22. die SAnctus Columbanus Monachus ſancti Columbani Abbatis diſcipulus. Magnæ ſanctitatis & innocentiæ vir, quique in omnibus (ait Vvion) magiſtri ſui ſancti Columbani Abbatis vitam & mores ſtuduit imitari. Eiuſdem meminit Calendarium quoddam manu ſcriptum in monaſterio ſancti Benedicti de Mantua vt teſtatur idem Vvion.

23. die SAnctus Tomberinus Monachus Stremelhalenſis, ſed poſtea Epiſcopus & Confeſſor in Laudonia Scotiæ prouincia celebris. Plurima apud Pictos (quorum Epiſcopus fuit) ſtrenuè pro Chriſto geſſit. De eo Tritemius libro 4. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti.

24. die SAnctus Diciboldus. De eo Hildegardis Bingenſis Abbatiſſa, Leſlæus, & alij.

25. die. SAnctus Marnochus Epiſcopus & Confeſſor. Magna fuit in auctoritate & gratia apud Crathlinthum Scotorum Regem, Magnâ fuit in Cymingamiâ veneratione & ſanctitatis fama. De eo Leſlæus lib. 3. Regius in Calendario & alij.

26. die SAnctus Eattanus ſiue Eatta Abbas Mailroſſenſis monaſterij. De eo Tritemius lib. 3. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti, & alij.

HOc eodem die Echarius ſancti Eliſij frater. De eo Cratepolius pag. 52. & alij.

27. die SAnctus Albinus Confeſſor & Epiſcopus, qui in Huenſi Scotiæ Inſula Diui Columbæ monaſterium ingreſſus ſan- *Cratepol.*

ctitate vitæ & miraculis omnibus præluxit. De eo Tritemius de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti lib.4.& alij.

HOc eodem die ſancta Oda Virgo & Eugenij ſancti Regis Scotiæ filia, tam in Scotiâ quàm in Flandria ob vitæ ſanctitatem & miraculorum multitudinem celebris. De ea Molanus in indiculo & in additionibus ad Vſuardum, Conſtantinus Ghinnius & alij.

28. die SAnctus Patricianus Epiſcopus celebris in ea Scotiæ prouincia, cui Sutherlandia nomen. De eo Boetius lib. 8. & alij.

29. die SAncta Kenneira, vel Kenneua, vel Kunera ſanctæ Vrſulæ ſocia. De ea Hunterus de fœminis Scotis, hiſtoria Vrſulana, Regius in Calendario & alij.

30. die SAnctus Tarkinus Epiſcopus & Confeſſor. De eo breuiarium Aberdonenſe, Regius in Calendario, & alij. Celebris
Regius. habetur in Aberdonenſi Diœceſi, vnde non procul Aberdonia inſignem Eccleſiam ſancto Tarkino dicatam cernere eſt.

HOc eodem die ſanctus Andræas Chriſti diſcipulus & Scotiæ Apoſtolus, quid & magna religione in hodiernũ diem ab ipſis colitur. Vide quæ in principio huius libri diximus dum de profectione Apoſtolorum ad varias mundi plagas ad Euangelium prædicandum ageremus.

31. die SAnctus Foillanus Epiſcopus & Martyr. Fuit hic Furſæi & Vltani frater. De eo Molanus in indiculo & alij.

DECEMBER.

1. die. SANCTA DARDVLACHA. Vide Tabulas Friſingenſes & alios.

2. die. SAnctus Iunanus Confeſſor. Apud Kennethum ſecundum hoc nomine Scotiæ Regem gratia & authoritate plurimum valuit. De eo Regius in Calendario & alii.

3. die. SAnctus Malcolmus hoc nomine quartus Scotorum Rex, qui ob Angelicam corporis caſtitatem quam à tenera ætate Deo conſecratam conſtantiſſimè coluit, virgo dictus eſt. Fuit hic Dauidis Regis ſanctiſſimi nepos. Plurimùm vſus eſt ſanctus hic Rex conſilio Eduardi Epiſcopi Aberdonenſis tùm in multis negotiis, tùm in primis in caſtitate ſeruanda. Malcolmo iam maturo ad matrimonium, communi conſenſu Proceres (qui caſtitatis votum à Malcolmo emiſſum ignorabant) in comitiis ab eodem petierunt, vt quoniam iampridem matrimonio eſſet maturus de nuptiis cogitaret propter commune regni bonum, quibus reſpondit ſanctus Rex ſe ab eo vſque tempore, quo vitæ ſuæ rationem inire potuiſſet continentiam Deo ſanctè promiſiſſe: eamque Deo propitio,

pitio, dum viueret obſeruaturum, quod & fecit. De hoc ſancto Rege vide Leſlæum lib. 6. hiſtoriæ & alios ex Noſtris, ex Anglis Neubrigenſem lib. 2. hiſtoriæ cap. 18. vbi ait, hominem fuiſſe Malcolmum Angelicæ inter homines ſinceritatis, eumque tanquam terrenum Angelum, quo dignus non erat mundus, cœleſtes Angelos rapuiſſe è mundo Vide eumdem libro 1. hiſtoriæ cap. 25. Ducheſne lib. 11 hiſtoriæ, Sigebertum & alios. *Leſlæus.* *Sigebertus.* *Ducheſne.*

4. die SAnctus Eloquius Abbas Apoſtolus Galliæ Belgicæ. De eo Leſlæus & alij.

5. die SAnctus Amphibalus Culdæus Scotorum ſyluestrium Apoſtolus. De eo Boetius lib. 6. & alij. *Boetius,*

6. die SAnctus Blaithmacus Martyr. De eo Dempſterus & alij.

7. die SAnctus Gallanus Monachus & Confeſſor. Celebris habetur in Inſula Iona & adiacentibus. De eo Leſlæus lib. 4. & alij

8. die. BEatus Franciſcus Ordinis ſanctæ Trinitatis Monachus, Hæreticis irreuerenter & nefariè in monaſterium ſuum Aberdonenſe irruentibus obſtare cupiens vulneratus, per ſcalas detractus, donec eliſo cerebro animam cœlo reddidit.

9. die SAnctus Coninanus Abbas Huenſis. De eo Vvion & alij, qui tradunt ipſum fuiſſe Ferguhardi Regis præceptorem.

10. die SAnctus Anatolius Confeſſor & Abbas, vir planè Apoſtolicus. De illo multa apud Bedam habes libro 3. hiſtoriæ, & alios. Præfuit Anatolius Abbatis officio in Iona inſula. *Beda.*

11. die SAnctus Coganus. De eo Vvion lib. 3. Fordanus lib 6. Boetius lib. 9. & alij.

12. die SAnctus Canicus. De eo Arnoldus, Vvion lib. 3. Petrus in catalogo, Maurolycus, Galeſinus, Martyrologium Romanum, fundamenta Epiſcopatus Oſſerienſis iecit, mutauitque nomen, & Kilkenniam appellauit. *Arnoldus* *Galeſinus.*

13. die HOdie cœleſtia petiit Ioannes Grayus ex ſacra S. Franciſci familia, qui turbatam Hæreticorum furore patriam deſerens Bruxellas contendit, vbi Geuziis latè graſſantibus ante ipſam Euchariſtiam ſeptuagenarius Martyrij palmã pugione confoſſus meruit. De eo Sedulius Corol. hiſt. Seraphicæ pag. 693. Gonzaga parte prima & alij. *Gonzaga.* *Tritemius.*

14. die. SAnctus Mimborinus Abbas & Confeſſor. Geſſit officium Abbatis in monaſterio Scotorum Coloniæ ſancto Martino dicato. De quo Tritemius in hiſtoria monaſterii Hurſam ad annum 974. & alii.

15.die. BEatus Ioannes Blak ex præclaro ordine Sancti Dominici. Poſtquàm Aberdoniæ plurima pietatis & doctrinæ argumenta exhibuiſſet, raptus Edimburgum, hæreticos omnes, & in his Apoſtatam Villoxium ſuperauit, confudit, ad vltimum ab iiſdem raptus in publicam plateam, lapidibus obrutus glorioſum vitæ finem ſortitus eſt. Alii eius diem feſtum reponunt ad ſeptimum Ianuarii.

16.die. SAnctus Beanus Epiſcopus Murthlacenſis Diœceſis, quam annis 32. adminiſtrauit ea prudentia, integritate, cæteriſque quæ verum animarum paſtorem decent virtutibus, vt eum neque honor à ſui deſpectione, neque rerum occupatio externarum à continua cum Deo familiaritate vnquam retardarint. Licet Murthlacenſis Diœceſis fuerit Epiſcopus, quia tamen ſedes illa à Dauide Rege tranſlata fuit Aberdonium, Aberdonenſis meritò vocatur Epiſcopus. De hoc ſancto vide Romanum Martyrologium ad 16. Decembris, Boetium in libro de Epiſcopis Aberdonenſibus.

17.die SAnctus Annienus Archidiaconus, Martyr in Bauaria. De eo Dempſterus & alii.

HOc eodem die Cœleſtia petiit Gulielmus Barclayus, Toparcha Ladilandiæ à Satanæ miniſtris ad martyrium petitus, & in mare actus, non ſimplici defunctus eſt exitu plumbeis glandibus transfoſſus & demerſus Ailzenæ.

18.die SAnctus Mauerius Epiſcopus & Confeſſor. Adoleſcentulus multùm ſolitariæ vitæ addictus fuit: quo factum, vt liberiùs ſtudiis vacaret: vnde & literis egregiè eruditus, & rerum gerendarum prudentia maturus in Epiſcopum electus eſt, in quo munere excelluit, præſertim populum verbo Dei paſcendi vigilantia, & in pauperes liberalitate non vulgari. Celebris habebatur in ea Scotiæ prouincia, cui Baluenia nomen. Vitam hanc cum cœleſti mutauit ſub annum Chriſti 824.

19.die. SAnctus Macarius primus Abbas monaſterii Scotorum in Germania apud Herbipolim. Fuit Macarius ſanctus vir per omnia Deo dilectus, vita & conuerſatione ſanctiſſimus, quippè qui ab infantia ſua Omnipotentis ſeruitio mancipatus fuerat. Poſt aliquod tempus in officio Abbatis propè Herbipolim elapſum acquirendis indulgentiis & reliquiis Sanctorum ſtatuit Romam proficiſci. Suſcepit ſanctũ cum ingenti lætitia Pontifex Eugenius nempè tertius. Factum eſt autem in quadam feria ſexta ſedente ad menſam ſummi Pontificis ſancto Macario turris Eccleſiæ ſancti Iacobi Herbipolenſis Aquilonaris impulſu turbinis mota corruit, & quaſi funditus collapſa fuit: quod cernens vir Dei in ſpiritu, non conſiderans ad cuius menſam ſederet, cum gemitu exclamauit, Deus parce miſellis ne deuotio fidelium pereat, quem manu con-

tingens Pontifex dixit, Quid habes frater? & quare ingemiſcis? qui verecundia tactus nihil reſpondit. Iterum poſteà interrogatus, turris ruinam monaſterij ſui tam longè diſtantis aperuit, & quomodo hoc viderit in ſpiritu Pontifici reuelauit. Notauerunt horam qui fuerunt præſentes & reuerſi Herbipolim omnia ſicut dixerat, contigiſſe inuenerunt. Erat homo in ciuitate Herbipolenſi nomine Dudo, qui febrium diuturno langore exhauſtus iam propè videbatur moriturus, verùm aquam à ſancto Macario benedictam bibens plena deuotione ac fide, mox vt bibit, omnis ab eo infirmitas receſſit. Vide Tritemium in chronico monaſterij ſancti Iacobi Scotorum & alios.

20. die SAnctus Comogellus Abbas. De eo Martyrologium Anglicanum, & alij.

21. die SAnctus Ethernanus Abbas & Confeſſor, ſancti Columbæ ex fratre nepos. De eo Leſlæus lib. 4. Regius in Calendario, breuiarij Aberdonenſis pars hyemalis & alij. Celebris habetur in Buchania prouincia. Epiſcopum fuiſſe teſtatur perantiqua illa ad ſanctum Ethernanum oratio. *Regius.*

DEus qui per ſanctos tuos quæcunque poſcimus, benignè concedis, da quæſumus, vt intercedente beato Ethernano Confeſſore tuo atque Pontifice, *quæ iuſtè poſtulauerimus, apud te miſericorditer obtinere valeamus.* Per *Chriſtum Dominum noſtrum.*

22. die SAnctus Conſtantinus Rex huius nominis tertius humanæ vitæ odio inflammatus regno ſe abdicauit, vitamque ſuam Deo in cœnobio D. Andreæ conſecrauit, in quo poſteà glorioſam mortem confecit. De eo Leſlæus lib. 5. hiſtoriæ, Boetius lib. 11. Vvion libro 4. & alij. *Vvion.*

23. die SAnctus Caranus Epiſcopus & Confeſſor. De eo varij.

24. die CÆleſtia petiit Thomas Roberthſonus, qui Glaſcuæ inter ipſa auguſtiſſimi conſecrati corporis myſteria deprehenſus ad forum, vt erat indutus à Barone Bodio raptus vnà cum ſacerdotalibus indumentis fidei cauſa exuſtus eſt.

25. die SAnctus Bathanus Epiſcopus & Confeſſor in Scotia vniuerſa, ſed præſertim in Schetlandia & Thule Inſulis celebris. Eius fit mentio in epiſtola quæ ad Scotos a Ioanne Pontifice ſcripta fuit ſub annum Chriſti 639. De eo etiam alij.

26. die SAnctus Moſutacus Confeſſor. Celebris habebatur in Aberdonenſi Diœceſi, extatque non procul à Torrey inſignis Eccleſia ſancto Monſutaco dicata.

27. die SAnctus Tuda Epiſcopus Northumbrorum apud quos poſt ſanctum Colmannum Epiſcopum egit. Vide de eo

Tritemius. Tritemium lib. 4. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti, Goduinum in Epiſcopis Dunelmenſibus.

28. die, BEatus Daniel Carthuſianus, demolito pulcherrimo ordinis ſui monaſterio Perthano, cum prælata cruce hæreticis concionaretur, in flammas coniectus viuus exuſtus eſt, ſed cùm aliquandiù mediis ignibus facie Angelica colluxiſſet, longis haſtis transfixus, ne ſimplici quidem martyrio defunctus.

29. die SAnctus Onanus Sacerdos & Eremita, celebris in ea Scotiæ parte, cui *The Cars of Gauri* nomen. De eo Leſlæus lib. 5. in Kennetho, Boëtius & alij. *Leslæus.*

30. die SAnctus Ethbinus, qui in Hyberniam ad Chriſti fidem prædicandam profectus mirabilia ibi apud Barbaros geſſit. De eo varij. Eius vitam habes apud Petrum de Natalibus quamuis alio die. *Petrus de Natalibus*

31. die SAncta Brigida Virgo & Soror ſancti Andreæ Archidiaconi. De ea Diacetrus in præfatione ad vitas Sanctorum Feſulanorum & alij. Atque hæc breuiter de Sanctis noſtris dicta ſint.

APPENDIX AD PRÆCEDENTEM LIBRVM DE SCOTORVM pietate. In qua duplex continetur diſſertatio.

DISSERTATIO PRIMA CONTRA Hibernos, Hirlandicos, in qua defenditur Prædictos Sanctos fuiſſe natione Scotos.

Edimvs ſuperiori Capite Sanctorum ſynopſim quo Scotia noſtra (bona aliorum pace dixerim) ſuo ſibi iure vendicat, cum vt illis tantillum ſaltem habeatur honoris, quantum per temporum iniquitatem licebit, tum vt iuuentus noſtra quæ in ſubſidium patriæ iacentis apud exteros virtutem & idoneas ad eiuſmodi facinus diſciplinas capeſcit, illorum intuitu creſcat animis maiorem in modum. Nunc hac diſſertatione, quoniam intelligo eſſe, qui neſcio quo prætextu pleriſque fraudare nos ſatagant, atque ex albo noſtro eximios aliquos expungere, vt ſuis faſtis tranſcribant, operæ pretium facturum me putaui, atque ipſi imprimis iuuentuti, cuius commodo & ſaluti laboro, periucundum, ſi firmamenta è multis pauca attexerem, quibus ea maximè ſtabiliantur de quibus controuerſia eſt. Qua in re dabo operam vt me quiuis intelligat eſſe veritatis indagatorem, non gentis meę importunum propugnatorem. Sanè alienum eſt & Chiſtianę modeſtiæ minimè conſentaneum, cùm de Sanctis eorumque virtutibus ſcribere quis inſtituat, non modò contentioſum (quod aiunt) funem trahere, ſed texere maledictorum parœmias, nec vnum aliquem, quo cum ſimultas illi & offenſio intercedat, ſed gentem

vniuerſam atro contumeliarum carbone notare & facere vulgi fabulam. Quanquam ſcriptor eiuſmodi non inurit maculam genti, quam malè accipit, ſic enim inſons æquè ac flagitioſus vapulet, ſed ſuam ipſe animi impotentiam prodit, qui longè à Chriſto Sanctiſque diuerſus anguſto ſuo animo neſcit complecti niſi penates ſuos, neſcit, inquam, blaterando ſuam Deo & æternitati proteruiam ſe commendare. Apage effrenem illam & inſolentem maledicendi licentiam: id ago ſanè, vt ſolidis rationum momentis veritatem aſſeram. Sint aliis ſarta tecta ſua decora, per me licet, dum falcem in alienam meſſem ne immiſerint. Atque vt res de qua diſſeptatur euadat magis perſpicua, docebo primò quando Scoti in Albionem venerint: ſecundò quo tempore Chriſti fidem ſuſceperint, quàm in ea retinenda conſtantes fuerint: 3. quo nomine ſit olim appellata Scotia: 4. denique num à Chriſti temporibus Hibernia appellata fuerit Scotia: ex his enim aduerſarij noſtri aſſumendi ſibi quod ad nos pertineret anſam, acceperunt: ſed perperam illos facere ſigillatim demonſtrabo.

QVANDO SCOTI IN ALBIONEM venerint.

SCotiam iuxta & Angliam, quam communi vocabulo Britanniam vulgò indigitamus, duobus duntaxat fluminibus diſcreta regna, cæterùm vndique Oceano circunuallata tres præcipuè gentes primùm incoluerunt, Scoti, Britones ſiue Britanni, & Picti: Et quidem Scotorum antiquam ſanè originem ex patriis ſcriptorum monimentis hanc eſſe contendit Hector Boëtius poſt antiquos, vt, in introductione ad hos libros ſuperius diximus. Gathelum Cecropis primi Athenienſium Regis filium cùm patris imperia detrectaret, & ipſam adeò Macedoniam atque Achaiam vagus obiuiſſet, collecta iuuenum validâ manu in Ægyptum veniſſe, ſeque Moyſi expeditionis Æthiopicæ, de quâ Ioſephus meminit, conſortem exhibuiſſe, Pharaonis filiam Scotam nomine, illius ſororem qui mari obrutus fuit, vxorem accepiſſe, Ægyptiacis exinde plagis territum vnâ cum vxore, liberis, & promiſcuâ Græcorum, Ægyptiorumque multitudine anno ante Chriſti aduentum 1556. appuliſſe in Numidiam, ſed inde repulſum tranſmiſiſſe in eam regionem, quæ poſtea Portugallia, quaſi Gatheli portus dicta eſt, ibidemque condidiſſe Bracharam, tum inito cum Iberis pacto in Galtiam, ſic enim modò appellamus, ſedes tranſtuliſſe, & conſtituto iſtic regno ſuos ab vxore Scotos vocaſſe, Brigantiam hodie Compoſtellam extruxiſſe. Addit Boëtius miſiſſe ex eo loco Gathelum Coloniam in Hiberniam quæ ab Hibero illius filio, & Coloniæ duce, nomen acceperit, Eam Inſulam iam tùm ab agreſtibus & incultis hominibus inhabitatam, quæ inualeſcentibus quâ multitudine, quâ poten-

lib. 2. Ant. c. 10.

hoc idem de Scotorum origine tradunt Veremũdus & B. Turgetus in Scotorum hiſt. floruerunt

tiâ Scotis & Gathelo Simonem Brechum eiuſdem cum illo proſapiæ primum Regem acceperit anno antè Chriſtum natum 695. Ex his Scotorum gentem itidem ante Chriſti aduentum propagatam anno circiter 592. In Albionis Septentrionalem plagam deueniſſe demũ ſuranno 335 acceſſiſſe Pictos ac regnum cùm illis partitos fuiſſe. Verùm Pictis profligatis Scotos vniuerſam eam regionem, quam nunc Scotiam dicimus ſolos obtinuiſſe. Ex his facilè datur intelligi cum Beda primum gentis noſtræ in Albione Renterem authorem facit id de reditu (pulſus enim à Britonibus in Hiberniam fugit multis annis poſt ea tempora de quibus hic meminimus ac deinde rediens Britones ſubegit, eo loco quo etiamnum Rhenterdil ab eo appellatur) non de primo aduentu eſſe intelligendum. Item quod à nonnullis de Fergusio 2. circumfertur primum Scotorum Regem fuiſſe, id accidiſſe poſt eorum reditum in Albionem poſteaquam à Pictis Duce Maximo Romano Legato expulſi fuiſſent. *autem anno Chriſti MXCVIII. Campubellus in eadem hiſt. & alij & ex Anglis Thomas Valſingam in Opodigmate Neuſtriæ.*

Equidem Camdenus homo hæreticus quod de Scota Pharaonis filià ſcribitur fabulam repetat: item Scotos in Albionem ante Conſtantini Magni tempora veniſſe. Verùm nemini mirum videri debet ſi primum illud de Scota, quod à maioribus traditione dumtaxat, accepimus flocci faciat, cum eius farinæ homines ne ipſas quidem traditiones diuinas & Eccleſiaſticas habent in pretio. Hoc profectò apud ſapientes pondus habere debet, quod ab antiquiſſimis ſcriptoribus perſcriptum paſſim & euulgatum fuerit, maximè cùm nulla ratio alicuius momenti oppoſitum euincat. Quâ de re contentioſum funem trahere non eſt inſtituti mei: eſto penes authores fides. De eo quod aſſerit Scotos ante Conſtantini Magni tempora in Albionem non penetraſſe, hoc verò mihi cum illo controuerſum eſt. Nemo (inquit) Scotorum nomen ante Conſtantini Magni tempora in probatis authoribus vel legit, vel eruit. Fecerat quidem Scaliger in notis Propertianis, vbi emendat hunc Senecæ locum.

Ille Britannos vltra noti littora ponti
Et cæruleos Scuta Brigantes dare Romuleis
Colla catenis iuſsit, & ipſum noua Romanæ
Iura ſecuri tremere Oceanum &c.

Legit ille Scoto Brigantes, ex quo colligit Scotos Senecæ, qui vixit tempore Claudij Cæſaris, non ignotos fuiſſe: ea lectio hominis noſtro ſæculo his in rebus eruditiſſimi non placet, ſed profectò ille ſe tuetur egregiè in ſuis animaduerſionibus in Euſebium & aduerſarium ſuum confutat, neque enim Brigantibus ſcuta pingere vſpiã legimus ſingulare fuiſſe, quale quid apud Poëtam legimus.

Et Picti ſcuta Labici.

Nec ſanè vana eſt Buchanani coniectura hoc loco Scoto-Brigantes à Brigantibus Hiſpanis atque aliis de induſtriâ diſtingui. Adrianus Iunius cùm lectionem communem videret non ſatis conſiſtere, legit Cute-Brigantas; ſed nihilo melius quàm Camdenus ei loco cõ-

ſuluit. Nam vt rectè Scaliger de falſo modulo ſyllabæ ad tribunal grammaticum poſtulatur.

Dempſterus. Porrò Scotorum nomen ex vetuſtiſſimis authoribus eruit vir hoc ſæculo perquàm eruditus Thomas Dempſterus, citat enim hunc locum ex Floro antiquo poëta, qui Adriani Cæſaris ęuo ſic in eum luſit.

Ego volo Cæſar eſſe
Ambulare per Britannos.
Scoticas pati pruinas.

Plura in hanc rem afferemus infra, vbi probabimus Scotos ante Conſtantini Magni tempora fidem ſuſcepiſſe.

Gordonius. Concludo cum Iacobo Gordonio Leſmoreo ſocietatis Ieſu Theologo 2. tomo Chronologiæ in catalogo Regum Scotiæ ad annum 422. Camdenum hoc nunquam euicturum, nec grauiſſimis ſcriptoribus a quibus gratis diſſentire voluit fidem abrogaturum.

QVO TEMPORE SCOTI FIDEM *ſuſceperint.*

SAnè ab ipſis Apoſtolis Scotos fidem accepiſſe fusè ſupra à nobis probatum manet. Sanè id Nicephorus luculentè teſtatur: ſic enim de Apoſtolis loquitur lib. 3. cap. 1. *Alius item extremas Oceani regiones & inſulas Britannicas ſortitus eſt.* Theodoret⁹ verò Nicephoro antiquior de Cur. Gręc. aff. lib. 9. *Inter gentes.* (inquit) *quæ Romani imperij frænum acceperant non paucæ ſecundum leges eorum viuere voluerunt, at noſtri illi piſcatores ac Publicani, ſutorque ille noſter cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque ſolum Romanos quique ſub Rom. viuerent imperio, ſed Scytas quoque ac Sauromatas, Indoſq; præterea, Æthiopas, Perſas, Seras, Hircanos, Britannos, Cimmerios, & Hermannos, &c.* Et paulò poſt ait Paulum Apoſtolum Britannis Chriſtum prædicaſſe; quod ipſum Venantius Fortunatus Pictauienſis Epiſcopus, qui anno 560. floruit, Paulique peregrinationes carmine proſequutus eſt, ſanctitate & doctrina celebris de Paulo manifeſtè docet.

Tranſijt Oceanum, vel quà facit Inſula portum,
Quaſque Britannus habet terras, quaſque vltima Thule.

Porrò Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus ſerm. de Natiuitate Apoſtolorum diſertis verbis aſſerit inuiſiſſe Paulum Apoſtolum Britanniam. Idem de B. Petro Bonifacius 8. Papa qui apud Thomam Valſingham in hiſt. Angl. in Eduardo 1. teſtatur Scotiam per B. Petri venerandas reliquias non ſine ſupremi dono numinis conuerſam fuiſſe. Quin & ſanctum Manſuetum natione Scotum ſe in diſcipulum ſibi aſciuiſſe apud Scotos & Tullenſes (quorum in hodiernum diem tutelaris habetur) teſtantur, antiquiſſima eſt traditio, & ſcribunt non pauci. Deniq; & S. Barnabam in Scotia Euangelium

lium prædicaſſe docet ex Georgio Gernefelt, & alijs probatis authoribus, Dempſterus noſtras lib. 2. hiſt. Eccleſ. gentis Scotorum. Imò ſi credendum *Primo* Cabilunenſi Epiſcopo in ſua Topographia SS. Chriſti Martyrum folio 104. *Apud Bannaciam Scotiæ ciuitatem prope ſyluam Caledoniam, Ioſephus ab Arimathæa cum filio eiuſdem nominis, & alijs decem deceſſit.*

Hactenus de prima Scotiæ conuerſione per Apoſtolos factâ, à quibus tota tamen conuerſa non fuit, ſed tum primùm cùm Donaldus eius nominis primus Scotiæ Rex à ſancto Victore primo Romano Pontifice per Legatos ſuppliciter petiiſſet viros doctrinâ & religione inſignes, qui ſe, domumque ſuam Chriſtianis imbuerent præceptis & aquis ſalutaribus expiarent. Regis enim exemplo commoti nobiles populique certatim Chriſto nomina dederunt, vt plurimi, grauiſſimique authores teſtantur, inter alios Cardinalis Bellarminus in Apologiâ pro reſponſione ad librum Iacobi magnæ Britanniæ Regis, cuius titulus eſt *Triplici nodo triplex cuneus*, Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 429. Azorius tom. 2. inſt. Moralium parte 2. lib. 11. cap. 5. Sebaſtianus Veronius in chronico, Bozius lib. 8. de ſignis Eccleſiæ cap. 7. Antonius Poſſeuinus in bibliothecâ ſelecta lib. 16. de hiſtoricis, Genebrardus lib. 3. chron. Sãderus lib. 4. de claue Dauid, Spondanus in compendio Annal. Cardinalis Baronij, Franciſcus de Rozier tom. 6. ſtemmatum Lotharingiæ & Barri Ducum, Gualrerius in chron. ſæculo 3. Petrus Cudſemius in Apologetico pro deſperata Caluini causâ, Beſciola primâ parte compendij Annal. Cardinalis Baronij, Gretſerus in commentario exegetico in ſereniſſimum Iacobum magnæ Britanniæ Regem pag. 38. & pag. 78. Arnoldus Mermannius in Theatro conuerſionis Gentium, Michaël ab Iſſelt in hiſtoriâ ſui temporis, Aubertus Miræus in præfatione lib. quem ſcripſit de bello Bohemico Ferdinandi ſecundi Cæſaris, Iacobus Charronius in hiſtoriâ ſua vniuerſali pag. 499. Ex noſtris Leſlæus lib. 3. hiſt. Hector Boëtius lib. 6. eiuſdem hiſt. Guillelmus Chriſolmus in libro contra Miniſtros Scotiæ, Gordonius tom. 2. chronol. Duræus, Tomſonus, Coluillus, & alij.

Porrò eam quam ſemel ſuſceperant fidem ita mordicus Scoti tenuerunt, vt octoginta & plures Catholicos Reges regnum illud numeret ab omni hæreſis ſuſpicione immunes, eorumque plurimos vel ſuâ vel, liberorum ſanctitate illuſtres. Qua re prouocati duo sũmi Eccleſię Antiſtites, duos Scotię Reges catholicę fidei protectores nominarunt. Lucius 3. ſanctũ Guillelmum Regem, Iulius ſecundus Iacobum eius nominis quartum. Hoc verò admirandum pietatis argumentum eſt, quod inter Scotiæ Reges inuenti fuerint (præ cæteris Conuallus (qui Chriſti crucifixi effigiem quocunque pergerent præ ſe ferri volebant & priuſquam equos conſcenderent deuotè cum proceribus exoſculabantur: curauerat verò conuallus hæc ver-

Dd

ba cruci inſcribi, *Gloria Chriſtianorum*, hæc de Regibus ſũmatim. Illud verò de regno vniuerſim dici poteſt non ſatis fuiſſe Scotis noſtris Chriſti fidem conſeruare niſi & apud exteras gentes eamdem ſummo ſtudio propagarent. Huius rei teſtes locupletiſſimi ſunt illi ipſi, quos variæ nationes pro Apoſtolis habent. Verùm quia de hac re ſuperiùs ſat multa dicta ſunt, vbi de antiquitate religionis apud Scotos egimus, hoc loco tantùm pietatem Scotorum ex probatis authoribus confirmabimus. Luculentum teſtimonium eſt illuſtriſſimi Baronij tom. 5. in ſupplementis ad annum 429. vbi de Scotis noſtris loquens hæc habet. *Qui igitur Euangelium primò à Victore* Pontifice *Maximo accepere, & à Cæleſtino* Papa *primum Epiſcopum à quo ſunt omnes penitus redditi Chriſtiani eatenus Chriſti gratiâ profecere, vt poſtea omnium præſtantiſſimi euaſerint Chriſtiani, Chriſtianamque fidem ſummâ diligentiâ excolentes Apoſtolico munere (vt ſuo loco dicturi ſumus) in exteras gentes longè poſitas latiſſimè atque locupletiſſimè propagarint.* Porro *eamdem Eccleſiam nobiliſſimam hoc noſtro ſæculo* Deus *tentari permiſit, vt Chriſtianæ conſtantiæ præclariſſimum ſpecimen ederet, cùm inter alios Martyres habere etiam meruit (quod nulla hactenus Chriſtiana gens habuit) ipſam Reginam Catholicæ fidei eximium decus & ornamentum, diutiſſimâ confeſſione in carcere ante probatam & nobiliori coronâ Martyrij auctam.* Bozius lib. 8. de ſignis Eccleſię cap. 7. enumerans ſingularia euenta regni Scotiæ, *Secundum* (inquit) *ſit Scoticæ nationis admirandum, nulla gens è Borealibus tamdiù perſtitit in vnanimi religionis vnius conſenſu, vt Scotica. Conſtat ex Annalibus* Proſperi *anno 434. miſſum à Cæleſtino* Pontifice *Palladium Epiſcopum ad Scotos, ſed adijcit* Proſper *iam credentes in Chriſtum. Quocirca tradunt in Scotiâ, quæ tunc erat Hibernia Chriſti cultum diſſeminatum eodem tempore, quo in Britanniâ ſub annum ſcilicet 203. Victore ſedente. Agitur itaque annus Millesimus Tercenteſimus & quinquageſimus, ex quo Scoti Chriſti cultum ſunt amplexati, & in eo conſtantes fuere. At hoc nulli alij genti è Borealibus euenit.* Et paulò poſt de irruptionibus Danorum in Scotiam agens ita loquitur. *Sit igitur hoc Scotiæ proprium: vt nunquam ſuccubuerit barbaricis irruptionibus: & iure, nam hæreticis opinionibus locum nunquam dedit, populo ac Rege Catholica ſentiente, neque par erat vt barbaris cederet vllo modo.* Et libro 22. de ſignis Eccleſiæ cap. 3. ſigno 21. *Chriſtus hoc maximum laudabiliſſimumque bonum dedit Septentrioni, vt Scotia haberet Reginam Martyrem, Regis filiam, coniugem & matrem, hoc ſanè bono nullum regnum ſeſe efferre toto orbe poteſt,* Surius ad 8. Maij in vitâ ſancti Vironis. *Scotia fertilis ſanctorum virorum inſula, & ſtellarum numerum prope æquans patrociniis Sanctorum.* Molanus in vitâ ſancti Vironis ad 8. Maij. *Produxit hunc virum Scotia fertilis ſanctorum virorum* Inſula. Gazetus in Eccleſia hiſtoriâ agens de ſancto Virone. *Scotia fertilis ſanctorum virorum patria.* Beda lib. 3. cap. 27. charitatem eximiam Scotorum in docendis & erudiendis Anglis deſcribit. *Et erant* (inquit) *ibidem eo tempore multi nobilium ſimul & mediocrium de gente Anglorum qui tempore Finnani & Colmanni Epiſcoporum (hi erant Scoti ex Scotiâ ad Chriſtum Anglis prædicandum miſſi) relictâ Inſula patriâ vel diuinæ lectionis, vel continentioris

Baronius.

Gazetus.

vitæ gratiâ illo ſeceſſerant, ſiquidem quidam mox ſe monaſticæ conuerſationi fideliter mancipauerunt; alij magis circumeundo per cellas magiſtrorum lectioni operam dare gaudebant, quos omnes Scoti libentiſſimè ſuſcipientes, victum eis quotidianum ſine pretio, libros quoque ad legendum & magiſterium gratuitum præbere curabant. Et alibi in eadem hiſtoriâ, *Gens* (inquit) *illa* (de Scoticâ loquitur) *quæ nouerat ſcientiam diuinæ cognitionis libenter ac ſine inuidiâ populis Anglorum communicare curauit.* Et alio loco eiuſdem hiſtoriæ, *Imbuebantur* (inquit) *à præceptoribus Scotis paruuli Anglorum.* Michaël ab Iſſelt in hiſtoriâ ſui temporis pagina 119. loquens de Reginâ Mariâ hæc habet. *Capitur & ad pœnas poſcitur optima potentiſſimaque Regina, quæ non vi, non dolo malo, ſed legitimâ optimè de regno meritorum patrum ſucceſſione imperium erat adepta. Profligatur itaque ſincera, vera & ſola ſaluifica fides, quam Victor ibidem* Pontifex *Romanus ſub annum CCIII. plantauit, quam Cæleſtinus* Papa *anno Domini CCCCLII. à* Pelagianis *Anglis quibuſdam in locis contaminatam, miſſo* Palladio *ſub Dungardo Rege Scotorum XLII. reformauit, quam ipſi Scoti mille trecentos quinquaginta circiter annos (quod de nullâ gente Septentrionali dici poteſt) conſtanter defenderunt, & nouâ nunquam audita, nuper è ſtygijs paludibus emerſa in eius locum intruditur.* Aubertus Miræus vir grauis & doctus in faſtis Belgicis & Burgundicis in ſancto Vaſnulpho ita loquitur. *Non ſatis fuit Scotis doctrinam Chriſtianam apud Hebridum, Orcadum, aliarumque* Inſularum *vicinarum incolas publicaſſe, ſed ſuis minimè contenti anguſtiis apud exteras etiam gentes ſummo eam ſtudio propagarunt. Huius rei teſtes ſunt ſanctus Manſuetus primus Tullenſium in Lotharingia Epiſcopus, ſanctus Rumoldus Machlinenſium* Patronus, *ſanctus Colmannus Martyr, ſanctus Vaſnulphus & alij innumerabiles.* Idem *teſtantur plurima Scotorum olim per Germaniam monaſteria, in his Ratisbonenſe ſancti Iacobi in vrbe, & alterum Ratisbonenſe ſancti* Petri *extra muros vrbis, Erfodienſe ſancti* Iacobi *&c.* Petrus Cudſemius in Apologetico pro tractatu de deſperata Caluini cauſâ ſic loquitur. *Scotia quæ Angliæ contigua eſt & vnam cum ea Inſulam nomine Magnam Britanniam facit, Reges circiter nonaginta magna Dei benedictione per annos 1300. & amplius ſibi inuicem ſuccedentes à Donaldo primo Scotorum* Principe *Chriſtiano, qui à ſancto Victore* Papa *& Martyre in fidem Chriſti baptizatus eſt anno Chriſti 197. vſque ad Iacobum ſextum hodie Magnæ Britanniæ Regem, qui tamen & ipſe prouida matris Catholicæ, & ſanctæ Martyris Mariæ cura, Catholicè baptizatus eſt, ſed hæreticè à præfectis & præceptoribus inſtitutus fuit, Apoſtolicam Religionem Romanæ Eccleſiæ conſtanter & mordicus tenuerunt. Inter quos ſanctitatis & martyrij gloria ſplendet ſanctus Rumoldus Dauidis Scotiæ Regis filius, Mechlinienſis in Brabantia Apoſtolus, & primus Epiſcopus, &c.* Middendorpius lib. 8. Academ. cùm de Culdæis patribus Scotis egiſſet, ſubiicit. *Quorum diſcipuli* Kentigernus, *Columbus, Patricius, Sernanus, Ternanus, Aidanus & alij multi tantos progreſſus in Chriſtiana fide fecere vt ſubſequenti ætate* Scoticis *Monachis nihil Sanctius, nihil eruditius fuerit, & in vniuerſâ* Europâ *S. virorũ examina emi-*

ſerunt, quibus Fulda Germaniæ, ſanctus Gallus Heluetiæ, aliæque vrbes & monaſteria originem debent ſuam.

QVIBVS NOMINIBVS FVERIT olim Scotia appellata.

SCotiam noſtram olim nominibus Caledoniæ, Albionis, ſimilibuſque inſignitam fuiſſe nemo eſt qui dubitet, olim tamen Scotiam appellatam negant Capgranius Anglus, Geraldus Cambrenſis, Canellus, Roirk, Fizimon, Stanihuſtus, & alij Hiberni, ſolam Irlandiam ſuam ita nominatam fuiſſe contendentes. Hi tamen inter ſe non conueniunt quamdiu ipſorum Irlandia fuerit appellata Scotia. Fizimon in ſuo catalogo Sanctorum Hibernicorum ita appellatam vult vſque ad annum Chriſti 1000. & amplius, & in epiſtola ad librũ contra Riderũ exiſtimat tẽpore S. Bernardi adhuc ita vocatã. Donatus Roirk in ſua Hiberniâ reſurgente vult illud nomen retinuiſſe ſolum vſque ad extinctionem Pictici Principatus, quo exciſo partem illam Britanniæ, quæ nunc Scotia vocatur incœpiſſe hoc pacto appellari. Alij alia, & conſentientia non dicunt.

Verùm hæc omnia falſa ſunt nullaque ratione cum veritate conſiſtere poſſunt, & ſanè diſcordia ipſorum aduerſariorum de tempore manifeſtè oſtendit falſitatem ſententiæ ipſorum. Nos ex authoribus primò oſtendemus Scotiam noſtram à Chriſti temporibus ita appellatam, deinde probabimus fuiſſe etiam appellatam Hiberniã. Incipiamus à primo Sæculo 3. Irlandiam non fuiſſe appellatam Scotiam, ſed eam Britanniæ partem, quam iam Scotiam appellamus, patet manifeſtè ex Capgranio, qui eodem ſæculo vel paulò poſt floruit, quique ipſorum ſententiæ patrocinatur, qui in vitâ ſancti Columbani ita loquitur. *Beatus Columbanus in Hiberniâ Inſula in Oceano ſita, quam Scotorum gens inhabitat ortus eſt. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta eſt.* Vides hic ex Capgranio Hiberniam ſiue Irlandiam non ſuo tempore, ſed olim iuxta ipſius ſententiam ita fuiſſe appellatam. A Capgranio pergamus ad Richardum de ſancto Victore, qui floruit eodem quo ſanctus Bernardus tempore. Is ergo lib. 3. excep. cap 7. de Inſulis agens expreſſe diſtinguit Hiberniam Irlandicam, ſiue Irlandiam à Scotiâ atqui ſi Irlandia ſiue ipſorum Hibernia fuit tunc appellata Scotia non ita feciſſet, audiamus ipſum loquentem *In Oceano Septentrionali ab Oriente in Occidentẽ, Inſula Phaneliorum, Albatia, Hiperborea, &c. Orcades, Tile, Scotia, Britannia, Hibernia, &c.* Quid clariꝰ diſtinguit hic Angliã à Britonibus Britanniã appellatam, Scotiã, Hiberniã ſeu Irlandiã ſecundũ propria ipſorum nomina. Poſt Richardũ de S. Victore vti poſſumus contra aduerſarios teſtimonio Giraldi Cambrenſis, qui quãuis in ipſorum ſit ſententiâ, Irlãdiam nẽpe olim

Richardus de ſancto Victore.

appellatam Scotiam, tamen vt fatetur Stanihuſtus Hybernus in annotationibus ſuis in caput 17. eiuſdem Giraldi expreſsè vult tantùm olim ita appellatam. Vixit autem Giraldus teſte eodem Stanihuſto in vita ſancti Patricij, circa annum ſalutis 1176. A Giraldo pergamus ad Sigebertum, qui obijt anno Chriſti 1112. hic in chronico ad annum Chriſti 394. de ſancto Patricio ita loquitur: *Sanctus Patricius Scotus in Hyberniâ cum ſuis ſororibus venditur, vbi cùm eſſet Regis portarius Angeli alloquio ſæpè fruitur.* Quid clarius à quopiam dici potuit? Homo Gallus ſecernit Scotum ab Hyberno, Irlando, & Scotiam ab Hybernia Irlandica. Poſt Sigebertum accedat Beda, qui clariſſimè oſtendit Scotiam noſtram hoc nomine dum ipſe viueret appellatam: libro enim 3. hiſtoriæ cap. 3. ita loquitur. *Miſit* (nempè Oſuualdus Rex) *ad maiores natu Scotorum inter quos exulans ipſe baptiſmatis ſacramenta cum his qui ſecum erant militibus conſequutus erat, petens vt ſibi mitteretur Antiſtes, cuius doctrina & miniſterio, gens quam regebat Anglorum dominicæ fidei dona diſceret & ſuſciperet ſacramenta. Neque aliquantò tardiùs quod petiit impetrauit. Accepit namque* Pontificem *Aidanum ſummæ manſuetudinis & pietatis ac moderaminis virum.* Et paulò poſt: *Exinde* (inquit) *cæpere plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam atque illis Anglorum prouinciis, quibus regnauit Oſuualdus magna deuotione verbum Dei prædicare.* Ex hoc loco clariſſimè habemus noſtros Bedæ temporibus Scotos vocatos. Ait enim Beda miſiſſe Oſuualdum ad maiores natu Scotorum, & exinde cœpiſſe plures de Scotorum regione in Britanniam, hoc eſt terrã Britonum, vel Angliam ad Chriſtum prædicandum venire, atque Oſuualdus non miſit ad Hibernos Irlandos, ſed ad noſtros, noſtri igitur non Hiberni Irlandici ab ipſo Scoti vocantur: non miſiſſe autẽ Oſuualdum ad Hybernos Irlandicos clarum eſt; nam ab illis ad quos miſit habuit ſanctum Aidanum, ſed Aidanum ſanctum non habuit ab Hybernis Irlandicis, ſed à noſtris vt ex ipſo Beda euidens eſt, ait enim: *Monachi erant qui ad prædicandum venerant, Monachus ipſe Aidanus, vtpotè Inſulæ quæ dicitur Hoy deſtinatus, cuius monaſterium in cunctis penè Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monaſterijs non paruo tempore arcem tenebat.* Vides Bedam aſſerere Aidanum ſanctum miſſum fuiſſe ex Inſulâ Hoy, quæ Hebridum vna eſt, alio nomine Iona appellata, adhuc vna cum aliis Hebridibus ſub Scotorum imperio manens, vt bene teſtatur Ioannes Camertis in enarrationibus ſuis in Solinum, vbi de Hebridibus agens, *Hæ omnes Inſulæ* (inquit) *Scotiæ Chriſtianiſsimo Regi ſubeſſe dicuntur.* Nec tantum fuit Inſula Hoy ſub Scotorum imperio, verùm etiam 48. Regum ſepultura inſignis; conſtat namque vſque ad Malcolmi tertij tempora, Scotorum Regum funera ſumptuoſiſſimo apparatu in hanc Inſulã ratis claſſibus deducta fuiſſe. Accedit quod Beda ait monaſterium Inſulæ Hoy, ex quo profectus eſt Aidanus in cunctis penè Septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monaſteriis non paruo

Sigebertus *Beda.* *Beda.*

tempore arcem tenuiſſe; Pictos verò cohabitaſſe Scotis duntaxat, in eâ Britanniæ parte quæ nunc Scotia, omnium vox vna. Denique hęc Bedæ verba de noſtra Scotia dicta intellexerunt illuſtriſſimus Cardinalis Baronius tom. 8. ad annum 634. Arnoldus Mermannius in theatro conuerſionis Gentium, Polydorus Virgilius libro 4. Sigibertus in chronico ad annum 651. Hermannus Contractus in Chronico ad annum 651. Nicolaus Harpsfeldius Anglus in hiſtoriâ ſua Eccleſiaſtica Anglicanâ, mendaciſſima alioquin & apertis falſitatibus plena. Ex noſtris Ioannes Maior librò 2. de geſtis Scotorum capite 10. Ioannes Leſlæus lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ, Hector Boëtius lib. 9. eiuſdem hiſt. Secundò noſtros fuiſſe vocatos Scotos tempore Bedæ clariſſimum redditur ex capite primo lib. 1. hiſtoriæ Anglicanæ eiuſdem Bedæ, vbi hæc habet, *Hac* (nempe Britannia) *in præſenti iuxta numerum librorum quibus lex diuina ſcripta eſt, quinque gentium linguis vnam eandemque ſummæ veritatis & veræ ſublimitatis ſcientiam ſcrutatur & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione ſcripturarum cæteris omnibus eſt facta communis.* Vides hic Bedam populum aliquem in Britannia ſuo tempore ponere, eumque Scoticum appellari. Confirmatur hoc idem, nam paulò poſt explicans Beda, vnde hæ quatuor nationes in Britanniam venerint, ait Britones de tractu Armoricano; Pictos de Scythia; Scotos verò duce Reuda (intellige de reditu ipſorum in Scotiam) de Hibernia egreſſos & ferro ſibimet in Britannia ſedes vendicaſſe. *Procedente tempore* (inquit Beda) *Britannia poſt Britones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit, qui duce Reuda de Hibernia egreſſi, vel amicitia vel ferro ſibimet inter eos ſedes, quas hactenus habent, vindicarunt.* Alia loca clariſſima breuitatis cauſa omitto, neque hæc niſi quorumdam pertinacia vel potius ignorantia me coegiſſet, attuliſſem.

Beda.

Anno etiam Chriſti 596. Scotos noſtros ita fuiſſe nuncupatos luce clarius eſt ex ſancto Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo qui hoc tempore factus eſt Hiſpalenſis Epiſcopus; is ergo 14. originum cap. 6. agens de Inſulis hæc habet, *Scotia eadem & Hibernia proxima Britanniæ Inſula, ſpatio terrarum anguſtior, ſed ſitu fœcundior: hæc ab Africa in Boream porrigitur, cuius partes priores in Iberiam & Cantabricum Oceanum intendunt, vnde & Hibernia dicta eſt. Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata.* Ex hoc teſtimonio duo colligo. Primum Scotiam noſtram appellatam fuiſſe Hiberniam, quod paulò poſt fusè oſtendam. Secundum ipſum exiſtimare ita appellatam, quod in Hiberniam ſiue Hiberiam & Cantabricum Oceanum partes eius priores intendant. Tertium fuiſſe nationem aliquam Scoticam ipſius tempore diſtinctam ab Hibernica Irlandica: nam patriam huius nationis Scoticæ vult appellari Hiberniam, eo quod in Hiberniam partes eius priores intendant: Et verò ita intellexit ſanctum Iſidorum Vincentius in ſpeculo hiſtoriali lib. 1. cap. 75. vbi

Iſidorus.

ſanctum Iſidorum citat, verbaque ipſius citata affert: Vincentij verba ſunt hæc, *Scotia eadem & Hybernia proxima Britanniæ Inſula,ſpatio terrarum anguſtior, ſed ſitu fœcundior, hæc ab Africâ in Boream porrigitur, cuius partes priores in Hyberniam & Cantabricum Oceanum intendunt, vnde & Hybernia dicta eſt: Scotia autem à Scotorum gentibus creditur appellata.* Ecce ipſa ſancti Iſidori verba nullo prorſus mutato præter Iberiam in Hyberniam claritatis cauſa, & ad æquiuocationem tollendam, quæ erat in voce Iberiæ, vt potè communi Hiſpaniæ & Irlandiæ. Aduerte diligenter verba illa *partes priores intendunt*, quia nempè Hebrides ex vna parte reſpiciunt Cantabriam, ex alia Hyberniam Irlandicam: hæc autem verba nulla ratione de Irlandia intelligi poſſunt. Ex his habemus 596. Scotos noſtros ita fuiſſe nuncupatos, probandum mihi nunc eſt tempore Adriani Cæſaris ita appellatos; hoc autem non minus clarum eſt ex Floro Poëta qui in eum ita luſit.

Ego volo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scoticas pati pruinas.

Vides in Britannia Scoticas pruinas. Tempore etiam Claudij Cæſaris ita appellatos conſtat ex loco Senecæ ſuperius citato.

Ille Britannos vltra noti littora ponti
Et cæruleos Scoto-Brigantes dare Romuleis
Colla catenis iuſſit, & ipſum noua Romanæ
Iura ſecuri tremere Oceanum.

Sed quia ſuperius de hoc loco ſatis multa dixi non eſt qui in præſenti pluribus eum expendam Denique huc facit Seruij Antiquiſſimi Virgilii interpretis teſtimonium, quo luce clarius eſt Scotiam noſtram ſuo tempore vocatam fuiſſe Hyberniam: ita enim habet in illud Virgilij 1. Georgicorum,

Tibi ſeruiat vltima Thule.

Thule, *Inſula eſt Oceani inter Septentrionalem & occidentalem plagam, vltra Britanniam, Hyberniam, & Orcadas, &c.* Hæc Seruius, vbi per Britanniam, intelligere ipſum, Britonum terram, & per Hyberniā, Scotiam conſtat ex verbis illis, *vltrà Hyberniam*, Sanè dici non poteſt, Thule Inſulam eſſe vltrà Hirlandiam. Ex his ſatis probatum manet Scotiam noſtram olim hoc pacto nominatam. Videndum iam eſt fueritne Scotia noſtra olim vocata Hybernia. Clariſſimum eſt fuiſſe, primò ex loco paulò ante citato ex Iſidoro & Vincētio. 2. ex Beda, qui rem ita claram reddit vt omnem dubitationem tollat, nam libro 4. ſuæ hiſtoriæ agens de Egfrido Northumbrorum Rege exercituque ipſius Duce Berto in Scotiam contra Scotos miſſo ita loquitur vt aliquando Scotiam aliquando Hiberniam nominet. *Anno* (ait Beda lib. 4. cap. 26.) *Dominicæ* Incarnationis 684. *Egfridus Northumbrorum* Rex, *miſſo in Hiberniam cum exercitu Duce Berto, vaſtauit miſerè gentem innoxiam & nationi Anglorum ſemper amiciſſimam* (ſiquidem Egfridi pater Oſuus Rex, & Patrui omnes

Oſuualdus qui & poſteà martyr, Vanfredus & Oſuuik & Ebba auita perhumaniter ab Eugenio Scotorum Rege excepti & fidem Catholicam edocti fuere) *ita vt nec Eccleſiis quidem aut monaſteriis manus parceret hoſtilis, & anno poſt hunc proximo idem Rex cùm temerè exercitum ad vaſtandam Pictorum prouinciam duxiſſet, multùm prohibentibus amicis, & maximè beatæ memoriæ Cuthberto, qui nuper fuerat ordinatus Epiſcopus, introductus eſt (ſimulantibus fugam hoſtibus) in anguſtias inacceſſorum montium, & cum maxima parte copiarum, quas ſecum adduxerat, extinctus, anno ætatis ſuæ 40. Regni autem 15. die 13. calendarum Iuniarum. Et quidem, vt dixi, prohibuerunt amici ne hoc bellum iniret, ſed quomodo anno præcedente noluerat audire Reuerendiſſimum Patrem Egbertũ, ne Scotiam nihil ſe lædentem impugnaret, datum eſt illi ex pœna peccati illius ne nunc, eos qui ipſum ab interitu reuocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore ſpes cœpit & virtus Anglorum fluere ac retrò ſublapſa referri. Nam & Picti terram poſſeſſionis ſuæ, quam tenuerunt Angli, & Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt.* Vides hic Bedam aliquando patriam noſtram Hyberniam, aliquando Scotiam appellare. Quod verò illa Scotia quam Hyberniæ nomine indigitat, ſit noſtra pars manifeſtum eſt: nam poſt mortem Egfridi Northumbrorum Regis ait gentem Scoticam, quam ille vexauerat libertatem recepiſſe. Illa autem quæ recepit libertatem fuit Scotica gens quæ erat in Britannia, nam verba Bedæ ſunt. *Et Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt.* Ex quo loco pariter colliges id quod ſuprà probauimus tempore Bedæ noſtram gentem tunc Scoticam appellari conſueuiſſe. Denique Scotiam noſtram hic appellari Hyberniam exiſtimauit Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius tomo 8. ad annum Chriſti 684. his verbis, *Vocat author* (nempè Beda) *Scotiam Hyberniam.* Vide Ioannem Leſlæum Epiſcopum Roſſenſem lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ. Boëtium lib. 9. eiuſdem hiſtoriæ in Eugenio, Buchananum lib. 5. qui referunt Egfridum Northumbriæ Regem anno Chriſti 684. diſſuadentibus amicis & præcipuè Egberto ſancto coniunctis ſibi Pictorum copijs Scotiam ingreſſum & Eugenium Scotorum Regem hoc nomine quintum bello aggreſſum. Verùm ceſſantibus in pugna Pictis ab Eugenio ſuperatum Egfridum, & amiſſis ad 20. millia Saxonibus, ſaucium cum paucis euaſiſſe. Proximo autem anno æquè diſſuadentibus amicis in Scotos & Pictos præcipuè duxit exercitum, ſed ab ijs fugam ſimulantibus in inſidias tractus Egfridus Rex cum ſuis omnibus interimitur. Atque hic ſit ſecundus ex Beda locus longè clariſſimus quem de noſtra Scotia, vt vidimus intelligunt Baronius, Boetius, Leſlæus, & alij, ipſaque Bedæ verba manifeſtè euincunt.

Baronius.

Tertiò, idem facilè oſtenditur ex vita ſancti Columbæ Scoti ante mille annos à ſancto Adamanno Scoto conſcripta, & habetur apud Henricum Caniſium tom. 5. ant. lect. Loquens igitur Adamannus

Adamannus.

ſanctus

ſanctus de ſancto Columba ait, *Alio itidem tempore ſanctus in Iona conuerſans Inſula repentè inter legendum, ſummo, cum ingenti admiratione, gemitu ingemuit, quod videns qui præſens erat, Lugens, cœpit ab eo percontari ſubiti cauſam mœroris, cui ſanctus valdè mæſtificatus hanc dedit reſponſionem, Duo quidem nunc Regij generis viri in Scotia mutuis inter ſe vulneribus transfixi diſperierunt, haud procul à monaſterio quod dicitur Cellaros, in prouincia Magdoenorum* (alij legunt Magdonallorum) *& octaua dehinc peracta hebdomada, vltra fretum aliquis clamitabit, qui de Hibernia veniens hæc taliter facta enarrabit. Sed hoc ô filiole, quamdiu vixero nemini indices, &c.* audis quam prius Scotiam vocauerat Hiberniam poſtea appellare. At quæ quæſo regio Adamanno ſancto eſt Scotia? Eſt illa cuius Rex erat Aidanus, quique precibus ſancti Columbæ (quamuis amiſſis in prælio duobus filiis) contra Brudeum Pictorum & Ethelfredum Anglorum Reges præclaram obtinuit victoriam. Illa in qua poſt Aidanum Regem regnauit Eugenius eius filius, vt illi ſanctus Columba prædixit. *In tempore alio* (inquit ſanctus Adamannus in eadem vita) *hoc eſt poſt multos annorum tranſcurſus, cùm eſſet vir ſanctus in Iona Inſula, ſubitò dicit ad ſuum miniſtratorem, Cloccam pulſa: cuius ſonitu fratres incitati ad Eccleſiam ipſo ſancto præſule præeunte ocyus currunt, ad quos ibidem flexis genibus dixit, nunc intentè pro hoc populo & Aidano Rege Dominum oremus, hac enim hora ineunt bellum* (Brudeus ſcilicet Pictorum Rex & Ethelfredus Anglorum in Aidanum Scotorũ Regem conſpirarant) *& poſt modicum internallum egreſſus oratorium reſpiciens in cælum, inquit, Nunc barbari in fugam vertuntur, Aidanoque licet infælici* (Duos quippe filios Arthurum & Dunganum in hoc prælio amiſit) *tamen conceſſa eſt victoria. Sed & de numero de exercitu Aidani interfectorum trecentorum & trium virorum vir beatus propheticè narrauit. Alio quoque tempore ante ſupradictum bellum ſanctus Aidanum Regem Scotum interrogabat de regni ſucceſſore. Illo reſpondente, neſcire quis eſſet de tribus filijs regnaturus: ſanctus conſequenter hoc modo profatur nullus ex his tribus erit regnaturus; nam in bello cadent ab inimicis trucidandi. Sed nunc ſi alios iuniores habeas, ad me veniant, & quem ex eis elegerit Dominus Regem, ſubitò in meum irruet gremium. Quibus accitis ſecundum verbum ſancti, Eugenius (vitiosè Euchodius) adueniens in ſinu eius recubuit: ſtatimque ſanctus Eum oſculatus benedixit, & ad patrem ait, hic erit ſuperſtes & Rex poſt te regnaturus &c.* Vides Aidanum Scotiæ Regem: vides Eugenium eius filium poſt ipſum regnaturum: At cuius Scotiæ Rex Aidanus? cui Scotiæ præfuit poſtea Eugenius eius filius? omnium vna vox, in Scotia noſtra hæc facta ſunt, & ignorantes docebunt hiſtorici noſtri præſertim Leſlæus Epiſcopus lib. 4. hiſt. in Aidano, Boëtius lib. 9. hiſt. Maior & alij. Multa ſimilia loca quæ ex vita ſancti Columbæ deduci poſſunt breuitatis cauſa omitto, tantùm monitum volo lectorem ex eis manifeſtè haberi plurimos ex noſtris ſanctis, quos Irlandi ſuos eſſe volunt, ex noſtra Scotia eſſe.

Quartus locus quo ad hoc idem probandum vtor, eſt ex marty-

rologio Romano, quod ad 16. Decembris ita de ſancto Beano Epiſcopo loquitur, *Aberdone in Hibernia ſancti Beani Epiſcopi.* Quæſo hic ab aduerſariis vbinam ſit Aberdonia vel Aberdo Epiſcopalis ſedes? in Irlandia ne an in Scotia noſtra? in Irlandia eſſe, ni fallor, non dicent, clarum enim eſt nullam talem Epiſcopalem ſedem in Irlandia nec eſſe nec fuiſſe. At in Scotia noſtra extat celebris & antiqua ciuitas Aberdonia nuncupata ſupra Donam fluuium ſita, Epiſcopali ſede & vniuerſitate nobilis, cuius ciuitatis primum Epiſcopum fuiſſe ſanctum Beanum ſcimus, qui præfuit ſedi Epiſcopali Murthlacenſi poſtea Aberdoniam translatæ. Dicent fortaſſis Irlandi illum non fuiſſe Epiſcopum Aberdoniæ. Reſpondeo falſum omninò hoc eſſe: nam vt bene aduertit Molanus ad 16. diem Decembris Martyrologij Archiepiſcopi Adonis, fuit ſanctus Beanus primus Epiſcopus Aberdonenſis & Confeſſor. Ex quo colliges regionem in qua eſt Aberdonia vocari Hiberniam. Secundò illum fuiſſe primum Epiſcopum Aberdonenſem aſſerit Cardinalis Baronius in annotationibus ſuis ad martyrologium Romanum. *Fuit hic* (nempè Beanus ſanctus) *Epiſcopus Aberdonenſis.* Omitto de induſtria noſtros hiſtoricos.

Quinto loco hoc idem teſtatur manifeſtè Tritemius, qui oſtendit Hebridas Inſulas (quod valdè contra Irlandos ad ſoluenda multa quæ ab ijs obijci ſolent, notandum eſt aliquando vocatas fuiſſe Scotiam aliquando Hiberniam: nam libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis de ſancto Adamanno Scoto agens ita loquitur, *Adamannus presbyter & Abbas monaſterij Huenſis quod ſanctus Columbanus quondam conſtruxit in Inſula Scotiæ.* Videſne velle Tritemium monaſterium Huenſe quod erat in Inſula Huy ſiue Iona, eſſe in Inſula Scotiæ: audi iam eumdem Tritemium lib. 4. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti capite 137. de ſancto Aidano Scoto loquentem. *Aidanus,* inquit, *monachus cœnobij Huenſis in Hibernia.* Quod anteà in Scotia Hebridum nempe vna dixit eſſe, iam in Hibernia collocat.

Sexto loco idem conſtat ex Bozio lib. 8. de ſignis Eccleſiç cap. 7. vbi enumerans ſingularia euenta Scotiæ noſtræ ita loquitur. *Secundum* inquit *ſit Scoticæ nationis admirandum, nulla gens è Borealibus tamdiu perſtitit in vnanimi religionis conſenſu vt Scotica: conſtat ex Annalibus Proſperi anno 434. miſſum à Cæleſtino* Pontifice *Palladium Epiſcopum ad Scotos, ſed adijcit Proſper, iam credentes in Chriſtum. Quocirca tradunt in Scotia quæ tunc erat Hibernia, Chriſti cultum diſſeminatum eodem tempore quo in Britannia.* Vides hic Scotiam noſtram eo tempore quo fidem amplexa eſt, fuiſſe Hiberniam, & appellatam fuiſſe Hiberniam, nihil clarius.

Septimò loco idem teſtatur antiquus ille author vitæ ſancti Kiliani Martyris apud Surium tomo 4. *Sanctus* Kilianus, inquit *è Scotorum genere nobilibus ortus parentibus diuina gratia factus eſt nobilitate clariſſimus. Scotia quæ &* Hibernia *dicitur, Inſula eſt maris Oceani, fœcunda quidem glebis ſed viris ſanctiſſimis clarior, è quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Francia nobilitatur.* Quid clarius?

hic Scotiam ex qua fuit Kilianus ſanctus vult dici etiam Hiberniam. At ex qua precor, Scotia fuit Kilianus? ex illa, inquit Poſſeuinus in apparatu ſacro, cuius Monachis Scotis ob eius memoriam monaſterium fuit erectum Herbipoli: verba Poſſeuini ſunt hæc. *Kilianus Scotus Monachus & Martyr ſcripſit contra peregrinos cultus, paſſus eſt anno 689. 8. idus Iulij. Beda in Martyrologio. Is Herbipolenſium Epiſcopus ad Mœnum flunium Chriſti Domini fidem prædicans mortem ſubijt: ob cuius memoriam fundatum fuit pro gente Scotorum monaſterium.* Ex illa Scotia fuit Kilianus, cuius Monachis ipſe Herbipolenſis Epiſcopus Embricho in gratiam Kiliani Martyris monaſterium erexit & redditibus ditauit, vt idem Embricho in literis fundationis eiuſdem teſtatur apud Tritemium in chronico monaſterij ſancti Iacobi Scotorum his verbis. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Embricho Dei gratiâ Vuirſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Ratio diuinitus nobis creditæ diſpenſationis expoſtulabat omnibus noſtræ ſpeculationis præſidia ex debito ſuæ conditionis amplectentibus nos pro ſtudio reſpondere, ac ſumma prouidentia ne in poſterum à ſui iuris ſtatu fortè declinare contingat, prouidere. Ad notitiam tam præſentium quàm futurorum Chriſti fidelium volumus peruenire, qualiter nos in primis, tum Dei intuitu tum pro Reuerentia pretioſi Martyris Kiliani Scotos collegerimus.* Vides hic Epiſcopum in gratiam Kiliani Martyris Scotos colligere. At quos quæſo collegit? quibus erexit monaſterium? nobis certè, qui adhuc illud poſſidemus, nobis extra quos non ſolùm nullus eidem præfici potuit, ſed nec in eodem admitti, vt clarè teſtantur literæ Alexandri ſexti Pontificis Maximi de reformatione eiuſdem monaſterij ad Laurentium Epiſcopum Herbipolenſem his verbis. *Venerabilis frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus quod in monaſterio ſancti* Iacobi *Maioris Scotorum ordinis ſancti Benedicti tuæ Diœceſis, non longè ab arce tua Herbipoli conſtituto à primæua ipſius monaſterij fundatione ſolum Monachi Scoti recipi poſſint &c.* Nobis quibus, cùm ob penuriam Monachorum Scotorum Germanis fuiſſet traditum, reſtitutum fuit, teſte Buſæo loco citando, ab illuſtriſſimo Principe ac Domino D. Iulio Herbipolenſi Epiſcopo anno M.D.X.C.V. Vide Tritemium loco citato, Ioannem Buſæum in opera pia Tritemij, vbi hæc quæ diximus vera eſſe teſtatur. Vide præterea Ioannem Maiorem de geſtis Scotorum lib. 2. Aubertum Miræum in orig. Benedict. & alios. Quod de monaſterio Herbipolenſi dictum eſt idem omnino de alijs Scotorum monaſteriis in Germania dicendum eſt. In particulari autem de monaſterio Viennenſi idem dicendum eſſe conſtat ex literis ſummi Pontificis Vrbani Octaui nunc regnantis olim Scotiæ noſtræ digniſſimi ac optimi Protectoris ad Ferdinandum Cæſarem nunc etiam regnantem de reſtitutione eiuſdem monaſterij his verbis.

Poſſeuinus. *Buſæus.* *Maior.*

Chariſſime in Chriſto fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Scoticanæ nationi, par eſt nos in Pontificatu, & dignitate fauere, & rationibus conſulere, qui illius patrocinium in Cardinalatu ſuſcepimus. Ad id enim

nos hortatur & iuſtitiæ lex, & commiſerationis affectus. Non deſunt Scotis, qui à Catholica religione deſciſcere noluerunt, aſſiduæ periculorum minæ in patria in qua perinde atque in exilio deliteſcere coguntur, cùm identidem Hæreticorum crudelitatem ſanguine, & auaritiam patrimonijs expleant. Quare patiendum non eſt, quæ exteris in prouincijs bona poſſident de eorum poſſeſſione illos cuiuſpiam vi deturbari. Iure ergo conqueruntur Viennenſe monaſterium, quod Benedictinis Scotis tantummodò patere debet, à Germanis in præſentia occupari. Nos autem eorum calamitatem miſerantes hortamur Maieſtatem tuam, det operam, vt quamprimùm Scoticanum illud cœnobium Scotis Monachis reſtituatur. Neque deerunt in ea gente religioſi ſacerdotes, qui pro diuini nominis gloria monaſticæ diſciplinæ reſtitutione in ea ſtatione excubent. Negotium hoc diſſerendi nuntio noſtro fidem habere poterit Maieſtas tua, cui Apoſtolicam benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum 22. April. 1624. *Pontificat. noſtri anno* 1.

Multa alia loco ad hoc idem probandum afferre poſſem ex Molano, Bozio, Tritemio, Mariano Scoto, & aliis, præſertim Beda, qui libro 4. hiſt. cap. 4. ponit Magio, in quo ſanctus Colmannus collocauit Monachos Anglos, & monaſterium erexit, in Inſula Hiberniæ: at Magio in Orcadibus eſt, ibique adhuc cernuntur fundamenta illius monaſterij. Præterea lib. 5. cap. 16. ait opera ſancti Adamanni plurimam partem Scotorum in Hibernia, nonnullam etiam partem Britonum in Britannia rationabile & Eccleſiaſticum Paſchalis obſeruantiæ tempus Domino donante ſuſcepiſſe. At qui illi Scoti qui obſeruantiæ Paſchalis tempus ſuſceperunt? Illi prorſus ad quorum correctionem ſcriptæ fuerunt litteræ à SS. Laurentio, Mellito, & Iuſto; at illas ad noſtrorum correctionem ſcriptas euidenter infra euincam, At qui illi Scoti? Illi qui erant in Hebridibus præſertim in Inſula Huy quam ſupra Hiberniam vocari oſtendimus. Vide Cardinalem Baronium tomo 8. ad annum 664. vbi oſtendit Scotos noſtros non ex refractaria contentione Paſcha contra morem totius Eccleſiæ celebraſſe, nec fuiſſe propterea ſchiſmate aliquo ab Eccleſia ſeparatos. Poſſem, inquam multa ſimilia afferre, verùm breuitatis gratia omitto. Tantùm monitum cupio Lectorem vt ſi quandoque apud authores, ſanctos, Scotos legat appellari Hibernos, ex his quæ diximus quid ſentiendum ſit, diſcat, quod idem intelligendum eſt quando Scotia vocatur Hibernia: nomine enim Scotiæ noſtra intelligitur, vt ex dictis patet, & euidens eſt in Claudiano qui Scotiæ noſtræ luctum deſcribens de ſtrage copiarum noſtrarum ſic canit.

Baronius.

-----Maduerunt Saxone fuſo
Orchades, incaluit P*ictorum ſanguine Thule,*
Scotorum cumulos fleuit glacialis Hiberna.

Vides Hiberniam ſuorum cædem deflere. At quæ quæſo Hibernia illa cuius populus vnà cum Pictis Britanniam vel Britonum pa-

triam continuis bellis vexabat, quod noſtros Scotos feciſſe teſtantur omnes antiqui authores Gildas, Beda, & alij: & ſatis conſtat ex muro & vallo Seueri de quo ſuprà paragrapho de Antiquitate Chriſtianæ religionis apud Scotos. Vndè idem Claudianus exponens apparatum bellicum gentis noſtræ quæ vnà cum Pictis coniunctis copiis contra Britones arma mouerant, ſic patriam Britonum inducit exultantem de Stiliconis prouidâ & ſtrenua ſollicitudine,

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilico, totam cùm Scotus Hybernam
Mouit, & infeſto ſpumauit remige Tethys,
Illius effectum curis ne bella timerem
Scotica, ne Pictum *tremerem, ne littore tuto*
Proſpicerem dubijs venturum Saxona ventis.

Totum hoc clarius fiet ſi duo aduertantur. Primum eſt Scotos cum quibus Romani bellum geſſerunt fuiſſe in extrema parte Britanniæ & extremos Britannos, vt loquitur Claudianus lib. de bello Getico his verbis.

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat fræna truci, ferroque notatas
Perlegit *exanimes* Picto *moriente figuras.*

Secundum eſt Romanos non potuiſſe cum Hybernis Irlandicis tanta bella geſſiſſe quorum patriam conſtat ex Tacito legione vnâ obtineri facilè potuiſſe etiam ex relatione Reguli cuiuſdam Hyberni profugi legione vnâ & modicis auxiliis debellari, obtinerique Hyberniam poſſe.

Quæres cur Scotia noſtra appellata fuerit Hybernia. Reſpondeo ſanctum Iſidorum & Vincentium, vt ex ſupradictis conſtat exiſtimare ita vocatam quod in Hyberniam priores eius partes intendant. Verùm non placet, quare exiſtimo ita appellatam quod Scoti ex Hyberniâ in Albionem traiecerint poſtquàm ibi ad aliquod tempus hæſiſſent, vnde quodammodò Hyberni cenſebantur ac eorum patria Hybernia cùm præſertim lingua Hybernica illis cum Hybernis communis tum eſſet, & hinc eſt quod nos Scoti adhuc ipſos Scotos montana Scotiæ habitantes in Scotiâ Latinè Hybernos nominemus, vel Hybernos Scotos, vt Beda ſanctum Columbanum vocat.

NVM A CHRISTI TEMPORIBVS Hybernia Irlandica appellata fuerit Scotia.

HOc contendunt Capgrauius Anglus, Giraldus Cambrenſis, Serrarius, Cauellus, Stanihurſtus & alij Hyberni conantes hoc idem ex variis authoribus oſtendere.

Stanihurſtus probat primo ex antiquo authore qui de ſancto Patricio ita ſcribit,

Qui iuſsione Domini
Miſſus ad Hyberniam
Quæ plena erat Idolis
Dura ceruice incredula,
Qui tenebras Idololatriæ
Scoticæ gentis abſtulit
Et prædicauit hominibus
Fidem præclaro lumine,

Scoticæ gentis (inquit Stanihurſtus) pro Hyberniæ gentis.

Probat ſecundò ex quodam alio qui de eodem ſancto Patricio ita loquitur. *Tempore Theodoſij & Valentini Papa Cæleſtinus ad Scotos in Chriſtum credentes Palladium miſit Epiſcopum, quo defuncto ab eodem miſſus eſt ad eos ſanctus Patricius, genere Brito, filius Conches, ſororis ſancti Martini, qui in baptiſmo quidem dictus eſt Suchar: à ſancto Germano Magonius, à Cæleſtino verò Patricius, à quo Scotorum Archiepiſcopus ordinatus eſt, per annos 60. ſanctitate, ſignis & doctrinâ excellens totam Inſulam Hiberniæ conuertit ad Chriſtum.* Sanctus autem Patricius dum Scotorum Regi prædicaret, promiſcuè (inquit Stanihurſtus) nunc Hyberniæ, nunc Scotorum mentio fit.

Tertiò probat ex eo quod Cœlium Sedulium Poëtam nobilem, Hybernum fuiſſe perſpicuum ſit. Eius autem vita à Tritemio & Sixto Senenſi ita deſcribitur, *Cælius Sedulius presbyter natione Scotus.* Idē nomen (inquit Stanihurſtus) ipſe Sedulius vſurpat in epiſt. libro *Sedulius Scotigena.* Eius adnotationes in omnes Diui Pauli Epiſtolas (inquit) idem ita inſcribuntur,. *Sedulij Scoti Hybernenſis.* *Sedulius.*

Probat quartò quia ſanctus Gallus fuit Hybernus, vt agnoſcere etiam videtur Vallafridus Strabus: qui eius acta literis mandauit, in præfatione ſuâ, & tamen libro 2. capite 46. vocat Scotos de gente ipſius.

5. Probat ex vitâ ſancti Kiliani apud Surium tomo 4. Iulij 8. vbi hæc verba reperiuntur. *B. Kilianus è Scotorum genere nobilibus ortus parentibus diuinæ gratiæ factus eſt nobilitate clariſsimus Scotia quæ & Hibernia dicta eſt:* Quid clarius, (inquit Stanihurſtus) quid ſignificantius dici potuit?

6. Probat ex Iona in vita ſancti Columbani cap. 2. qui ita loqui-

tur. *Columbanus, qui etiam Columba vocatur, in Hyberniâ ortus eſt*, I*nſula in extremo ſita Oceano, ſpectante Titanus occaſum, dum vertitur orbis, & lux occiduat ponti deſcendit in vmbras. Inſula huius ſitus vt ferunt, amœnus eſt, & immunis ab armis & bellis exterarum nationum. Eam Scotorum gens incolit.*

7. Probat ex vitâ ſancti Columbæ cuius author ita loquitur, *Sanctus Columba prædicens interitum cuiuſdam impij ſceleratique, planè hæc verba facit. Et conuerſus ad fratres, ait, hic homo filius eſt perditionis, qui, quam promiſit pœnitentiam, non explebit, ſed mox ad Scotiam reuerſus ab inimicis percuſſus peribit. Factumque eſt ita, nam ad Hyberniam regreſſus ille miſer in manus inimicorum incidens trucidatur.*

8. Probat ex eodem authore qui (inquit Stanihurſtus) in totius cauſæ arcem inuadere videtur. Eius verba hæc ſunt. *Beatus Columbanus in Hyberniâ*, I*nſula in Oceano ſita, quam Scotorum gens inhabitat ortus eſt. Hybernia enim antiquitus Scotia dicta eſt, de quâ gens Scotorum Albaniam Britanniæ Maiori proximam, quæ ab euentu modò Scotia dicitur, inhabitans originem duxit.*

9. Probat ex eodem Capgrauio, qui in vitâ ſanctiColumbæ ſuam narrationem his verbis terminat. *Eſt autem ſciendum quod Hybernia propriè Scotorum eſt patria.*

10. Probat ex venerabili Bedâ, quem ait in multis locis Hyberniam exprimere volentem Scotiam ſcripſiſſe. Et lib.1. Angl. hiſt. cap. 1. lib.2. cap 4. lib.3. cap.4. & cap.27.

Et hæc ſunt omnia Stanihurſti argumenta, quæ quantum roboris habeant in ſequentibus expendendum eſt. Vt igitur omnia quæ dicturi ſumus faciliùs intelligantur, recolendum eſt quod ſupra diximus ex plurimis grauiſſimiſque ſcriptoribus, Scotos nimirùm multis annorum centuriis ante Chriſti aduentum in Britanniâ ſuas fixiſſe ſedês, Chriſtianamque fidem amplexos ſub Victore 1. Pontifice maximo & Martyre. Recolendum 2. quod ibidem diximus Scotos poſt longiſſimum cum Romanis bellum tandem patriâ pulſos à Maximo Tyranno circa annum Chriſti trecenteſimum ſeptuageſimum octauum, multoſque in Irlandiam, maximam tamen partem in Daniam tranſmiſiſſe, ſicque extra Scotiam 44. circiter annos fuiſſe, tandem Duce ac Rege Ferguſio huius nominis ſecundo anno Chriſti 422. Honorij verò Imperatoris 28. iuito cum Pictis occulto fœdere à Romanis inſtauratum a ſe regnum recepiſſe. Hanc Scotorum eiectionem teſtatur Ado Viennenſis, *Ado.* ætate 6. Iacobus Gordonius Leſmoræus tomo 2. Chronologiæ ad annum Chriſti 422. Georgius Buchananus lib.4. hiſtoriæ Scoticæ, Ioannes Maior, Hector Boetius, Ioannes Fordinus & alij ex noſtris in hiſtoriâ noſtra. Ex quibus tria obiter colliges, 1. quàm falsò DonatusRoirk in ſua Hyberniâ reſurgente dixerit. Scotos poſt Ferguſij ſecundi tempora nondũ fuiſſe Britanniæ habitatores eiuſque incolas. Vt enim iam vidimus ex grauiſſimis hiſtoricis Scoti

annis ante ipſum 44. à Romanis duce Tyranno maximo à ſuis ſedibus pulſi fuerunt. Adde probaſſe nos ſuperiùs ex authoribus omni exceptione maioribus, Italis, Germanis, Gallis, Hiſpanis, Belgis, Anglis, Scotis Scotos noſtros vnà cum Rege ſuo Donaldo ſub Victore Pontifice Maximo & Martyre fidem ſuſcepiſſe.

2. Quàm imperitè alij dicant primum Scotorum Regem fuiſſe Edgarum, citantes Genebrardum in chronico: vt enim rectè aduertit citatus Gordonius tomo 2. ſuæ Chronologiæ paulò ante ſeriem Regum Scotorum. *Hallucinantur plurimùm qui Scotiæ Reges à Rege primum vncto numerant.* Errori locum feciſſe potuit illa ipſa ſacra Regum apud Scotos invnctio quæ non niſi ſerò in Edgaro & poſt plures annos à primo Chriſtiano Rege inuecta eſt. Quod idem aliis nobiliſſimis Galliæ, Angliæque regnis eueniſſe fatētur regni vtriuſque hiſtoriarum conditores. Nec tamen propterea à ſerie Regum rejiciuntur, qui vel à Faramundo Francis, vel à Saxonum aduentu *Genebrard.* in Britanniam Regali titulo iura dederunt. Nec eſt quod Genebrardum pro ſe citent, nam ſi Genebrardum legiſſent nunquam illum in teſtem ſuæ inſcitiæ attuliſſent. Genebrardus enim quando vult Edgarum primum fuiſſe, intelligit primum ex ſacrâ vnctione inauguratum, vt clariſſimum eſt cùm in teſtem citet Hectorē Boëtium qui nihil aliud habet, & alioqui ipſe Genebrardus ſibi clariſſimè contradiceret cùm ad annum Chriſti 202. ſub Victore Pontifice Maximo Donaldum Scotiæ Regem fidem Catholicam ſuſcepiſſe ſcribat.

3. Non minorem eſſe illorum inſcitiam qui primum Scotorum Regem volunt fuiſſe Kenethum, de quo habetur antiquus ille verſus.

Primus in Albanis fertur regnaſſe Kenethus,
Filius Alſini prælia multa gerens.
Expulſis Pictis regnauit is octo bis annis.

Hoc enim intelligendum eſt poſt ſubactos Pictos, & in totâ illa parte quæ nunc Scotia dicitur, cuius pars tunc Pictlandia dicebatur, vt clarè patet ex dictis & ex ipſo citato verſu. Fuit ergo primus Scotorum in Albione Rex, Ferguſius huius nominis primus qui anno circiter 562. (vt primo capite fuſiùs diximus) ante Chriſti aduentum in Britanniam traiecit, ibique ferro ſibi regnum Scoticum fixit, de quo in hiſtoriis noſtris antiquum hoc carmen legimus,

Albion in terris Rex primus germine Scotus,
Ferguſius primus, dans iura & ſceptra Britannis.

Vide Maiorem, Boëtium, Leſlæum, Fordinum, Buchananum, Elphinſtonium, Veremundum & alios in principio hiſtoriæ Scoticæ. Et hæc breuiter data occaſione hac de re agendi dicta ſint: ſed ad rem redeamus.

Sciendum 3. poſt Scotorum ex Daniâ in Albionem reditum Pelagium famoſum illum hæreticum (quem ſanctus Hieronymus videtur

detur velle fuiſſe Scotum. *Habet* (inquit) *progeniem Scoticæ gentis de Britannorum viciniâ*) hæreſes ſuas ſpargere incœpiſſe tum in eâ Britanniâ, quæ iam Anglia dicitur, tum etiam occultè in ea parte quæ Scotia dicitur. Cœleſtinum verò Pontificem vt huic hæretico obuiam iret, in illã Britanniæ partem quam Angliam nominamus ſanctum Germanum deſtinaſſe, in noſtram verò Scotiam ſanctum Palladium ſub annum Chriſti 431. tum ad Pelagianam hæreſim (quam iam diximus Pelagium tum occultè ſpargere incœpiſſe) præcauendam, tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ Scotorum vt vidimus, primariis à Maximo Tyranno Scotia exactis multùm elanguerat, priſtino ſplendori reſtituendam. De hac Legatione ita Proſper Aquitanicus. *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad Eccleſiæ Catholicæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen iudicij, ſed ſolùm pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum: Cœleſtium quaſi non diſcuſſo negotio, audientiam poſtulantem totius Italiæ finibus iuſſit extrudi: adeò vt prædeceſſorum ſuorum ſtatuta & decreta ſynodalia inuiolabiliter ſeruanda cenſebat: vt quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò ſegniore curâ ab eodem malo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiâ ſolum ſuæ originis occupantes etiam ab illo ſecreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam Inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Verùm quia miſſum ad ſe ſanctum Palladium Hyberni Irlandici contendunt acriter, hocque de Hyberniâ ſua Irlandicâ dictum volunt, oſtendendum breuiter eſt hoc nullâ ratione cum veritate conſiſtere. Et primò quidem Scoti ad quos fuit miſſus Palladius credebant in Chriſtum: at Hyberni nõdum credebant in Chriſtum, nec erant adhuc ad Chriſti fidem conuerſi, ſiquidem ipſe Stanihurſtus Hybernus in vitâ ſancti Patricij teſtatur quod ante ſancti Patricij in Hyberniam aduentũ ſcatebat idolis, nec poteſt Donatus Roirk contrarium aſſerere, qui in hymno ſuperiùs citato vult per Scotiam & Hyberniam ipſorum Irlandiam intelligi. Quod verò Scoti ad quos à Cœleſtino Pontifice miſſus eſt Palladius, fuerint Catholici, & Chriſti fide imbuti, teſtatur ipſe Proſper in chronico his verbis. *Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur.* Vidit hoc argumentũ Stanihurſtus penitùs euincere rem de qua agitur; ſed quid fecit? Citans locum antiqui cuiuſdam, in quo habetur hoc idem, nempè *Ad Scotos in Chriſtum credentes*, cum Platinâ addit, appoſito ad marginem ſicut & ad ipſam vocem credentes aſteriſco, fortè credituros. Sed non euades Stanihurſte, nec enim tantùm habentur hæc verba in breui Canon. Regul. cap de Sion, de quo ibi agis: ſed vt oſtendi etiã in Proſpero, nec ibi tantùm & in Proſpero, ſed & in Beda, qui in Epitome hiſtoriæ Anglorum idem ſcribit. *Anno* (inquit) *quadringenteſimo triceſimo, Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes à Cœleſtino Papâ primus mittitur Epiſcopus.* Idem ha- Proſper.

bet Beda lib. 1. hiſtoriæ Angl. cap. 13. his verbis. *Palladius ad Scotos in Chriſtum credentes à Pontifice Romanæ* Eccleſiæ *Cæleſtino primus mittitur Epiſcopus.* Idem habent Sigebertus & Euſebius Pamphylus in chronicis. Vides Stanihurſte quàm vnanimi conſenſu omnes hi antiqui authores ponant, *Ad Scotos in Chriſtum credentes.* Et tamen vt tuæ Hiberniæ Irlandicæ ea conuenire poſſe oſtendas, genuinum peruertis ſenſum, ad marginem addendo *fortè credituros*? Dic ſodes, quis vnquam ante te & Platinam tuum illa verba appoſuit? Melius eſſet, mihi crede, veritati manus dare, quam impudenter illam reſpuere. Addo denique ad plenam probationem huius veritatis hæc verba de noſtris Scotis intellexiſſe illuſtriſſimum Baronium tomo 5. Annalium Eccleſ. ad annum Chriſti 429. Thomam Bozium lib. 8. cap 3. Polydorum Virgilium lib. 3. hiſtoriæ Anglicanæ, qui etiam eumdem Palladium, Conſtantinum Scotorum Regem à ſocietate Saxonum auertiſſe ſcribit, adeò quidem vt & ſubſidia Britannis contra eos poſtea miſerit. Tritemium libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Gordonium Leſmorræum tomo 2. Chronologiæ ad annum Chriſti 429. Leſlæum, Boëtium, Maiorem & alios.

Baronius. *Bozius.*

Sed dices, quid intelligit per Romanam Inſulam Proſper, cùm ait, *Et ordinato Scotis Epiſcopo dum Romanam Inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Reſpondeo illum illam partem Britanniæ quæ Anglia dicitur intelligere, quæ Romana dicebatur eò quod Romanis 400. & ampliùs annos paruiſſet, quod de Scotia dici nequit, cùm conſtet Seuerum Imperatorem non ſolùm Scotos ſubigere non potuiſſe, verùm etiam coactum vt defenderet à Scotis illam partem quam Angliam vocamus, murum per tranſuerſam Inſulam ad 132. millia paſſuum ducere. Atque ex his facilè datur intelligi quid intelligat Proſper per illa verba *fecit barbaram Chriſtianam*, Scotiam noſtram intelligit quam ideò dicit ex barbara feciſſe Chriſtianam, quod Chriſtianam & Eccleſiaſticam diſciplinam (quæ ob Scotorum, vt diximus, diuturnum exilium & cum Romanis ſub Maximo Tyranno bella frequentia elanguerat) reſtituerit, Orcadéſque Scotiæ Inſulas adhuc gentiles ad Chriſti fidem per ſanctum Sernanum Scotum, diſcipulum ſuum conuerterit, Vide Leſlæum lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ, Maiorem in ſua hiſtoria, Arnoldum Mermannium in theatro conuerſionis Gentium, Regium in Calendario, Impios Centuriatores centuria 5. cap. 10. & alios.

Leſlæus. *Maior.*

Sciendum 4. poſt mortem ſancti Palladij ſanctum Patricium natione Scotum ab eodem Cœleſtino Pontifice in Scotiam Apoſtolatum accepiſſe; verũ cũ Scotia noſtra Dei benignitate in fide Catholica tum floreret, haberetque viros Apoſtolicos ſancto Patricio coætaneos non paucos, Sernanum Orcadenſium Apoſtolum, Ternanum ſancti Niniani ſucceſſorem, Queranum Benchorenſem Abba-

tem & multorum monachorum patrem, Kentigernum Culroſſani Monaſterij antiquiſſimi gloriam (quem monachos diſcipulos 965. Capgrauius Anglus teſtatur habuiſſe) Columbum, Nethelmum, Fridelinum, & alios Scotorum grauiter excolentes Eccleſiam, Irlandis nondum ad Chriſtum conuerſis lubenti conceſſit animo. Confirmat hoc idem Cœleſtinus Pontifex, eique in Hiberniam Irlandicam Apoſtolatum confert, quem lubenter amplexus ſanctus Patricius rectà in Hiberniam contendit, ibique per annos 40. in ſignis atque mirabilibus prædicans illam Inſulam ad fidem perduxit. Teſtantur hæc omnia multi graues authores & imprimis Marianus noſter in chronico lib. 2. ad annum 432. his verbis. *Ad Scotos in Chriſtum credentes à Papa Cæleſtino Palladius Epiſcopus mittitur. poſt ipſum ſanctus Patricius, &c. Et ad Archiepiſcopatum Hibernenſem mittitur.* Idem teſtatur illuſtriſſimus Baronius in Martyrologio ad 17. Martij his verbis. *Succeſſit* (nempè ſancto Palladio) *ſanctus Patricius conſecratus ab eodem Cœleſtino Papa qui & ad Hibernos miſſus ibi per annos 40. in ſignis atque mirabilibus prædicans totam inſulam Hiberniæ conuertit ad fidem.* Idem teſtatur Gordonius 2. tomo ſuæ chronologiæ ad annum Chriſti 431. his verbis. *Mortuo Palladio in Scotia Epiſcopo ſuccedit ſanctus Patricius Scotus, qui Apoſtolatum accepit in Hiberniam & Scotiam.* Porrò ſanctum Patricium Scotum fuiſſe teſtantur plurimi & grauiſſimi authores ex quibus (vt Hiberni videant nobis ſe ſuam debere conuerſionem) aliquos tantùm citabo. Primus ſit Sigebertus in chronico ad annum Chriſti 394. his verbis *Sanctus Patricius Scotus in Hibernia* (hoc factum eſt ipſo adhuc iuuene, nam ætatis anno 22. libertate donatus eſt) *cum ſuis ſororibus venditur.* Secundus ſit illuſtriſſimus Baronius qui tomo 5. Annal. Eccl. ad annum Chriſti 431. ita loquitur, *Hibernorum quidem conuerſionem S. Patricio Deus reſeruauit, qui (vt tradunt) Scotus genere, natus ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi ſorore ab eo Clericus ordinatus ſub eius inſtitutione tranſegit.* Tertius ſit Maurolicus in ſuo Martyrologio, qui idem teſtatur his verbis, *In Scotia natale ſancti Patricij Epiſcopi, qui in Hiberniâ ad edomandos barbaræ gentis animos barathrùm fecit horrendum.* Quartum locum obtinebit R. P. Iacobus Tyrius olim pro Gallia ſocietatis Ieſu aſſiſtens, qui in tractatu de Antiquitate religionis apud Scotos Iouiſonij nomine falſo edito, ita loquitur, *Teſtis eſt ſanctus Patricius apud Glaſcuenſem ciuitatem in Scoti natus, cuius opem infantes Hiberni ex matrum pendentes vberibus implorare videbantur.* Quinto loco veniat Gordonius citatus loco etiam citato qui in hæc verba idem teſtatur. *Mortuo Palladio in Scotia Epiſcopo ſuccedit ſanctus Patricius Scotus qui Apoſtolatum accepit in Hiberniam & Scotiam.* Idem teſtantur multi alij quibus omiſſis vnum tantùm Camdenum Anglum hæreticum hominem in gratiam Hibernorum adferam, qui ad confirmanda ſua tam libenter illum citant. Hic ergo in ſua Britannia ita loquitur de ſancto Patricio. *Hic natione*

Marianus.

Baronius.

Sigebertus

Baronius.

Britannus in Auidſdaliâ (eſt hæc Scotiæ prouincia) *natus & Martino Turonenſi affinitate coniunctus, & ſancti Germani diſcipulus, Palladio defuncto à Cœleſtino ſubrogatus tanto ſucceſſu Chriſtianam religionem per Hyberniam propagauit, vt longè maximam Inſulæ partem ad Chriſtum conuerterit, & Hybernorum Apoſtoli nomen meruerit.*

Ex his clarè oſtenditur nulla eſſe Stanihurſti argumenta. Primum enim veriſſimum & facillimum habet ſenſum, nempè eumdem ſanctum Patricium, qui miſſus fuit in Hyberniam vel Irlandiã idolis plenam abſtuliſſe etiam tenebras Idololatriæ Scoticæ gentis, nempè Scotiæ noſtræ cuius Apoſtolus antea fuerat. Quid certiùs? nam vt antea diximus, quamuis pars illâ Scotiæ, quæ cum Anglia continens eſt, vnamque Inſulam facit; in Catholica fide tempore ſancti Patricij Apoſtoli ſui floreret, tamen Orcades Inſulæ Scotiæ nondum erant conuerſæ, ſed tunc conuertebantur per ſanctum Sernanum Scotum & alios, quarum Inſularum conuerſionem, quid mirum ſi ſanctus Patricius tunc Scotiæ Apoſtolus promeruerit, ab eiſque Idololatriæ tenebras dicatur abſtuliſſe? non quidem per ſe, ſed per Sernanum ipſo Apoſtolo exiſtente; eo planè modo quo ſancto Palladio earum conuerſio adſcribi ſolet, non quod Palladius per ſe illos conuerterit, ſed quod Palladio Apoſtolatum in Scotiam obtinente conuerſio illorum inchoata ſit. Adde non videri vllum dubium qùin aliqui ex Scotis aut ſaltem illorum filiis qui in Daniâ, Noruegiâ, Irlandiâ & aliis regnis inter Gentiles vixerant iſtis 44. annis quibus in exilio erant, Idololatriam iſtorum amplexi fuerint, nec omnes à ſancto Palladio conuerſos atque adeò hos ad Chriſtum conuertendo ſanctum Patricium dici potuiſſe abſtuliſſe Idololatrias Scoticæ gentis. Et certè ita intelligi debere manifeſtum eſt ex Martyrologio Gallico quod ad 17. diem Martij ita de ſancto Patricio loquitur. *En* I*rlande, ou* H*ybernie mourut ſainct* Patrice *Confeſſeur, lequel ayant obtenu du* Pape *puiſſance de preſcher l'*E*uangile, conuertit pluſieurs* E*ſcoſſois & Irlandois.* Vbi vides diſtingui Scotos ab Hybernis Irlandicis, eorumque conuerſionem ab Irlandorum conuerſione. Idem etiam & clariùs patet ex Ariâ infra citando. Denique ſi aliam reſponſionem vis hymnum, ſic cane & interpunge.

Miſſus ad H*yberniam*
Quæ plena erat Idolis
Durâ ceruice incredula,
Qui tenebras Idololatriæ
Scoticæ gentis abſtulit.

Vltimo verſu, Scoticæ gentis, non ad Irlandicos, ſed ad ipſum Patricium referendum, vt ſit ſenſus, Patricius Scoticæ gentis ſacerdos Irlandicos duræ ceruicis & incredulos ad fidem reduxit.

Secundum argumentum deductum ex quodam antiquo authore, qui habet Palladium ad Scotos in Chriſtum credentes à Cœleſtino

Pontifice miſſum contra ipſum Stanihurſtum pugnat, vt ex ſuperiùs dictis conſtat. Oſtendimus enim illa verba de Scotia noſtra non ipſorum Hibernia Irlandica intelligenda eſſe, eò quod ipſorum Hibernia nondum eſſet tunc fide Chriſti imbuta. Adde Palladium ſanctum à Cœleſtino in Scotiam ad Pelagianam hæreſim ibi pullulantem ſupprimendam miſſum eſſe, ac conſequenter Scotiam ad quam miſſus eſt, non poſſe eſſe Hiberniam: Palladium verò ad Pelagianam hæreſim ſupprimendam miſſum fuiſse in Scotiam ex verbis Proſperi citatis, conſtatq; in hunc modum loquitur. *Nec verò ſegniori curâ* (nempe Cœleſtinus Pontifex) *ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiâ ſolùm ſuæ originis occupantes etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam Inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Sed hæc fuſiùs videri poſsunt in notab. 3. ſupra poſito vbi latè hoc idem probauimus. *Proſper.*

Tertium argumentum Stanihurſti de Cœlio Sedulio Poëta contra ipſum itidem pugnat. Clariſſimum enim eſt Sedulium ex noſtra Scotia fuiſse; vnde ſi à quibuſdam Hibernus dicatur, hoc noſtræ cauſæ minimè obeſt, imò probat quod diximus, Scotiam noſtram olim Hiberniam appellatam; Sedulium verò ex Scotia noſtra fuiſſe, Primò (vt ab authoribus incipiamus) tradit Sixtus Senenſis in bibliotheca lib. 4. his verbis. *Cœlius Sedulius presbyter natione Scotus, Hildeberti Scotorum Archiepiſcopi ab ineunte ætate diſcipulus, qui velut alter Apollonius Thyanæus fugientem ſapientiam toto terrarum orbe perquirens Britanniam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Græciam, & Aſiam miro diſcendi ardore perluſtrauit, tandemque Romæ diuinis & humanis doctrinis illuſtris ſub Theodoſio Auguſto floruit, & moritur anno* 450. Idem habet Tritem. lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis his verbis. *Sedulius presbyter natione Scotus Hildeberti Scotorum Archiepiſcopi ab ineunte ætate diſcipulus.* Idem habet Poſseuinus in apparatu ſacro, Sigebertus, Frizius, Tigurinus, Baronius, & alij. Secundò, vt ex citatis authoribus liquet, fuit Sedulius ſancti Hildeberti Scotorum Archiepiſcopi eximia ſanctitate & ſingulari doctrina viri diſcipulus, obijtque anno 450. Atqui ſanctus Hildebertus non potuit eſse Hibernorum Irlandicorum Archiepiſcopus; cùm ex ſupradictis conſtet ipſos per ſanctum Patricium non fuiſse conuerſos, niſi diu poſt mortem ipſius ſancti Hildeberti, quem conſtat floruiſse ſub annum Chriſti 390. ac conſequenter nec ipſe Sedulius Hibernus potuit eſse, quippe ſancti Hildeberti diſcipulus, & qui ſenex dum ipſe Patricius adhuc Hibernis Chriſti fidem prædicaret, obiit, nempe anno Chriſti 432. ad Hibernos miſsum. Totam hanc veritatem confirmat ipſe Sedulius, qui ſub initium epiſt. ad diuerſos ſe Scotigenam, ſiue Scotum vocat. *Sixtus Senenſis.* *Poſſeuinus.*

Quartum argumentum ex ſancti Galli patria deductum friuolum eſt & contra ipſum etiam pugnat, nam quod vocetur patria ipſius Hibernia à Vvalfrido & tamen lib. 2. cap. 46. Scoti vocentur de gē-

te ipſius bene probat Scotiam noſtram olim Hiberniam fuiſſe appellatam: ſanctum verò Gallum ex Scotia noſtra fuiſſe Egilvualdus in vita ſancti Burchardi apud Surium 14. Octob. teſtatur his verbis. *Non tamen otioſè prætereundum; imò pro Chriſti amore toto cordis acumine ſpeculandum &c. dum Scotia nobis lumen noſtrum primitiuum deſtinauit Kilianum, Burgundis Columbanum, Alemannis Gallum.* Vides hic eamdem Scotiam quæ Franconibus Kilianum, Burgundis Columbanum & Alemannis Gallum deſtinaſſe, at ſanctum Kilianum Hiberniam Irlandicam nullo modo Franconibus deſtinaſſe ſupra fuſè probauimus. Egilvualdo conſentit Iodocus Metſlerus apud Henric. Caniſium tom. 5. antiq. lect. pag. 727. his verbis, *Sanctus Gallus electus & dilectus Dei famulus primus terræ huius & loci incola multorum ſanctorum Monachorum pater hic exſtitit, qui adoleſcens ſub obedientia & Regula ſancti Columbani in Scotiâ spretis nobilibus parentibus mundique pompis pauperum vitam elegit, &c.* Idem habet Aubertus Miræus in Origi. Benedict. cap. 19. his verbis. *Fuit ſanctus Gallus natione Scotus ſancti Columbani diſcipulus, Brigantinorum & Arponenſium Apoſtolus, obiitque anno* 640. Idem denique (vt multos alios omittam) Poſſeuinus in apparatu ſacro his verbis. *Gallus Scotus vir ſanctus & Abbas, & ſancti Columbani diſcipulus, Monachus antea in Scotiâ è congregatione Benchorenſi,* (fuit hæc congregatio in Inſula Hoy ſiue Iona Scotorum Regum, vt diximus, ſepultura inſigni) *à quo cœnobium & oppodum ſancti Galli in Heluetia nomen habuit. Scripſit orationem & formam gubernandæ Eccleſiæ.*

Quintum argumentum oſtendimus fuſè cap. 3. contra ipſum pugnare. Vide ea quæ ibi diximus, tantum hic repeto teſtimonium Poſſeuini in apparatu ſacro, qui ait ſanctum Kilianum Scotum fuiſſe, & in ipſius gratiam fundatum fuiſſe Herbipoli pro gente noſtra monaſterium: verba Poſſeuini hæc ſunt. *Kilianus Scotus Monachus & Martyr ſcripſit contra peregrinos cultus, paſſus eſt anno 689. Octauo idus Iulij. Is Herbipolenſium Epiſcopus ad Mœnum fluuium Chriſti Domini fidem prædicans mortem ſubiit: ob cuius memoriam fundatum fuit pro gente Scotorum monaſterium.*

Sextum argumentum ex Iona in vita ſancti Columbæ deductum, probat, id quod ſæpius dictum eſt nempe Scotiam noſtram olim fuiſſe etiam appellatam Hiberniam. Porro Hiberniam ex qua fuit Columbanus Scotiam noſtram eſſe conſtat ex dictis de ſancto Gallo, & clariſſimum redditur ex epiſtola illa ad Scotos miſſa SS. Laurentij, Melliti, & Iuſti, qui à Gregorio Magno ad Anglos conuertendos fuere miſſi. Epiſtolæ verò partem refert Beda. *Dominis chariſſimis fratribus Epiſcopis vel Abbatibus per vniuerſam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Iuſtus Epiſcopi ſerui ſeruorum Dei. Dum nos ſedes Apoſtolica more ſuo ſicut in vniuerſo orbe terrarum: in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc Inſulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introiſſe, antequam cognoſceremus credentes quod iuxta morem vniuerſalis Eccleſiæ ingrederemur in magna reuerentia ſancti-*

Surius.
Caniſius.
Miræus.
Beda.

tatis tum Britones tū Scotos reueriti ſumus, ſed cognoſcentes Britones, Scotos meliores putauimus. Scotos verò per Dagamum Epiſ. in hanc quam ſuperius memorauimus Inſulā, & Colūbanū Abbatē in Gallijs venientem nihil diſcrepare à Britonibus in eorum conuerſatione didicimus. Nā Dagamus Epiſcopus ad nos veniens non ſolùm cibum nobiſcum, ſed nec in eodem hoſpitio in quo veſcebamur, ſumere voluit. Vides hic ſanctum Columbanum eſſe Scotum: at ex qua precor Scotia? Ex illa quæ vna cum Anglia Inſulam facit, quæ magna Britannia dicitur vt manifeſtè oſtendit particula (*hanc* ex qua etiam particula euidens eſt recitatas literas ad Scotos noſtros miſſas non ad Irlandos, vt ipſi contendunt. Confirmatur, quia authographum illius epiſtolæ in Scotia noſtra in Dumblanenſis Eccleſiæ Archiuis vidit Georgius Neutonus Archidiaconus qui ante 130. annos Eccleſiæ illius acta luculento ſtylo poſteritati commendauit. Dicant ergo Irlandi, ſi ea epiſtola ad Scotos noſtros non miſſa, quomodo in Scotorum ſcriniis poſt mille & amplius annos reperta? & ſi ad Irlandicos deſtinata, cur non alicubi in Irlandia extet? Sed redeamus ad ſanctum Columbanum. Illum noſtratem eſſe teſtatur præter citatos Tritemius de viris illuſtribus ord. ſancti benedicti lib. 2. cap. 5. his verbis. *Columbanus fundator & primus* Abbas *Luxouienſis cænobij natione* Scotus, *vir eximiæ ſanctitatis, meriti, & doctrinæ, pater multorum millium monachorum & monaſteriorum plurium fundator.* Tritemio conſentit Sixtus Senenſis in bibl *Columbanus* (inquit) *primus fundator & Abbas Luxouienſis cænobij, natione Scotus, vir eximiæ ſanctitatis &c.* Idem teſtatur Genebrardus in chronico ad annum 618 his verbis. *Sanctus Columbanus Scotus* An*gliam, Galliam, Italiam, Germaniam (cuius multos populos ad fidem primus anno 630. conuertit partim per diſcipulos) monaſterijs repleuit.* Idem Antonius Poſſeuinus in apparatu ſacro his verbis. *Columbanus Scotus Monachus, monaſterij & congregationis Benchorenſis, deinde Luxouienſis monaſterij & congregationis primus inſtitutor, ac deinceps Bobienſis cœnobii in* Italia *primus fundator &* Abbas, *vir ſanctus, ſcripſit &c.* Idem habet Franciſcus Sanſoninus in lib. illuſt. familiar. Italiæ agens de familia nobili Comitum Scotorum Placentinorum, qui originem habent ex illuſtriſſima familia Duglaſiorum ſeu Anguſiæ Principis ita loquitur, *Donato Veſcouo di Bobio, edifico la Chieſa di ſancta Brigida in Piacenza & la deno à vn monaſtero di fratri di Bobio di ſancto Columbano: non ſolam ente per l'amor di Dio; ma anco perche S. Columbano fu di Hibernia* I*ſola della* Scotia (fuit quippe Columbanus ex Iona Inſula, quæ Hebridum vna eſt, oriundus, & in eam à Congallo Abbate educatus) *quanto poi alla parentela de gli ſpettini, &c.* Omitto hic Ioannem Leſlæum Epiſcopum, Boetium & alios breuitatis cauſa.

Georgius. Neuterus. Tritemius. Genebrardus. Sāſoninus.

Septimum argumentum, octauum & nonū Stanihurſti nil prorſus vrgent, ſicuti neque Scotiſtam aliquem vrgeret Thomiſta adferens pro ſe Thomiſtæ antiquioris authoritatē, verbi gratia Capreo-

li, Soncinatis, Caietani, &c. Ita neque nos vrget Stanihurſtus adferens illius authoritatem quem nos concedimus in ipſius ſententia eſse. Vidit hoc Stanihurſtus, & vt argumenta eius maiorem viderentur habere vim, apud homines hac in re minimè verſatos nomen authoris (Capgrauij nempe) ex quo ſeptimum, octauum & nonum deducit, reticet. Sed hoc eſt pueris imponere, non intelligentibus. Quis neſcit Capgrauium exiſtimare Hiberniam veſtram Irlandiam olim appellatam Scotiam? ſed ſicut à te Stanihurſte, qui eiuſdem es cum illo ſententiæ, vt hoc probes, petimus, ita hoc idem ab illo requirimus: vt ergo hæc relinquamurs ad 10. uum argumentum properabimus.

Decimum argumentum ab auctoritate venerabilis Bedæ deductum, neque nos vrget, & hoc in cauſa fuit quod ipſa verba Bedæ non attulerit, cùm tamen aliorum authorum verba non omiſerit. Verùm ego pro ipſo adferam. Primò ergo citat Bedam lib. 1. hiſtoriæ Anglicæ cap. 1. Verba autem Bedæ quæ ipſi ibi fauere aliqua ratione poſsunt, ſunt hæc. *Hæc autem (nempe Hibernia Irlandica) propriè patria Scotorum eſt.* 2. loco citat Stanihurſtus Bedam lib. 2. cap. 4. vbi Beda hæc verba, quæ ipſis fauere videri poſsunt, habet. *Denique non ſolùm nouæ, quæ de Anglis erat collecta, Eccleſiæ curam gerebat* (nempe Laurentius, qui Auguſtino ad Anglos miſso ſucceſſit) *ſed & veterum Britanniæ Incolarum, nec non & Scotorum, qui Hiberniam Inſulam Britanniæ proximam incolunt.* In tertio loco Bedæ quem citat Stanihurſtus, nihil video quod illi fauere poſſit, niſi quod ſanctum Columbanvm dicat ex Hibernia veniſse in Britanniam, & antequam in Britanniam veniret, feciſse monaſterium in Hibernia, quod à copia roborum Dearmach lingua Scotica nominatur. Bedę hæc verba ſunt. *Venit de* Hibernia *presbyter & Abbas habitu & vitâ Monachi inſignis, nomine Columbanus, in Britanniam prædicaturus verbum Dei prouincijs Septentrionalium* Pictorum *&c. Fecerat autem priuſquam in Britanniam veniret, monaſterium nobile in* Hiberniâ*, quod à copiâ roborum* Dearmach *lingua Scotorum, hoc eſt campus roborum cognominatur.* Quartus locus quem citat eſt caput 27. eiuſdem lib. 3. in quo ego prorſus nihil inuenio quod vlla ratione poſſit Hiberniæ ipſorum fauere, niſi quod Beda agens ibi de peſte, quæ Northumbriam vexauerat, ait etiam Inſulam Hiberniam vexaſse & peſtilentiæ cauſa multos Anglos relicta Inſula patria (nempe Anglia) continentioris vitæ ſtudio in Hiberniam ſeceſſiſse: quos omnes Scoti libentiſſimè ſuſceperūt &c. Verba Bedæ ſunt hæc. H*æc autem plaga* (nempe peſtis) H*iberniā quoque Inſulam pari clade premebat.* Erant ibidem eo tempore multi nobilium ſimul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finanij & Colmanni Epiſcoporum, relicta Inſula patria, vel diuinæ lectionis, continentioris vitæ gratia illò ſeceſserant &c. quos omnes Scoti libentiſſimè ſuſcipientes victum eis quotidianum ſine pretio, libros quoque ad legendum & magiſterium gratuitum præbere curabant.

rabant. Et paulò poſt de ſancto Egberto loquens idem Beda ait illum nationibus Scotorum & Pictorum in quibus exulauerat multùm profuiſſe, cùm tamen ante initium capitis habeat illum vitam monaſticam in Hibernia traduxiſſe. Verba Bedæ ante initium capitis hæc ſunt. *Vt Egbertus vir ſanctus de natione Anglorum monachicam in Hibernia vitam duxerit.* ſub finem capitis tamen hæc de ipſo habet. *Illis in quibus exulabat nationibus Scotorum ſiue Pictorum & exemplo viuendi, & inſtantia docendi, & authoritate corripiendi, & pietate largiendi de his, quæ à diuitibus acceperat, multùm profuit.*

Sed hæc Bedæ loca prorſus nihil contra nos probant, verùm contra illos, vt iam videbimus. Primus ergo Bedæ locus nihil conuincit nam aliud eſt Hiberniam Irlandicam eſſe Scotorum patriam, aliud illos qui manent in Hibernia Irlandica vocari Scotos & conſequenter non licet inferre ex eo quod Hibernia Irlandica dicatur propria Scotorum patria quod inhabitatores ipſius Irlandiæ Scoti vocentur, aut ipſa Irlandia Scotia ſicuti ex eo quod Saxonia ſit propria Anglorum patria non licet inferre, ergo Saxonia vocatur Anglia, vel ergo Saxones vocantur Angli, & tamen eodem modo Saxonia Germaniæ eſt Anglorum patria, quo Irlandia ſiue Hibernia Scotorum. Dicitur enim Hibernia Scotorum patria eo quòd Scoti aliquot annis hæſerint in Hibernia dum ex Hiſpania venirent antequam in Britanniam proficiſcerentur: ſicque ex Hibernia aliquo modo immediatè nempe dicimur veniſſe, & egreſſi fuiſſe ac conſequenter Hibernia ipſa patria noſtra dicitur, nonne fortiori iure Saxonia Anglorum eſt patria? nam ex hac non ſolum immediatè ſed & mediatè exiuerunt, cùm re vera ipſi Saxones fuerint. Scotica verò natio longè diuerſa eſt ab Irlandica, vt patet ex dictis primo capite. Et vt clarè videas ex authoribus qui tecum opinantur, Irlandiam tuam olim appellatam Scotiam, non valere hoc argumentum, apud Bedam Irlandia Scotorum patria, ergo ex Beda Irlandi vocantur Scoti Irlandia vocatur Scotia. Accipe Capgrauium Anglum ex quo tu argumentum ſeptimum, octauum, & nonum quoque (quamuis callidè, vt dixi, illum citaueris) accepiſti: is ergo loco quem tu citaſti in vita videlicet ſancti Columbani ita loquitur. *Beatus Columbanus in Hibernia, Inſula in Oceano ſita, quam Scotorum gens inhabitat, ortus eſt. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta eſt, de qua gens Scotorum Albaniam Britanniæ Maiori proximam, quæ ab euentu modo Scotia dicitur, inhabitans originem duxit.* In fine verò vitæ eiuſdem author ita loquitur. *Eſt autem ſciendum quod Hibernia propriè Scotorum eſt patria.* Ex quibus ſic contra te diſputo. Apud Capgrauium legitur Irlandiam vel Hiberniam Irlandicam eſſe propriè Scotorum patriam, ergo apud Capgrauium legitur quod Hiberni vocentur Scoti, & Hibernia ſeu Irlandia Scotia. Vides hoc argumentum non concludere ergo Hibernia Irlandica eſt Scotia. Nam ille tunc (ſicut ego nunc dicere poſſum) dixit Hiberniam eſſe propriè Scotorum patriam, & tamen

expreſsè ait, tunc Irlandiam tuam non vocari Scotiam. Deinde ſit Hibernia Scotorum patria: quid inde? Ergo Scoti ſunt Hiberni? O miſeram conſequentiam! Iidem qui Scotorum patriam olim Hiberniam fuiſſe dicunt, ex Ægypto primùm, ac deinde ex Hiſpania Scotos veniſſe docent, ſic fieret vt Ægyptij aut Hiſpani dicantur, quicunque Scoti habentur. Atque hæc de primo Bedæ loco.

Secundus locus nullam habet difficultatem. Oſtendit enim id quod ego fusè cap. 3. probaui, nempe apud Bedam communiter Scotiam noſtram vocari Hiberniam. Et verò de nobis ibi loqui Bedam clariſſimum eſt ex ipſo Beda: nam illorum Scotorum curam habebat Laurentius, ad quos ſcripſit, & cuius literas ad ipſos refert ibidem Beda. *Literæ autem illæ fuerunt ad nos ſcriptæ non ad* Irlandos, vt ſæpiùs oſtendimus. Quod verò illorum curam habuerit ad quos ſcripſit, patet ex Beda, qui vbi dixiſſet illum Scotorum curam habuiſſe, ſtatim ſubijcit, curam quam habebat oſtendens. *Siquidem* (inquit) *vbi Scotorum in præfata ipſorum patria quomodo, & Britonum in ipſa Britannia vitam ac profeſſionem minus in multis eſſe cognouit, maximè quod Paſchæ ſolemnitatem non ſuo tempore celebrarent, ſed vt ſupra docuimus à* 14. *Luna vſque ad viceſimam Dominicæ reſurrectionis diem obſeruandam eſſe putarent, ſcripſit cum Coepiſcopis ſuis exhortatoriam ad eos epiſtolam, obſecrans eos & conteſtans vnitatem pacis & Catholicæ obſeruationis cum ea, quæ orbe terrarum diffuſa eſt Chriſti Eccleſia, tenere.*

Beda.

Tertius locus ex beda adductus pugnat contra illos ſicut & præcedens: nam quod ex Hibernia dicat ſanctum Columbam (quem ille Columbanum vocat) in Britanniam ad verbum Dei Septentrionalium Pictorum prouincijs prædicandum veniſſe, & antequam veniret in Hiberniá monaſterium linguâ Scotorum Dearmach appellatum ædificaſſe, probat id quod nos cap. 5. fusè ex Beda & alijs probauimus, Hebrides nempe Inſulas ſæpius Hiberniæ nomine appellari. Vnde illum ex Hibernia veniſſe in Britanniam nil aliud eſt quàm ex Hebridibus veniſſe in Britanniam. Veniſſe verò ſanctum Columbam ex Hebridibus teſtatur Boëtius lib. 9. hiſtoriæ his verbis. *Venere ex Hebridibus Inſulis cum Columba in Albionem viri* 12. *ſanctiſſimis decorati moribus, &c.* In Hebridibus verò multorum Monachorum patrem fuiſſe ex vita ipſius à ſancto Adamanno Scoto antè mille annos ſcripta clarum eſt. Idem etiam teſtatur Hermannus Contractus in chronico antiquo ad annum 596. & in recentiori impreſſo Francofurti anno 1585. Eum denique noſtratem eſſe patet ex membranis M. S. monaſterij Vvindbergenſis, vbi in principio eius vitæ habentur hæc verba. *Sancti Adamanni Scoti libri tres de ſancto Columba Scoto.* Idem habet Arnoldus Vvion lib. 3. ligni vitæ his verbis. *In Scotia ſancti Columbani presbyteri & Confeſſoris, magnæ & admirandæ virtutis viri.* Vide apud hunc alios authores, qui idem teſtãtur; quos ego breuitatis cauſa omitto.

Hermannus. Contractus Vvion.

Quartus locus facit etiam contra illum, nam probat Scotiam no-

ſtram & Hebrides olim appellatas Hiberniam, quod verũ eſſe fusè probatum eſt cap.3. Et verò vt videas Hiberniam in quâ moratus eſt Egbertus ſanctus, eſſe ſcotiam noſtram & Hebrides Inſulas, audi Molanum. *In Huenſi Inſula quam alluit mare Scoticum B. Egberti Monachi &c.* Vides hic loqui illum de Inſula Huy quæ Hebridum vna eſt. audi ſi placet eundem alibi loquentem. *In Hibernia beati Egberti Monachi & Confeſſoris.* Arnoldus Vvion lib. 4. ligni vitæ *Monaſterium* (inquit) *Huenſis Inſulæ quod eſt in Hibernia.* Hermannus Contractus in chronico impreſſo Francofurti anno 1585. loquens de ſancto Columba hæc habet. *Sanctus Columbanus presbyter & Abbas poſt multa miracula in Inſula Huy iuxta Hiberniam migrauit ad Dominum.* Vides Inſulam Huenſem quæ eſt in Hebridibus hic ab illis vocari Hiberniam. Vide Ioannem Leſlæum Epiſcopum Roſſenſem qui lib. 4. hiſtoriæ Scoticæ teſtatur eius ſuaſu Mordacum Scotiæ Regem inter cætera pietatis monimenta cœnobium illud cui Cãdida-Caſa (*Vuonhait Horne*) nomen in Gallouidia Diui Niniani quondam præſentia nobilitatum, reſtauraſſe. Et hæc de Stanihurſti argumentis dicta ſint. Audiamus iam aliorum argumenta. *Molanus.*

Præter hæc argumenta deducta Donatus Roirk in ſua Hiberniâ reſurgente, Hiberniam ſuam Irlandicam Scotiam appellatam fuiſſe conatur probare ex Cæſario qui de purgatorio ſancti Patricij agens ita loquitur. *Qui de purgatorio dubitat, Scotiam pergat, purgatorium ſancti Patricij intret, & de purgatorij pœnis amplius non dubitat.* Atqui purgatorium ſancti Patricij non fuit in noſtra Scotiâ, ergò dicendum eſt Irlandiam à Cæſario appellatam fuiſſe Scotiam. *Donatus. Roirk.*

2. Probat ex eo quòd Scotia apud multos antiquos authores dicatur Inſula, inter alios affert Egeſippum qui de Romanis loquens, *Tremit* (inquit) *hos Scotia quæ terris nihil debet.* Hoc autem ait non poſse Scotiæ noſtræ conuenire, quæ multum debet Angliæ, vtpote ei continens. Bene tamen conuenit Hiberniæ, *Quæ* (inquit) *terris adempta ſedet in Oceano, circumſepta fluctibus, nulli prorſus telluri obnoxia, nulli omninò debens, vel continuationem vel contiguitatem.* Adde Scotiam à Proſpero poni diuerſam Inſulam à Britanniâ quod de noſtrâ dici non poteſt.

3. Probat ex eo quod antiqui authores Scotos à Britannis tanquã diuerſam nationem ſecernant, inter alios ſanctus Hieronymus de ſuo quodam obtrectatore loquens, *Habet* (inquit) *progeniem Scoticæ gentis de Britannorum Vicinia.* Vbi nota (inquit Roirk) non de ipſa Britanniâ fuiſse ipſum Scotigenam, ſed de Vicinia Britannię, nempe de Irlandiâ. Affert etiam pro ſe Ammianum Marcellinum, quem ait ponere Scotos diuerſam gentem à Pictis, &c.

His argumentis addi poteſt vnum aliud nempe multos Sanctos dici Scotorum Archiepiſcopos (inter quos ſanctus Liuinus) quorum tamen tempore Scotia noſtra Archiepiſcopos non habuit: vnde conſequens videtur fuiſse illos alterius Scotiæ Archiepiſcopos,

Irlandiæ nempe. Adde ſanctam Brigidam virginem Scotam vocari, cùm tamen de Irlandia fuerit.

Verùm hæc nullius momenti ſunt. Et 1. quidem probat authorem illum exiſtimaſſe ſancti Patricij purgatorium in noſtra Scotiâ fuiſſe, non autem Irlandiam appellatam fuiſſe Scotiam: vnde bene quidam ad marginem illius hiſtoriæ addidit, *Videtur hic author confundere Scotiam & Hiberniam.* Confundere quidem, quia exiſtimaſſe videtur Cæſarius ſancti Patricij purgatorium in noſtrâ Scotiâ fuiſſe, quã ſupra probauimus Cæſarij tempore appellatam fuiſſe Hiberniam. Et ſanè mirum non eſt talem virum ſancti Patricij purgatorium in noſtra fuiſſe Scotiâ exiſtimaſſe, cùm tamen in Irlandiâ eſſet: nam vt alia exempla omittam, hoc noſtro tempore viri graues & alioquin docti in rebus quibuſdam clarioribus grauiùs quàm par erat, peccarunt. Vnum vel alterum tantùm exemplum apponam. Baptiſta Cyſatus Societatis Ieſu in Ingolſtadienſi Academiâ Matheſeos profeſſor in ſyllabo Martyrum ſocietatis Ieſu, ait ſanctum Martyrem Ioannem Ogilbæum in Angliâ paſſum eſſe· *Ioannes Ogilbæus* (inquit) *in Angliâ.* Et tamen quid clarius quàm in Scotiâ paſſum, præſertim vni eiuſdem ſocietatis eſse debuit? potiſſimùm cùm ante tam paucos annos eius martyrium acciderit. Non abſimile quid fecit ante Biennium D. De Iuigné Broiſſiuierius in ſuo dictionario, vbi Ioannem Maiorem, Anglum facit, cum tamen ipſe Maior in omnibus ſuis libris ſe Scotum, & Hadingtonianum vocet.

Secundum argumentum puerile planè eſt: nam quamuis Scotia noſtra & Anglia ſtrictè loquendo duæ Inſulæ non ſint, tamen cui non conſtat Scotos noſtros & Pictos à Beda tranſmarinas gentes appellari? quod ſi tranſmarinæ reſpectu Angliæ, certè terra, quam inhabitant, diuerſa erit Inſula ab eadem Angliâ. Verùm audiamus, ſi placet ipſius Bedæ verba. *Exin Britannia omni armato milite, militaribus copijs vniuerſis, tota floridæ iuuentutis alacritate ſpoliata, quæ Tyrannorum temeritate adducta nuſquam vltra domum redijt, prædæ tamen patuit, vt pote omnis bellici vſus, prorſus ignara. Denique ſubitò duabus gentibus tranſmarinis vehementer ſæuis, Scot. à Circio, Pictorum ab Aquilone multos ſtupet gemetque annos.* Vides hic Bedam nos & Pictos non ſolùm à Britannis ſecernere, verùm etiam tranſmarinas gentes appellare. Iam Bedam loqui de noſtrâ Scotiâ patet: nam hæc verba ſtatim ſubiungit. *Tranſmarinas autem dicimus has gentes, non quod extra Britanniam eſſent poſitæ, ſed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus ſinibus maris interiacentibus, quorum vnus ab Orientali mari, alter ab Occidentali Britanniæ terras longè latéque irrumpit, quamuis ad ſe inuicem attingere poſſint.* Vides hic Scotos & Pictos, de quibus loquutus eſt Beda, non eſse extra Britanniam, at Hibernia veſtra Britanniæ nihil debet (vt tuâ phraſi vtar mi Donate) terris adempta ſedet in Oceano circumſepta fluctibus, nulli prorſus telluri obnoxia, nulli omninò debens vel continuationem vel contiguitatem. 2. eodem modo Scotia noſtra eſt Inſula quo Anglia: at Anglia vocatur Inſula ab authoribus,

ergo, &c. Quod vtraque ſit eodem planè modo Inſula clarum eſt. Quod verò Anglia ab authoribus vocetur Inſula, probatur ex Ioanne Boëmo Aubano Teutonico, qui lib. 3. morum & rituum omnium gentium de Angliâ loquens hæc habet. *Anglia quæ & Britannia ab eruditis dicitur, inſignis in Oceano Inſula triangulari formâ Siciliæ ſimilis. Hæc vndique à circumfuſo mari complexa eſt nuſquā iuncta continenti, ſed ab omni orbe noſtro diuiſa.* Videſne Donate hic Angliā vocari Inſulam, quæ tamen appellari non poteſt, niſi eo modo quo Scotia, & conſequenter ſi Anglia Inſula appellatur, poteſt pariter Scotia noſtra dici. Audiuiſti, mi Donate, ex Ioanne Boëmo Angliam vocari Inſulam, audi idem ex Ioanne Maldonato in gloſâ ad vitam ſancti Thomæ Cantuarenſis Archiepiſcopi, vbi ita loquitur, *Anglia* (inquit) *Inſula clariſſima in Oceano Septentrionali quæ primò Albion dicebatur.* Vides pariter & hic Angliam vocari. Iam verò Scotiam noſtram habitam fuiſſe ab authoribus diuerſam ab Angliâ Inſulam probatur ex Richardo de ſancto Victore, qui (vt diximus lib. 3. exceptionum de Inſulis agens ita loquitur, *In Oceano Septentrionali ab Oriente in Occidentem Inſula Phaneliorum, &c. Scotia, Britannia, Hibernia, &c.* Præterea Franciſcus Alumnus Ferrarienſis Italus in fabricâ mundi Scotiam noſtram Inſulam appellat: nam verbo *Scotia* ita habet. *Scotia* Latinè *& Iuuentia è prouincia & Iſola.* Et verbo *Cacearia.* Propè finem *Scotia* (inquit) *nella eſtrema parte d'Inghilterra & da Lei poco interuallo di mare digiunta & gia diuiſa.* Tertiò notum eſt apud authores inueniri hæc verba, *Inſulæ Britannicæ.* At quomodo Inſulæ niſi apud illos Scotia faciat vnam ab Anglia diuerſam. Demique vt multos alios omittam adducam tantùm duos recentiores qui Scotiam noſtram Inſulam faciunt Primus eſt Franciſcus Arias ſocietatis Ieſu vir doctus & pius. Is igitur primo tomo de imitatione Chriſti tractatu 2. cap. vigeſimo ſexto agens de inſulis remotis ad Chriſti regnum vocatis ita loquitur. *Inter has Inſulas poſſunt numerari Inſulæ Angliæ & Scotiæ, nam antequā illæ Chriſti fidem amplecterētur, &c.* In Gallicâ editione ita habetur. *Entre ces Isles peuuent eſtre contées celles d'Angleterre & d'Eſcoſſe. Car auant qu'elles receuſſent la foy de Ieſus-Chriſt, &c.* Quid clarius dici potuit? Præterea cap. 12. eiuſdem tractatus agens de viris Apoſtolicis, qui Chriſti fidem per varias mundi plagas prædicarunt, ita loquitur. *Quinto ſæculo, id eſt, anno quadringenteſimo vſque ad quingenteſimum S. Patricius conuertit Inſulam Hiberniæ quæ Irlandia eſt, & partem Inſulæ Scotiæ, &c.* Gallicè ita habetur. *Au cinquieſme ſiecle de l'an quare cens iuſques à cinq cens, S. Patrice conuertit l'Isle d'Hibernie, qui eſt l'Irlande, & partie de l'Isle d'Eſcoſſe.* Vides hic Ariam Scotiam noſtram Inſulam nominare. Secundus ſit Thomas à Ieſu Carmelita lib. 3. de conuerſione omnium gentium cap. 2. vbi Scotiam noſtram & Angliam tanquam diuerſas Inſulas enumerat. Agens enim de regionibus quas ſanctus Vincentius ex ſacrâ ſancti Dominici familiâ, Chriſti cauſâ ad Euangelium prædicandum peragrauit, ita loquitur,

Ioannes Boemus.

Maldonat.

Arias.

Thomas à Ieſu.

Deinde ab Henrico Angliæ Rege *humaniſsimis literis ac nuncijs & nani ad hoc ipſum miſſa, inuitatus, eam prius* Inſulam *totam, mox Scotiam, poſtremò etiam Hiberniam luſtrauit, &c.* Nimis clara hæc ſunt, Quid ad illa Irlandi? nihil. Quod ſi quærat aliquis vnde factum ſit vt Scotia & Anglia vocentur Inſulæ diuerſæ, cùm re verâ vnam tantùm faciant Inſulam. Reſpondeo à Beda rationem indicatam fuiſſe loco citato, propter duos nempè ſinus maris interiacentes, quorum vnus (inquit Beda) ab Orientali mari, alter ab Occidentali Britanniæ terras longè latéque irrumpit.

3. Argumentum nihil probat, nam cui non eſt notum noſtros Scotos ab authoribus, à Britannis tanquam diuerſam nationem ſecerni', non quod non ſimus verè Britanni, ſed quod communius apud authores Britanni dicantur, qui habitant terras Britonum, vt faciũt Angli, & Britannia illa pars Inſulæ dicatur, quæ à Britonibus habitata fuit. Hoc clarum eſt ex Chriſtiano Maſſæo, qui in chronico mundi lib 12. ita loquitur. *Britannia fit Anglia.* Iam quæ Britannia facta eſt Anglia? totane? minimè verò, ſed illa tantùm pars quæ à Britonibus habitabatur. Addo mirari me quomodo audeant hoc argumento contra nos vti Hiberni, qui volunt Irlandiam ſuam poni inter Britannicas Inſulas ab authoribus: quamuis & hoc quoque falſum ſit. Nam Solinus qui ex inſtituto agit de Irlandiâ ipſorum manifeſtè diſtinguit à Britanniâ. Verba Solini ſunt hæc, dum de Britannia loquitur in memorabilibus mundi *Multis* Inſulis *nec ignobilibus circumdatur* (nempè Britannia) *quarum Hibernia ei proximat magnitudine, inhumana eſt, ritu incolarum aſpero, &c.* Eodem modo Irlandiam diſtinguit Pomponius Mela lib. 3. *Suprà* Britanniam (inquit) *Iuuerna eſt, &c* Vides hic diſtinctionem: vnde ſi aliquando Hiberniam inter Britannicas Inſulas numeratam inuenias, de noſtra Scotia dictum puta. Idem reperiri eſt non ſolùm apud veteres, ſed etiam apud recentiores paſſim, Bellarminum, Gretſerum, &c. quorum loca breuitatis cauſa omitto.

Maſſæus.

Solinus.

Quartum argumentum leuiſſimum eſt. Falſum enim eſt tales Sanctos non eſſe noſtrates, neque fuiſſe ipſorum tempore in Scotia Epiſcopos & Archiepiſcopos. Ac in primis vt à ſancto Liuino incipiamus, clarum eſt illum eſſe noſtratem. Probemus hoc primò ex grauiſſimis authoribus. Veniat Molanus, qui ita de ipſo ſcribit. *Sanctus Liuinus* Archiepiſcopus *& Martyr adhuc puer in Scotia non modo eximiâ pietate, verùm etiam miraculis clarus fuit.* Aubertus Miræus vir omninò doctus in faſtis Belgicis & Burgundicis, ita loquitur. *Liuinus in* Scotia *nobili genere natus, &c.* His ſuffragatur Gazetus in hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij, Maſſæus in chronico lib. 13. Hunterus lib. 3. de viris ſanctis Scotis, Regius in calendario & alij. 2. probatur, nam vt conſtat ex vita ipſius ſancti Liuini habuit ſuſceptorem è ſacro fonte magnum illum Auguſtinum Anglorum primum Epiſcopum; at quomodo habuit illum ſuſceptorem ſi ipſe in Hibernia natus fuit,

Molanus.

Hunterus.

quæ Angliæ nil debet, &c. 3. In eadem vita habetur illum relicta adminiſtratione Archiepiſcopatus Syluano Archidiacono, diſceſſiſſe ex Scotia cum ſanctis Foillano, Kiliano & Elia: at conſtat hos noſtrates eſſe, & imprimis de ſancto Foillano res eſt clara. Fuit enim ſanctorum Furſæi & Vltani frater & Eugenij Scotorum Regis hoc nomine quarti nepos. Vide Bedam qui ſanctum Furſæum ait fuiſſe de nobiliſſimo genere Scotorum. Idem teſtatur Ioannes Tritemius lib. 3. de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti, his verbis. *Sanctus Furſæus Abbas monaſterij quod Charbhesburg dicitur in prouincia Orientalium Anglorum natione Scotus, genere nobiliſſimus, verbo & actibus clarus, & ſignis atque miraculis egregius.* Idem denique (vt alios omittam) habet Molanus in indiculo ſanctorum Belgij his verbis. *Furſæus multis annis in Scotiâ patriâ Inſula verbum Dei nunciauit.* De ſancto Kiliano ſiue Chileno (eſt hic diuerſus ab altero Kiliano Franconiæ Apoſtolo) idem conſtat ex antiquo chronico Cameracenſi Balderici, quod ita de ipſo loquitur. *In vico Albiniaco eſt monaſterium Canonicorum ſancti videlicet Kiliani, qui Scotus fuiſſe traditur.* Idem habet Tritemius. *Childenus monachus & diſcipulus ſancti Columbani, & Euſtaſij eius ſucceſſoris, natione Scotus, vir magnæ & incomparabilis ſanctitatis, &c.* Idem habet Ioannes Maior de geſtis Scotorum lib. 2. cap. 7. his verbis. *Eugenij Scotorum Regis tempore ſanctus Chillenus Scotus in Galliâ miraculis & vitæ ſanctimonia claruit.* Sanctum Eliam denique Scotum fuiſſe probatur: nam fuit Abbas monaſterij Scotorum Coloniæ ſancto Pantaleoni dicati, in quo ſicut in aliis non ſolùm nullus Hibernus Abbatis officio fungi potuit, ſed nec recipi. Vide quæ ſuperiùs diximus agentes de ſancto Kiliano Franconiæ Apoſtolo. Vltimò hoc idem probari poteſt ex vita ſancti Liuini quam ſcripſit ſanctus Bonifacius Scotus Moguntinenſium Apoſtolus, quæ ſic ſe habet. *Tempore quo Calo Magnus inclytus Rex Scotorum in Chriſtianæ religionis vir magnificus polleret virtutibus & ſceptra regni Imperialis Monarchiæ columen ſupernâ prouidentiâ auſpicabiliter gubernaret, erat quidam Senator Scotigena nomine Theaginus ex ſpectabili ſtemmate natiuæ nobilitatis excellentiſſimus, ipſius Regis optimatum Princeps, & præ cunctis Aulicis ſuis Archialiter apicem gerens, vir ſtrenuus, &c.* Vides hic patrem ſancti Liuini fuiſſe Calo Magni Scotorum Regis optimatum Principem, & conſequenter ſanctum Liuinum eius filium eſſe Scotum. Adde ex Huntero Dominicani ordinis inſigni Theologo lib. de Sanctis Scotis, Capſam in qua olim ſacrum corpus ſancti Liuini quieuit (vt à cæteris, quæ ibi erant diſtingueretur, & vt etiam ipſa patria vnde originem traxit, indicaretur) Leonem Scotorum ſtemma impreſſum habuiſſe. Quod verò objiciunt nobis Hiberni, in vita ipſius à ſancto Bonifacio ſcripta haberi Calo Magnum fuiſſe illius Scotiæ Regem ex qua fuit ſanctus Liuinus; inter omnes verò Scotiæ noſtræ Reges nullum talem inueniri, nullam vim habet apud eos qui vel minimùm

Tritemius.

Maior.

authores legerunt. Quis enim neſcit apud authores nomina ſæpiſſimè inueniri ita mutata & inuerſa, imò etiam impreſſoris vel ſcriptoris negligentia corrupta, vt prorſus videantur ſcriptores de aliis loqui, quàm re vera loquantur. Plurima eius rei exempla habemus, ſed ne longior ſim tria vel quatuor tantùm apponam. Et primum quidem ex eadem vita ex qua ipſi hoc argumentum deſumunt. Nam longè à principio ait Agaliniam fuiſſe ſancti Liuini matrem, poſt tamen dicit Agaluniam fuiſſe eius matrem. Vides quàm facilè mutentur nomina. Secundum exemplum ſit de ſancto Romualdo, quem Lippeloo, Mermannius, & alij, filium Dauidis Regis Scotiæ faciunt, cum tamen re vera pater eius fuerit Donaldus ſiue Donoualdus Rex Scotiæ, vt rectè aduertit Cuperus Carmelita in hiſtoria Barbantiæ. Et certè nullus Rex inuenitur huius nominis tunc apud Scotos regnans, cùm tamen certò conſtet ſanctum Romualdum Scotorum Regis filium fuiſſe. Hoc enim non ſolùm aſſerit Vſuardi Martyrologium cum Romano, verùm etiam authores paſſim, R. pater Arias ſocietatis Ieſu de imitatione Chriſti tractatu 5. cap. 30. Arnoldus Mermannius in theatro conuerſionis gentium. Lippeloo in eius vita, Regius in Calendario, Baldericus Tornacenſis Epiſcopus lib. 2. cap. 47. in chronico Cameracenſi, ante 600. annos ſcripto his verbis. *Apud Maslinas monaſterium eſt Canonicorum, vbi quieſcit pretioſus Dei Martyr Rumoldus genere Scotus, qui vitam Ereriticam ducens inibi martyrizatus eſt, &c.* R. Dominus Aubertus Miræus in faſtis Belgicis & Burgundicis pagina 358. & alij paſſim. Hoc etiam ratio ipſa ſuadet, nam Archiepiſcopi Mechlinienſes (vt rectè notat doctiſſimus Miræus citatus loco etiam citato.) *Inſignia ſua gentilitia cum inſignibus regni Scotiæ mixta, vno in ſcuto geſtant, in honorem ac memoriam ſui ſancti Rumoldi natione Scoti.* At in quem finem ſua gentilitia cum inſignibus noſtræ Scotiæ mixta vno in ſcuto geſtarent, ſi ſanctus Rumoldus ſit Hibernus. Hinc corriges illos qui ſanctum Rumoldum aiunt fuiſſe Dublinenſem Epiſcopum. Legendum enim eſt Dumblinenſem, vt rectè notat in faſtis Belgicis & Burgundicis Miræus. Idem etiam aduertit in Geographia Eccleſiaſtica. *Dumblanum, ô Dumblani* (inquit) *Vrbs eſt Scotiæ, ſub Archiepiſcopo Andræapolitano.* Sanctus Rumoldus Machlinienſium in Belgio patronus fuit Dumblanenſis Epiſcopus in Scotia, non autem Dublinenſis in Hibernia, &c. Argumento ſunt inſignia regni Scotiæ, quæ ſuis gentilitiis in clypeo mixta: hodieque vſurpant Machlinienſes Archiepiſcopi. Tertium exemplum ſit de ſancto Malcolmo Rege Scotiæ, quem Roſiers tomo 6. ſtemmatum Lotharingiæ Maleonem vocat, quanta diuerſitas! Quartum exemplum ſit de Mariano Scoto, quem nonnulli, vt rectè notauit Dempſterus in Diſſertatione S. Bonifacij patria) Mauricum & Maurinianum vocant, & tamen Deus bone, quanta mutatio! His omnibus adde vitam ſancti Liuini in Germania à ſancto Bonifacio ſcriptam fuiſſe, & conſequenter

Cuperus.

Miræus.

Roſiers.

ter Germanicum nomen apponi potuiſſe, quod idem eſſet ac Scoticum: ſic ipſe ſanctus Bonifacius, qui ante ſuum in Germaniam aduentum Vvinfridus dicebatur à Germanis Bonifacius eſt appellatus, ſic etiam ſanctus Fridelinus ab aliis Vvinfridus eſt appellatus Multa ſimilia adferre poſſem, ſed breuitatis cauſa omitto. Et certè clarum eſt Calo-Magnum, de quo loquitur ſanctus Bonifacius fuiſſe Scotiæ noſtræ Regem: nam in eadem vita paulò poſt habetur tunc Regem Irlandiæ ſiue Hiberniæ fuiſſe Ephigenium: ſi autem Ephigenius fuit tunc Hiberniæ Rex, quomodo potuit eiuſdem eſſe Rex Calo Magnus? Denique peto ab Irlandis, vt aliquem authorem mihi aſſignent, qui tunc dicat floruiſſe in illorum Irlandiâ aliquem Regem Calo-Magnum nomine. Quod verò objiciunt nobis ſecundò Hiberni in Scotia noſtra tunc temporis non fuiſſe Archiepiſcopos, cum tamen ſanctus Liuinus dicatur talis fuiſſe, ridiculum eſt: nam ſi hoc argumentum contra nos pugnat, profectò poriori iure contra ipſos pugnabit: nam neque in Hibernia Irlandica tunc temporis vlli fuerunt Archiepiſcopatus. Siquidem vt rectè docet Reuerendus Dominus Aubertus Miræus in notitia Patriarchatuum & Archiepiſcopatuum orbis Chriſtiani; Eugenius tertius Archiepiſcopatus Hiberniæ anno 1151. inſtituit. Idem notat idem Miræus in faſtis Belgicis & Burgundicis pagina 667. Quod ergo vocetur Scotorum Archiepiſcopus ita intelligendum eſt, quod apus Scotos primarius & præ cæteris eminens Epiſcopus fuerit, vt toties citatus Miræus in iiſdem faſtis notat his verbis. *Vocatur autem ſanctus Liuinus Scotorum Archiepiſcopus, quod apud illos primarius & præ cæteris eminens Epiſcopus fuerit.* Vide quæ ſuprà diximus agentes de Sedulio.

Quod tertio loco objiciunt ſanctum Liuinum debere eſſe Hibernum, eo quòd dum in Angliam iter faceret, mare traiecerit, ridiculum eſt, & ex craſſa ignorantiâ profectum: nam certum eſt in Scotia brachium maris extare quod Forthæ æſtuarium communiter vocatur, & quod tranſeundum eſt ab illis, qui ex Anguſia, Marria, Mernia, Buguhania, & multis aliis Scotiæ prouinciis in Angliam pergunt Fuitque olim hoc Forthæ æſtuarium communi Scotorum & Anglorum conſenſu appellatur mare Scoticum, vt notauit Theuetus lib. 16. Coſmog. cap. 6. Et hanc etiam ob cauſam inter alias, Scotos & Pictos vocat Beda trans marinas gentes, vt ſuprà notauimus. Et hæc de ſancto Liuino breuiter dicta ſint. *Theuetus.*

Quæres ſi Hibernia Irlandica nunquam fuit appellata Scotia, vnde factum ſit, vt tot viri docti hoc exiſtimarint? Reſpondeo ex eo factum eſſe quod cum apud authores viderent Scotiam aliquando confundi cum Hibernia exiſtimarint Hiberniã aliquando Scotiam appellatam cum tamen, vt ex dictis conſtat, potiùs colligere debuiſſent Scotiam nempè noſtram appellatam Hiberniam, & certè (vt rem totam concludamus) ſi Hibernia olim Scotia appellata fuit,

mirum eſt non ita ne ſemel quidem à Cæſare, Solino, & aliis ita appellari.

Quod attinet ad ſanctam Brigidam, certum eſt illam ex Scotia noſtra eſſe, & non ex Irlandia, hocque ita eſſe notarunt authores ferè omnes, de quibus ad eius diem Martyrologium Romanum his verbis. *In Scotia ſanctæ Brigidæ Virginis.* Martyrium Vvandelberti his verbis.

Brigida Virgo potens Februi ſibi prima calendas
Scotorum poſcit miro celebrata fauore.

Idem habent, ne longior ſim, alia martyrologia & alij authores paſſim. Martyrologium Vſuardi, Petrus de Natalibus in hiſtoria Sanctorum, Iacobus Gretſerus in præfatione commentarij exegetici in sereniſſimum Iacobum magnæ Britanniæ Regem, Antonius Poſſeuinus in apparatu, Sigebertus Temblacenſis in chron. Iacobus Gualterius in chronologiâ, Lippeloo in vitis Sanct. Genebrardus in chronico, Surius in vitis Sanct. Maſſæus in chronico. R.P. Ribadeneira in floribus Sanct. Rodulphus Bredanus in hiſtoria Lombardica, Spondanus 2. tomo Epitomes Annalium Cardinalis Baronij, anno Christi 521. his verbis. *Hoc inſuper anno 3. Brigida clariſſima Scota virgo (cuius exſtant præclaræ res geſtæ) in* Hiberniâ *diem clauſit extremum, vt tradit in chronico gentilis eius Marianus.* Sabellicus & alij vt noſtros taceam & præter authoritatem tot, ac tantorum virorum, quà S. Brigidam Scotam probauimus, probari idem poteſt ex facto quodam Vvalrami Archiepiſcopi Colonienſis, qui olim reſtaurauit monaſterium Scotorum Benedictinorum collapſum ac multis bonis dotauit, propterea quod ſancta Brigida, in cuius honorem vicinam conſecrauerat parrochiam, Virgo Scotica fuiſſet, teſtatur hoc totum Petrus Merſſeius in Annalibus Archiepiſc. Colonienſium in Vvalramo his verbis: *Monaſterium igitur D. Martini Coloniæ reſtaurauit, ac bonis multis pro religioſis ex Scotia ditauit; quod S. Brigida in cuius honorem* Epiſcopus *vicinam conſecrauit Parrochiam, Virgo Scotica fuit.* Hic omnibus adde partem illius vireſcentis ligni (de quo in vita ſanctæ) in Candida Caſa in Scotiâ fuiſſe, cum hæreſi furente religioſa omnia profanarentur, ſanctumque corpus ibi etiam fuiſſe. Porrò dicunt Hiberni illam obiiſſe in Hiberniâ citantes pro ſe antiquum illum, vt aiunt, verſum.

Gualterius Bredanus. Spondanus

In Burgo Duno tumulo tumulantur in vno;
Brigida Patricius, *atque* Columba *pius.*

Nihil probat, nam non ſequitur illam eſſe Hibernam ex eo quod obierit in Hibernia, deinde falſum planè eſt illam obiiſſe in Hiberniâ, nam vt rectè aduertit Ioannes Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis lib. 4. hiſt. Scoticæ, illius ſanctum corpus noſtri in Canonicorũ Collegio Abrenethi rectè ſe colere ſemper putauerunt. Addo verſum illum nullius auctoritatis eſſe: nam Beda qui maioris longè auctoritatis eſt quàm illud diſtichon lib. 3. hiſt. cap. 4. expreſsè ait S. Co-

lumbam humatum eſſe non procul à Scotiâ noſtra vel Albania in Inſula, quæ vulgò vocatur Colinkilia, quæ Hebridum vna eſt, vt concedit Stanihurſtus Hibernus in annotationibus ad cap. 17. Giraldi Cambrenſis. Omitto Capgrauium qui in vita S. Patricij expreſsè teſtatur ſanctum Patricium rediiſſe ante obitum ex Hiberniâ Irlandica in Britanniam, eiuſque ſacras reliquias Glaſtoniæ in Angliâ aſſeruari. Ad hæc argumenta Irlandorum non defuerunt qui adderent ex D. Bernardo in vita ſanctæ Malachiæ, vbi loquitur de Scotia vlteriori, quam ipſi dicunt non aliã eſſe quàm Irlandiam, ſed quid hoc aliud eſt quam nugari? S. Bernardus Scotiam vlteriorem de extima Scotiæ ora dixit, ipſi de ſua Irlandia dictum volunt. *O immanes iudices*! (clamauit ſemel contrà Irlandos Dempſterus, dũ hoc argumentum audiret) *ſic orbi Doctorum illudetis*?

Concludo totam hanc diſputationem duo aduertendo. 1. Eſt prodiiſſe catalogum quemdam SS. Irlandiæ ſub nomine P. Fitzimon in quo Irlandiæ adſcribuntur 464. Sancti. Sed pace auctoris illius catalogi liceat me ad Ariſtarchi leges ſincerè & ſine offenſione agere. Ex his præter 12. quos duplicauit, 143. liquidò Scoti ſunt, Angli nonnulli, duo ſola auctoritate Cambdeni, Goldaſti, aut aliorum hæreticorum confirmati. 116. qui ſanctorum virorum famuli tantùm diſcipuli aut familiares fuerunt, non tamen ſanctis adſcripti. Et hinc eſt quod exiſtimem authorem iſtius catalogi non eſſe P. Fitzimon, non enim permiſiſſent ſuperiores Societatis Ieſu, ab vno è ſocietate fabuloſum quid eiuſmodi & hæreticorum teſtimoniis quibuſdam in locis tantùm confirmatum in lucem prodire. 2. Rectè ac præclarè loquutum Nicolaum Ianſenium ex ſacro ordine ſancti Dominici in defenſione Bzonij contrà Cauellum Hibernum cùm concluſit: *Dicere per Scotiam intelligi Hiberniam* (Irlandicam intelligit) *tam facilè crederetur, quàm Franciam eſſe Germaniam.*

EPISTOLA AVTHORIS AD Hibernos Irlandicos.

QVID QVID à nobis dictum eſt, pro defenſione veritatis æqui bonique conſulite, candidè & ſine vlla amaritudine quantum licuit egimus: nec fuit vnquam conſilium noſtrum ex aliena depreſſione laudem quærere. Hoc vnum à vobis peto ne ad conuitia ſi quod contra dicendum vobis videbitur, veniatis. Quod à pluribus veſtrum minus modeſtè in viros ornatiſſimos factitatum eſt hactenus. Et certè ſi rem diligenter vos ipſi conſideraueritis, cogemini fateri eos qui de controuerſia noſtra in gratiam veſtri ſcripſerunt

contraria ſæpè atque inuicem pugnantia dixiſſe: plures etiam (nominibus horum omnium parco) authorum loca deprauaſſe, quo malam cauſam peiori arte tuerentur. Quoniam autem, vt diximus, ſine felle agimus, ſi quid dicendum aduerſum nos habetis, pari modeſtia & candore proponite, ne dum de Sanctis agimus, minus ſanctè agere videamur. Valete.

DISSERTATIO SECVNDA contra Anglos.

In qua manifeſtè contrà ipſos euincitur Scoticanam Eccleſiam, & ſancti Andreæ Archiepiſcopatum Anglicanæ Eccleſiæ nunquam fuiſſe ſubiectum.

DVo, vt contra Anglos, quod propoſui, euincã, mihi præſtanda video. Primum, quandonam Archiepiſcopatus Sancti Andreæ cœperit talis eſſe. Secundum, num vnquam Eccleſiæ Anglicanæ iugum ſubierit, quod idem eſt, ac ſi quæreretur, num Scoticana Eccleſia, Anglicanæ vnquam ſubiecta fuerit. Quod ad primum attinet quamuis quorumdam ſententia fuerit non eſſe Archiepiſcopale eius ius Sixto quarto antiquius, plurimum tamen hallucinantur. Nam vt rectè Dempſterus noſter in Mantiſſa apparatus, & longè ante ipſum Arnoldus Mermanniusin Theatrum conuerſionis gentium: *Non inſtituit, ſed reſtituit Sixtus ſancti Andreæ Epiſcopos ſuffraganeos duodecim.* Et ſanè; ita eſt nam initio aduentus in Angliam Sancti Auguſtini Anglorum Apoſtoli; recuſarunt Scoti vllo modo Anglicanæ Eccleſiæ ſubeſſe, & cũ ſucceſſoribus ipſius longũ extraxerunt certamen, viriliter noſtris contranitentibus, Anglis acriùs inſtantibus; quod ſignũ eſt Scotos noſtros ſui iuris tunc fuiſſe, ac proprium primatem habuiſſe, quam tamen dignitatem nulla vnquam in Scotia Epiſcopalis ſedes, præter ſancti Andreæ vſurpauit; vnde, vt notat Boëtius lib. 10. hiſtoriæ noſtræ, qui in ea ſacrum gerebant magiſtratum maximi Scotorum Epiſcopi appellabantur. De ſecundo quæſito, an nimirum Anglicanæ Eccleſiæ vnquam iugum ſubierit Scoticana; certa eſt pars negatiua, quidquid in contrarium Angli aliqui ſentiant. Conſtat ex dictis; nam & Sancto Auguſtino Anglorum Epiſcopo ac Apoſtolo, eiuſque ſucceſſoribus, acriter Scoticanam Eccleſiam Anglicanæ ſubjicere tentantibus, acerrimè ſemper reſtiterunt noſtri, &

Dempſter.
Mermann.

ratio potior noſtris partibus fauebat; nam primò ſui iuris erat Scoticana noſtra Eccleſia Anglis idola colentibus, eiſque Didanum ſanctum aliosque ſanctos patres de quibus Beda in hiſtoria, qui illos ab eiuſmodi ſimulachrorum cultu reuocarent, miſit, qua ergo iure, & quam quæſo ob cauſam Anglicanæ Eccleſiæ poſteà ſubjici potuit, quæ ante Anglorum conuerſionem ſui iuris erat? Imò quæ Anglos ad fidem perduxit? Secundò, diu nullus in Anglia Epiſcopus fuit, qui non a Scotis noſtris eſſet conſecratus; donec tandem ſanctus Vvilfridus primus *Negauit à Scotis ordinari, vel ab iis Epiſcopis quos Scoti ordinaſſent* inquit Guillelmus Malmeſburienſis lib. 3. geſt. Pont. Anglorum pag. 148. Idem etiam Malmesburienſis lib. 2. eiuſdem libri de Auguſtino Anglorum Epiſcopo ita loquitur *habebat* (Auguſtinus) *ſibi ſubiectum quidquid Angli Britanniæ incolunt, præter ſolos Northanimbros.* Eccleſiæ ergo Scoticana Anglicanæ ſubiecta non fuit, imò vt vidimus Anglicana Scoticanæ iugum diu ſubiit. Scio Archiepiſcopum Eboracenſem, reliquoſque Anglos ſæpè tentaſſe Eccleſiam Scoticanam Anglicanę ſubiicere; præſertim tempore ſancti Guillelmi regis noſtri, ſed condemnatos fuiſſe illos conſtat ex libris Clementis tertij ad ſanctum Regem amoris ac beneuolentiæ plenis, ſub initium Pontificatus in hæc verba. *Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio Guillelmo illuſtri Scotorum Regi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum vniuerſi Chriſti iugo ſubiecti ſint ea propter Chariſſime in Chriſto fili, reuerentiam & deuotionem, quam ad Romanam te habuiſſe à longis retrò temporibus, Eccleſiam nouimus attendentes præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, vt Scoticana Eccleſia Apoſtolicæ ſedi, cuius filia ſpecialis exiſtit, nullo mediante debeat ſubiacere.* (Quod fecit Pontifex ad retundendam audaciam Anglorum, ac præſertim Rogerij Eboracenſis Archiepiſcopi) *adiicimus vt nulli de cætero qui de regno Scotiæ non fuerit, licitum ſit in eo legationis officium exercere.* Videri poſſunt quæ diximus ex libro primo in vita ſancti Guillelmi Regis ad quartum Aprilis: & in vita ſancti Gilberti, ad 1. Aprilis quem Azorius tom. 2. inſtit. mor. parte. 2. lib. 3. cap. 36. poſt alios multos authores teſtatur pietate & doctrina ſingulari inſtructum, orationem habuiſſe in qua multis rationibus, & argumentis oſtendit, Eccleſias Scotiæ, quæ ſemper fuerant Anglicano iugo, & onere ſolutæ, & liberæ non eſſe ſeruitute aliqua premendas. Ex his omnibus conſtat quàm verè, ac præclarè Scotiæ noſtrę Epiſcopi in concilij Northamptonio in Anglia, Anglorum Regi, non minùs falsò quam ridiculè exigenti, & Anglicanæ Eccleſiæ deberi aſſerenti, reſponderunt, inquit Rogerus de Houeden Anglus Annal. part. poſt. in Henrico 2. *Quod ipſi nunquam ſubiectionem fecerant Anglicanæ Eccleſiæ, nec facere deberent.* Hæc breuiter de hac controuerſia à nobis dicta fuerint.

Azorius.

Rogerus de Houeden.

LIBER QVARTVS, DE ORTV ET PROGRESSV HÆRESIS IN Regnis Scotiæ & Angliæ.

CAPVT PRIMVM.

Quomodo introducta fuerit in Angliam Hæreſis, & quomodo propagata.

VALIDISSIMVM Societatis humanæ vinculum Religio eſt, cuius vnitatem vera concordia, diuerſitatem diſſidium atrox conſequitur: ſicut enim in circulo quæ ad idem centri punctum terminabuntur lineæ, æqualem inter ſe proportionem ſemper ſine vlla confuſione ſeruabunt. Ita hominum affectus qui in eo quod vltimum eſt omnibus in Dei nempe fide & cultu conuenient pulchrè, & præclarè in reliquis ſeruatâ ad inuicem æqualitate conſentient, quos tamen ſi in hoc ipſa diſſideant, ſeu, lineas à centro exerrantes, videas continuò fœda bellorum confuſione miſceri. Quamdiu vna eorum qui primi veritatem noſtræ Religionis amplexi ſunt, fides fuit, fuit tamdiu & cor vnum & anima vna, tamdiu mutua charitate deuincti, in vnum corpus coaluere, vbi verò vnitatem fidei, in diuerſos ſenſus gladius hæreticæ prauitatis diſſecuit, odia, & vexationes pepulere concordiam, & nullis iam externis hoſtibus Chriſtianus ſeipſum cœpit affligere. Quantum in Republica Chriſtiana excitauit malorum Arrius, dum fidei integritatem nefario dogmate proſcindens totum fœdè Orientem lacerauit? quid Neſtorius? quid Donatus? quid Pelagius? cæteræque illæ peſtes, nonne dum fidei firmitatem labefactant, pacis, & tranquillitatis fundamenta conuellunt. Sed parum fuerat nobis ea audire & legere

quæ ſuperioribus ſæculis piorum virtutem exercuere, niſi hac noſtra ætate emerſiſſent Lutherus, & Caluinus, quorum hæretica impietas, quam atrociter ſęuierit in Eccleſiam Chriſti, ex eo ęſtimare eſt quod totum penè Chriſtianum orbem ferro, flammiſque accincta peruaſit, cuius tamen partem tantum aliquam reliqui infeſtarunt hæretici, quantas verò Calamitates vbicumque graſſata eſt, intulerit, ex recenti vrbium prouinciarum, regnorumque deſolatione, ex publico priuatoque multorum luctu, ex orphanorum viduarumque lachrimis, ex mendicitate honeſtorum hominum, ex patibulis, theatriſque adhuc ſanguine fumantibus licet agnoſcere, res in aperto poſita eſt, nec vllis Europæ nationibus clam eſse poteſt, cum alibi ſub perſecutionis pondere etiamnum gematur aliò extorres, eiectique de ſuis calamitatibus nuncium portent. Quamquam autem plura Europæ regna hæreſim illam à Luthero, Caluinoque diſseminatam exceperint, Anglia tamen præ reliquis videtur, & audiiſse auidiùs, & tenaciùs fouiſse, ex qua deinde, contagione vicinitatis & commercij in Scotiam noſtram propagatum virus, illibatam hactenus hæretica labe prouinciam infecit. Qua verò ratione, quando, & quibus incrementis, his duobus in regnis radices egerit, & in tantam ſeſe extulerit malorum ſegetem, decretum mihi eſt deſcribere; compendioſè tamē, & breuiter, tum quia rerum triſtium ea eſt conditio, vt lectoribus pariant citò cum dolore faſtidium, tum etiam quia idipſum tempus & inſtituti mei ratio poſcit.

Anno Chriſti Domini 1501. De quibus anno præcedente conuenerat nuptiæ celebratæ ſunt inter Arthurum Henrici 7. Angliæ Regis natu maiorem filium, & Catharinam ferdinandi, & Elizabethæ Hiſpaniæ Regum filiam, idque Londini 18. Calendæ Decembris. Deductis in thalamum nuptialem Principibus ad habita ex conſilio Medicorum graui Matrona, prouecteque ætatis, quæ caueret ne carnis inirent conſortium, Arthurus ſiquidem præter imbecillitatem ætatis, vix dum annum decimum quintum attigerat, lento morbo tabeſcebat in dies, quo etiam poſt quintum menſem conſumptus obiit. Ferdinando, & Elizabethæ filiam repetentibus proponit Henricus, Henricum filium ſuum natu minorem tum ætatis 12. agentem, qui in locum Arthuri fratris impetrata ſummi Pontificis diſpenſatione ſuccederet. Annuunt illi. Res Theologis, & iureconſultis datur diſcutienda, declarant illi honeſtè fieri id poſſe, nec iis diuinum, ſed humanum tantùm, ſeu Eccleſiaſticum, cuius diſpoſitio penes Pontificem ſit, obſtare: Legati igitur vtriuſque partis ad Alexandrum VI tum ſummum Pontificem, Deinde ad Pium tertium, & ad vltimum his duobus vita priusquam negotio hoc functis ad Iulium ſecundū rem deferunt. Iulius habita hac de re Theologorum maturè ſententia, tollit impedimentum nuptiarum; ſponſalia ergo (necdum enim nuptias licuit ob immaturam Henrici ætatem, ineunt. interim dum expectatur nuptiarum tempus Henricus

7. in Anglia, Elizabetha, in Hiſpania diem vltimnm obeunt. Henricus igitur iam octodecim annorum factus præclara inſuper corporis, regiaque habitudine, Catharinam ex totius Regni conſilio publicè hanc in rem conuocato, lectáque ſummi Pontificis diſpenſatione in vxorem accipit, quamquam ſemel viuo adhuc patre dixerat ſe Catharinam non ducturum. Solemnia nuptiarum celebrata ſunt 3. nonas Iulij, dieque ſancti Ioannis Baptiſtæ proximè ſubſequēti, tam ipſe quàm vxor eius Catharina coronatur in Monaſterio ſancti Benedicti, quod ad occaſum Loncino adiacet. Ex hoc matrimonio nati ſunt Henrico tres filij, & Duæ filiæ, qui tamen omnes vnica Maria ſuperſtite adhuc infantes ſublati ſunt. Nata eſt autem Maria anno 7. Henrici octaui Grennicum 12. Calendas Martias illam Henricus Vvalliæ Principem, regnique ſui hæredem declarat, & in Vvalliam cum ſplendida familia, illuſtrique Senatu ablegat vt prouinciam ſuo iure quod ſolent in Anglia primogeniti gnbernaret. Mariæ nuptias plures ex principibus Chriſtianis Iacobus 5. Scotiæ Rex, Carolus Cæſar, Franciſcus Gallorum Rex ſollicitè ambiebant, tandem rebus Henrici id poſcentibus deſpondetur primogenito Franciſci Regis Gallorum, ex quo apparet non fuiſſe vnquam dubitatum inter Chriſtianos Principes de validitate nuptiarum Henrici, & Catharinæ, cum Mariam illi omnes vt legitimam regni hæredem aſpicerent. Cæterùm ſicut æqualitate morum creatur, alitúrque amicitia, ita odium diſſimilitudine comparatur, erant omninò Henrici Catharinę pugnantes affectus, vitam illa religioſam admodùm, diſſolutam & lubricam Henricus agebat, virtutem illa, & pietatem Chriſtianam ſtudioſe colebat, vitia Henricus, & libidinem. Frequentabat Catharina loca ſacra, nocturnis ſæpiùs Religioſorum precibus intererat, auſteritatem in omnibus affectando, Henricus contra totus in luxum diffluens, concubinis in Regium lectum aſcitis, nullum voluptatis genus non ſectabatur, ex quarum vna cui Elizabethæ Bluntæ nomen fuit, filium genuit, quem Rochinundiæ Ducem creauit. Dum hæc ſe ita habebant, Catharinæq; tædium Henrici pectus occupabat in dies, erat fortè inter Aulicos Thomas Volſæus qui ex humili, vilique conditione, eum ſibi fortunæ gradum fecerat, vt Regi primum à Sacello factus, dein opera Richardi Vointonienſis Epiſcopi, Regiis Eleemoſynis prǫfectus, paulò poſt Epiſcopus primum Lincolnienſis, deinde Danelmenſis, tum autem Vvintonienſis, ac ſimul etiam Archiepiſcopus Eboracenſis (nam Vvintonienſem, & Eboracenſem duos locupletiſſimos Epiſcopatus, ſimul tenuit) Demùm totius Regni Cancellarius, & ad vltimum Cardinalis, & ad vniuerſum Angliæ regnum de latere Legatus, Regis animum adeò ſibi deuinxerat, vt ad quæcúmque vellet, nullo negotio flecteretur. Is tum quia ambitionem ſuam ſanctiſſimæ Reginę moleſtiam intelligeret, tum quia alienum ab ea Regis animum ſciebat, quod eſt aſſentatorum ingenium, nihil non tentabat, quo iam con-

Henricus Catharinā ducit.

Thomas Volſæus.

ceptum in Catharinam odium inflammaret, Accidit prætereà vt Carolo quinto imperatori, à quo antea crebris officiis colebatur (adeò vt ſæpè Carolus literas ad eum daret manu ſua perſcriptas, cum hac etiam ſubſcriptione, filius veſter & cognatus Carolus) infenſus fieret, ea nimirum de cauſa quòd cum ipſe in gratiam Caroli imperatoris obtinuiſſet apud Henricum, vt contracto cum Imperatore, fœdere perpetuo, bellum inferret Franciſco Galliarum Regi, ſuámque operam hac in re locaſſet Carolo, ea conditione vt mortuo Leone decimo in ſummum Pontificem ipſe authoritate Caroli crearetur, non ſteterat promiſſis Cæſar, & Leone mortuo nulla habita ratione Volſæi Adrianum ſextum eligendum curauerat; apparebat inſuper Cæſaris ſtudium in contemptum Volſæi tranſiiſſe, quippe Cæſar poſt captum apud Thicinum Galliæ Regem, non niſi raro, & aliena manu ad Volſæum cœperat ſcribere, nudumque Caroli nomen loco ſubſcriptionis apponere; quibus omnibus irritatus Volſæus animum ad Reginæ Catharinæ perniciem applicauit. Primum ergo cum Longlando Lincolnienſi Epiſcopo, qui Henrico à Confeſſionibus erat, ſecretò agit, non ſibi videri legitimum Henrici, & Catharinæ matrimonium, habendam prætereà ſibi curam ſalutis Regiæ, cumque iam ea ſibi eſſet ſententia à conſortio Catharinæ Regem abducere, rem tanti momenti ad eum detuliſſe, qui ſecretorum Regis præ reliquis conſcius, tutius illam & facilius regi poſſet intimare. Longlandus, qui nec ingratum futurum Regi negotium nouerat, nec contra Volſæi ſententiam audebat eſſe, commodum eſſe ſubintulit, Regem ab ipſo Cardinali potiùs quàm à quolibet alio hac de re conueniri. Volſæus ergo regi cum aperuiſſet: *Caue* (inquit Rex) *ne rem ſemel iudicatam iterùm in controuerſiam voces.* Non deſtitit Volſæus, triduò poſt Longlandum ad Regem introducit, qui peteret, vt hoc ſaltem permitteret Regia Majeſtas conſuli Theologos; Annuenti, vt ſilicem nutantem iam & proprio pondere præcipitantem in conſilium ſuum impelleret, Volſæus proponit ſpectatæ formæ, primæque nobilitatem feminam, Margaritam ſororem Regis Chriſtianiſſimi, viduamque Ducis Alinſoniæ, quæ eiectæ Catharinæ locum nullis dotibus inferior impleret. Imperato Rex vtrique totius rei ſilentio, dilatoque in aliud tempus de futura vxore conſilio, totus in id incumbit, vt aliquam repudij ſui rationem ſi quam poſſit, inueſtiget. Annus integer à quibuſdam Theologis, euoluendis Sacræ ſcripturæ libris, expendendiſque diſpenſationis à ſummo Pontifice datæ clauſulis omnibus, fruſtrà inſumitur: Henricus ipſe rem contra ius non eſſe tentandam ratus, ab hoc conſilio mentem flexiſſet, niſi Volſæi artes nefariæ, inſitumque Catharinæ faſtidium, & Annæ Bolenæ pulchritudo ex eius memoria deleuiſſent ſpeciem recti. Sub idem tempus aderant legati ex Francia, qui Mariam Vualliæ Principem Duci Aurelianenſi in vxorem peterent. Captata igitur occaſione Henricus Volſæo, id negotij haud grauatè

Adrianus ſextus Pontifex.

Epiſcopus Tarbienſis legatus in Anglia.

ſuſcepturo imperat, vt Epiſcopum Tarbienſem, is inter legatos erat, non quidem Regis nomine; ſed ſuo ipſius, vt Gallorum rebus ſtudentis conueniat, agatque cum illo de diſſoluendo Catharinæ matrimonio, ſpem præterea faciens futurum fore, vt Henricus Margaritam Regis Chriſtianiſſimi ſororem, dimiſſa Catharina, coniugem ducat. Fecit Volſæus quod Rex iuſſerat. Tarbienſi Epiſcopo plura in eam ſententiam locutus perſuadet demùm, vt in ipſo Senatu Regis Angliæ rem proponat, ſibi quidem non eſſe congruum, nec Anglorum cuiquam, quidquam in Regis matrimonium dicere. Placet Tarbienſi oratio, re itaque cum collegis communicata, in Senatu regio, coram Rege ipſo, pluribus diſſerens, de ijs omnibus, quæ ad commune vtriuſque regni bonum, pacemque firmandam facerent, ad vltimum ſubnectit, optimam longè ſubeſſe viam expediendi negotij, ſi ſibi liceat proponere. Et quidni, inquit, liceat cum apud eos agatur, qui nihil habent antiquius, quàm publicæ quietis ſalutiſque promouendæ curam. Dolent exteræ nationes circumuentam aliorum conſilijs Adoleſcentiam Regis, in eas conſenſiſſe nuptias, quæ vt illicitæ carpuntur vbique omnium ſermonibus, producta deinde in longum oratione, probare nititur inualiditatem earum multis rationibus, quibus deductis reſarciendę rei rationem aperit, ſi nimirum ſua Serenitas, dimiſſa Catharina, legitimum matrimonium ineat, cum Chriſtianiſſimi regis ſorore, quo videbatur in dubium leuatam iri graui onere Regis conſcientiam, pacemque inter nobiliſſima regna firmam, ac ſtabilem fore. Ad hæc Henricus velut rei nouitate perculſus, viſus eſt primò obſtupuiſſe, quia tamen cum ſalute animæ coniuncta res dicebatur, habiturum ſe maturam deliberationem promiſit Tarbienſis geſto pro animi ſententia negotio in Galliam ipſe nuntium Regi ſuo laturus aduolat, interim diuulgato per Angliam conſilio cœpit populus tam legatos, quàm Regem ipſum maledictis proſcindere: non enim obſcurum erat rem totam à Rege ipſo duxiſſe Principium. Dum hæc feruntur in Anglia, Carolus

Dux Borbonius.

Imperator per Borbonium Principem, quamquam in expugnatione occiſum, Romam ceperat, incenſa direptaque vrbe, Clementem ſeptimum ſummum Pontificem captum detinebat in vinculis, Volſæus Regi author eſt, defenſorem ſummi Pontificis, vt ſe exhibeat, qui iam fidei defenſor, dato ſibi ſuiſque poſteris, ob librum contra Lutheri errores editum titulo, appellari meruerat, hanc vnam eſſe rationem demerendi ſummi Pontificis, quem propterea in cauſa diuortij ſui non æquum modo iudicem, ſed diligentem patronum eſſet habiturus. Obligaret inſuper Gallorum Regem ſummo beneficio: aſſerendo eius filios in libertatem, qui tam apud Cæſarem erant in vinculis. Audito libentiſſimè Rex Volſæo ipſum cum duobus Collegis in Galliam delegat, cum octoginta aureorum millibus, & pręterea mandata quę tribus legatis communia erant, Solus Volſæus de Catharinę diuortio procurando, de matrimonio

cum Alinſoniæ Duciſſa contrahendo, & de filijs Franciſci ex Cæſaris manu liberandis occultè cum Rege Franciſco agendũ ſuſcipit, in ipſo tamen itinere dum Galetum perueniſſent, literis à rege miſſis imperatur ipſi de matrimonio Regis cum Franciſci ſorore ſilentium, quod quidem ingratum omninò accidit Volſæo, vt qui huius author conſilij hoc nomine deuinciendum ſibi Gallorum Regem putaret. Reuocauit hoc mandatum Henricus irretitus iam cupiditate Annæ Bolenæ, quæ etiam ipſius filia non dubijs argumentis habebatur. *Anna Bolena.* Amauerat quippè Thomæ Boleni Equitis Aurati vxorem, quam, miſſo in Franciam legationis cauſa marito, ibique biennium agente, liberius in thalamum ſuum induxit, quo etiam tempore concepta eſt, & nata Anna Bolena. Reuerſus ex Gallia Bolenus cognito ex ſuſcepta prole, vxoris adulterio, in ius apud Cantuarienſem Archiepiſcopum vocatam repudiare conſtituerat, niſi Regis ipſius iuſſu per Marchionem Dorceſtriæ ſignificato, & confeſſione vxoris, ſe à Rege ſollicitatam, & ex eius ſemine Annam conceptam, emollitus condonaſſet peccatum. Cognouerat quoque Henricus Mariam Thomæ Boleni filiam, Annæ ſororem ex Matre, eamque concubinæ loco in Aula diutiùs detinuerat. Vnde & die quodam cum petiiſſet Rex, à perdito quodam nebulone Equite aurato, is Franciſcus Brianus vocabatur, ab Aulicis communiter inferni vicario dicto, quod peccatum videretur, cum Matre primum, deinde cum filia rem habere, reſponſum tulit: *Idem omninò ac ſi quis Gallinam primùm, deinde pullum eius comederet.* *Franciſcus Brianus.* Qua reſponſione, non ſine riſu excepta, ad Brianum Rex dixiſſe fertur, *Næ tu meritò meus es inferni Vicarius*: Ex quo Brianus, Regius inferni Vicarius dictus eſt. Rex igitur habita conſuetudine prius cum Matre, deinde cum filia, animum demùm ad alteram filiam Annam Bolenam adiecit. Fuerat illa aliquandiu in Gallia, vbi impudicè omninò vixerat, adeò, vt à Gallis vocaretur communiter Hacnea, ſeu Equa Anglicana, & aliquando in conſuetudinem Regis Gallorum aſcita, Mula Regia cœpit appellari, verum antea cum adhuc eſſet in Anglia delibata fuerat ætatis ſuæ anno 15. tum ab eo, qui Thomæ Boleno erat à poculis, tum ab altero qui eidem à Sacello fuit. Reuerſam in Angliam, & inter puellas Regias coaptatam, Henricus cœpit miſerè deperire, quod cum illa ſatis aduertiſſet, verita neque cæteris Regis concubinis, & ſorori etiam ſuæ accederat, ſatiata cupiditate Regis alia ſuperinducta pelleretur, ſeu quod verius eſt, ambitione futuri cum Rege matrimonij, quo magis ille inſtabat precibus, vt copiam illa ſui faceret, eò diligenter ſimulabat pudorem, ſanctè affirmans velle ſe viro illibatam virginitatem cuſtodire. Interea tamen quibus poterat artibus Regis animum illigabat, colloquiis, facetiis, crebriſque cum eo ſaltationibus quorum omnium præ reliquis petita erat.

Expugnatus ergo Henricus decreuerat iam repudiata Catharina Annam ducere, iſque rumor paſſim ferebatur, adeò vt ad aures vſque Thomæ Boleni, qui tum in Gallia legatus erat, perueniret. Is ad Regem, eo inconſulto citato curſu properat, introducitur ſecretò, prouolutus in genua, Annam eſſe filiam Regis ex vxoris confeſſione aſſeuerat. Cui, Tace, ô Stolide, inquit Rex, Centum ex æquo tuam vxorem compreſſerunt, cuiuſcumque illorum ſit filia, certè erit vxor mea, Tu ad legationem reuertere, & rem totam habe ſilentio. His feſtinanter dictis Thomam Bolenum adhuc in genibus ſolum relinquit, qui cum videret decretum eſſe Regi Annam Ducere, ipſe, & vxor eius curam omnem ad inſtituendam illam conferunt, ne qua forte ipſius culpa tanta ſpe fruſtrarentur. Iam Volſæus è Gallia redierat, ſparſuſque de diuortio rumor, alios in defenſionem Catharinæ, alios contra nuptias ipſius, provt quiſque aut ex adulatione, & rerum nouarum cupiditate, aut ex veritatis ſtudio affectus erat, ad ſcribendum impulerat, lectuſque eſt aliquando coram Rege multiſque Epiſcopis liber, quo impugnabatur matrimonium, vbi nihil aliud auſi ſunt dicere Epiſcopi, quàm poſſe Regem dubitare de Validitate nuptiarum ſuarum. His adductus tàm de ſua, quàm Volſæi ſententia Henricus Stephanum Gardiuerum Iuriſconſultum, vna cum Franciſco Briano ad Papam mittit, qui vt æquiùs audirentur à Pontifice in itinere cum Venetis de reſtituenda ſedi Apoſtolicæ Rauenna agunt, ſed fruſtrà. Duo capita proponunt Pontifici, alterum quo poſtulabant, vt fœderis cum Galliarum Rege contracti ſocietatem iniret, alterum, vt de nuptijs Henrici, & Catharinæ permitteret cognoſci, conſtitueretque Cardinales Campegium, & Volſæum, quorum ille, vt qui ſub Leone decimo in Anglia Legatus fuiſſet, Rex Angliæ perſpectas habeat, hic vt qui tum ageret in Anglia, non poterat de rei totius veritate dubius eſſe, qui judices huius rei matrimonium illegitimum, authoritate Apoſtolica declararent. Primum poſtulatum Pontifex additis rationibus recuſauit; ſecundum vero ad quoſdam Cardinales, & Theologos demandauit, qui re accuratiùs inſpectâ, an legitimè fieri poſſet, renuntiarent. Illi vno conſenſu matrimonium Henrici cum Catharina ratum eſſe reſpondent, nec veritatem cauſæ illius ijs iudicibus eſſe committendam, qui Regi Henrico multis nominibus addicti, contra ius in eius gratiam pronuntiaturi viderentur. Indignatus hoc reſponſo Stephanus Pontificem adit, conqueritur id negari Regi de ſancta Sede benè merito, quod plebeiis in eadem cauſa concederetur, pollicetur inſuper Regem oſtenſurum diſpenſationem Iulij non fuiſſe Canonicam, & ita licet diuino iure non prohiberetur matrimonium Henrici, ſupereſſe iuris Eccleſiaſtici impedimentum, quod ad irritandum illud valeat. Ad hæc Pontifex cum modeſtè reſpondiſſet, ſe hac in re non facturum aliud quàm quod liceret, Cupere ſe Anglorum Regem vt de tota Eccle-

Stephanus Gardiner⁹.

ſia, & de ſe præſertim optimè meritum, quibus poſſet officiis proſequi, ſed in hac cauſa habendam imprimis rationem publicæ vtilitatis, cum ſit eiuſmodi negotium, ex quo Imperator ipſe Carolus, authoritas ſummi Pontificis, & Sacramentum à Deo inſtitutum læderentur. Commiſit ergo iterum cauſam Cardinalium, & Theologorum examini, quorum aliis in primæ ſententiæ perſiſtentibus, euicerunt alij, vt Cardinales Campegius, & Volſæus iudices controuerſiam dirimerent. Interim Catharina de Henrici legatione facta certior, literis ad Pontificem miſſis enixè petit, ne permitteret per Legatos in Angliæ rem tractari, alioqui Regem ipſum in ſua cauſa Iudicem futurũ, omnia enim pro eius libito hac ratione agenda. Sollicitauit etiam Cæſarem, ne materteram hac in cauſa deſereret, qui per Legatum ſuum queſtum eſt apud Pontificem de Legationi Henrici circa diuortium inſcia Catharina, ad quam tamen maximè pertineat, de Iudicibus à Pontifice datis antequam Sereniſſima Regina pro ſeipſa reſpondiſſet, impoſitum fuiſſe ipſi, quod nunquã ipſa dixerit, diſſoluto matrimonio ſe in monaſterium velle recipere. Pontifex ſe deceptum à Rege intelligere, quatuor curſoribus diuerſo itinere ad Campegium miſſis per literas mandat, vt quas poterit in itinere moras nectat, & cum in Angliam peruenerit, hoc vnum ſibi proponat Regem cum Regina reconciliare, nec vllam pro diuortio ſententiam ferat, donec iterato Pontificis iuſſu facultatem acceperit, & hoc ſummum, & maximum ſibi mandatum putet. Miſit iterum alias Viterbio literas, in quibus habet, ſi de ſua tantùm perſona ageretur, ſe omnia pericula in Regis Henrici gratiam ſubiturum, ſed nunc illius voluntate abſque iniuſtitia, & publico ſcandalo ſatisfieri non poſſe. Redditus Londinum Campegius nonis Octobris per Volſæum ad Regem deductus eſt, vbi poſt acceptam & redditam per Foxium Regis nomine ſalutem, diù multúmque Henricus, Volſæus, & Campegius de rebus ſuis colloquuti ſunt. Campegium ex Regis, & Volſæi ſermonibus cũ intellexiſſet vtrumque ad diſſoluendum matrimonium intentiſſimum eſſe, ſimulque audiiſſe Reginam in luctu & lacrymis ex quo aduentum ſuum reſciuerat egiſſe. Primò, per occultos nuncios eam conſolatur, ſimulque hortatur, vt monaſterium aliquod velit ingredi, acceptoque ab ea reſponſo conſtitutum eſſe matrimonium ab Eccleſia legitimum iudicatum, ad mortem vſque retinere, nec agnoſcere ſe eum Iudicem, qui per fraudem à ſummo Pontifice extortus ſit, demùm Pontificem certiorem facit de Regis Reginæque animo, de Volſæi quẽ priorem in ordine iudicem dederat voluntate petitque, vt qua via ſibi incedendum ſit à Pontifice præſcribatur. Verùm à nonis Octobris vſque ad 5. Calendas Iunij ſummo Pontifice diſſimulante, vt interim aliqua reſtituendi negotij naſceretur occaſio, nihil promotum eſt, quo tempore quid actum fuerit, poſteà curſus orationis aperiet. Henricus ergò cum ſatis aduerteret populum iam apertè indi-

Cardinales Cãpegius & Volſæus in Anglia.

Henricus conuocat nobiles ac plebem.

gnari, quod vxorem ſuam, tam illuſtrem ac piam fœminam repudiare cuperet, vt ſuperinduceret meretricem conuocauit ad 6. Idus Nouemb. nobiles ſuos ac plebem iuratoque coràm illam affirmauit, ſe nonniſi conſcientiæ ſtimulis adactum, ſollicitaſſe diuortium cum Catharina: id ſibi tantùm in ea diſplicere, quod fratris ſui vxor fuerit, notam ſibi eſſe eius ſanctitatem & caſtitatem, nec vllam aliam fœminam præ illa ſe expetiturum fuiſſe, ſi generis & naturæ dotes ſpectarentur. Mouit iuramentum Henrici ijs qui aderant ſtomachum, mirantibus hominis impudentiam, cuius vita in oculis omnium poſita facilè prodebat non eſſe eum qui conſcientiæ ſcrupulis tangeretur. Campegius cum rei difficultatem videret, commodum ratus cauſam amicè tranſigere, probato apud Regem conſilio, ipſe cum Volſæo ad Reginam contendit perſuaſurus ei vt in monaſterium aliquod ſecedat. Sed vix limen oratores ingreſſos interrumpit Regina. Fruſtrà illos rem ſummo conſenſu totius Curiæ Romanæ conſilio duorum Regum perfectam, conſuetudine, ac prolis fructu firmatam agitare. Voce deinde ad Volſæum conuerſa, eum multis querelis totius mali authorem incuſat, donec etiam in lacrymas & gemitus effuſam Cardinales re infecta relinquunt. Ne quidquam igitur tentato Reginæ conſenſu, totus ad id ſe conuertit Henricus, vt diſpenſationem Iulij nullam fuiſſe oſtenderet, in eo enim verſabatur totius cauſæ difficultas, ſiquidem conueniebat inter Theologos non potuiſſe contrahi matrimonium inter Henricum & Catharinam, ſine venia ſummi Pontificis per Legatos ſuos primum à Pontifice poſtulat, vt diſpenſationem Iulij nullam pronunciet. Deindè vt permittat Mariam Henrici, & Catharinæ filiam cum Duce Rochmundiæ eiuſdem Henrici filio notho matrimonio coniungi. Tertiò demùm, & hoc non per Legatos, ſed per literas ſua ipſius manu ſcriptas & conſignatas, vt cum eo per Pontificem diſpenſetur, quatenus Annam Bolenam, cuius ſororem Mariam priùs cognouerat, liceat ipſi in vxorem accipere, quod & Caietanus inſinuat & Cardinalis Polus aſſeuerat, additque à Rege impetratum eſſe dum conſtaret Iuliũ Pontificẽ non potuiſſe in priori Henrici matrimonio diſpenſare. Inſtant ergo Legati apud Clementem, vt abrogetur Iulij Decretum, vbi cum permitteret ſe acturum cum Carolo quo illa diſpenſationis Bulla, quæ apud ipſum aſſeruabatur, vel Romam, vel in Angliam ad Legatos ſuos mitteretur, vrgent illi vt niſi intra duos menſes exhibeat Decretum Carolus à Pontifice declaretur irritum, petitionem iniquam rejicit Pontifex Legati ſubinde dicentibus nolle ſe Bullam Apoſtolicam exhiberi, niſi ad ſtatutum diem id fieret. Henricus autem per Legatorum ſuorum literas intelligens, nihil à Pontifice poſſe obtineri, aliiſque etiam cauſis adductum, Campegium inuitum minis, blanditiis, muneribus, atque adeò mortis metu eò impulit, vt nondum accepto a Pontifice mandato de cauſa diuortij cum Volſæo ſederet iudicaturum. Quintò

Cãpegius Catharinã conuenit.

Caietanus Card. Polus.

Campegius & Volſæus de matrimonio Henrici iudicant.

igitur Calendas Iunias Londini in cœnaculo fratrum ordinis D. Dominici euocati. Prrimò Henricus, cuius vice duo Procuratores aderant. Deindè Regina quæ cum palam profeſſa eſſet ſe non recipere eos Iudices, Pontificem appellauit, datis etiam die ſequenti prouocationis ſuæ cauſis, quod nimirùm cum ipſa peregrina eſſet in Anglia, locus dicendæ cauſæ iniquus ſibi videretur, præſertim vbi aderat Henricus Rex Angliæ: Iudices etiam regi multis addictos titulis, Volſæum ob Vintonienſem, & Eboracenſem Epiſcopatus ac multas Abbatias, Campegium ob Sariſburienſem Epiſcopatum à Rege acceptum dono. Hærebant ad iſta Iudices, & quamuis appellationem rejicerent, niſi Catharina reuocatam eorum poteſtatem decreto Pontificis oſtenderet, ſententiam tamen pro Henrici voto nondum ferebant. Quod ille cum aduerteret omnis moræ impatiens, in iudicium die quodam aſſiſtens oratione habita palam teſtatus eſt, ſe non odio Reginæ, ſed conſcientiæ ſuæ cura diuortium illud attentaſſe, curaſſeque, vt duobus Cardinalibus cauſa committeretur, quam poterat per ſolum Volſæum à latere Legatum conficere, cæterùm eorum ſententiæ ſe acquieturum omninò, quos à ſummo Pontifice Iudices æquiſſimos impetrauerat. Vrget appellationem Regina, renuentibuſque Volſæo, & Campegio, Regem ad dextram ſub Conopæo ſedentem conuenit, flexis genibus obteſtatur, quando illa peregrina ſit, patiatur hanc litem Romæ, coram Chriſtianorum parente, & Iudice æquiſſimo Pontifice agi. Quid plura? aſſurgit Henricus, benigniſque oculis in eam intuens refert, hanc ſe illi gratiam facere, diſcedentem inde cum reuocarent Rex, & Iudices Reginam, excuſauit ſe de ſuorum conſilio metuentium, ne fortè appellationem ſuam, verbis per imprudentiam elapſis, reuerſa compelleret. Henricus autem qui nec durior videretur, appellationem Reginæ permiſerat, nihilò ſegnius inſtat apud Iudices, vt rem ad exitum deducant, Procuratores igitur ſuas rationes, quibus impugnabant Catharinæ nuptias, coràm Iudicibus exponunt, quibus ab Aduocatis Reginæ facile reſponſum eſt. Erant autem hi Gulielmus Varamus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Epiſcopi quinque; Cuthbertus, Tonſtallus Londinenſis tum, poſteà Dunelmenſis, Nicolaus Veſtus Elyenſis, Ioannes Clericus Bathonenſis, Ioannes Fiſherus Roffenſis, Henricus Standicius Aſaphenſis, Theologi quoque quatuor Abelus, Ferherſtonus, Ponellus, & Ridlazus. Ex quibus Roffenſis librum a ſe de validitate nuptiarum Henrici, & Catharinæ conſcriptum Legatis obtulit, grauiſſima & liberrima oratione in tam inſolitum facinus præfatus, Mox etiam libri tres, in eandem materiam tribus Epiſcopis authoribus. Clerico Bathonenſi, Tonſtallo Londinenſi (qui tum cum Thoma Cameraci Legatum agebat) & Veſto Elyenſi proponuntur. Hos ſecuti quatuor Theologi Abellus, Ponellus, Fetæerſtonus, & Ridlayus ſcripſere. Hic palàm queſtus eſt de iniquitate iudicum qui fidem obſtrinxe-

Aduocati Catharinæ

rant Aduocatorum Reginæ, nihil ſe dicturos in hac cauſa, quod contrà Eccleſiaſticam conſuetudinem videretur non expetito à Regis Procuratoribus hoc iuramento. Quod ſi inquiebat ille, vt & illi, ita & hi non niſi iurati ad hanc cauſam tractandam acceſſiſſent, profectò ad partes Reginæ omnium tranſitio, futura fuerat. Tulit Volſæus libertatem hominis ægerrimè, cæteri verò Regiæ partis fautores ſilentio comprobare viſi ſunt. Rebus eò poſitis acriter pro more ſuo vrgenti deciſionem litis Henrico, tandem Campegius liberè audactérque pronunciat, ſe non poſſe in cauſa tam graui, tam feſtinanter progredi, id eſſe moris in Curia Romana, vt iam inſtructa lite, cum ad ſententiam ferendam ventum fuerit, triginta toti dies examinandis teſtimoniis inſumantur. Vix totidem elapſos eſſe, ex quo de cauſa queri cœptum eſt: irritatus Henricus Campegij cunctatione & conſtantia, qua iudicium vſque ad vltimum Iulij protraxerat, & eo magis quod diceret, non licere ſibi per conſuetudinem Curiæ Romanæ, ab vltimo Iulij, vſque ad menſem Octobris quicquam mouere, Brandonum Suffolciæ, Hauardum Northfolciæ Duces ad Legatos mittit, qui cum 3. Calend. Auguſti ad ipſos pro tribunali ſedentes veniſſent, ſummoperè ab ijs contenderunt, tàm Regis, quàm ſuo nomine finem litis quamprimùm facerent, liberarentq; tam graui ſcrupulo conſcientiam Regis. Tacente Volſæo, quãquam primus ſederat Campegius reſpondet, nihil rati poſſe ſtatui his diebus, quibus in Curia Romana à cognitione cauſarum eſſet ceſſatio, expectaret Rex menſem Octobris, tùm demùm pro eius arbitrio rem decidendam; Idem omninò, ducibus iterùm vrgentibus, referente Campegio, Carolus Brandonus Suffolciæ Dux menſam, cui aſſidebat percutiens manu, per ſacram Miſſam, exclamat Legati, aut Cardinales nihil boni vnquam ad Angliam apportarunt, & ſtatiùs ad Regem re infecta redeuntes, ſua iam cupiditate ardentem furoris vltrò facibus inflammant; Cum ecce defertur in Angliam ad Sereniſſimam Reginam nouum ſummi Pontificis decretum, quo reuocatis Legatorum mandatis cauſa Paulo Capiſuccho, ſacri Palatij Apoſtolici Auditori, & Decano committebatur. in Curia Romana examinanda, & definienda. Catharina ſuo nomine Thomam Morum, virum, ingenio, doctrina, & pietate præſtantem ad Regem mittit, qui renunciet de nouis Pontificis literis, ſciſciteturque ab eo, num velit per viatorem ſibi ſignificari. Obrutus rei nouitate Henricus, id quod tam in mentem venit, Moro reſpondet, permittere ſe, vt Legatis de more obnuncietur, ſibi non; locum tamen cauſæ dicendæ non recuſare, miſſurumque ſe Procuratores qui perſonam ſuam Romæ ſuſtineant. (Sperabat autem ſe apud Pontificem effecturum, vt Legatorum poteſtas, in integrum nouis literis reſtitueretur,) interim ad Legatos, qui tùm duodecimo à Londino lapide aberant, plures ex Reginæ Procuratoribus, ex Regis vnus cum duobus Notariis ſignificatum eunt, reuocatam illorum poteſtatem.

Suffolciæ Dux.

Thomas Morus.

Ex quibus

Ex quibus Regiæ partis qui aderat, affirmauit, nolle Regem cauſam vltrà in Anglia agitari, ſed vt iuxta Papæ mandatum Romæ termineturid vehementer cupere: nec multò poſt ad ſeptimum Idus Septembris Campegius Pontificis litteris Romam reuocatur, cuius diſcedentis ſarcinas Henricus iuſſit excuti, ſi fortè litteras à Volſæo ſcriptas (multas autem offendit) poſſet intercipere. Iam enim omnem totius rei culpam, in Volſæum authorem diuortij refuderat. Adeóque illi infenſus erat, vt cum prodidiſſet, non obſcuris iudiciis offenſionem in eum ſuam allata à multis Principibus viris Volſæi inimicis, multa criminum capita, eorum ſigillis obfirmata, libentiſſimè receperit, eum poſt Campegij diſceſſum in Aulam reuerſum ad colloquium non admiſerit, demùm poſt aliquot dies, à Thoma Northfolciæ Duce captum, exuerit primum Cancellariæ magiſtratu (quem ſtatim contulit Thomæ Moro) Vintonienſi deinde Epiſcopatu (qui Stephano Gardinero datus ab ipſo eſt) Eboraci quoque Palatium illius diripuerit, atque ita bonis penè omnibus exutum in villam Esherienſem relegarit, quem tamen non multò poſt ad Eboracenſem Epiſcopatum cui præerat remiſit. Non propterea deſtitit incœpto Henricus, ſed miſſis ad Papam Clementem Legatis diuortij procurandi cauſa, inter quos aderat Thomas Craumerus Cantuarienſis poſteà Archiepiſcopus tota Gallia Theologos, & Iuriſconſultos ſollicitat, qui ſubſcriberent inualiditate nuptiarum, vt ſi fortè quod futurum videbatur, res ei Romæ præter ſententiam caderet, haberet tamen aliquam ſpeciem authoritatis Academicæ, qua ſuum facinus tueretur. Ad hæc Reginaldo Polo Anglorum ſui ſæculi facilè primo, Cantuarienſem Archiepiſcopatum pollicetur, ſi ipſe repromitteret ſe Regis negotium omni ſtudio ſuſcepturum. Verùm fruſtrà caſtiſſimum viri integerrimi animum oppugnat. Quod cum videret Thomas Bolenus Regi author fuit, vt Craumerum tùm Romæ, vt dictum eſt, inter Legatos agentem Archiepiſcopum Cantuarienſem faceret, ea lege, vt ſi Pontifex ratum Catharinæ matrimonium decerneret, ipſe contrà pronunciaret irritũ. Per id etiam tẽporis ſuum in clerũ furorem Henricus cœpit exercere. Anno Domini 1531. Bona omnia Clericorum fiſco addicta pronunciãs, quod illi externam, vt aiebat, Legatorum poteſtatem, ſe inuito cognouiſſent, quo terrore iniecto effectum eſt, vt quadringentis aureorum millibus ſuas fortunas redimerent, additis inſuper ad Regem ſupplicationis verbis, condonaret eis pro ſumma illa poteſtate, quam in Clerum ac populum ſuum, in regno ſuo ſolùm Regem habere fatebantur, vnde primam occaſionem ſumptam eſſe aſſerunt, vt Rex ſupremum caput Eccleſiæ Anglicanæ diceretur, & eſſet. Tandem verò Henricus Annæ Bolenæ cupiditate victus, occultus cum ea nuptias inire decernit, necdum enim finem litis Pontifex fecerat, ac primò eam Marchioniſſam Pembruchi conſtituit, vt dignior, quæ Regi nuberet, haberetur, tribuſque circiter poſt menſi-

Henricus infenſum Volſæo.

Volſæus ſpoliatus honoribus.

Thomas Craumerus.

Reginaldus Polus.

bus Rolandum Presbyterum quem poſteà Lichefeldienſem Epiſcopum creauit, accerſi iubet, affirmat ſibi poteſtatem à Pontifice factam per ſententiam eſſe, quam vellet vxorem ducendi, proindè rem diuinam ritu Romano faciat, & Annam ſibi in coniugem tradat. Rolandus primùm ſiluit, ſed mox religione tactus: ſpero, inquit, Majeſtatem tuam habere diploma Pontificium, Annuente Henrico ad altare conuertitur, ſed denuò in ſuſpicionem fraudis recidens. Omninò retulit, ſacri canones poſtulant, noſtraque valde intereſt, vt literæ Pontificis palàm legantur, & promulgentur iterùm Henricus affirmat penes ſe eſſe eiuſmodi literas, ſed quæ ibi ſint poſitæ vnde à nemine niſi à ſeipſo poſſint efferri, non eſſe conueniens, vt ipſe ſolus per noctem (noctu enim hæc acta ſunt) prodiret. Acquieſcens Rolandus Annam completis Abenioniis tradit Henrico; quo tempore Romanus Pontifex firmum ratumque Henrici, & Catharinæ matrimonium pronunciabat, cuius ſententiæ verba ſunt hæc.

SENTENTIA DEFINITIVA Clementis Papæ ſeptimi, pro matrimonio Henrici octaui Angliæ Regis cum Catharina, & contra eiuſdem nuptias cum Anna Bolena. Data Romæ anno Domini 1533. Pontificatus Clementis II.

Clemens Papa ſeptimus, &c.

CVM *pendente lite coràm nobis, dilecto filio Capiſuccho Capellano noſtro, ac ſacri* Palatij *Apoſtolici cauſarum Auditori, & Decano, à nobis in Conſiſtorio Reuerendiſsimorum commiſſa, inter chariſsimos in* Chriſto *filios noſtros* Catharinam *& Henricum octauum* Angliæ Reges, *de & ſuper validitate matrimonij inter eos contracti, præfatus* Henricus *dictam* Catharinam *eiecerit, & de facto cum quadam Anna matrimonium contraxerit, contra mandata & decreta tam admonitionis quàm inhibitionis in literis in forma* Breuis, *etiam de conſilio Fratrum noſtrorum* S. R. E. *Cardinalium emanatis, contenta, temerè, & de facto attentando.*

Idcircò nos de illius poteſtatis, quam Chriſtus Rex Regum, nobis licet immeritis, in perſona B. Petri *conceßit, plenitudine, in throno iuſtitiæ pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram*

ſententiam, quam ex noſtro mero officio, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. *Cardinalium conſiſtorialiter coràm nobis congregatorũ conſilio, ferimus, eiectionem & ſpoliationem dictæ Catharinæ Reginæ à quaſi poſſeſſione iuris coniugalis & Reginalis dignitatis, in qua tempore huiuſmodi motæ litis erat, & matrimonium inter prædictum Henricum Regem, & Annam prædictã contractum. Cum prædicta omnia notoria & manifeſta ſint, prout ita eſſe declaramus, nulla, iniuſta, & attentata fuiſſe, & eſſe, ac nullitatis, iniuſtitiæ attentorumque vitio ſubiacuiſſe & ſubjicere, prolemque ſuſceptam, ſeu ſuſcipiendam illegitimam fuiſſe, & eſſe, præfatamque Catharinam Reginam ad ſuum priſtinum ſtatum, & quaſi poſſeſſionem iuris coniugalis, & Reginalis dignitatis reſtitui & reponi debere, dictumque Regem, dictam Annam à cohabitatione ſua, & quaſi poſſeſſione iuris coniugalis, & Reginalis ejicere, & amouere debere, in his ſcriptis pronunciamus, decernimus, & declaramus, reſtituimus & reponimus, ejicimus, & amouemus. Eademque noſtra ſententia, & ex conſilio, & mero officio noſtro prædicto, præfatum Henricum Regem maioris excommunicationis, & alias cenſuras, & pœnas in dictis literis contentas, ob eorum non paritionẽ, & contemptum damnabiliter incurriſſe, & incidiſſe, ac ab omnibus Chriſti fidelibus euitandum fuiſſe, & eſſe declaramus & mandamus.*

Et nihilominus volentes cum eodem Henrico *Rege, nomine* Pij *patris benignè, & clementer agere, cenſurarum prædictarum declarationem, vſque, & per totum menſem Septembris proximè futurum, ad hoc vt ſententiæ, & mandatis noſtris prædictis commodius parere poſſit, ſuſpendimus. Et ſi infra dictum tempus parere diſtulerit ac dictam Catharinam in priſtinum ſtatum, quo tempore litis mota erat, non reſtituerit, præfatamque Annam à ſua cohabitatione & quaſi poſſeſſione iuris coniugalis & Reginalis non abiecerit & dicta attentata cum effectu non purgauerit; ex nunc, prout, ex tunc præſenti declarationi locum eſſe volumus, & decernimus.*

Ita pronunciamus.

EXulceratus Pontificis ſententia Henricus hoc primum ad vindictam excogitauit, vt iuramentum ab vniuerſo Clero Anglico Romanis Pontificibus præſtitum in publicis comitiis in eam rem habitis declararetur, vbi etiam adegit tàm populum quàm Clerum, vt nouo iureiurando, ſe, ſuoſque ſucceſſores pro ſummo capite Eccleſiæ Anglicanæ, & Hiberniæ profiterentur. Nec multò poſt Craumerum Cantuarienſem Archiepiſcopum a ſe creatum diuortij ſententiã inter ſe & Catharinam ferre iubet, quâ in pago Dunſtablienſi tandem lata, Annam Bolenam pridie Idus Aprilis, qui dies ſepulturæ Domini hoc anno dicatus erat, ſolemnibus nuptijs in coniugem ſibi cooptat, poſtridiéque Idus Iunij ſequentis coronatam de more, Reginæ nomine dignatur. Sequenti autem menſe Nouembri conuocatis iterùm comitiis poteſtatem omnem in Angliam & Hiberniam Romano Pontifici adimit, eumque perduellionis

Henricus ſummum caput Eccleſiæ vult haberi.

Henricus Annã Bolenam ducit.

reum declarat, qui eam vltrò ipſi in priſtinum deferret, vocabulum Papæ per quoſlibet libros deleri iubet, quod tanta ſeueritate ob-ſeruatum eſt, vt capite plecteretur, in cuius libro nomen Papæ indeletum reperiretur. Singulos quoſque in fronte operum D. Auguſtini, Cypriani, Ambroſij Hieronymi &c. voluit ſubſcribere, ſe in eam ſententiam non conſenſuros, ſi quæ in ijs haberetur, quæ Papæ authoritatem, & Primatum in Eccleſiam firmaret. Anno verò ſequente Monaſteria viſitare occepit, eo fine, vt illa bonis ſpoliaret, in quibus occaſionem aliquam poſſet præſumere, quod & probauit euentus detectis enim & confictis Monachorum criminibus in publicis comitiis euicit, vt minora Monaſteria ſuæ libidini dederentur. Sub idem tempus Catharina vxor Henrici lethali morbo decumbens Henrico ſcripſit Epiſtolam in hæc verba: *Mi Domine Rex Henrice, appropinquante iam mortis meæ hora, charitas qua te proſequor facit, vt te admoneam ſalutis animæ tuæ, quam cunctis huius mundi rebus anteferre debes: Ego tibi condono, precorque, vt condonet tibi Deus, Commendo tibi filiam noſtram communem, ancillas tres & miniſtros omnes vt illæ nuptui commodè tradantur: his autem præter id quod iam debetur etiam vnius anni ſtipendium integrum velut annulus accedat.* Non potuit cum legiſſet hæc verba Henricus continere lacrymas, longè aliter Anna Bolena quæ die funebri Catharinæ flauos colores induit, vt ſuam de illius morte lætitiam proderet potiùs quàm luctum. Nec multò poſt ipſam Henricus vix quinque menſibus Reginæ titulo potitam obtruncat accuſatam, & conuictam violati thori. Poſtridiè verò Ianam Seimeram duxit declarauitque authoritate Parlamentaria nuptias cum Anna contractas, illicitas fuiſſe, & Elizabetham ex hoc ortam coniugio, illegitimam. Iana Seimera ad 6. Idus Octobris Henrico Eduardum qui patri in regno ſucceſſit, vitæ propriæ diſpendio in lucem edit, qua defuncta Mariam Lotharingiam Ducis Guyſij filiam ducere voluit, ſed ipſa eo reiecto, nupſit Iacobo 5 Scotorum Regi. Ex pacto deindè cum quibuſdam Germanis Principibus inito, ducit Annam Cliuenſem filiam Chriſtianæ Danicæ neptis Caroli quinti, ſororem Gulielmi Ducis Cliuiæ, ſed ſtatim interpoſita Comitiorum authoritate repudiat, tanquam filio Ducis Lotharingiæ priùs deſponſatam. Huic ſuccedit Catharina Havvarda Edmundi Havvardi filia, & Thomæ Ducis Northfolciæ neptis, quam etiam anno vertente, pudicitiæ iam ante violatæ adulterij quoque ream peractam. cum Mœchis ſuis Thoma Culpepero, & Franciſco Dirrhamo capite plectit, & Catharinam Porram Baronis Latineri, viduam vltimam vxorem ducit. Hoc vno fœlicem, quod Henricus antequam ipſam aulâ expelleret, quod in animo habuiſſe dicitur ſublatus eſt.

Henricus monaſteria diripit.

Catharina moritur.

Henricus Annam obtruncat.

Ducit Ianam Seimeram.

Anna Cliuenſis.

Catharina Hauuarda capite plectitur.

Poſt hæc omnia cum Carolo quinto Imperatore redit in gratiam, cum ſpe aliqua reconciliandi ſeipſum Romanæ Eccleſiæ: In Galliam quoque per hæc tempora excurrens Bononiam capit, & re-

uertitur, tandem poſtquam regnaſſet annis 37. menſibus nouem, *Henricus*
diebus ſex, quorum ferè viginti in ipace Catholica, quatuor in flu- *capit Bo-*
ctuatione continua, quatuordecim reliqui in aperto ſchiſmate tran- *noniam.*
ſacti ſunt, anxius ob anteactam vitam, ſpiritum ex virulenti herpe-
tis in crure inflammatione anno 1547. exhalauit, pinguedine totus *Moritur*
diffluens, adeóque enorme corpus gerens, vt vix oſtia ſubire poſſet, *Henricus.*
& non niſi machinis per feneſtras in ſuperiores ædes pertraheretur.
Eccleſiaſticos omnes poſt apertum ſchiſma, quod ipſi violatam à ſe
Romani Pontificis authoritatem minimè probarent, atrociſſimè
perſecutus eſt. Religioſos Catholicos affecit ſupplicio, Monaſteria
diruit, & diripuit, Proteſtantes etiam hæreticos ex lege 6. Articulo-
rum combuſſit, adeóque infeſtus omnibus euaſit, vt Caluinus in *Caluinus.*
cap. 1. Oſeæ, fol. 7. de eo ſic ſcripſerit. *Henricus Octauus cum videret
ſe non poſſe aliter excutere iugum Pontificis Romani, quàm aliquo fuco, præ
ſe tulit ad tempus, aliquem zelum Euangelij, ſed poſtea crudeliter ſæuiit
aduerſus omnes pios, & duplicauit tyrannidem Rom. Pontif.* Et mox: *Ille
homo Belluinus oſtendit ſe prorſus vacuum omni timore Dei, & fuit dete-
rior omnibus mancipiis Anti-Chriſti.* Buchananus verò Scotus Calui- *Buchana-*
niſta lib. 13. hiſto. Scoticæ de Henrico iſta habet: *Tota vita nullam* *nus.*
ſtabilem de Doctrina Chriſtiana perſuaſionem habuit. Morti ab Henrico
traditi ſunt, confictis cauſis, & prætextu Iuſtitiæ 1322. quorum duo
Cardinales Roffenſis, & Volſæus, (omiſſo Cardinali Polo quem *Roffenſis.*
ob ſolam abſentiam damnauit) tres Archiepiſcopi, Octodecim
Epiſcopi, tredecim Abbates, & Priores, Sacerdotes, & Monachi
quingenti, Decani triginta; Archidiaconi quatuordecim, Canoni-
ci ſexaginta. Sacræ Theologiæ Doctores quinquaginta vno ſuprà:
Duces, Marchiones, Comites, eorumque filij duodecim; Barones,
& Equites, viginti nouem; Inferioris conditionis nobiles 336. ex Ci-
uibus & ſimilibus 124. Ex fœminis omnis conditionis 110. Succeſ-
ſit in regnum Henrico Eduardus filius, quem ipſe moriens Catholi- *Eduardus.*
cè educari præceperat. Eduardus ergo vix decennis Rex Angliæ de-
claratur, Eduardo Seimaro Duce Sommerſeti Zuingliano eius
a unculo, cum aliis quindecim protectore conſtituto, ſub his lex ſex
articulorum contra Proteſtantes ab Henrico lata, abrogatur, & in-
ducitur hæreſis Proteſtantium; amittuntur Anglorum propugna-
cula quædam in Scotia, Bonònia Gallo reſtituitur: Cumque de
reſtituenda poteſtate Pontificis Romani in Anglia, cœpiſſet agi, reſti-
tit acriter, Dux Sommerſeti, vt qui Zuinglianus eſſet, timeretque *Dux Som-*
inſuper ne Eccleſiarum bona, quorum ipſe magnam partem inua- *merſeti.*
ſerat amitteret. Sacras religioſorum domos diripuit, nulliquе eo-
rum ferè pepercit, quæ Henrici furorem euaſerant. In Angliam
vocauit Bernardinum Ochinum, Martinum Bucerum, & Petrum
Martyrem Apoſtatas, quos vniuerſitatibus Oxonienſi, & Cantua-
rienſi, eiectis Catholicis præfecit. Opera Sancti Thomæ, Scoti
aliorumque præcipui nominis Theologorum flammis tradidit, ver-

ſionem Scripturæ à Zuinglio factam curauit recipi. Chriſti Saluatoris, aliaſque Sanctiſſimæ Matris, & Sanctorum imagines tam pictas, quàm ceratas, has combuſſit, illa obliterauit : Comitiorum authoritate ſuſtulit venerandum corporis & ſanguinis Chriſti Sacrificium. Demum feloniæ damnatus, quod Regius Conſiliarios, Dudlæium nempe, Northumbriæ Ducem, alioſque voluiſſet occidere, capitali ſupplicio, è viuis ſublatus eſt, cum agnouiſſet ante mortem errores ſuos, veniamque à Deo precatus eſſet. Eduardus ipſe, morbo, an veneno incertùm extinctus eſt, ætatis anno 17.

Dux Somm erſeti capite plectitur.

Maria.

Mortuo Eduardo Maria Henrici ex Catharina legitima filia Regina proclamatur anno 1553. Primò aduentu ſuo ad coronam Catholicam fidem reſtituit, & paulò poſt obedientiam Summi Pontificis, Edmundum Londinenſem, Stephanum Vintonienſem, Cuthbertum Dunelmenſem in vinculis poſitos, in libertatem, ac priſtinum decus inſtaurat : Atque vt ſolidius nutantem regni, fideique ſtatum firmaret, præſidium à Potente marito quærens Diſpenſante Iulio 3. Summo Pontifice, nubit Philippo Hiſpaniarum Regi, Triginta millia hęreticorum diuerſarum ſectarum, qui ex variis nationibus in Angliam Eduardo regnante confluxerant edicto iuſſit excedere ; Exercitium vetuit Religionis hæreticæ, Academiis Catholicos profeſſores reddidit, interim multis petita coniurationibus : quas omnes excitatas fuiſſe ab Elizabetha ſorore palam habitum eſt præſertim euidentiſſimas quatuor in quarum prima miniſtros habuit, & Conſilij participes Thomam vincit ; in ſecunda Antonium Kingſtonne ; in tertia Thomam Stafford, in quarta clam agit cum Gallis vt interciperetur Caletum : Et quamuis Elizabetha à Conſilio Reginæ, Rex morti iudicaretur, nunquam tamen paſſa eſt Maria, grauiorem illi pœnam infligi, quàm vt ad paucos menſes Vvoodſtoxum relegaretur. Bellum hac tempeſtate in mariti gratiam Gallo denuntiat Maria ; ſed Scotis Angliam infeſtantibus, Caletum amittit, vnde mœrore confecta, tam ex amiſſione Caleti, quàm ex abſentia mariti in fibrem incidit, qua, ſimul & aqua intercuti per ſex menſes cruciata extinguitur menſe Nouēbri anno 1558. poſtquam quinque annis, & quatuor menſibus regnaſſet.

Elizabeth.

Elizabetha Mariæ ſuccedit annos viginti quinque nata, anno 1559. inauguratur, & conuocato Parlamento renuntiatur Regina Angliæ legitima, quod vbi factum eſt, quamquam morituræ Mariæ cum iuramento promiſerat, numquam ſe permiſſuram, Religionem Catholicam Mariæ opera conſtitutam, & confirmatam iterùm labefactari, tamen quod ſciret ſe illegitimam eſſe, & à regno excludendam, ſi poteſtas Romani Pontificis, & Canonum authoritas perſeueraret in Anglia (ſic enim hæretici quidam ſuggeſſerant) hoc primum habuit curæ, vt Catholicam Religionem euerteret, quod vt præſtaret facilius, Conſiliarios omnes elegit, aut hæ-

reticos penitùs, aut Politicos homines Nicolaum Bacconum Magni Sigilli Cuſtodem, Gulhelmum Cecilium Theſaurarium, Robertum Dudlæium Leceſtriæ Comitem, Chriſtophorum Gaſtonem Cancellarium, & Franciſcum Valſingam. Hi omnes cum rem in Publicis Comitiis ſuſcepiſſent, proponendam, & promouendam, timerentque præcipuos ac primariæ nobilitatis Principes, qui Mariæ tempore præſtita Romano Pontifici obedientia, non ita facilè, & tam citò à propoſito diſceſſuri videbantur, haberentque pro certo ſe experturos omnes Epiſcopos infenſiſſimos, & acerrimos hoſtes; primum cum Duce Northfolciæ, & Comite Arundaliæ maximæ authoritatibus Principibus egerunt, vt ſe non opponerent, Northfolcio mira polliciti, Arundalio certum cum Regina matrimonium. Horum opera effectum eſt, vt omnis penè nobilitas ad Reginæ partes defecerit, & tamen vix ac ne vix quidem obtinuit hæreticorum cauſa; nam tribus tantum Suffragiis ſuperauere Catholicos. His ergo Comitiis Decretum eſt, Elizabetham ſummum eſſe caput Eccleſiæ, & quidem expreſsè contra D. Pauli ſententiam: quod vbi factum eſt ſilentium veræ fidei concionatoribus imperatur, Academiis Catholici profeſſores exturbantur, religioſorum bona, & prouentus à Catholica Regina Maria reſtitutos Monachis hæretica Elizabetha ſibi repetit. Mutat religionem, præcipuos Romanæ Eccleſiæ ritus antiquat, Ceremonias & precationes Lutheranorum (hoc ſolo excepto quod ſacræ imagines euerſæ ſunt) inducit, quamquam hæreſis Caluini magis tum & poſtea ab illa, eiuſque miniſtris recepta ſit. Reclamantibus impietati Catholicis inſtituuntur diſputationes publicæ, in quibus de rebus fidei, inter Catholicos Doctores, & hæreticos ageretur; ſed nullum illa res fructum habuit: Nam præter alia quæ in Catholicos iniquè geſta ſunt conqueſti ſunt, quod Bacconus Cancellarius, homo non Theologus, & ipſis infeſtiſſimus tanquam Iudex præſideret. Ad hæc omnia Epiſcopi, & Eccleſiaſtici omnes, qui iuramentum ſuprématus ſuſcipere voluerant, Epiſcopatibus, & beneficiis omnibus exuuntur, ſubſtitutis in eorum locum hæreticis, & quamquam Principes Chriſtiani pro Catholicis illis Epiſcopis, & Eccleſiaſticis interceſſiſſent, nihil tamen impetratum eſt. Per hæc quoque tempora eiuſmodi Decreta, ſeu leges authoritate Parlamentaria in Catholicos latæ, & promulgatæ ſunt.

Bacconus Cecilius.

Elizabetha declaratur caput Eccleſia.

1.

Omnia priuilegia, præeminentiæ, prærogatiuæ, ſuperioritates ſpirituales quæ ab vlla poteſtate, vel humano, vel Eccleſiaſtico iure, haberi, aut exerceri poſſunt, quoad viſitationem, correctionem, ſeu reformationem cleri totius, ſeu quarumcumque perſonarum Eccleſiaſticorum; ad cognitionem etiam ac punitionem omnium errorum, hæreſum, ſchiſmatum, abuſuum, &c. Volumus in poſterum, quod Regio ſceptro in perpetuum ſint annexa.

2.

Decernimuſque Reginam, ſuoſque hæredes, ac in Regali dignitate ſucceſſores, habere, habituroſque eſſe deinceps omnimodam poteſtatem nominandi, & ſubſtituendi quoſcumque voluerint, qui eorumdem vice, ac authoritate, eamdem Iuriſdictionem Eccleſiaſticam exerceant pro beneplacito ſuo, perſonas viſitent; hęreſes, ſchiſmata, errores. & abuſus caſtigent; aliudue quidvis iuris vel poteſtatis exerceant, quod ab vllo vnquam Eccleſiaſtico Magiſtratu exerceri potuit, aut oportuit.

3.

Decernitur item ne Clerus ad Synodum vllam, aliorum quam Regiis literis, & mandatis conueniat; neue vllum canonem, legem, conſtitutionem ſynodalem ſeu prouincialem, vel faciat, vel exequatur, ſine expreſſo Majeſtatis ſuo conſenſu, & licentia huiuſmodi canones faciendi, promulgandi, vel exequendi, ſub pœna carceris, & mulctæ pro Reginæ arbitrio imponendæ.

4.

Decernitur, ne quis exeat regnum, ditioneſque ſuæ Majeſtatis, ad vllam viſitationem, Concilium, Conuentum aut Congregationem, quæ Religionis cauſa vſpiam fiet; ſed vt talia omnia, regiâ authoritate, intra regnum fiant.

5.

Item, ne Epiſcopi, vel vllius nominatione vel electione, vel vlla authoritate alia quàm regia creentur, néve iuriſdictionem, poteſtatemque Epiſcopalem teneant, aut exerceant, niſi ad beneplacitum Reginæ; nec aliter niſi per ipſam, & à Regali Majeſtate deriuatam authoritatem.

Omnibus itaque in peius quotidie ruentibus, & deſperata Elizabethæ conuerſione in Concilio Tridentino deliberatum de declaranda ipſa hæretica, verumne id tum fieret obtinuit Ferdinandus Cæſar, cuius filius Hiſpaniarum Rex Philippus Elizabetham vxorem, ſi illa annuiſſet, deſtinauerat; ſed tamen aliquanto poſt tempore à Pio V. Summo Pontifice hoc Anathematis fulmine percuſſa eſt,

S. D. N.

S. D. N. PII PAPÆ QVINTI Sententia Declaratoria contra Elizabeth prætenſam Angliæ Reginam, & ei adhærentes hæreticos. Qua etiam declarantur abſoluti omnes ſubditi à iuramento fidelitatis, & quocumque alio debito; & deinceps obedientes Anathemate illaqueantur.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

REgnans in excelſis, cui data eſt omnis in cælo, & in terra poteſtas, vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus, vni ſoli in terris, videlicet Apoſtolorum Principi Petro, Petrique ſucceſſori Romano Pontifici in poteſtatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc vnum ſuper omnes gentes, & omnia regna Principem conſtituit, qui euellat, deſtruat, diſperdat, plantet, & ædificet: vt fidelem populum mutuæ charitatis nexu conſtrictum, in vnitate Spiritus contineat, ſaluumque & incolumem ſuo exhibeat Saluatori. Quo quidem in munere obeundo, nos ad prædictæ Eccleſiæ gubernacula Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, omni opera contendentes, vt ipſa vnitas, & Catholica religio (quam illius autor ad probandam ſuorum fidem, & correctionem noſtram, tantis procellis conflictari permiſit) integra conſeruetur.

Sed impiorum numerus tantum potentia inualuit, vt nullus iam in orbe locus ſit relictus, quem illi peſſimis doctrinis corrumpere non tentarint, adnitente inter cæteros flagitiorum ſerua Elizabetha prætenſa Angliæ Regina, ad quam veluti ad Aſylum, omnium infeſtiſſimi profugium inuenerunt. Hæc eadem regno occupato, ſupremi Eccleſiæ capitis locum in omni Anglia, eiuſque præcipuam authoritatem, atque Iuriſdictionem monſtroſe ſibi vſurpans, regnum ipſum iam tum ad fidem Catholicam, & bonam frugem reductum, rurſus in miſerum exitium reuocauit. Vſu namque veræ religionis, quam ab illius deſertore Henrico VIII. olim euerſam, claræ memoriæ Maria Regina legitima, huius ſedis præſidiis reparauerat potenti manu inhibito, ſecutiſque & amplexis hæreticorum erroribus, regium Conſilium ex Anglica nobilitate confectum diremit, illudque obſcuris hominibus hæreticis compleuit, Catholicæ fidei cultores oppreſſit, improbos concionatores, atque impietatum adminiſtros repoſuit, Miſſæ ſacrificium, Preces, Ieiunia, ciborum delectum, Cælibatum, Ritusque Catholicos aboleuit: Libros manifeſtam hæreſim continentes, toto regno proponi, impia myſteria, & inſtituta ad Caluini præſcriptum à ſe ſuſcepta, & obſeruata etiam à ſubditis ſeruari mandauit:

Epiſcopos, Eccleſiarum Rectores, & alios Sacerdotes Catholicos, ſuis Eccleſiis & beneficiis eiſcere, ac de illis, & aliis rebus Eccleſiaſticis, in hæreticos homines diſponere, deque Eccleſiæ cauſis decernere auſa, Prælatis, Clero, & populo, ne Romanam Eccleſiam agnoſcerent, néve eius præceptis Sanctionibuſque Canonicis obtemperarent, interdixit; pleroſque in nefarias leges ſuas venire, & Romani Pontificis authoritatem, atque obedientiam abiurare, ſeque ſolam in temporalibus, & ſpiritualibus Dominam agnoſcere, iudicando coegit: pœnas & ſupplicia iis, qui dicta non eſſent audientes, impoſuit, eaſdemque ab iis, qui in vnitate fidei, & prædicta obedientia perſeuerarunt, exegit: Catholicos Antiſtites, & Eccleſiarum rectores in vincula coniecit, vbi multi diuturno languore, & triſtitia confecti, extremum vitæ Diem miſerè finierunt.

Quæ omnia cùm apud omnes nationes perſpicua, & notiora ſint, & grauiſsimo quamplurimorum teſtimonio ita comprobata, vt nullus omninò locus excuſationis defenſionis, aut tergiuerſationis relinquatur. Nos multiplicatis aliis, atque aliis ſuper alias impietatibus & facinoribus, & præterea fidelium perſecutione, religioniſque afflictione, impulſu, & opera dictæ Elizabethæ quotidie magis ingraueſcente; quoniam illius animum ita obfirmatũ, atque induratum intelligimus, vt non modo pias Catholicorum Principum, de ſanitate, & conuerſione preces, monitioneſque contempſerit, ſed ne huius quidem Sedis ad ipſam hac de cauſa Nuncio in Angliam traiicere permiſerit; ad arma Iuſtitiæ contra eam de neceſsitate conuerſi, dolorem lenire non poſſumus, quod adducamur in illam animaduertere cuius Maiores de Rep. Chriſtiana tantoperè meruere.

Illius itaque authoritate ſuffulti, qui nos in hoc ſupremo Iuſtitiæ throno, licet tanto oneri impares, voluit collocare, De Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, declaramus prædictam Elizabetham hæreticam, & hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædictis Anathematis ſententiam incurriſſe, eſſeque à Chriſti corporis vnitate præciſos: Quinetiam ipſam prætenſo regni prædicti iure, nec-non omni, & quocumque Dominio, dignitate, priuilegióque priuatam: & item proceres, ſubditos, & populos dicti regni, ac cæteros omnes qui illi quomodocumque iurauerunt a iuramento huiuſmodi, ac omni prorſus dominii, fidelitatis & obſequii debito, perpetuò abſolutos, prout nos illos præſentium authoritate abſoluimus, & priuamus eandem Elizabeth prætenſo iure Regni, aliiſque omnibus ſupradictis. Præcipimuſque, & interdicimus vniuerſis, & ſingulis proceribus, ſubditis populis, & aliis prædictis; ne illi, eiuſue monitis, mandatis, & legibus audeant obedire. Qui ſecus egerint, eos ſimili anathematis ſententia innodamus. Quia verò difficile nimis eſſet, præſentes quorumque illis opus erit perferre; volumus, vt earum exempla, Notarii publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici, eiuſue Curiæ ſigillo obſignata eamdem illam prorſus fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo nono, Quinto Calendas Martii, Pontificatus noſtri anno quinto.

CÆ. GLORIERIVS.

H. CVMYN.

EXarſit crudelius in Catholicam Religionem Elizabetha accepto huius excommunicationis nuntio, & conuocatis ordinibus leges iterum contra veteris fidei cultores promulgat; quibus primũ cauetur. Ne quis Elizabetham hæreticam, ſchiſmaticam, infidelem, vſurpatricémve ſub pœna capitis vocet. Item, ne quis aliam quamcumque certam perſonam nominet, cui regnum, vel in vita, vel poſt mortem ipſius deberi dicatur, excepta Elizabethæ naturali prole. Item ne quis afferat, acceptet, vel geſtet, vlla ſacra munuſcula, quæ Roma ad communionis Eccleſiaſticæ teſtificationem mitti ſolent; qualia ſunt Agnus Dei, Cruces, Imagines, Calculi benedicti, aut alia quæcumque à Pontifice, vel ipſius authoritate conſecratâ. Bullas autem, Breuia Apoſtolica, inſtrumenta, aut ſcripta cuiuſcumque generis Roma deferre capitale ſtatuitur. Crimen verò læſæ Majeſtatis eſſe decernitur, quemquam in Sacramento Pœnitentiæ, ab hæreſeos, aut ſchiſmatis culpa abſoluere, vel Eccleſiæ Romanæ reconciliare, aut etiam abſolui, & reconciliari. His quoque Comitiis, eorum omnium qui propter religionem in exteras regiones traiecerant bona, & poſſeſſiones Regio fiſco addicuntur. Succeſſerunt his legibus, & aliæ eiuſdem atrocitatis in Catholicos, quibus hæc habentur.

Elizabetha nouas leges promulgat.

Quiſquis Eccleſias Proteſtantium non frequentabit, ſingulis diebus Dominicis quibus aberit, decem aſſibus mulctabitur.

Quiſquis per duos integros menſes ad eaſdem Proteſtantium Eccleſias non conuenerit, ducentas Regi Libras perſoluet, pro vnoquoque menſe, quod ſi non fuerit ſoluendo, vel ad præſtitutũ diem non ſoluerit, addictæ ſunt Regi duæ Tertiæ annui redditus, omniaque mobilia iſtorum: Et ſi duæ illæ Tertiæ redditus excedant, Ducẽtas libras in ſingulos menſes, poterit tamen Rex, quod ſuperabit in propriam vtilitatem conuertere.

Quotieſcumque aliquis Miſſæ Sacrificium audierit ſexcentas ſexaginta tres libras Regi perſoluet.

Qui præceptores domi ad erudiendos liberos habuerit, qui Eccleſiam Proteſtãtium non frequentent, ſingulis menſibus Ducentas pro vnoquoque Liberorum Libras, & totidem pro præceptorum ſingulis perſoluet. Præceptores vero in poſterum exercendi Magiſterij incapaces declarantur, & carceri inſuper annuo addicuntur.

Prohibentur Ludimagiſtri apud Catholicos Domicilium ponere, Catholici quoque Ludimagiſtros in ſuam domum excipere, ſub mulcta viginti Librarum in dies ſingulos.

Quorum bona addicta fiſco mulctæ per Edicta irrogatæ non ſatisfaciet, in carcerem detrudentur.

Qui Sacerdotes extra Inſulam facti, in Regnum Angliæ poſtea reuerſi fuerint, rei læſæ Majeſtatis habentur.

Qui eiuſmodi Sacerdotes domo excipiunt, victum, aut aliud quoduis vitæ præſidium ſuppeditant, incurrunt crimen feloniæ; ca-

pite plectuntur, omnibus eorum bonis ad fiſcum redactis.

Omnes contractus, Abalienationes, venditiones agrorum à Catholicis factæ, ad impediendas, aut præueniendas confiſcationes, prædictis legibus irrogatas, ſiue directè, ſiue indirectè, nullæ, & inualidæ cenſentur.

Nemo Catholicus Aulam Regiam frequentabit, aut Londinum vltra quinque Leucas accedet, ſine mulcta mille Librarum quotieſcumque id fecerit.

Qui Deferet Catholicum, aut quid contra huiuſmodi leges actũ, licet ipſe ſit reus, veniam vt delator accipiet, & de bonis confiſcatis ducentas libras, quod ſi illa ſint exigua, tertiam partem feret.

Nemo Catholicus ad Publicum aliquod munus admittetur, nec etiam ij quorum aut vxor, aut liberi tantum ſunt Catholici.

Nemo Catholicus ius habens Patronatus in beneficium, poterit pręſentare, ſed Epiſcopus tantum.

Nemo Catholicus poterit in Adminiſtratorem Teſtamenti, aut in tutorem pupillorum aſſumi.

Exarmabuntur omnes Catholici.

Poterit Iudex Ordinarius, aut præpoſitus, vel quilibet Alius iuſtitiæ miniſter quotieſcumque libuerit Catholicorum domos ſcrutari, ad inquirendos Sacerdotes, & ipſos Catholicos etiam fores effringendo, & plebem ipſam ad ſubſidium vocando, ſi opus ſit.

Omnis Catholicus pro excommunicato habetur, nec poteſt actionem pecuniariam, aut vllam aliam iuridicè proſequi.

Omnes Curiæ Eccleſiaſticæ, eamdem in Catholicos poteſtatem habent, quam olim in hæreticos.

Null⁹ Catholic⁹ in Eccleſijs aut Cœmeterijs inhumabitur (eo quòd omnis Catholicus excommunicatus eſt) ſub pœna cenſurarum Eccleſiaſticarum quas, quiſquis intererit, incurret: Et ſi alibi inhumentur corpora, qui curauerint, Regi ducentas libras in pœnam perſoluent. Poſtea quoque leges iſtæ latæ ſunt.

Quiſquis liberos in Eccleſijs Proteſtantium ſecundum ritus Eccleſiæ Anglicanæ baptizari non curauerit, pro vnoquoque libras Regi pendet.

Quiſquis contrahit matrimonium non ſecundum ritus Eccleſiæ Anglicanæ, in bona vxoris nullum ius habet, quamquam habeant omnes ſecundum leges Angliæ.

Quælibet fœmina, quæ non nupſerit ſecundum prædictas leges, incapax erit poſt mortẽ Mariti dotẽ vllam in defuncti bonis habere.

Si quæ fœmina poſt mortem Mariti, ad Catholicam religionem ſe conuerterit, dotis illius duæ tertiæ fiſco addiſcentur, ipſaque incapax eſt adminiſtrate teſtamentum Mariti, aut vllam partem in eius bonis habere.

His artibus, & hoc progreſſu hæreſis totam Angliam occupauit, ex qua deinde quomodo in Scotiam venenum ſuum intulerit, aggrediamur aperire.

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo in Scotiam introducta hæreſis, & quomodo propagata.

SCOTI fidem Chriſti quam ſub Victore Romano Pontifice, acceperant, ad hæc noſtra tempora, omni penitùs hæreſis labe, & prauitate morum intactam tenuere, imò & apud exteras nationes ſumma ſemper diligentia & fœlicitate ſeminauerunt. Sed, vt omnia in peius ruunt, & ex paruis initiis res florentiſſimæ ad exitium deducuntur, in tantùm crebris piorũ hominum donationibus increuerant beneficia Eccleſiaſtica, vt nobiles quique viri q[u]ibus liberorum eſſet copia, vnum aut alterum ad Eccleſiaſticos ordines promouere, & beneficiorum prouentibus ditare certatim contenderent. Hinc factum eſt, vt nullo delectu habito, ad libidinem parentum Reges conferrent beneficia ineptis hominibus, qui molliter, & ad voluptatem educati, nullis vt plurimum literis, nullo ſtudio pietatis inſtructi, ſummam rerum diuinarum incuriam, omniaque vitia in Clericorum ordinẽ inuexerunt: Penetrauerat etiam illa lues Monachorum clauſtra, tanquam indiuidua opulentiæ, & abundantiæ comes, cum ecce diſſeminari cœperunt errores hæreticorum noſtri temporis, qui quia laxabant viam ad vitia cupidè à pluribus qui auſterioris vitæ iugum præ mollitie ferre non poterant, arrepti ſunt. Et niſi maturè prouidiſſet Iacobus 5 Rex omnibus virtutibus & præcipuè zelo Catholicæ fidei clarus eodem tempore & nata fuiſſet hæreſis in Scotia & adulta. Is quos deprehendit noui dogmatis authores aut ſectatores, extinxit, in ijs Patricium Hamiltonum Abbatem Fearnenſem Arranij Comitis nepotem, ipſiuſmet Regis conſanguineum hæreſim profitentem igne combuſſit parcerem libenter nominibus præſertim nobiliſſimorum hominum, ſed quia hiſtoriæ Genius nolentem cogit. Ita rem temperabo, vt appareat me neminem lædere velle, neminem odiſſe, ſed vitia Inſtituit Rex piiſſimus conſilio Cardinalis Betonij, & aliorum Prælatorum Inquiſitores per totum Regnum, qui de Religione malè ſentientes plena poteſtate coërcerent, quâ etiam tempeſtate Vimburgi Georgius Buchananus cum alijs quibuſdam Duces, Agnum Paſchalẽ more & ritu Iudaico tempore Quadrageſimæ comederet, deprehenſus eſt, cognitaque à Rege ipſo cauſa quidam ex illis combuſti ſunt, ipſo interim Buchanano in Belgium indeque in Gallias fugiente. Sub idem tempus Henricus octauus Angliæ Rex, qui à ſummo Pontifice iam deſciuerat, cum timeret ne Carolus 5. & Franciſcus primus

Iacobus 5.

Buchananus Iudaiſmum exercet.

Gallorum Rex opera Clementis ſeptimi reconciliat, in ſe aliquid molirentur, ſpecie Amicitiæ,& quaſi quæ ad commune Bonum facerent communicare vellet, Eboracum inuitauit ad colloquium Iacobum, reuera tamen vt eum in ſuam defectionem pertraheret. Sed Legatos re infecta dimiſit Iacobus cum hoc reſponſo ſe nullatenus cum hæretico,& fidei deſertore communicare velle, qua libertate offenſus Henricus bellum Iacobo denunciat, quò parum omninò effectum eſt. Sed eheu rebus omnibus, tam quæ ad religionẽ, quàm quæ ad regni ſtatum pertinebant, præclarè fluentibus, moritur Iacobus 5. anno 1542. Nata ſeptem ante dies filia Maria, quam ſolam & regni hæredem reliquit. Poſt eius mortem authoritate Parlamenti regni curam ſuſcipit Arranius Comes, poſteà Dux Caſtri Geraldi proximus poſt Mariam Regij ſanguinis. Ab eo Nobiles quidam viri qui à Iacobo in exilium pulſi ad Henricum diuerterant, ab eoque perbenignè habiti virus hæreticum hauſerant: Demùm in Scotiam redeuntes, primum obtinent, vt à quouis Scriptura ſacra vulgari lingua legeretur. Exinde cœpit à mulieribus, pueris & idiotis promiſcuè tractari verbum Euangelicum, & gladius ille anceps pertingens ad diuiſionem animæ ac ſpiritus in manus furioſorum & infantium miſſus eſt, quo & alios, & ſeipſos paſſim iugularent. Et verò quàm ſit periculoſum euulgare myſteria fidei rudi populo, teſtatur recepta apud Hebræos conſuetudo, qua nulli niſi triginta annos nato Geneſim, aut Cantica legere permittebatur. Teſtantur enim Ethnici Philoſophi qui Sapientiæ ſuæ myſteria populorum auribus, non niſi fabulis tecta commiſerũt Et omnium maximè docuit Chriſtus ipſe, qui non niſi in parabolis ad populum loquebatur, & profundioris doctrinæ myſteria Apoſtolis ſuis priuatim explicabat. Ex quo

S. Dionyſ. Sanctiſſ. Eccleſiæ Patres D. Dionyſius in Cœleſti Hierarchia, S. Cy-
S. Cyprian. prianus, & alij inferunt, lecturam ſacræ Scripturæ populo non per-
D. Hieron. mittendam. Vndè præclarè D. Hieronymus epiſt. 103. *Agricolæ*, inquit, *Cæmentarij, fabri metallorum, lignorumque cæſores, lanarij quoque, & fullones, & cæteri qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricant, abſque Doctore non poſſunt eſſe quod cupiunt. Quod Medicorum eſt promittunt Medici, tractant fabrilia Fabri: ſola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vindicant, hanc garrula anus; hanc delirus ſenex; hanc Sophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant, &c.* Ita paulatim per hanc legendæ ſcripturæ licentiam priuatorum domos, & ingenia hæreſis intrauit, inſuper & quidam Apoſtata Dominicanus, nomine Guillam accepta concionandi contra poteſtatem Papæ, & quoſdam alios fidei articulos libertate, peſtiferam doctrinam in vulgus ſpargebat, videbaturque res ad extremum malorum vergere, cum Cardinalis Betonius, vir in iſto ſæculo ferreo ſuimet tantùm ſimilis, quoſdam hæreticorum magni nominis, ad ſupplicium, iuxta Canonum decreta curauit duci, inter quos Vuiſhard quidam, vir nobilis, non tam exemplo mortis deterruit circum-

ſtantem populum, quàm animi vultuſque conſtantia, ſeu potiùs obſtinatione commouit. Interim Elizabetha Mariæ in Anglia ſucceſſerat, quæ vt regnum ſtabiliret, non tantùm domi, ſed & apud exteras, præſertim vicinas nationes Gallorum cauſas nutriebat, idque potiſſimùm in Scotia, vbi allectis vana ſpe quamplurimis ex nobilibus, & commotis præcipuè nouis hæreticis regni pacem periculoſa ſeditione turbauit. Reſtitit mali principij quantum potuit Regina mater Mariæ, quibuſuis artibus nobilium animos ad concordiam, & pacem impellendo, ſed parùm ab illa promotũ eſt, quippè acriùs exaſperatis animis, quàm qui tam facilè ſedarentur, ex his enim qui hæreſim amplexi fuerant, præcipui, nouæ religionis prætextu in ſpem ſe erexerant, ad ſummos quoſque honoris, & officiorum grádus in republica perueniendi. Quare ex Reginæ ſententia Edimburgi habita eſt ab vniuerſo regni Clero, Synodus menſe Martio anni 1559. quo etiam tempore, ſectarij libellum qui & ab illis primi Reformationis articuli dictus eſt Reginæ obtulerunt quo non tantùm poſtulabant plurima quæ contra fidem erant, ſed quæ euertebant regiam authoritatem; miſit Regina ad Synodum, vbi maturè conſideratis omnibus, piè & doctè ad poſtulata reſponſum eſt. In iſta Synodo hoc inter alia ſtatutum eſt, vt iuxta decretum Concilij Tridentini (quamuis nondum concluſum eſſet, nec approbatum.) Omnes Epiſcopi, Abbates, Priores, Decani, Curati, &c. intra ſex menſes ad ſua beneficia ſe reciperent, vel ijs renunciarent Monachi item ad ſua monaſteria intra idem tempus ſe conferrent. Publicauit Regina hæc ſtatuta, vt ab omnibus Cleris obſeruarentur. Verùm plerique libertati iamdudum aſſueti, repudiatis Synodi decretis à fide & vnione Catholica defecerunt. Incendebant præterea regnum ſuis concionibus quidam pſeudominiſtri, inter quos eminebant Knox, Villox, & Paulus Meffen hos Regina cum ſuis ſectatoribus citat Sterlingã reſponſuros, de quibuſdã criminibus quorũ ipſi accuſabãtur illi verò malè affecta conſcientia prohibente quod iubebat Regina, quibuſdã ſtipati nobilibus, quos iam hæreſis partes pertraxerant, Pertham, alias ciuitatem Sancti Ioannis confugiunt, vbi turbulentis concionibus in ſacras imagines præſertim concitant plebem, quæ Apoſtolis iſtis ducibus, ædes ſacras vaſis omnibus ſpoliatas incendit & deſtruit, in quibus celeberrimum Carthuſianorum Monaſterium direptum & dirutum eſt. Audito verò Reginæ ipſius aduentu ad vrbem ſancti Andreæ conuolant, vbi noua hæreticorum & omnis generis nebulonum acceſſione facti auctiores eadem, quæ in Pertham deſolatione graſſantur. Inde ad tres celeberrimas Abbatias Lundors, Balmuriæ, & Cvvper ignem inferunt iniurioſè tractatis Religioſis & Sacerdotibus, conuerſis inſuper in ſuos vſus, ſacris vaſibus & ornamentis, & quamuis dum hæc agerentur, Regina Pertham & Faklandiam peruenisſet, & qua vi, qua precibus contenderet, vt poſitis armis quieſcerent, nuſquam id a commota plebe

Knox. Villox. Paulus Meffen.

Hæretici Abbatias incendunt.

Card. Betonius trucidatur.

aut Regiæ Maieſtatis reuerentia, aut legum authoritas potuit impetrare: Quia verò non videbatur à propoſito diſceſſura Regina, quamdiu Cardinali Betonio, acerrimo fidei propugnatore ad conſilium vteretur, quidam nobiles Knox, & ſociorum hortatu, per ſpeciem familiaritatis ingreſſi in cubiculum Cardinalis, eum trucidant, & nondum expleta per mortem rabie, in cadauer ipſum omni indignitate ſæuiunt, verum non fuit impunitum ſcelus, quotquot cædis iſtius fuere participes, vitam fugitiuam & miſeram violento fine clauſerunt. Oppreſſo hac ratione Cardinali Betonio, Maria verò regni hærede, tunc temporis quinquenni, vno poſt anno in Gallias abducta, ſeditionibus inteſtinis, & externo cum Anglis bello ita turbatum eſt regnum, vt nemo repertus ſit aut Eccleſiaſticus aut laïcus, qui auderet de aſſerenda fide ſeriò cogitare. Itaque accepta omni licentia, vt per arma, & cædes amat fundari, hæreſis quaquauerſum erecto capite cœpit incedere, vt tandem circa annum Chriſti 1557. tantùm fuerit toto regno incendium, vt nulla eſſet prouincia, in qua non & coriarij, & piſtores, & ſartores, & id genus plebeij homines audacter clamarent ſe Euangelium prædicare, profanantes impiis concionibus ſcripturam ſacram & torquentes ad obſequium blaſphemiarum ſuarum. Interim Regina mater relictis Perthæ ſexcentis militibus qui vrbem ab inuaſione hæreticorum defenderent. Edimburgum Nobiles totius regni conuocat, vt cum ijs de regni ſtatu, & pacandis ſeditionibus deliberaret quod vbi reſcitum eſt Knox, & eius aſſeclis, coactis ſeditioſorum turbis vrbem Pertham obſidione cinxerunt, & nullo penè negotio expugnarunt; Inde Sconam digreſſi, celeberrimum Fanum Abbatiæ Sconenſis, nobile præſertim ſepulturis Regum Scotiæ, ſimul cum ipſa Abbatia diripuerunt, effoſſis, qui in tumulis Regum erant, theſauris, abbatoque, quidquid in Monaſterio alicuius pretij fuit, & demùm æquatis ſolo omnibus ædificijs. Indè Sterlingam, Falkierkum, & Lithgoum excurrerunt, vbi nulla neque, templa, neque monaſteria furorem concitatæ multitudinis euaſere. Nec hactenùs proceſſit impetus, rectà Edimburgum contendunt, quod dum audiuit Regina, non auſa ſe credere furioſæ plebi, exhortata quantum licuit Edimburgi plebem, ad fidem præſtandam Deo, & Regi, ipſa citato curſu in caſtrum munitiſſimum Dombarrum ſe recepit, vbi tamen fulſere ſigna hæreticorum admiſſi ſunt cupidè in vrbem ab Oppidanis & iunctis animis eundem exercuere furorem in res ſacras, quem alijs in ciuitatibus exercuerant, ad hæc in Palatium Regis interrumpunt. Vbi primum direptis omnibus comprehenſum Magni Regis Theſaurarium Robertum Richardſonum, minis adegere, vt Regiũ ipſis ærarium aperiret, nec ſolum ſignatam pecuniam, ſed & quidquid auri ſiue argenti in Maſſa aſſeruaretur, ipſaque Regia ſigilla, ipſorum libidini exponeret. His ita geſtis, in pulpitis per miniſtros in foro, & locis publicis per præcones denunciant, ſe non agnoſcere

Reginam

Reginam matrem, vt Regni Regentem, ſed velle ſe conſtituere ad arbitrium ſuum quoſdam viros, qui ſub titulo Conſiliatiorũ Rempublicam adminiſtrarent. Non pauci ex præcipuis nobilibus, quibus hæc nouitas, & inſolentia cordi non fuit, cum Gallis qui tum temporis in Scotia reperti ſunt, iuſſu Reginæ armant in rebelles, accedunt cum exercitu Edimburgum, & à ſeditioſis, qui ſibi non videbantur poſſe ſuſtinere Catholicorum impetum, quaſdam pacis conſtitutiones extorquent, quibus ſectarij libertate conſcientiæ impetrata quieſcerent. Nupſerat iam Maria, quam in Galliã ſupra deduximus, Franciſco, Franciſci primi Gallorum Regis filio, Delphino, poſteà Franciſco ſecundo Regi. Ambo litteras ſcribunt beneuolentiæ & amoris plenas Iacobo Stuarto Mariæ fratri Notho, priori S. Andreæ, qui hæreticorum ſe profeſſus fuerat caput, quibus amicè illum inuitabant ad concordiam, & quietem, fruſtrà tamen quamuis enim diſſimulauerit primum, compertum tamen eſt, eum vt Nouatorum Principem arctiſſimum cum Elizabetha Angliæ Regina fœdus inijſſe, petijſſe etiam à Germanis, & Danis Principibus auxiliares copias, obtinuiſſe præterea ab hæreticis in Gallia, qui Galliam ita perturbarent inteſtinis bellis, vt nihil inde auxilij à Catholicis Scotiæ ſperari poſſet. Libenter fœdus iſtud contraxit Elizabetha, non ſolùm ſtabiliendo regno proſpiciens, ſed etiam offenſa grauiter in Mariam & Franciſcum eius maritum, quod Franciſcus primus dum filio ſuo Mariam in vxorem daret inſignibus Mariæ Angliæ quoque inſignia ſubdiderat, quod nimirùm illam hæredem regni crederet, reiecta Elizabetha, quæ ex infando, & illegitimo thoro nata dicebatur. Hac etiam conditione Scotos rebelles obſtrinxit Elizabetha, vt non priùs arma ponerent, quàm Galli omnes ex inſula exceſſiſſent: his auxilijs freti ſectarij exercitum educunt menſe Octobri anni 1559. Edimburgum properant, eo fine vt Reginã Matrem tum temporis Lethæ agentem obſiderent, ſed nõ ſine ſanguine repulſi Glaſcuam, & ad alias vrbes vicinas diuerterunt, diruptis, & incenſis ſacris ædibus, vt moris erat illis facere, quocumque ſe verterent; hoc etiam tempore in aliis Scotiæ partibus, eorum ſocij eodem modo debacchabantur in templa præſertim Aberdoniæ vbi celeberrima, & antiquiſſima Collegia, Bibliothecæ, & ſuperbiſſima fana, cæteraque huiuſmodi antiquitatis monumenta, æquata ſolo, dirupta, incenſa ſunt. Miſit Regina lectiſſimas equitum, & peditum turmas, in quibus multi nobiles Scoti, & Galli non pauci, qui furentes apud Glaſcuam hæreticos reprimerent. Sectarij tamen qui numero & virtuti ſuæ diffidebant, non auſi ſunt inſtructa acie dimicare, ſed confeſtim miſſis ad Elizabetham nuntiis qui de promiſſis ſollicitarent, impetrant ab ea ſexdecim naues bellicas, quæ per fretum Forthanum in Scotiam penetrarent, & octo millia militum, qui terreſtri itinere ad eos quamprimum peruenerunt. Itaque iunctis copiis anno ſequente 1560. Lethæ obſident Gallos, Regina in Caſtro

Maria.

Iacobus Stuartus.

Elizabeth.

puellarum Edimburgi commorante nec ceſſauit interim per totum regnum tumultus, ſed dum alij Lethæ iuſto Marte decernunt, alij per reliquas prouincias, quicquid intactum fuerat hactenùs, cædibus, incendiis, & ruinis compleat, Interim Regina continua tot malorum agitatione vexata Lethali morbo in caſtro puellarum decumbit, conuocatoſque tam Hæreticorum quàm Catholicorũ præcipuos ad pacem & concordiam ſalubribus monitis inducit, hortatur vt libertatem & gloriam gentis ab exterorum inuaſione vindicent, & tandem complexa quotquot aderant Regiam verè, & omnibus virtutibus ornatam animam exhalauit 10. Iunij 1560. Mortua Regina Sectarij in Epiſcopatus, Abbatias, & reliqua beneficia inuolant, quicquid erat Eccleſiaſtici cenſus, aut in priuatam cuiuſque vtilitatem, aut ad ſtipendia ſuorum militum, & commune ſeditionis alimentum vſurpant. Miſſi fuerant in Scotiam à Rege Gallorum Franciſco, & à Maria Regina Scotiæ eius vxore, & ab Elizabetha Angliæ Regina, qui de pace agerent, ſed quia nonniſi mortua Regina matre Mariæ appulerunt, neceſſe fuit Franciſco, & Mariæ conditiones pacis minus æquas accipere. Quarum prima fuit: Ne Franciſcus & Maria ampliùs vterentur titulo Regum Angliæ & Hiberniæ. Secunda, vt regnum impoſterum adminiſtraretur à quatuordecim nobilibus, quorum ſeptem à Maria erigerentur, ſeptem alia à Nobilitate. Tertia, vt quidquid per vim annis ſuperioribus factũ fuerat, obliuioni daretur. Quarta, vt quotquot ex Sectariis dignitate aliqua, aut officio excidiſſent, ijs reſtituerentur. Quinta, vt omnes tùm Galli, tùm Angli milites intra viginti dies Scotiâ excederent, præter Gallos, quoſdam qui Inchkithe, & Dumbarum cuſtodirent. Nulla in omnibus his mentio de inſtaurandis rebus Eccleſiaſticis. Facti his ſucceſſibus potentiores hæretici, citant Edimburgum doctiſſimos quoſque Scotorum, coràm Nobilitate hæreticâ rationem fidei ſuæ reddituros. Affuerunt inter alios Ioannes Leſlæus, (poſtea à Regina Maria ad Epiſcopatum Roſſenſem nominatus, Alexander Anderſonus, Iacobus Strachanus, qui coràm omni concilio, contra Knoxium, Villoxium, & Goodmanum Caluiniſtam Anglum, tam acriter, piè, ac doctè de rebus fidei diſputarunt, vt non tantùm Catholici, quique confirmarentur, ſed & plerique ex obſtinatiſſimis Hæreticorum mutarent.

Regina Scotiæ mater Maria moritur.

Circa initium menſis Decembris eiuſdem anni moritur in Gallia Franciſcus ſecundus, Mariæ Reginæ maritus, cuius rei accepto in Scotia nuntio Catholici Nobiles retinendæ fidei cupidi, Ioannem Leſlæum, cum multis gerendæ rei conſiliis ad Mariam delegant, quorum ſi monita ſequuta fuiſſet, non fortaſſis ad eum quem videmus ſtatum fidei, & Scotiæ res decidiſſent, nec ipſa eò calamitatis prolapſa fuiſſet, vbi poſteà commiſerationem omnium nationum meruit. Reſciuerat Leſlæi legationem & mandata Iacobus Mariæ frater, Hæreticorum Princeps, vnde ne apud ſororem ſuam quid ef

Franciſcus 2. moritur.

ficeret, curſoriis equis in Galliam delatus, antequam Leſlæus ad Mariam poſſet peruenire fucatis rationibus, & quæ exercitationem in rebus Politicis fefelliſſent. Ita eius animum ſincerum, & ad dolos minùs intentum occupat, vt locus nullus ijs quæ afferebat Leſlæus, reliquus fieret. His potiſſimũ argumentis expugnauit animã Mariæ, ſcilicet, inquiens, non aliundè petẽdam eſſe bellorum in Scotiam & tumultuum originem, quàm ex eo quod Regina Mater Mariæ, cupidius quàm par fuerat fouiſſet Gallos, eos ad pręcipua regni officia promouendo, quamuis ineptos omninò ad capeſſendam Rempublicam, vt qui iuuenes ſæpè, aut parùm exercitati in rebus Scoticis admouerentur gubernaculo regni, reiectis primoribus viris quibus iſte honos ob familiam, & maximè fides, ob virtutẽ debebatur. Secundò dicebat defectionem à ſummo Pontifice, non eſſe cœptam in Scotia ex peculiari odio in ſummum ipſum Pontificem, ſed ex priuata cuiuſque offenſione in ſuum Epiſcopum, & Paſtorem, pollicebatur ſe facilè omnia in optimum ſtatum reſtituturum, redderet modò Regina ſeipſam Scotiæ, qui parati eſſent, ad eius pedes quamprimùm illam vidiſſent ſe demittere: ſibi vero nunquam placuiſſe Nouatorum doctrinam, ſed ita ferentibus negotijs prudenter diſſimulaſſe. Geſto ex animi ſententia negotio donatus multis muneribus à Maria remittitur in Scotiam, quam dum petit in Angliam ad Elizabetham diuertit, cum qua de intercipienda Maria, dum trajiceret è Gallia in Scotiam, de renouatione fœderis, multis additis conditionibus, ad ſtabiliendam hæreſim in Scotia, & euertendum regni ſtatum conuenit. Maria tranſacto in Galliis luctu de morte mariti, Lotharingiæ Ducem, alioſque Principes ſibi conſanguineos inuiſit, deinde conſcenſis triremibus in Scotiam meditatur, quo in traiectu capta ab Anglis fuiſſet, niſi ita prouidente Deo toto illo tempore aër ita præ nubibus obſcurus fuiſſet, vt inſidiarum conſpectum effugeret. Elapſa ergo per medios hoſtes letham applicuit menſe Auguſto anni 1561. Excipitur mira cum omnium alacritate, & lætitia præſertim Catholicorum, & eorum quibus nullo crimine preſſa erat conſcientia. Affuerunt illicò legati ab Elizabetha gratulantes de fœlicitate reditus, promittenteſque nomine Reginæ ſuæ, quidquid Regis amiciſſimi à ſe mutuo ſperare poſſunt. Miſerat Elizabetha Adamantem ſectum in duas partes, cum hac pollicitatione, ſi quando Maria indigeret auxilijs, & remitteret alteram illius partem, confeſtim ſe totis viribus laturum ſuppetias. Maria contra per ſuos legatos Adamantem figuræ cordis obtulit Elizabethæ, quo teſtaretur ſinceritatem, & firmitatem amoris, quem non humanitate verboſa, ſed ex affectu & corde profitebatur. Verum hæc generoſæ mulieris plus illi nocuit, quàm profuit.

Maria Scotiam repetit.

Non diu frui licuit hac communi lætitia, quæ ad Mariæ aduentum affulſerat, molientibus ſcilicet res nouas hæreticis. Primùm igitur conuenerunt Edimburgi Nobiles Regni, paucis admodum

Catholicis, nullis omninò Eccleſiaſtici ordinis admiſſis, decreuerũtque eo in ſtatu res fidei retinendas, quo fuerant cum primum Maria ex Gallia redierat. Hoc eſt vt ipſi poſtea interpretabantur nemini permittendam eſſe libertatem, aut profeſſionem Catholicæ Religionis. Hæc concluſio non eo ſenſu à Maria, quo ab hæreticis intellecta ab eadem, authoritate Regia confirmatur, & quamuis inſtarent Catholici fraudem hæreticorum verbis ſubeſſe dictitantes, & identidem affirmantes, nihil eos aliud conari præſertim Iacobum Stuartum, quàm euertere funditùs Religionem Catholicam, & deturbata Mariâ, ſeipſum in eius ſolio collocare. Tamen ipſa vt erat ſimplicis, & liberalis ingenij, nullam vnquam mali ſuſpicionem admiſit, quo factum eſt vt recedentibus omnibus Catholicis, quippè qui nihil apud illam proficerent, ipſa hæreticorum arbitrio omnia ageret. Statim autem ac decretum illud Edimburgenſe confirmatum eſt, cœperunt hæretici contra ſacras Catholicorum cærimonias declamare, ingerentes rudi populo vanos eſſe, & ad ſuperſtitionem, & idololatriam accedentes ritus, & partim minis, partim fictis, & pernitioſis concionibus adegerunt ruſticos quoſque, & impolitos homines; vt crederent quidquid ipſi contra veram religionem ex propria libidine garriebant ex Euangelico fonte deriuatum. Lacerabant etiam conuitijs Nobiles ſuæ ſectæ, quod ipſi, qui à Deo gladium ad extirpandos idololatras, vt olim Gedeon ad delendos Madianitas, ſiue ad exterminandos Amalecitas acceperant, parcerent Catholicis, hoſtibus viuentis Dei. Animabant prætereà illos in Mariam, quam etiam impiam Ieſabelam nominabant, verùm his omnibus adduci non potuere Nobiles, vt in quemquam ad mortem ſæuirent. Inuaſerunt quidem Eccleſiaſticorum bona, ſed nullius vitæ inſidiati ſunt. In quo lõgè abeſſe Scotos iudicauerit quis à crudelitate aliarum nationum, apud quas Nobiles non bona tantũ Catholicorum, ſed & vitam ac ſanguinem ſitiebant. Vt autem ſciatur qui fuerint iſti Concionatores, Knoxius primò vitam Monaſticam profeſſus fuerat, cumque incaleſcente ſanguine ferre non poſſet auſteritatem vitæ ſolitariæ, clam è Monaſterio profugit, & ad domum paternam regreſſus, cum Nouerca, viuo adhuc patre, rem habuit. Inde propter id flagitium & alia multa metu legum in Angliam ſeceſſit, regnante tum Maria de qua ſuperius locuti ſumus. Ibi tum primum allatam Lutheri doctrinam amplexatus eſt, eo libentiùs quod libertatem ad vitia dabat, & fragilitatem carnis difficultate; imò impoſſibilitate obſeruandæ diuinæ legis excuſabat. Hoc tam ſalubri dogmate eruditus ſub ſpecie matrimonij contrahendi tres puellas corrupit, ob quæ flagitia & hæreſis ſuſpicionem à Maria exagitatus in Galliam traiecit, inde Geneuam deueniens relicta Lutheri doctrina, in diſciplinam Caluino tum dogmatizanti ſe tradidit ſub quo preceptore vbi ſatis ſibi viſus eſt profeciſſe vocantibus hæreticis in Scotiam regreſſus eſt. Ibi quacumque iter faceret ſecum

Knoxius.

aliquot mulieres circumducebat, quibus ad explendam libidinem vteretur, donec magicis artibus allectam filiam Comitis Ochiltriæ pro vxore habuit. Erat enim Magus, vt in multis per totam vitam appparuit, & præſertim ex infanda, & ſtupenda morte: homo nullis bonis artibus imbutus, ſed quadam loquendi facultate, & ſumma audacia præditus, effrons, intrepidus, & ad ſumma queque facinora paratiſſimus. Secundus à Knoxio Paulus Meſſen antea piſtor, ex quo licet agnoſcere quantum fuerit verſatus in diuinis & humanis rebus, homo fuit ſuperbus, ambitioſus, audax, & in ſuis concionibus petulantiſſimus, excitabat rudem populum iniurioſis vociferationibus in Reginam, in Prælatos, & omninò quidquid ad Catholicam fidem, aut concordiam pertinebat. Et vt non tantum verbis, ſed factis etiam probaret doctrinam ſuam de fragilitate hominis, quamuis habet vxorem ſpectatæ formæ, ex ancilla tamen illius filium ſuſcepit; eiuſdem farinæ erant & reliqui, plerique omnes, aut ignari artifices, aut Apoſtatæ Monachi, & Sacerdotes. Quis ergo non videat ſubſtractam fuiſſe à Deo ob peccata noſtra populo gratiam, vt ſequeretur tales Apoſtatas, & impuros nebulones, relinqueret viros Sanctiſſimos, & Doctiſſimos, qui verbo, & exemplo ſeſe naſcenti malo opponebant. In ijs ſtrenuiſſimam operam nauarunt Ninianus Vvinzetus doctiſſimus Theologus. Quintinus Kennedius Abbas Corſraguellius Frater Comitis Caſſiliæ, Robertus Maxuellius, & alij qui in publicis diſputationibus de articulis fidei Knoxium, Paulum Meſſen, & ſocios proſtrauerunt, non innixos ſoliditati ſcripturæ, & veritatis, ſed proprij ſenſus & libidinis ruinoſo fundamento, & gladiis, quod fatetur Beza in vltimis annotat. in nouum Teſtamentum, vbi ad Elizabetham ſcribens affirmat. Iacta fuiſſe Religionis nouæ fundamenta in prælio Druidenſi; cui conſonat quod idem Beza ad Gaſparum Mareſcallum de Colligny, aliquando dicebat plantatam eſſe ab eo fidem gladijs & armis iuxta quandam ab ipſis vſurpatam inſcriptionem. Non veni pacem mittere, ſed gladium.

Meſſen.

Vvinzetus.

Kennedius.

In poſtremo illo Nobilitatis conuentu, de quo ſupra locuti ſumus, Decretum inter alia fuerat, vt ad meliorem regni adminiſtrationem duodecim ex Nobilibus Reginæ in gerendis rebus adeſſent. In quibus electus fuit Iacobus Mariæ Frater. Huic quia & naturæ lege, & multis inſuper beneficiis obſtrictam ſe ſciebat, omnia alicuius momenti negotia permittebat Regina: ipſe pro arbitrio officia diſtribuere, hunc extollere, illum deprimere, cunctaque agere quæ ſenſim ad euerſionem religionis deducerent. Diſplicebat hæc poteſtas quibuſdam Nobilibus, quod vbi ſenſit Iacobus alios citat tanquam de impoſitis ſibi criminibus rationem reddituros, alios in exilium pellit, & ita ſolus pro libidine regnum gubernat. Sollicitabant de matrimonio Mariam multi Principes externi Rex Hiſpaniæ, Rex Sueuiæ, & alij, diſſuaſit interim Iacobus, vt qui ſperabat ſi

Maria abſque liberis deceſſiſſet, facilius ſe ad coronam peruenturum. Cumque ſciret quoſdam eſſe Principes ſanguinis Regis, qui propius ſe & iure, & ſpe coronam attingebant, die quadam per ſpeciem ioci propoſuit Mariæ matrimoniũ cũ Hẽrico Stuarto Matthæi Stuarti Lenoxij Comitis, & Margaretæ Donglaſiæ filio, poſtea tamẽ vt vidit rem vltra quam voluiſſet procedere omni conatu ſe oppoſuit ne fieret, vnde & quando compertum fuit celebratas eſſe nuptias nouum cum Elizabetha fœdus percuſſit, per miniſtros in pulpitis identidem inculcauit auribus populi non licuiſſe Reginæ nuptias contrahere non approbatas à Parlamento; Datam eſſe Henrico Darlæo Regiam poteſtatem, ad profligandam nouæ religionis libertatem, & reſtituendam papiſticam ſuperſtitionem, ſpoliandos ptopediem Eccleſiaſticis bonis nobiles, & omnia ad priſtinum ſtatum reducenda. Itaque concitatis vbique animis ad arma concurritur, bellum Regi, & Reginæ indicitur, niſi Rex Regiæ poteſtatis inſignia & titulos, ipſamque auctoritatem deponat. Irritata tam contumaci rebellione Regina ſtrenuam nobilitatem, & fideliores è ſuis milites educit in ſeditioſos: diſſipat primo aduentu, adeò trepida & confuſa fuga, vt Iacobus & alij Duces rectâ in Angliam profugerint. Sub idem tempus miſſus eſt à Pontifice Maximo, & ſacro Concilio Tridentino adhuc ſedente Legatus ad Reginam, qui hortaretur ipſam ad conſtantiam, & perſeuerantiam in fide, ad purgandum hæreticis regnum, peteretque ab ea vt ad ſacrum Concilium quoſdam ſpectatæ probitatis & doctrinæ Prælatos delegaret. Reſpondit Regina ſe ad vltimum vitæ ſpiritum in fide permanſuram, daturamque ſedulò operam vt ex Scotia hæretici penitùs extirparentur, non poſſe tamen in hac difficultate temporum, & doctorum hominum inopia quemquam à regno ſuo dimittere. Satisfactum eſt his reſponſis legato.

Henricus Stuartus.

Concilium Trident.

Excepit fugientes rebellium Duces benignè Elizabetha, & præſertim Iacobum cum quo fœdus inierat. Et quia nouerat ſincerum & facile Mariæ ingenium, maluit dolis & artibus; quàm aperta vi rem hæreticorum aggredi. Miſit ergo ad illam Legatos Cæcilium, Thomam Randulphum, & Bacconium, qui & apud ipſam, & apud præcipuos hæreticorum Duces in Scotia, ita ſuis artibus laborarũt, vt in illa legatione dici poſſint iacta fuiſſe fundamenta malorum, quæ poſtea in perniciem Reginæ, & Religionis eruperunt. Scopus illorum fuit præcipuus odium inter Regem & Reginã ſerere, quod duplici via tentauerunt. Suggeſſerunt primò Regi, quandoquidem ad Regis titulum vocatus fuerat, non æquum eſſe, vt Mulier per ſe omnia expediret, ipſe velut truncus inutilis, nihil eorum quæ ad Regem ſpectarent, attingeret. Inſtillarunt præterea eius animo ſuſpicionem violatæ coniugalis fidei. Erat Mariæ Secretarius Sabaudus natione nomine Dauid Riccius, vir ſolertiſſimus, & qui longa rerum edoctus experientia altiùs, quàm voluiſſent penetrabat hæ-

Dauid Riccius.

reticorum conſilia, hunc è medio tollendum ſibi proponunt. Adeũt ergo Regem Henricum, perſuadent ſi ille ſemel ê viuis exceſſiſſet, fore vt ad eum authoritas, & Regimen regni deuolueretur. Itaque decretum eſt Henrico Dauidem occidere, ſed vt mors illa ad plura prodeſſet hæreticis authores Regi fuerunt, vt eum Regina ipſa ſpectante trucidaret, quo conſequerentur quemadmodum ſibi propoſuerant ipſi, vt vel Regina quæ tunc temporis vterum geſtabat, præ atrocitate ſpectaculi abortiuum fœtum emittendo, vnà cum prole extingueretur, vel ſaltẽ in Regẽ implacabile odiũ conciperet. Igitur die quadam ſub veſperam cum Regina in ſecretiori cubiculo cœnatura eſſet (aderant ibi Comitiſſa Argatheliæ, & quædam aliæ Principes fœminæ, intererat etiam Dauid Riccius) irrũpunt cũ Rege ex ſectariis quidam & repetitis ictibus crudeliter ſpectante Regina Ricciũ confodiunt. Et quia blandis vocibus querebatur Regina de illorum crudelitate, quidã intentis in ſclopetis pectus, & pugionibus ſanguine Secretarij ſtillantibus minati ſunt ei mortem niſi taceret. Poſtridiè quàm hæc acta ſunt adfuit ex Anglia Iacobus Stuartus impetrata priùs venia per Legatos Elizabethæ. Simulabat ille egregiè ignarum ſe eſſe huius cædis, cuius tamen præcipuus author extiterat Admiſſus ad Reginam procidit ad pedes illius, & importunis precibus veniam interfectoribus Dauidis petit, obtinet inſuper Regi ſecretum cum Regina colloquium vbi Regina pluribus de Regis ingratitudine conqueſta eius imprudentiam & leuitatem accuſat, quod ſectarijs & Anglorum legatis fidem adhiberet, quamuis ipſi nihil niſi eius perniciẽ, & mortẽ molirentur. Ille ad genua Reginæ prouolutus & effuſus in lacrymas veniam deprecatur, qua facilè a mitiſſima fœmina impetrata, eodem amoris & gratiæ loco receptus, cædis authores, & cauſas aperit, coniurationem aliam atrociſſimam detegit, qua hæretici ſtatuerant criminibus confictis præcipuos Catholicorum extremo ſupplicio afficere, ſtrangulatis nobiliſſimis mulieribus, Maieſtati ſuæ manus inferre, ſibi promiſſam eſſe in ſilentis præmium authoritatem & nomen Regis abſolutum, poſt exactam tragœdiam publica declaratione decernenda, perſuadendum etiam plebi, & publicis ſermonibus ſpargendum Reginam adulteram eſſe, & idolorum cultricem, vt aliam Iezabelam, aut Attaliam. Nobiles illos Catholicos, & mulieres quos interfeciſſent; ipſius fuiſſe ad ſcelera, & flagitia comites & adiutores deteriores falſis ſacerdotibus Baal, pietatis & zeli Chriſtiani fuiſſe, & ad regni quietem imprimis vtile, talem peſtem de medio ſuſtuliſſe, nihilque actum hac in re eſſe; niſi conuenienter Scripturæ ſacræ. Sed ô præclaram piorum hominum doctrinam! O zelum Diabolicum! Itane Chriſtianæ pietatis eſt Reginam à Deo confirmatam, innocentiſſimoſque homines trucidare, in quibus nihil diſplicere hoſtibus ſuis potuit, quàm quod fideles diuinis præceptionibus inuenti ſunt! Reconciliatus ergo Reginæ Rex, ad cædis

authores egreditur,& ſerena facie mentem diſſimulans affirmat placatum eſſe Reginæ animum, facilémque ad veniam, & ad gratiam aditum patere, petere illam vt à cuſtodibus ſibi appoſitis liberaretur. Itum in varias quæſtiones ſuper hac quæſtione, alijs nullam pollicitis fidem adhibentibus, alijs moderationem aliquam probantibus. Decretum tandem nullam in poſterum cuſtodiam,niſi ad Regis arbitrium fore. Hoc impetrato Henricus, ne in idem periculum rurſus inciderent, eadem nocte cum Regina clàm ad Caſtrum Dumbarrum ſe recipiunt & collectis circiter decem millibus hominum nefarios illos ſiccarios & Nouatores rurſum ad fugam in Angliam compellunt.Elizabetha iterùm dolis ſyncerum pectus expugnat,per Legatos impetrat à Regina reditum & gratiam rebellibus. In quibus Iacobus frater Nothus Mariæ Dux ipſorum officia, & dignitates recuperat Rex Henricus cum perſpiceret nuſquam Reginæ aut ſibi viuente Iacobo regnum, & vitam tutam fore, decreuit apud ſe quietem, & tranquillitatem regni perturbatoris morte redimere. Sed quia videbatur res plena difficultatis & periculi inconſulta Regina non auſus eſt aggredi, verum mitiſſima mulier tam atrox conſilium non ferens, animum eius ab illa cogitatione deflexit. Non potuit tamen iuuenis & animoſus princeps ita diſſimulare iram, quin Iacobus aſtutus, & verſipellis homo aliquid ſuboleret concepti conſilij, vt exindè factus offenſior in Regem, & Reginam conaretur omnibus modis vtrique regnum,& vitam eripere. Communicato igitur cum præcipuis hæreticorum nobilibus negotio Comitem Bothuellum, tum temporis Habronne vocatum,virum audacem,& ad extrema quæque præcipitem peragendæ rei idoneum ſtatuunt. Hunc in ſuas partes pertractum pollicitationibus, & lenocinijs verborum adducunt, vt regem ſuſcipiat trucidandum, quo è viuis ſublato, ipſe Reginam acciperet in vxorem.Diù verſatum eſt, quo mortis genere perderetur,vt ſi fieri poſſet ſuſpicio criminis caderet in Reginam, tandem tutiorem hanc viam eſſe rati ſunt. Ægrotauerat hoc tempore Henricus, conualeſcenti perſuadent palatio ad tempus excedere, & in villulam muris Edimburgi adiacentem liberioris aëris cauſa ſecedere.Interim ipſi effoſſis cuniculis tormentario puluere plenis, media nocte, dum Rex alto ſomno premebatur, ſeu, vt alij volunt ſtrangulato prius rege domum ſubuertunt. Abierat ex aula pridiè quàm hæc facta ſunt Iacobus Stuartus quaſi vxorem morbo aliquo detentam inuiſurus, compertumque eſt poſteà dictitaſſe cuidam viro nobili inter valedicendum Regem vltra hanc noctem non futurum in viuis diuulgata atrocitate huius rei, Regina curis, & doloribus oppreſſa,primoribus quibuſdam viris prouinciam perquirendorum cædis iſtius authorum demandat, qui participes criminis ad omnia conniuebant. Comes tamen Bothuellus quia communi omniũ voce reus ferebatur, in iudiciũ vocatus eſt, & quia alijs

Bothuellus

Henricus occiditur.

Iudices futuri erant illi qui cædis conſcij fuerant audacter cauſam dicere aggreſſus eorum ſententia abſolutus eſt, qui ſi ex iuſtitia pronuntiaſſet, ſuum ipſorum crimen, & innocentiam Reginæ cui inſidiabantur aperuiſſent. Bothuellus verò re peracta, fidem rebellium ſollicitat, vt quoniam pepigerant ſe Reginam vxorem illi daturos, remotis impedimentis perficiant. Syngrapham ab eis omnibus, exceptam & ſubſignatam per Notarium publicum exigit, ſe nō quieturos donec rē ad exitū perduxiſſent; per amicos illi ſuos reginæ primū inculcant, & regni ſui bono futurum, vt ad matrimonium conſentiat, præſertim neceſſarium eſſe, vt nonniſi ſubditum ſibi hominem eligat, promptum, acrem, & qui poſſit ſeditioſorum impetus retundere. Nullum alium aptiorem occurrere Bothuello, repugnanti Reginæ & rat onibus in contrariū annitenti identidem ſubinferunt omninò e re ſua futuras tales nuptias, nullumque præter Bothuellum, ad id idoneum videri. Interim Bothuellus ipſe omnis moræ impatiens, conſiſus ſectariorum pollicitis, Reginam Sterlinga redeuntem quo viſendi puerili ſui cauſa profecta erat in itinere adoritur, & diſſipato comitatu in caſtrum Borthik nolentem trahit, ibique exhibita Rebellium principum ſyngrapha additis inſuper quas potuit rationibus, ad nuptiarum conſenſum perducit. *Bothuello nubit Maria.* Proceſſerant hactenùs ſectariorum conſilia eo tenore, quo ipſi voluerunt. Itaque vt nullam rei gerendæ occaſionem prætermitterent, in populum diſſeminant, Bothuellum poſt interfectum Regem Reginam vi abductam, ad nuptias coëgiſſe, quibus rebus inflammatus populus ſectarijs ipſis ducibus ad arma conuolat, vt Reginam è manibus Bothuelli eripiat. Huius tumultu certior facta Regina, ex ſua ſuique conſilij ſententia, quantum in illa trepidatione potuit militum tumultuariò colligit, & obuiam rebellibus progreſſu ad montem Carbarrie venientes offendit. Solitis artibus ſectarij quendam è ſuis ad Reginam delegant denuntiaturum non eſſe paratum Maieſtati ſuæ hoc bellum, ſed Bothuello, cuius conſortio ſi ipſa ſe abſtineat ſolitum obſequium eſſent præſtaturi: Amantiſſima pacis, & concordiæ mulier ingenita ſibi generoſitate bonum reipub. ſuis rebus præferens. Bothuello dimiſſo, in manus ſubditorum ſuorum quamuis rebellium ſe dedit. Ex qua crudelitate ortum habuere mala quibus ad mortem vſque poſtea conflictata eſt, captam potiùs quàm receptam hoc modo Reginam ſectarij Edimburgū in triumphi ſpeciem deducunt, multiſque in itinere contumelijs afficiunt, prælato etiam ipſi vexillo in quo Henricus Darlæuo attritus & mutilatus ſpectabatur, cum tenero adhuc ipſius & Mariæ infantulo, quaſi vindictam de Matre ob interfectum parentem flagitante, vbi ventum eſt Edimburgi, non in palatio Regum, ſed in priuata quadam domo, ſeu veriùs in carcere addita validiſſima cuſtodia pernoctauit, vnde poſtridiè 14. Iunij 1567. edu cta. Non Reginæ, ſed reæ habitu per medium populum traducta, in prouinciam Fifam apud

arcem Lochleuine cuſtodienda deportatur, vbi paucis admodum comitibus neminem alloqui permiſſa eſt. Quid verò de illa fieret, vbi agi de eius capite cœptum eſt, non conueniebat inter ſectarios Ledingtonius enim & quidam alij reſtituendam cenſebant modo interfectores Regis ſecundum leges punirentur, diuortium cum Bothuello fieret, Religio nouiſſimè introducta confirmaretur. Alij pellendam in Gallias, vel in Angliam poſt reſignatum filio Regnum commiſſoſque ex Nobilibus aliquos qui Reipub. interim dum vir fieret, curam gererent. Alij perpetuò carceri deputandam, data filio Regia poteſtate. Alij ex ſententia Knoxij tollendam è viuis opinati ſunt, quam opinionem etiam Buchananus diabolico illo dialogo de iure Regni apud Scotos confirmauit: conſulunt per nuncios Iacobum Stuartum tùm in Gallia ad deuitandam rei infamiam, agentem, ſed occultè per fidos homines hinc inde commeantes omnibus conſiliis hæreticorum communicantem, imò omnium authorem præcipuum ipſe ad hæreticos remittit Reginam è medio tollendam eſſe priuſquam ipſe è Gallia in Scotiam appellat. Sectarij ergo ſe accingunt ad extinguendam Reginam, viſum autem eſt laqueo gulam frangere: hac ratione, vt credi poſſet, ſibi ipſi manus violentas intuliſſe. Sed ecce ſuperuenit Legatus ab Elizabetha nomine Throgmortonius cum literis ad Mariam, quibus ipſa condolebat eius calamitati, iubebatque bono eſſe animo & expectare temporis opportunitatem his malis finem & remedium allaturi. Trogmortonius ex mandato Reginæ cum hæreticis communicans, & conſilium de inferenda nece Mariæ audiens, quibus potuit rationibus à tam atroci facto deſeruit, rem eſſe dictitans peſſimi exempli, & inauditæ crudelitatis, fœminan inermem & authoritate regia ſacram interimere: Inde ad Mariam digreſſus quid in ipſam hæretici decreuiſſent aperit, hortaturque ſubdolè, vt depoſitione Regij nominis vitæ ſuæ conſulat, nihil nocituram illam renunciationem, vt quæ per vim extorta, nihil valeret. Tandem igitur intentata præſentiſſima morte adigitur, eas ſubſcribere literas, de quibus quid continerent, neſciebat Regnum filio tum tredecim menſium reſignat, Morauiæ Comitem Regni Rectorem decernit, quod ſi ille renuat in eius locum ſufficit, Iacobum Ducem Caſtri Heraldi Mathæum Lenoxiæ, Gilbertum Argatheliæ, Ioannem Atholiæ, Iacobum Mortonium, Alexandrum Glencarniæ, & Ioannem Marriæ Comites: quo etiam tempore proteſtata eſt per literas ad Trogmortonium miſſas Reginæ nihil valiturum hunc conſenſum, quem vis & metus expreſſiſſent. Quintò poſt die regreſſo è Gallia Iacobo Comite Morauiæ tumultuosè Sterlingam properant, ibique nulla authoritate conuocato Parlamento 29. Iulij 1567. qnadrageſima quinta die poſt incarcerationem Reginæ, per pſeudoepiſcopum, & duos quos ipſi Superintendentes vocant, Knoxium & Spothuuood Iacobum Henrici, & Mariæ filium in Regem inaugurantur, & Iaco-

Henricus 6. inauguratur.

bum Sextum proclamant præſtiterunt Regis nomine iuramentum Comites Mortonius, & Hoomeus ſub hac formula gubernaturum nempe ſe in timore Dei regnum, & pro viribus introductam de nouo colendi Dei formam ſeruaturum, & Papiſticæ Eccleſiæ ritus, & doctrinam extirpaturum, ac pro hoſtibus habiturum quicumque illam poſt-hac profeſſi fuerint. Concionem habuit Knoxius; nec multo poſt neci tradidit Ioannem Hepbornum Pariſinum Gallum, Daglishum & alios Bothuelli ſeruos, qui Cædi Regis adfuerant, qui omnes vno ore innocentiam Reginæ teſtati ſunt, ſeque audiuiſſe à Bothuello ipſo Morauium & Mortonium Comites huius cædis authores eſſe. Inaugurato Rege Edimburgum repetunt ibique 24. Auguſti conuocata factione, Regni adminiſtrationem cum authoritate Regia, & Regis educationem Iacobo Comiti Morauiæ detulerunt, qui arrepta occaſione omni ſæuitia Catholicorum reliquias proſecutus eſt, alios in carcerem coniecit, alios in exilium pepulit, & bonis omnibus ſpoliauit. In conuentu Sterlingæ habito de coronando Rege Archiepiſcopus Sancti Andreæ Hamiltonius, Frater Ducis Caſtri Heraldi, cum præcipua Nobilitatis parte, Dux ipſe Comites Hontlæus, Argatheliæ, Crauufurdiæ, Rotheſiæ, Caſſiliæ, Eglintoniæ, Setonius, Leuingſtonius, Fleminius, Ogilbæus, Eriſius & alij multi, iuridica & legitima interceſſione affirmarunt conuenticulum iſtud hæreticorum nullius eſſe virtutis, vtpotè conflatum ex factioſis & rebellibus, nulla authoritate legitima conuocatis, quia tamen non videbatur eſſe huius temporis per leges agere, plures ex illis deliberabant de liberanda Regina, cum ecce 2. Maij 1568. Eques quidam Georgius Donglaſius Frater Baronis de Lochleuine, obſequium & fidem in principem ſuum antiquiorem ſibi amore & charitate fraterna arbitratus audaci facinore ductam per medios cuſtodes Reginam in manus fidelium ſubditorum tradit, à quibus deducta eſt primum Hamiltonium, inde ad arcem munitiſſimam Dumbarrenſem collectis quantum per temporis anguſtias licuit militibus. Stipabant illam præcipui Hamiltoniæ gentis Comites Argatheliæ, Rotheſiæ, Setonius, Leuingſtonius, Fleminius, Eriſius, & alij, Bruſſij quoque, & Balſorij. Inciderunt apud Langſyd in rebelles quorum Duces erant Comites Morauiæ, Mortonius, Marriæ, Glencarniæ, Ruthuenius, Lindſayus, Glammius, Semplius, Ochiltrius, & alij; ibi atroci pugna edita, cæſis vtrinque permultis in fugam verſa eſt Regina. Cecidere eo prælio de gente Hamiltonia magni nominis viri 57. captis inſuper 27. præter alios quamplurimos nobiliſſimos homines partim occiſos, partim captos. Regina cum ijs, qui ſuperfuerant Equitibus effuſa fuga Angliam petere cœpit, ſed iam nullo apparente periculo deliberatum inter illos fuit, quam melius eſſet viam tentare ex tam difficili negotio erumpendi. Alij Hiſpaniam petendam arbitrabantur, Alij Flandriam vbi tunc temporis Ducis Albæ adminiſtrabat:

Maria ex arce Lochleuina euadit.

Alij Galliam quaſi alterum natale ſolum Reginæ: Alij in quibus Archiepiſcopus Sancti Andreæ perſtandum eſſe in Scotia, non adeo acciſas eſſe vires quin poſſet rebellibus reſiſti; Deum in poſterum magis propitium armis ipſorum fore. Ipſa penſitatis omnium ſententiis ſtatuit, non excedendum ex Inſula, præſertim nullis paratis nauibus, reliquiſque quæ ad commeatum neceſſaria videbantur, nullo modo ſtandum in Scotia, in qua nullibi tutò, neque in arcibus, neque in caſtris manſura erat, præterea non poſſe ſe fuſum ſuorum ſanguinem æquis oculis aſpicere; ſupereſſe ſibi Angliam in qua præſidium & auxilium ſperaret, promiſſum ſibi ab Elizabetha ſæpè per literas affirmante, ſi quando Maria premente fortuna ad Angliam confugeret, ſe ipſam ad regni confinia, adiutam copiis & pecuniis deducturam: Et quamuis, inquiebat, immemor promiſſi Elizabetha in belli ſocietatem non veniat, ſaltem hoſpitalitatis lege tenebitur, liberum per Angliam tranſitum dare, vt inde Gallias trajiciam. Ad hæc omnia ſubjiciebat Archiepiſcopus falſas fuiſſe pollicitationes omnes Elizabethæ, nihilque aliud illam moliri, & cupere ardentius quàm ſuæ Majeſtatis exitium, poſſe illam in fidem huius rei meminiſſe prædeceſſorum ſuorum Malcolmi quarti, & Iacobi primi, qui nihil tale expectantes perfidiam Anglorum experti ſunt in vincula coniecti quamuis nullam haberent tum Angli rationem aut prætextum talem, qualem Elizabetha ſibi proponebat, vt aduertit Archiepiſcopus ad has obiectiones Reginam inuariato ſtare conſilio procumbens in genua obteſtatus eſt circunſtantes, meminiſſent dati à ſe conſilij, inde obortis lachrymis dixit, ſeu potius prędixit quidquid paſſura eſſet Regina, & in carcere, & in morte. Progreſſa vſque ad Angliæ fines Regina maximam partem remiſit eorum principum, qui huc-vſque comitati illam fuerant, ibique paulìſper ſubſtitit præmiſſo ad Elizabetham Ioanne Betonio cum adamante illo, quem olim in argumentum amoris acceperat, datis etiã literis quibus ſignificabat ſe velle ad Elizabetham confugere, ab eaque auxilium in rebelles Scotos implorare. Betonio Elizabethã præſentis auxilio ſpem dedit, ipſo tamen non expectato Maria nauiculam conſcendit præter ſententiam eorum Principum, qui ipſi adhæſerant, & 17. Maij cum comitibus Fleminio & Eriſio aliiſque paucis Vviddringtonium in Cumbria peruenit. Inde ad Elizabetham eo ipſe die quo portum tenuerat, ſecundas literas mittit manu propria exaratam Gallico idiomate, quibus de ſtatu rerum ſuarum admoneret. Comites etiam Fleminium & Eriſium præmittit, qui de promiſſa ſæpiùs beneuolentia Elizabetham ſollicitarent Reſcripſit illa per Franciſcum Knovvls, Regiæ cohortis Ducem, qui cum aliis quibuſdam Mariam Elizabethæ nomine conſolatus, deducit Carlilium (non enim iuſtas vt dicebat ob cauſas, ſuo tempore reuelandas viſum fuerat Elizabethæ vt Londinum veniret) quo tutius vt prætendebant verſaretur, ibi ſub arctiſſima cuſtodia parum morata

Maria in Angliam.

per Comitem Serupium Bortonium deducitur. Dum hæc in Anglia fierent Iacobus Comes Morauiæ fœlici rerum ſucceſſu elatus, & Rectoris collato ſibi per factioſos titulo confiſus, conuocatis ſuæ partis Nobilibus, quotquot à Reginæ partibus ſtabant rebelles pronuntiat, omnia eorum bona, arces, & Caſtella proſcribit: quod dum auditum eſt à Catholicis, præcipui ex Gente Hamiltonia, Comites Hontlæus Crauufurdini, Argathelius, Caſſilius, Eglintonius, & alij de quibus ſupra copias educunt in ſectarios, qui ſuis viribus, & æquitate cauſæ diffiſi Elizabethæ auxilium implorant. Elizabetha rem ſine ſanguine conficere ſatius exiſtimans apud Mariam inſtat vt per literas a Principibus Catholicis obtineat, arma deponant ſe ſi hoc præſtiterit Maria, effecturam pollicetur, vt in ſuam dignitatem reſtituatur. Maria igitur nihil aliud ſibi proponens, quam quomodo ſine ſanguine rem poſſet tranſigere, miſſa ad Catholicorum Duces epiſtola, iuſſit eos arma ponere. Inde habitus eſt Edimburgi conuentus, miſſis ex vtraque parte Catholicorum & hæreticorum Legatis, admiſſis etiam de vtrorumque ſententia Elizabethæ Legatis Thoma Havvardo Duce Northfolciæ, Thoma Ratcliff Comite Suſſexiæ, Rodolpho Sadlero Equite aurato, & à ſecretioribus conſilijs, & quibuſdam aliis, tamen poſt multas altercationes re infecta vtrinque diſceſſum eſt. Elizabetha negotij conficiendi cupida inuitauit denuò vtramque partem Eboracum, quo delegati hæreticorum adfuerunt: Miſit etiam Maria ſuos Ioannem Leſlæum Epiſcopum Roſſenſem, Gulielmum Comitem Leuingſtonium, Robertum Comitem Boydium, Gauinum commendatarium, Kilvviminium Iacobum Gordonium, & Iacobum Corburnum, ſed cum hac proteſtatione, non quod ipſa ſuperiorem aliquem præter Deum in temporalibus agnoſceret, ſed vt innocentiam ſuam omnes intelligerent, in ſpiritualibus vero ſolum Pontificem Romanum ſemper habituram: affuerunt præterea Legati Elizabethæ. Ibi iactata eſt magna contentione Henrici Regis cædes, refundentibus in Mariam omnem inuidiam hæreticis. Verum, quia compertum eſt manifeſtam eſſe calumniam grauiter a Duce Northfolciæ, & aliis Legatis Elizabethæ excepti ſunt: Dux ipſe Northfolciæ certiorem Elizabetham facit de calumnijs, ab hæreticis Mariæ impoſitis. Quare Iacobus Morauia Comes hærentibus negotijs rurſum ad dolos, & perfidiam conuertit Northfolcium aggreditur, propoſitoque Reginæ cum ipſo matrimonio, ſpondet ſe effecturum, vt Parlamenti authoritate tales nuptiæ comprobentur, quippe quæ ad commune vtriuſque regni bonum eſſent profuturæ, lætus audiuit conſilium Northfolcius multiſque gratijs actis Iacobo, ipſum multis proſecutus eſt donis. Inde Iacobus, vt qui fraudem orſus fuerat perdendi Northfolcij cauſa, ob delatas ſuas & hæreticorum calumnias ad Elizabetham digreſſus affirmat ſecum egiſſe Northfolcium de matrimonio cum Maria, miriſque pollicitationibus ſollicitaſſe fidem ſuam, vt in ta-

les nuptias conſentiret, & adiuuaret, deſtinatas vt inquiebat ille à Northfolcio ad perdendam Elizabetham. Egit gratias delatori Elizabetha poſtulatoque ſilentio promiſit ſe conſilium iſtud præuenturam, deinde pacta eſt cum Iacobo, commutatione facta ſe daturam ſectarijs Mariam, ſi ipſi Iacobum Regem educandum ad arbitrium ſuum ab illis viciſſim acciperet. Firmatis hiſce conditionibus Iacobus & reliqui ſectarij Scotiam repetunt, habitoque conuentu Nobilitatis (ſimulabant enim hæretici ſe velle Reginam ad Coronam reuocare) Iacobus Morauiæ Comes matrimonium Mariæ cum Northfolcio proponit, confeſtimque Robertum Miluinum Equitem in Angliam ad Mariam mittit, vt voluntatem illius hac in re tentaret, qua ipſe poſtea contra Mariam eſſet vſurus. Northfolcius interea Iacobum Segniùs, quàm fuerat pollicitus promouentem ſollicitat ſcripta, & ſubſignata propria manu Epiſtola, quam continuo Iacobus ad Elizabetham tranſmittit, & fallacibus literis apud Northfolcium tergiuerſatur. Acceptis Elizabetha Northfolcij literis, haud cunctandum arbitrata, corripi hominem iubet, deductumque in turrem Londinenſem paulò poſt obtruncat. Ex hac Northfolcij morte tria conſecutus eſt Iacobus primò quod delatio illa, qua Northfolcius apud Elizabetham artes & fraudulenta conſilia Iacobi & ſectariorum iufamauerat, credita fuit ab homine minùs ſincero proceſſiſſe, vt qui ad Mariæ matrimonium aſpirans in partem cum illa famæ, & periculi veniebat. Secundò hoc effecit vt Elizabetha ſibi deinceps à Maria metueret. Tertiò, vt vindicatus de Northfolcio magnum ſibi apud ſuos nomen & famam acquireret. Exinde Maria quamuis ignara horum omnium arctiori cuſtodia cœpit cingi, multaſque paſſa eſt contumelias per viginti ferè annos quibus fortunæ ludibrium fuit, donec calamitates generoſa morte finiuit; Cuius ordinem & modum ſcribere non niſi integràm hiſtoriam facientibus conuenit. Satis pro inſtituti noſtri ratione fuerit iudicare non ſolum his quas enumerauimus calumnijs, à ſeditioſis Scotis laceratam fuiſſe eius innocentiam, ſed etiam pleriſque alijs, confictis & impoſitis per Gilbertum quemdam Giſtordum Anglum de Sacerdote Apoſtatam aſſerentem communicaſſe ipſam ſecreta contra Elizabetham conſilia cum Franciſco Babingtonio, & Balardo, ſicut etiam cum Morgano & Parro quorum omnium Confeſſiones, & Epiſtolas Mariæ affirmabat ſe ante illorum mortem exegiſſe; literas quoque iactabat cuiuſdam Nanij natione Galli, & Curlei Scoti Mariæ ſecretariorum, quas omnes Elizabetha eiuſque cõſilium prætendebant, vt ab omnibus crederetur Maria in eius exitium conſpiraſſe. Verùm ita diluta eſt iſtius criminis ſuſpicio, euidenter monſtrante Maria ſe ne de facie quidem nouiſſe vnquam iſtos homines, nec per literas cum ipſis egiſſe, vt infenſiſſimos etiam ipſius hoſtes puduerit, tam falſa & ridicula aliquando obieciſſe. Etſi fortè illi aut odio Elizabethæ, aut beneuolentia in Mariam huius rei

inſciam moti, aliquid moliti ſunt, debuitne in Mariam redundare? Quantum autem ad literas Secretariorum nihil in ijs inuentum eſt quod aut contra Elizabetham, aut contra ſtatum Angliæ faceret, videri poſſet. Quod ſi quamdiu in carcere detenta fuit, nihil omninò mouit in ſubditos ſuos rebelles, à quibus ablatam ſibi coronam debuit repetere, credine poterit Elizabethæ inſidiatura fuiſſe, in cuius poteſtate tunc erat? Nullus tamen eius innocentiæ locus relictus eſt apud Elizabetham, eiuſque conſilium, præualuit, ſiquidem metus hæreticorum inſitus animis, quod ſi quando deficiente Elizabetha proxima namque coronam Angliæ attingebat) rerum potiretur, Catholicam Religionem reſtitueret. Itaque ſollicitata ſæpiùs Mariæ de amplectenda Nouatorum fide, vt generosè in Catholica fide ſe permanſuram aſſeuerauit, ſatiùs duxerunt Angli illã iniuſta morte tollere, quam ſubire periculum reſtituendæ, vt ipſi loquebantur Papiſticæ ſuperſtitionis. Obtruncata eſt 18. Februarij, anno 1587. ætatis 49. in Caſtello Fodringamio, mulier formæ ſua ætate præcellentiſſimæ, admirabilis ingenij, inuicti in aduerſis animi, zelique in Catholicam fidem, pietatiſque eximiæ quam tota vita præ ſe tulit, maximè tamen in carcere, & in morte ſicut & patientiam & fortitudinem demonſtrauit.

Sed redeamus ad Sectarios, & imponamus finem huic hiſtoriæ. Paulo poſt interfectum artibus Iacobi Northfolcium, dum ipſe velut Victor de hoſtis ſui morte triumphabat per Iacobum Hamiltonum de Bothuuel Havvch Caluiniſtam, ob priuatam ab ipſo acceptam iniuriam, occiditur Lithgoi 27. Ianuarij anno 1571. dum plus quatuor millibus equitum ſtipatus Edimburgo iret Sterlingam, vt quidam putant daturus ex pactis Elizabethæ Iacobum Regem, & accepturus ab ea Mariam, quamuis alij putent Elizabetham, vt & alios ab eo deceptam fuiſſe. Iacobo ſucceſſit in adminiſtrando Regno tempore minoritatis Iacobi ſexti, Matthæus Lenoxiæ Comes pater Henrici Regis interfecti, auus Iacobi ſexti, quem ſubſequutus eſt Ioannes Comes Marriæ, cui demùm ſucceſſit Iacobus Comes Mortonius, quatuor excellentiſſimi viri, niſi quod virtutes ſuas hæreſi & rebellione offuſcarunt. Matthæus Lenoxiæ Comes qui primus regni curam poſt Iacobum I ſcepit, eodem anno quo Iacobus menſe Septembri Sterlingæ occiſus eſt: Ioannes Marriæ non multo etiam tempore functus officio ſubita morte correptus eſt. Iacobus Mortonius titulo Adminiſtratoris exutus capitali ſupplicio affectus eſt. Superius à nobis dictum eſt hæreticos capta Regina conuocaſſe illegitimum Parlamentum 29. Iulij 1567. & coronaſſe Iacobum 22. Auguſti ſequente Iacobum Morauiæ Comitem titulo Rectoris adminiſtrationem regni ſuſcepiſſe, menſe Decembri Parlamentum conuocaſſe: quod ab illo ſemel tantùm factum eſt. Ibi multa contra Catholicos decreta ſunt. Authoritas ſummi Pontificis nulla eſſe declarata eſt: Leges omnes per Reges ſuperiorum tempo-

rum in gratiam Catholicorum latæ abrogatæ ſunt, noua fidei confeſſio concinnata eſt & publicata, ſacro ſanctum Miſſæ ſacrificium abolitum, pœnæque in eos dictæ qui vel celebrarent, vel intereſſent ſi ſemel bonorum amiſſio, ſi iterùm exilium, ſi tertiò capitale ſupplicium. Decretum etiam eſt nullum Catholicum, magiſtratum aut officium aliquod qui ea poſſet gerere, ne ad notariatum quidem aut aliud Curiæ officium admitti poſſe. Ludimagiſtros omnes & præceptores examinandos per viſitatores ſuarum Eccleſiarum ſi nouam doctrinam exactè profiterentur. Matthæus Lenoxiæ Comes per ſeptem quibus adminiſtrauit menſes, ſemel Parlamentum conuocauit Sterlingæ 28. Auguſti 1571. nullas tamen in Catholicos leges de nouo tulit. Adminiſtrante Comite Marriæ nullum conuocatum eſt Parlamentum. Tertiò, conuocatum eſt per Iacobum Mortonium Edimburgi 26. Ianuarij 1572. vbi decretum eſt omnes Catholicos, ſiue eos de quibus poſſet dubitari coràm citandos, vt Caluinianam doctrinam profiterentur & participarent Sacramentis eo ritu, & loco quo hæretici participabant, & hoc ſub pœna excommunicationis. Qui Caluinianam fidem non profiterentur, aut qui ab illa deficerent, infames, & incapaces omnis actionis iuridicæ, etiam teſtimonij dicendi declarati ſunt. Quicumque bona Eccleſiaſtica poſſiderent, nouam Religionem ſequi iuſſi ſunt. Nullum Catholicum pro vero & fideli ſubdito Regis cenſendum eſſe. Quotquot pro Religione excommunicati fuiſſent, rebelles Regi & contumaces habendos. Secuta ſunt alia Parlamenta in quibus atrocia contra Catholicos decreta prolata ſunt, ſed quia vìderi in actibus Parlamentorum poſſunt, & nos breuitatem promiſimus, ſuperſedeo enarrare. Hac ratione impura hæreſi, expulſa poſt mille quadringentos ferè annos Catholica fide in Scotia domicilium, ſeu potiùs tyrannidem fundauit.

FINIS.

INDEX CAPITVM
HVIVS OPERIS.

INTRODVCTIO ad ſequentes Libros de Fortitudine, Doctrina, & Pietate Scotorum.
De Scotorum origine, & in Albionem aduentu. 1
Introductionis pars ſecunda.
De priſcis Scotorum moribus. 7

Liber primus, De Scotorum Fortitudine.

Cap 1. *De Scotorum fortitudine aduerſus Britannos.* 13
Cap. 2. *De Scotorum fortitudine aduerſus Romanos.* 19
Cap. 3. *De Scotorum fortitudine aduerſus Anglos.* 28
Cap. 4. *De Scotorum fortitudine aduerſus Pictos.* 32
Cap. 5. *De Scotorum fortitudine aduerſus Hibernos & Irlandicos.* 34
Cap. 6. *De Scotorum fortitudine aduerſus Orcadenſes.* 36
Cap. 7. *De Scotorum fortitudine aduerſus Luſitanos.* 37
Cap. 8. *De Scotorum fortitudine aduerſus Danos, Nouergos, &c.* 37

Liber ſecundus, De Scotorum Doctrina.

Cap. 1. *Floruiſſe ante Chriſti Aduentum litteras in Scotia.* 41
Cap. 2. *Floruiſſe in Scotia litteras mirum, in modum poſt Chriſti Aduentum,* 42
Cap. 3. *Homilia Diui Ailredi in illud Luc. 2.* Cum factus eſſet Ieſus Annorum duodecim, *&c.* 46
Cap. 4. De *Scotiæ Academijs ſeu vniuerſitatibus.* 56
Cap. 5. *De vniuerſitatibus aduerſus exteras Nationes à Scotis fundatis.* 60.

Liber tertius, De Scotorum Pietate.

Cap. 1. *De Antiquitate Religionis Chriſtianæ apud Scotos, & conſtantia eorum in eadem.* 62
Cap. 2. *Nullam ſub Cælo gentem eſſe, quæ plures populos veritatem docuerit, quàm Scotica.* 65

Oo

Cap. 3. *Multitudo Monaſteriorum & Abbatiarum tam in Scotiâ quàm extra illam, pro Scotis fundata eorumdem pietatem probat.* 67
Cap. 4. *Numerus Scotorum Regum, eorumque filiorum & filiarum, in relat. Sanctorum Scotorum pietatem probat.* 71
Enumerantur præcipui Sancti Doctique viri, qui ſuis natalibus Scotiam, &c. 72
Ianuarius. 72
Februarius. 93
Martius. 108
Aprilis. 121
Maius. 136
Iunius. 151
Iulius. 161
Auguſtus. 165
September. 172
October. 168
Nouember. 182
December. 200
Appendix de Scotorum Pietate.
Diſſertatio I. contra Hibernos, Irlandicos, in qua deffenditur prædictos Sanctos fuiſſe natione Scotos. 205
Quando Scoti in Albionem venerint. 206
Quo Tempore Scoti Fidem ſuſceperint. 208
Quibus nominibus fuerit olim Scotia appellata. 212
Num à Chriſti temporibus Hibernia Irlandica appellata fuerit Scotia. 222
Epiſtola authoris ad Hibernos Irlandicos. 243
Diſſertatio II. contra Anglos.
In qua contra ipſos euincitur Scoticanam Eccleſiam, &c, 244

Liber 4. De ortu & progreſſu Hæreſis.

Cap. 1. *Quomodo introducta fuerit in Angliam Hæreſis, & quomodo propagata.* 246
Cap. 2. *Quomodo in Scotiam introducta hæreſis, & quomodo propagata.* 269

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, Il eſt permis au R. P. IEAN MORIN, Preſtre de la Congregation de l'Oratoire de Ieſus-Chriſt, de faire imprimer par tel Libraire qu'il voudra chercher, vn liure manuſcrit qu'il a recouuert, intitulé *De Pietate, Fortitudine, ac eruditione Scotorum, & de ortu & progreſſu hæreſis in Regno Scotiæ & Angliæ*. Et defenſes ſont faictes à toutes perſonnes de quelle qualité & condition qu'ils ſoient, de l'imprimer, vendre, ny diſtribuer durant le temps & eſpace de ſix ans, à peine de confiſcation des Exemplaires, d'amende arbitraire, & de tous deſpens, dommages & intereſts, comme il eſt declaré plus amplement en l'Original de ces preſentes. Donné à Troyes le 17. Auril 1630. Par le Roy en ſon Conſeil. SAVARY.

LEdict R. P. Morin a choiſi & eſleu PIERRE BAILLET, marchand Libraire à Paris, pour imprimer le ſuſdit Liure, auquel il a cedé & tranſporté tout le droict du Priuilege cy deſſus, pour en jouïr ſuiuant le contenu en iceluy. Faict à Paris le dixieſme Octobre 1630.

Errata ſic corrige.

FOl. 3 lin. 38. pro ſe incoluit. *leg.* ipſe incoluit. fol. 9. l. 19. pro ferendi. *leg.* ferendis. fol. 10. *lin.* 12 pro qui nos. *lege* qui mos. fol. 11. *lin* 13. pro copiā, *lege* quopiā. fol. 14. *lin* 13. pro hoc eſt, *lege* hæc eſt, *lin.* 32. pro prouinciaq; illi Nouē Coili, *lege* prouincię illi nomē Cœli. fol. 15. *lin.* 1. pro Ferithtris, *lege* Feritharis, *lin.* 6. pro in lauta progr. *lege* in tanta prof. pro Tyrannis, *lege* Tyrannus *lin* 11 pro Reutkerem, *lege* Reutherem. *lin.* 32, pro tantum vt horr. *lege* tantum horrenda fol. 16. *lin.* 3. pro Pictici ſanguiniæ, *lege* Pictici ſanguinis, *lin.* 4. pro infecto deleuit. *leg.* infeſto deleuit, *lin.* 26. Cum horrore eſſe cœperit, *lege* cum horrori eſſe cœpiſſet. fol. 1-. *lin.* 11. pro hic *lege* his, *lin* 23. pro inſtiuerat, *lege* inſtitueret. fol. 19 *lin.* 10. exploratos, *lege* exploratores. fol 24 *lin.* 28 pro Cæſeum, *lege* Cæſium, *lin.* 4. pro in Cautio reb. *lege* in Cautis rebellis. pag, 25 *lin.* 21. pro eoque, *lege* atque, *lin.* 22. pro à contractu, *lege* à contactu. pag. 27. *lin.* 36. pro vilem ſeruarit, *lege* vilē ſeruaret. pag. 29 *lin.* 31. pro peritos, *lege* petitis pag. 32. *lin* 34. pro preculſi, *lege* perculſi pag. 33. *lin.* 1 pro Pictij, *lege* Picti *lin.* 30. pro ſuſtuleruut, *lege* ſuſtulerant. pag. 36 *lin.* 1. pro Cretibus, *lege* cœtibus. pag. 40. *lin* 2. pro pæmatis, *lege* poematis. pag 53. pro naſcitur, *lege* naſcetur *lin.* 17. pro Herode tuis, *lege* Herode non tuis. *lin.* 29 pro ſoluere adimplere, *lege* ſoluere ſed adimpl p 55. *lin.* 3. pro ſipes dominatur, *lege* ipſe domin. pag. 57. *lin.* 5. pro tempora fuiſſe, *lege* tempora non fuiſſe *lin.* 24. pro tempore Deformata, *lege* tempere, deformata pag. 59 *lin.* 3 pro literas, *lege* literæ pag. 63. *lin* 31 pro vi non im. *lege* vt non imm pag 66 *lin.* 6 pro Alſatus, *lege* Alſatiis, *lin.* 14 pro exolentes, *lege* excolentes. *lin* 15. pro batiſſime, *lege* latiſſime, *lin.* 27 pro europem, *lege* Europam pag. 67. *lin.* 17. pro malaque fide; agentes, *lege* malaque fide agentes pag. 72 *lin.* 5. pro Lothoringos. *lege* Lotharingos. pag 79 *lin.* 5. pro cæteris, *lege* cæteri pag. 31. *lin.* 40. pro fuerit, *lege* fuit. pag 86. *lin.* 29 pro Sanctæ Col. *lege* Sancti Col. fol. 7. *lin.* 43. pro aut Vvirz, *lege* ad Vvirz fol. 104 *lin* 9. pro ſane bonum, *lege* ſane bono fol 106 *lin* 16. pro Mauſeolum, *lege* Mauſoleam fol 112. lin. 30. pro inferendi, *lege* inferendis fol 125. *lin.* 22. pro patrem, *lege* pater. fol. 127 *lin.* 21 pro diſpicere, *lege* deſpicere. fol 129 lin 27. pro iudicaret, *lege* indicaret fol 135 *lin* 3 pro inſulas, *lege* infulas fol. 139. pro deque, *lege* de qua fol. 140 *lin.* 38 pro ſuperna diutius amore, *lege* ſuperno ductus amore. fol. 146 lin. 38. pro Carali, *lege* Caroli fol 147 *lin.* 9. pro Elaboracum, *lege* Eborarum, fol 14 *lin.* 13 pro auditor, *lege* adiutor fol. 149. *lin.* 1. pro vt quia, *lege* vt quid. *lin.* 7. pro Spurus, *lege* Spurius fol 52. *lin.* 5. Fœdifragus, *lege* Fœdifragum *lin.* 15. Neubergenſis, *lege* Neubrigenſis fol 161. *lin.* 36. nouam horam, *lege* nonam horam fol. 163 Hildegardus, *lege* Hildegardis. fol. 166 *lin. vlt.* inauguratum, *lege* inauguratur fol 167. *lin.* 9. Traſectenſis, *lege* Trajectenſis. fol 205. *lin.* 2. quo, *lege* quos fol 212. *lin* 15. conſentientia non dicunt, *lege* non conſentientia dicunt. fol 223. lin. 3 pro occiduat, *lege* occiduas. fol. 225. *lin.* 16. adeo vt pręd *lege* adeo pręd. lin 18 gratia, lege gratiæ. fol. 245. lin 4 pro qua ergo, *lege* quo ergo fol 217 lin. 21 pro inualiditate, *lege* inualiditati *lin.* 43. occultus, *lege* occultas. fol 268 *lin.* 33. ante libras, *lege* mille lib. fol. 272. *lin.* 32. quos iam hæreſis, *lege* quos in hæc. fol. 272 *lin.* 33 pro rectæ Edimb *lege* recta. fol. 275 *lin.* 2 pro exercitationem, *lege* exercitatiorem. fol. 277. *lin.* 14 pro habet, *lege* haberet fol. 279 *lin.* 15. pro in ſclopetis pectus, *lege* in pectus ſclopetis. fol 181. *lin.* 39. pro Darlęuo, *lege* Darlæus. fol. 282. *lin.* 25. pro deſeruit, *lege* deterruit.

[illegible]